FUNDAMENTA DUODECIM ORDINIS FRATRUM MINORUM S...

Petrus Marchant, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

Digitized by Google

37-47 E 10

FVNDAMENTA DVODECIM

ORDINIS FRATRVM MINORVM

S. FRANCISCI

FVNDAMENTIS DVODECIM APOSTOLORVM

CIVITATIS S. IERVSALEM, &c.

Superædificata, ipſo ſummo angulari lapide, CHRISTO IESV.

Auctore R.P.F. PETRO MARCHANT Couuinienſi, eiuſdem Ordinis & Prouinciarum vtriuſque Flandriæ Patre perpetuo, & S. Theologiæ Lectore Emerito.

DEDICATA

SS.^MO D.N. ALEXANDRO VII. Pontifici Max.

Sub Patrocinio

EM.^MI S. R. E. CARDINALIS FRANCISCI BARBERINI,

Ordinis Minorum

GVBERNATORIS, PROTECTORIS, ET CORRECTORIS &c.

Accedunt ad Calcem breuis Explicatio Teſtamenti S.P. FRANCISCI, *et Chronologia Generalium Ordinis, cum copioſis Indicibus.*



Stigmata, Crux, Claui, decuſſaque Brachia CHRISTO | FRANCISCVM *ſimulant: Hæc* PETRI Stemma *decorat.*

BRVXELLIS,

Apud FRANCISCVM VIVIENVM. M. DC. LVII.

37. 47. E. 10

Digitized by Google

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO
PATRI AC DOMINO.
D.
ALEXANDRO
SEPTIMO,
PONTIFICI
OPTIMO, MAXIMO.

F. PETRVS MARCHANTIVS, ex Ordine Minorum, omnimodam, cum oſculo pedum, Obedientiam.

AD Te, BEATISSIME PATER, venit *Ciuitas* illa *parua* Ordinis Minorum, *in qua inuentus eſt vir pauper & ſapiens* Franciſcus, *qui vrbem liberauit per ſapientiam ſuam:* venit autem cum omnibus incolis ſuis, quia etſi ab initio *pauci in ea viri,* in ampliſsimam tamen, ſub auſpicijs Eccleſiæ Matris, creuit multitudinem: venit, vt TVÆ BEATITVDINI Obedientiam & Homagium renouet ſingulare, ac Domino ſuo, *villa & villicationis ſuæ rationem reddat.* Eccle. 9. verſ. 14. & 15. Lucæ 16. verſ. 2.

Tua Ciuitas eſt, quia quantumuis parua, & humilis, in Eccleſiæ fundo diuinâ manu ædificata eſt *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide,* CHRISTO IESV, Epheſ. 2. verſ. 20. & 21.

IESV, *in quo omnis ædificatio constructa creſcit in templum ſanctum in Domino:* neque enim partem habet cum illis, *qui lætãtur ſuper muros cocti lateris;* ad quos *vniuerſus Moab, ad Moab vlulat.* quippe quæ, vt olim *Mons Sion, extructa eſt in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem:* decernẽte enim & declarante fel. rec. *Nicolao III. Euangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatorum militantis Eccleſiæ Apoſtolorum eius ſermonibus, actibuſq; firmatur.*

Iſaiæ 16. verſ. 7.

1. Mach. 10. v. 11.

Nicol. III. C. Exiit qui ſeminat. in Prol.

Tua Ciuitas eſt: cuius Habitatores in Fundatore ſuo T. BEATITVDINI Iuramento, Votóque fidelitatis, & Obedientiæ ſingularis præ alijs à ſua origine ſunt obſtricti, dum S. FRANCISCVS *promiſit Obedientiam & Reuerentiam Domino Papæ Honorio, & Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ.* Etſi enim (Seraphico Doctore S. Bonauenturâ aſſerente) *Totus Clerus, & Religioſorum vniuerſitas, teneatur firmiter Apoſtolico Domino obedire, tamen Sanctus huic debito votum adijcit ſpeciale, ſciens voto ſuperuenire, & fortificari Sacri Ordinis vinculum, & meritum geminari.*

Reg. Fratrum Min. c. 1.

S. Bonau. in cap. 1. Reg.

Tua Ciuitas eſt: cuius incolæ ex Regula, *S. Romanæ Eccleſiæ pedibus ſubiecti,* & in eius ſinu nati, TVO, BEATISSIME PATER, ſpiritu viuunt, Tuo aëre reſpirant, Tuo nutu mouentur, Tuis alimentis nutriuntur, Tuis veſtimentis fouentur, Tuis habitaculis recipiuntur, Tuis armis, Tuis ſtipendijs militant,

Reg. Fratrum Min. c. 12.

Digitized by Google

tant, & quidquid acquirunt, etiam in ſpiritualibus, Tuo nomini acquirunt. Cùm enim in rebus quibuſcumque nihil Iuris habere poſsint, omnia, quibus vtuntur, in Ius, & dominium Tuum, ac S. Sedis deuoluuntur: Quia, vt dignanter *Nicolaus III.* fatetur, *Sedes præfata, & perſona Summi Pontificis, Pater eſt ſpecialis Fratrum Minorum, & filius Minor quidquid acquirit, parenti acquirit.* *Nicol. III. C. Exijt ar. 3.*

TVÆ, igitur, BEATITVDINI, duodecim illius *paruæ Ciuitatis Fundamenta* conſecrantur, vt in illis *duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni* inſcripta diſcernens, à participatione Apoſtolicæ vitæ, & Communicationis, in Fundamentis, & ædificatione ſupernæ Ciuitatis non ſecernatur: *Quam Chriſtus paſſionis ſuæ Stigmatibus confirmauit, volens Inſtitutorem ipſius Paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniri.* Nec eius humilitas, aut ſpecies, procellis varijs conuulſa, repulſam pati à TVA MAGNITVDINE poteſt: memor ſuauiſsimæ conſolationis, quam deſolatæ Ciuitati Ieruſalem benigniſsimis verbis impendit Deus: *Paupercula, inquiebat, tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.* Hæc, BEATITVDO TVA, in funda- *Apoc. 21. verſ. 14.* *C. Exijt in Prol.* *Iſaiæ 54. verſ. 11. & 12.*

mentis illis completa, non ſine *paruæ Ciuitatis* diuino ſolatio, perſpiciet: etſi enim *Ordo Minorum* varijs procellis interdum agitatus, ſub ſpecie *paupercula, tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione*, nonnullis videatur: ſi tamen in fundamentis his ſuis conſideretur, manifeſta manus Domini apparebit, in primis lapidibus, quos ordinatiſsimè in Regulæ conſtructione ſtrauit CHRISTVS: Nec deerunt *Sapphiri* Sanctorum, & Beatorum Confeſſorum, quorum hi ad ſexcentos recenſentur, illi quinquaginta excedunt: Videbuntur & in *Propugnaculis Iaſpides* Martyrum, pro candore fidei ſanguine fuſo, *Candidi* pariter, & *Rubicundi*, ad mille quingentos: Et *in portis lapides ſculpti* Doctorum, & Scriptorum innumerabilium: Ac *in omnibus Terminis* vniuerſi Orbis apparebunt *lapides deſiderabiles* Operariorum, qui labores & ſudores cum vita Deo & Eccleſiæ pro ſalute Animarum conſecrarunt, & in hunc vſque diem conſecrant.

Hæc, igitur, Ordinis Minorum fundamenta, CLEMENTIA BENIGNITASQVE TVA, à ſenili quidem Calamo illius accipiat, qui etſi ab extremis Belgis veniat, non tamen SANCTITATI TVÆ penitùs igno-

ignotus est, MARCHANTIVS: quippe qui in Prouincijs Nationis Germanicæ, Belgicæ &c. pro ordine suo aliquando Commissarius, sæpiùs Coloniæ, Monasterij Wesphaliæ, & Aquisgrani, radios DIGNATIONIS TVÆ, & beneuolum animum expertus, eò confidentiùs præsumit BEATITVDINI TVÆ ad *Oscula pedum* adgeniculari, quò tenetur paruulo hoc symbolo Filialis obligationis debitam ex Voto *Obedientiam & Reuerentiam*, suo & Ordinis sui nomine, resuscitare. Dum enim priora tempora diuinæ dispositionis ruminat, quod aliquãdo Mardochæo in mysterioso somnio accidit, id ipsum in TVA SANCTITATE accidisse, feliciori augurio, sibi, & Ecclesiæ Dei, congratulatur. *Paruus fons*, vtique, *creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit.* TVA, namque, BEATITVDO vbi ad Tractum Rheni & Leodienses Legationẽ Apostolicam obiuit, verè *fons paruus* scaturientis aquæ salutaris vitâ, doctrinâ, Exemplo, populis fuit: Sed dum *Arbiter pacis vniuersalis* inter Potentissimos Mundi Monarchas electus est, in Fluuium creuit, Orthodoxæ prudentiæ, & saluberrimorum Cõsiliorum aquas in om-

Reg. Fratrum Min. c. 1.

Esth. 10. vers. 6.

in omnes deriuans: Ita autem Diuina Sapientia in humanis ludebat, donec in *lucem, Solemq;* Ecclesiæ vniuersæ, *conuersus es,* ad Summum assumptus Pontificatum. Hâc *luce,* Hoc *Sole* Nestoreos annos gaudeat Ecclesia, & redundãtes aquas in æternam fæcunditatem hauriat, quæ vtinam *egrediantur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendant ad plana deserti, intrent mare, & exeant, & sanentur aquæ:* Ad Tumulos, inquam, sabuli *Orientalium errorum,* plana deserti *Infidelium,* fluctus feri maris *Hæreticorum,* vt sanentur & viuant omnia, ad quæ venerit Torrens Apostolicæ Tuæ Irrigationis, ad vniuersæ Ecclesiæ Tibi commissæ salutem & pacem. Nec desit Ordini pauperculo Minorum suus Riuulus, in cuius ripa *omne lignum pomiferum oriatur, nec defluat folium ex eo, nec deficiat fructus eius, sed per singulos menses afferat primitiua,* dum *Aquæ* de Apostolico Dei *Sanctuario* per Te *egrediuntur,* vt sint lignorum *fructus in cibum,* & *folia* eorum *ad Medicinam.* Ex quibus irrigationis aquis, sub *limine* Tuo egredientibus, MARCHANTIVS, septuagenario maior, expectat plenarium haustum Apostolicæ Benedictionis & Indulgentiæ, quo confortatus, iter cum Elia perficere possit ad *Montem Dei Horeb,* Montem

Ezech. 47. vers. 8.

Ibidem. vers. 12.

3. Reg 19. vers. 8.

Æterni-

Æternitatis. Hoc vnum ſupplicat, exorat, exſpectat ſuæ ſenectutis à Suprema Tua Poteſtate ſuffragium & ſolatium

BEATITVDINIS TVÆ

Humillimus Filius & Seruus

F. PETRVS MARCHANTIVS.

ORDINIS MINORVM

SALVS, PAX, ET DECOR,

A

PRIMA SEDE, ET ECCLESIA ROMANA.

S. FRANCISCVS *Tomo* 3. *Opusc.*, *Collatione* 20.

MATER omnium Ecclesiarum, Fratres, est Romana, & Domina omnium est Religionum. Vadam, & recommendabo Fratres meos sanctæ Ecclesiæ, Cuius potentiæ Virgâ percellantur maleuoli, & filij Dei in æternæ salutis augmentum vbique plenâ gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filij dulcia beneficia Matris, & speciali deuotione semper Ipsius reuerenda vestigia complectantur. Non erit, Ipsâ protegente, in Ordine *malus occursus*, nec *filius Belial* per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostræ ipsa sancta Ecclesia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per superbiæ nubilum offuscari non sinet. Charitatis & pacis vincula in nobis seruabit illæsa, censurâ strictissimâ percutiens dissidentes. Euangelicæ puritatis obseruantia sacra continuè in Eius aspectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.

OBEDIENTIÆ VNIVERSALIS ECCLESIÆ

S. FRANCISCVS

Infrascriptum Votum suo, suorumque nomine superaddidit.

FRater FRANCISCVS promittit Obedientiam, & Reuerentiam D. Papæ HONORIO, & Successoribus eius, canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. *Reg.* c. 1.

Super quo F. Hugo de Dina *sanctitate & doctrinâ celebris.*

PErfectus Euangelij obseruator Petro Apostolo in Successore suo, cui à Christo Ecclesia est commissa, se, suosque in se speciali Obedientiæ, ac Reuerentiæ promissione subiecit. Vnde Summo Pontifici, sanctæque Romanæ Ecclesiæ sunt Fratres specialiter, tam ex singulari hac sponsione, quàm etiam ex speciali Eius ad ipsos cura & defensione astricti: præsertim cùm Ordo per Ipsam, velut in Eius sinu, formæ, roboris, & incrementi susceperit complementum; vt quasi proprius filius ipsius Ecclesiæ dici possit.

REVE-

EMINENTISSIMO DOMINO,

D.

FRANCISCO,

CARDINALI BARBERINO,

EPISCOPO

SABINENSI,

S. R. E. VICE-CANCELLARIO,

ORDINIS S. FRANCISCI

GVBERNATORI, PROTECTORI, ET CORRECTORI &c.

F. PETRVS MARCHANTIVS, ex Ordine Minorum, omnem Obseruantiam, & Subiectionem.

QVOD in Cælesti Hierarchia, pro suæ incomprehensibilis *Maiestatis infinita Gloria*, SS.MA TRINITAS, quæ (Magno illo Areopagitâ Theologo Dionysio teste) est *omnis Hierarchiæ principium, fons vitæ, bonitatis essentia, vna causa omnium rerum, a cuius bonitate, & Status, & bonus Status, ijs quæ sunt conceditur*; dispositit, vt nimirùm: *In vnaquaque Hierarchia & primi sint, & medij, & postremi, Inferiorumq; Superiores Doctores sint, eisq; quasi digito viam monstrent, aditumq; ad Diuinitatem.* Idipsum in Subcælesti & Ecclesiastica Hierarchia, (quæ est Cælestis imago quædam & similitudo) Deum disposuisse idem supremus Theologus confirmat, & explicat, docens, *A* IESV CHRISTO, *qui est mens, & Diuina maximè, & essentia superior, omnisq; Hierarchiæ, tum sanctitatis, tum Diuinæ actionis, principium, & Hierarchiarum author, atque perfectio, Petro & Successoribus* Potestatem sacram siue *Ordinem sacrum, & Scientiam, & Operationem com-*

S. Dion. Eccles. Hierarch. c. 1.

Caelest. Hierarch. c. 4.

Eccles. Hierarch. c. 1.

munica-

municatam, quâ ad Dei similitudinem pro viribus niterentur, & pro modo suo ad imitationem Dei ex indulta sibi diuinitùs luce subueherentur: & quidem non pro se solo, sed pro sibi subiectis gradibus: *Ipse enim* (ait) *Pontifex pro sua natura, & modo, & Ordine, in diuinis Mysterijs ac rebus perficitur, atque Diuinitatem consequitur, vt ijs, qui ipsi parent, diuinam similitudinem, quæ in eo diuinitùs inest, pro sua cuique dignitate impertiat* &c. Quod igitur in diuina communicatione in Spirituum Cælestium Hierarchijs perficitur: Hoc in Hierarchijs Ecclesiasticis perfici proportionatè intelligẽdum; vt nimirum, Inferiores à Superioribus ordinatè illustrationes suas percipiant, & *Status, & boni status*, eorumque operationes, ab influxu Capitis dependeant; ita vt Superiores Inferioribus præsideant, & Inferiores Superiorum influentijs dirigantur, & Primi Supremæ Hierarchiæ Principes, *S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales*, qui Apostolicum Collegium sub supremo Capite, IESV CHRISTI *Vicario*, immediatè constituunt, ceteris Hierarchijs influant per operationes Purgatiuas, Illuminatiuas, & Perficientes.

Hæc fuit sanè Benignitatis Apostolicæ vna in Ordinem Fratrum Minorum post illius approbationem gratia, vt, ad postulationem Seraphici Patris, Ordo ille, qui ad operationes Hierarchicas in vniuersum Orbem, Christo dictante, ordinatus erat, ab vno ex Principibus Primis Superioris in Ecclesia Ordinis sub Supremo Capite dirigeretur, & Illustrationes sibi conuenientes susciperet, quique illis esset *Lux præoptata, & perfectio omni purgatione & luce perfectior*, vt esset, sub Supremo Capite, *Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis:* hoc enim & ipsa huius Fraternitatis conditio postulabat; Fratres enim, qui ex vi Regulæ suæ in Orbis vniuersi salutem mittebantur, nec vllâ Regione, aut Orbis parte, iuxta vocationem suam coarctari poterant, (vtique qui nec ex vi status habebant, vbi stabiliter pedem figerent, nec alicuius Regionis

gionis singularis Episcopi Iurisdictioni alligari possent) necessarium fuit, vt vni ex Principibus Eminentissimis *S. Ecclesiæ Romanæ*, commendarentur; cuius vniuersaliores Illustrationes reciperent, eiusque Gubernationi, Correctioni &c. subiacerent. Hoc fuit Seraphici Patris argumentum: *Mater* (inquit) *omnium Ecclesiarum est Romana, & Domina omnium Religionum: Vadam & recommendabo Fratres meos Sanctæ Ecclesiæ, cuius potentiæ virgâ percellantur maleuoli, & filij Dei in æterna salutis augmentum, vbique plenâ gaudeant libertate* &c. Vndè ad *Honorium III* pergens, suum ita Illi Ordinem commendauit, vt tamen Cardinalem Ostiensem in *Protectorem* peteret, ad quem posset recurrere; hãc causam allegans: *Ad Maiestatem tantam*, inquiebat, *nobis Pauperculis non datur accessus, Orbem quidem tenetis in manibus, sed minimis intendere rebus, prægrandia Domini negotia non sinunt.* Annuit Postulanti *Honorius*, & *Hugolinum* Episcopum Cardinalem Ostiensem Religioni Franciscanæ præfecit: *qui Gregis sibi commissi sedulus Nutritius, Pastor & Corrector factus, singulari eum prærogatiuâ dilectionis & curæ prosequi non destitit*, ad Summum Pontificatum, Oraculo ac Prophetiâ S. Patris, posteà eleuatus.

S. Franc. ad Fratres suos.

S. Franc. ad Honor. III.

Hæc Sancta Solicitudo, Diuinâ Prouidentiâ, in TVAM EMINENTIAM ad Annum Iubilæi 1625. mandante felicissimæ memoriæ *Vrbano VIII.* Auunculo Tuo, deuoluta est in Comitijs Ordinis Generalibus Romæ celebratis, omnium Patrum summo gaudio, gratulatione maximâ, humillimâ subiectione; cum quibus & ego, Diffinitor Generalis indignus, paupercula vota coniunxi: & ab eo tempore totis triginta duobus annis, vt verus *Pater, & Gubernator*, Ordini illuxisti; vt sincerus *Corrector* etiam, ne vitia aliqua irrumperent, prouidisti, vt fortissimus *Protector*, Tuâ, & *S. Sedis*, Authoritate Religionem Tibi commissam contrà infaustos euentus protexisti: Ita vt, Te protegente, nullus in Ordine fuerit *malus occursus*, nec filius Belial, qui Ordinem perturbaret.

3. Reg. 5. vers. 4.

Ad TVAM, igitur, EMINENTIAM opus hoc *fundamentorum duodecim Ordinis Minorum* cum omni Obseruantia refero: in quibus Ordinis Tibi Commissi tota fundamentalis Oeconomia à sua origine explicatur: Matris Ecclesiæ viscera in Pauperculã Sobolem aperiuntur: Protectionis maternæ in persecutionibus affectus agnoscuntur: Manipuli frugum, qui in hanc vsque horam ab Operarijs Tuæ Gubernationi commissis collectæ sunt, in horrea Ecclesiæ fideliter referuntur.

Tuis igitur *Auspicijs, Tuo Patrocinio*, ad *Apicẽ Apostolicæ Sedis* perueniant, quia Tua sunt, & à filijs Tuis offeruntur; tamen manu vnius, qui sæpiùs Romæ pro Prouincijs Belgicis à Tua dignatione susceptus, TVÆ BENIGNISSIMÆ EMINENTIÆ aspectus gratiosos excepit. Dixerat olim glo. mem. *Nicolaus III.* Em.° Cardinali *Matthæo Vrsino*, nepoti suo, dum illi Protectionem Ordinis resignaret, *Damus* (aiebat) *Tibi Arrham vitæ æternæ, quæ introducat Te in Paradisum*, scilicet, *Suffragia omnũ Fratrum istius Ordinis: Damus Tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorũ nostrorum*, & porrecto Annulo suo: *Committimus Tibi Ordinem Fratrum Minorum, vt sis Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis.* Correctioni Tuæ humiliter se Ordo subijcit, pro Protectione supplicat, Gubernationem omni affectu suspicit, suscipitque: Annulum illius veneratur, qui Te super domum istam constituit, vt *ad Tui oris Imperium obediãt vniuersi*, iuxta beneplacitum Illius, *qui vno tantùm Regni Solio* Te præcedit: Et vt ex eo TVÆ EMINENTIÆ, *Arrha vitæ æternæ* proueniat, in hoc velut Ordinis Compendio Tibi *Sacrificia, Preces, Opera, & Totius Areæ fruges, fructúsque*, suo, & suæ Religionis nomine, Dicat Consecratque

Nicol. III. ad Card. Matth.

Genes. 41. vers. 40.

EM.ᴹᴱ DOMINATIONIS TVÆ

Humillimus Filius & Seruus

F. PETRVS MARCHANTIVS.

REVERENDISSIMO PATRI;

TOTIVS ORDINIS FRATRVM MINORVM

MINISTRO GENERALI,

NEC NON RR.MIS AC ADM. RR.DIS

PATRIBVS,

IN COMITIIS GENERALIBVS TOLETI IN FESTO PENTECOSTES CONGREGATIS,

F. PETRVS MARCHANTIVS, Spiritus sancti assistentiam, & omnem felicitatem.

OBEDIENTIÆ sanctæ mihi à REVERENDISSIMO PATRE, F. PETRO MANERO, *Totius Ordinis S. FRANCISCI Generali Ministro*, statim à Comitijs Generalibus Romæ ad *annum* 1651. celebratis impositæ parui, & illius nutu, ductu, filo, in hunc Labyrinthum intraui, vt faustus mihi daretur exitus. Voluit & mandauit, vt Structuræ decem Tomorum Historiæ Seraphicæ, cuius Architecturam conceperat, fundamenta iacerem sub Titulo *Tomi Primi*. Titulum illum *Tomi Primi* dissimulaui, nè fortè operarij ad Structuram conducti (vt contingere solet ob varia huius vitæ impedimenta) deficerent: Quidquid tamen fundamenta Ordinis contingit, secundùm Præscriptiones à R.MO PATRE, Operis Architecto, propositas, conatus sum eruere, & ad futuram Structuram aptare: & cùm in Religione non defuerint hactenùs Clarissimi Historiographi, Accuratissimi Annalistæ, Perspicacissimi Chronologi, Eruditissimi omnis Ætatis, omnis Idiomatis, omnis Scholæ, Scriptores, qui non sine laude, non sine fructu,

fructu, ab incunabulis Ordinis ad hæc vsque Tempora, *Monumenta* pariter & *Magnalia* Instituti Seraphici Posteritati tradiderint: Horum Traditioni inhærendum putaui, stylo tamen conformi ad nutum Mandantis, & legen-
Sapient.7. vers.22. tium, quam intendit, vtilitatem: *Spiritus* enim *Intelligentiæ* (sacro testante eloquio) quamuis *vnicus*, *multiplex* ta-
Vers. 7. men, *subtilis, disertus, ac mobilis est:* Et *Sapientia, cùm sit vna, & omnia possit; In se* nihilominùs *permanens, omnia* interdùm *innouat, & per Nationes in Animas sanctas* vario
Eccli.50. vers.29. influxu *se transfert.* Nec succensetur Iesv *filio Syrach Hierosolymitæ*, qui post diuino lumine afflatos Spiritus sancti Amanuenses, in libro Ecclesiastici; *doctrinam Sapientiæ & disciplinæ scripsit in Codice, & renouauit sapientiam de corde suo.* Hæc sanè fuit intentio pia R.mi Patris, Petri Manero, Totius Ordinis Generalis, vt quod dispersum erat, in faciliorem methodum colligeretur, & vtilitati legentium ac-
Damis apud Philost. commodum fieret: Nam, vt benè *Damis* quidam apud *Philostratum lib.1. cap.3.* otioso respondit: *Historia, conuiuium Deorum est, & Conuiua Dij, quorum famulus maxima est cura, ne qua etiam minima Ambrosiæ particula pereat.*

Igitur boni æquique consule, R.me Pater, consulant & RR.mi ac A. RR. PP. in Capitulo Generali congregati, si hoc mihi demandatum Opus in sinum Matris Religionis refero: Cùm enim R.mus Pater Prædecessor, *ad Hierarchas illos, & Deo afflatos Pontifices, qui Populis præsunt*, assumptus sit: & vertex meritorum *Superioribus istis mentibus, qui portant Orbem*, illum inseruerit, in Ecclesia Taraconensi: Hoc sanè illius Virtutibus debet Religio, vt *Hic Colossus Nouæ Historiæ* Nomini eius in Fratrum Minorum Republica erectus maneat, in eius zeli & amoris omnibus posteris perpetuum monumentum: Si enim, super hæc rudia fundamenta, Historia concepta incrementa sumat, & ad sua fastigia perducatur: Fiet, quod de antiquis Patribus Scriptura commemorat, vt *Virorum misericordiæ* (qui in
Eccli. 44. vers 10. & 11. Vers. 7. Cap.46. vers.14. Cap.17. vers.8. Seraphico Ordine à S. Patriarcha Francisco claruerunt) *pietates non deficiant, sed cum semine eorum permaneant bona*, ac *in generationibus* futuris *adipiscantur gloriam, sitq; memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo:* Fiet, vt *ostendantur cunctis magnalia operum Dei,*

vt no-

vt, nomen ſanctificationis collaudent, & glorientur in mirabilibus illius. Conatus ſum autem fundamenta Ordinis profundiſſima inueſtigare, à prima Diuina miſſióne S. Patris FRANCISCI, & Sociorum eius, in vniuerſum Orbem terrarum, quam proſecutus ſui per Regulæ integritatem, firmitatem, ſublimitatem, perpetuitatem, & ornamenta magnifica, vſque ad *Coronidem*, vt omnibus manifeſtum fiat, quòd *Fratrum Minorum ſemita* à principio originis mundi fuerit, *quaſi lux ſplendens, procedens, & creſcens vſque ad perfectam* Æternitatis *diem.* Fouete, fauete, & in Domino valete, prout adprecatur & exorat Prou. 4. verſ. 18.

R.^MÆ P. S. ET OMNIVM PATRVM

Filius & Seruus

F. PETRVS MARCHANTIVS.

 OBEDIEN-

OBEDIENTIALES, MANDATA, PRÆSCRIPTIONES,

APPROBATIONES

R.^mi P. PETRI MANERO Totius Ordinis S.P.N. FRANCISCI Ministri Generalis ad Auctorem Operis.

PATENTES OBEDIENTIALES.

F.^r PETRVS MANERO, *Totius Ordinis Minorum, S.P. Francisci, Minister Generalis, & Seruus, Dilecto nobis in* CHRISTO *Patri,* F. PETRO MARCHANT, *eiusdem Ordinis, ac vtriusque Flandriæ Patri, Lectori emerito, nec-non nationis Germano-Belgicæ iam nostro Generali Commissario salutem.*

Tuæ doctrinæ sufficientiam, atque præstantiam, multis exploratam honorificis argumentis, habentes, ea Tibi indies commendare studemus, quæ ad Religionis nostræ splendorem, & ad sæculi de nobis virtuosam, sanctamque ædificationem, collimare noscuntur. Opus *ergò, quod, de præcipuis nostri Ordinis monumentis componendum, per nostras Tibi litteras, significauimus, etiam tuam solertiam, ac scientiam, sui vocat in partem. Indè est, vt harum vigore, Sacro-sanctæ Obedientiæ meritum adiungentes, Tibi iniungamus, vt eiusdem* Operis Primùm Tomum, *cuius seriem, & continentiam, ex præfatis nostris litteris, iam percepisti, tuo marte, componas, atque disponas, ita vt prodeat, tamquàm nobilis ingenij tui proles. Vale, & in Religionis tam magnum obsequium ingenij tui vires diligenter impende. Datum Romæ, hac die* 18. *Iunij,* 1651.

PETRVS MANERO
Minister Generalis.

De mandato R.^mi
F. Michaël Angelus à Neapoli, Secr.^us Generalis Ordinis.

Extractum Epistolæ R.^mi P. Generalis ad Auctorem, de data Romæ, 20. Iunij, 1651. scriptæ propriâ manu.

CVpio videre in Religione Historiam Seraphicam *finitam, & absolutam, ab omnibus legibilem, vt omnes possit ædificare &c. Quare volo, quòd ordine suo omnia per diuersos* Tomos *componantur, qualiter calamo currenti declaro P. Commissario Generali. Sed quia V. P.^tis cupio audire Censuram, poterit videre, quæ illi scribo. Desidero tamen, quòd* Primus Tomus, *qui eget maiori iudicio, & minori labore, per manum V. P.^tis perficiatur. Cæterùm in alijs nihil amplius feci, quàm*

leui

leui penicillo exponere mentem meam, quæ perfici debet minuendo, addendo, perficiendo, & distribuendo ea, quæ videritis expedire, vt scopum meæ intentionis compleatis &c. Romæ 20. Iunij, 1651. Subscriptum erat, F. Petrus Manero, *Minister Generalis.*

PRÆSCRIPTIONES.

Instructio pro Opere componendo.

TOmus Primus *sub hoc Titulo, vel simili; Regula* S. FRANCISCI Instituta, Confirmata, Collaudata, Explicata, Oppugnata, & Defensa.

In hoc Tomo hæc debent comprehendi.

1. *Breuis introductio, in qua, referatur,* cur, quomodo, *&* quando *fuit* Regula *instituta.*

2. *Ipsa* Regula S. FRANCISCI.

3. Confirmatio Regulæ, *&* Elogia, *quæ Sedes Apostolica, & alij Auctores dixerunt de hac* Regula.

4. *Omnes* Declarationes, *quas super Regulam fecerunt Summi Pontifices. In calce facere Epilogum cum diuisione de Præceptis formalibus, Æquiualentibus, Consilijs, & alijs; ita vt exhauriantur omninò de Bullis illa, quæ prohibentur, & illa, quæ permittuntur ex vi Bullarum, & non ampliùs. Hæc breui articulo. Ponatur etiam explicatio 4. Magistrorum.*

5. *Quæcumque* oppositio *facta contra* Regulam *ab Hæreticis, & Paganis; &* Responsiones, *quæ adsunt, qualis fuit illa, quæ est de* Alchorano Franciscano, *& omnia alia similia.*

6. Oppositio *facta à Calumniatoribus, qualis fuit facta à Parisiensibus,* Guilielmo, *& alijs: Et* Responsio S. Bonauenturæ, *& aliorum.*

7. Oppositio *facta* contra Professores istius Regulæ. 1. *nobis appropriando Fratricellos.* 2. *Schismata, & persecutiones, tempore* Ioannis XXII. *& aliorum, &* Quæstionem de Sanguine Christi.

8. Oppositio contra formam habitus, *vbi tractetur de* Habitu, *de* Barba, *de* Chorda, *seu Cingulo, & de alijs, cum Responsionibus.*

9. Oppositio quoad aliam formam Habitus, *quam induerit* S. P. FRANCISCVS, *& an aliam Religionem sit professus, scilicet* S. Augustini.

10. *Apponere* seriem, *& Ordinem omnium* Ministrorum Generalium, *& agere de vero* Successore S. FRANCISCI; *apponendo numerum omnium Prouinciarum vtriusque Familiæ, cum Custodijs independentibus.*

Hæc recensui vt exponerem meam mentem in communi; sed quod obseruetur iste ordo Tractatuum necessariò, & non apponantur alia, hæc linquo industriæ, & ingenio Patrum.

Volo autem quod, præcipuè in Controuersijs, ita candidè & modestè scribatur, vt ipsa patientia Calumniatores defatiget, sine apice hominis impatientis, vt decet nos, qui mortificationem profitemur.

Aliam Præscriptionem *remisit datam in Sacro Monte Aluernæ, die* 10. *mensis Nouembris* 1651. *cui subscriptum erat*; F. Petrus Manero. *Et infrà De mandato* R.^mi F. Michaël Angelus *à Neapoli, Secretarius Generalis Ordinis, quæ hic inutiliter poneretur, quia eiusdem in substantia tenoris est.*

APPROBATIO OPERIS,

Per Epistolam datam ad Auctorem, ex Conuentu S. Catharinæ propè Cariñenam, die 27. Februarij. 1655.

AVctor, dum in Opere progrederetur, misit R.^mo P. Petro Manero, *Ministro Generali*, Summarium, & Indicem Titulorum totius Operis, *vt ad prælum statim pararetur, & vt Dedicationem illius indicaret, à quo sequens Responsum accepit.*

Extractum Epistolæ.

ACcepi, & quæ per P. Augustinum *nostrum Mihi transmisit V. P.^tas cum gaudio perlegi: Vestrum in hoc studio laborem plurimum considero, & maximi facio, cuius diligentia, & promptitudo non facilè oblitioni apud Me tradetur. Vnicum desidero, vt Opus tam insigne cum omni sospitate & fortitudine perficiat, ad maiorem Dei, & Ordinis nostri Seraphici gloriam, ac legentium illud consolationem.* Titulum & Litteras Dedicatorias *datâ oportunitate transmittam, vel mentem meam circa eas componendas à V. P.^te significabo* &c. *Data erat, vt suprà. Subscriptum erat*, F. Petrus Manero, *Minister Generalis.*

APPROBATIO

Censorum siue Theologorum Ordinis.

NOs Infrascripti Ordinis S. Francisci Strictioris Obseruantiæ Recollectorum Prouinciæ S. Ioseph in Comitatu Flandriæ Theologi, legitimè ad hoc commissi, accuratè legimus, & perlegimus *Opus*, cuius Titulus: *Fundamenta duodecim Ordinis Fratrum Minorum* &c. *Auctore* R.mo P. F. Petro Marchant *Ordinis eiusdem, ac vtriusque Prouinciæ Flandriæ Patre perpetuo* &c. In quo quidem Opere (quod doctrinâ Theologicâ, tam Scholasticâ, quàm morali, & mysticâ refertum est) nîl reperimus, nisi inhærentes principijs Catholicæ fidei, Sacris Ecclesiæ, ac Conciliorum Canonibus, siue Decretis, nec non Sãctorum Patrum dictis, sententias; in historicis autem narrationibus fidelem relationem. Eruit siquidẽ Auctor in suo hoc Opere ex ruderibus Scripturæ, & Euangelij, quidquid ad veram vitam Euãgelicam, & Apostolicam spectat, super qua Regula S. Francisci fundata est: Integritatẽ & veritatem illius Regulæ à fumis, & adulterinis impressionibus vendicat: Lupos à grege Minorum baculo Svpremi Pastoris Vicarii Christi vigilanter arcet: Omnes fideliũ operariorum manipulos in horrea Domini, ex cuius semine multiplicati sunt, & in sinum Matris Ecclesiæ restituit. Vtiliter itaque in magnum emolumentum non tantùm Regularium personarum, sed cuiusuis Status solatium, publicam lucem videbit. Ita censemus, & propriâ syngraphâ testamur hâc primâ mensis Decembris, anni 1656.

F. Marianvs de Smytere,
S. Theologiæ Lector, & Prouinciæ Pater perpetuus.

F. Rogervs Vander Cruyce,
S. Theologiæ Lector, & Prouinciæ Custos Custodum.

F. Pacificvs Walrave,
S. Theol. Lector, & Prouinciæ Definitor.

APPROBATIO
CENSORIS ORDINARII.

LIBER hic *Fundamentorum duodecim Ordinis Fratrum Minorum* S. FRANCISCI *Fundamentis duodecim Apostolorum Ciuitatis S. Ierusalem superadificatorum, ipso summo angulari lapidi Christo Iesu*, studio & labore R.^mi P. F. PETRI MARCHANT *Couuinensis, eiusdem Ordinis, & Prouinciarum vtriusque Flandriæ, Patris perpetui, & S. Theologiæ Lectoris Emeriti*, nihil continet quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus sit contrarium: Quinimo plurima ad præfati Ordinis ornamentum, & Ecclesiæ Dei decorem spectantia. Dignum itaque eum luce & typis censeo. Gandaui ipso S. Barbaræ sacro 1656.

NICOLAVS BREYDEL *S. Theol. Licentiatus, Cantor & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis S. Bauonis, librorum Censor.*

APPROBATIO
COMMISSARII GENERALIS.

OPVS intitulatum; *Fundamenta duodecim Ordinis Fratrum Minorum* S. FRANCISCI &c. *à* R.^mo P. F. PETRO MARCHANT *eiusdem Ordinis, & Prouinciarum vtriusque Flandriæ, Patre perpetuo, Sacræ Theologiæ Lectore Emerito* &c. studiosè, doctè, & solidè elaboratum, à Theologis Ordinis examinatum & commendatum, ab Ordinario approbatum; ad Dei gloriam, Ordinis honorem, totiusque Ecclesiæ vtilitatem, imprimi poterit. Actum Mechliniæ, in Conuentu nostro Fratrum Minorum, die 19. mensis Decembris Anno Domini 1656.

F. IACOBVS DE RIDDERE
Commmissarius Generalis Nationis Germano-Belgicæ FF. Min.

PRIVI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

Super impreſſione librorum Auctorum Ordinis S. Francisci Regularis & Strictioris Obſeruantiæ.

PRIVILEGIO CÆSAREÆ MA.TIS cautum eſt: Ne quis per Vniuerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſeruantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intra Sacri Imperij, Regnorumque ac dominiorum hereditariorum DOMVS AVSTRIACÆ adducat, vendat, vel diſtrahat, abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum, ſub pœna Confiſcationis Librorũ & mulcta viginti marcharum auri puri. Ita Sancitum & Decretum in Ciuitate Ratiſponenſi pridiè nonas Decembris, Anno 1636.

Signatum

FERDINANDVS.

Infrà:

Ad mandatum S. Caſ. Ma.tis proprium

IOANNES WALDERODE

A latere: P. H. A STRALENDOORFF.

SVMMA PRIVILEGII REGIÆ CATHOLICÆ MAIESTATIS.

PHILIPPVS IV. Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter voluntatem PETRI BELLERI Typographi Antuerpienſis Librum, cui titulus. *Fundamenta duodecim Ordinis FF. Minorum &c. Auctore R. A. P. F.* PETRO MARCHANT *Couuinienſi, Ordinis* S. FRANCISCI, *& Prouinciarum vtriuſque Flandriæ Patre Perpetuo, & S. Theologiæ Lectore Emerito*, imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in haſce Inferioris Germaniæ Prouincias importet, venalemve habeat, qui ſecus faxit confiſcatione Librorum, alijſque pœnis mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ. 10. Februarij 1657.

Signatum

LOYENS.

PROTESTATIO AVCTORIS.

QVIA *in hoc mixto scribendi genere plurima occurrere solent, quæ extraordinarias Diuinæ Sapientiæ Potentiæq; Operationes in varijs reuelationibus, communicationibus, illustrationibus, directionibus, visionibus, ac miraculosis effectibus concernunt, quibus Electos suos instruit Dominus; quæ tamen publicam in Ecclesia Dei fidem, & venerationem consequi nequeunt, nisi calculo, & censurâ S. Sedis Apostolicæ probentur: Omnia quidem, quæ in his, & similibus, in hoc opere perstrinxi, sic intra terminos fidei, & decretorum* Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, *concluſa volo; vt ea, quæ necdum Eius iudicium & censuram subierunt, vel traditione, aut communi sensu antiquitatis per Patrum, & Sanctorum scripta longitudine temporis firmata non fuerunt, sub modio pietatis, ac fidei humanæ, iuxta rei qualitatem remaneant, Ordinariorum informationibus, vbi oportunum fuerit, pedibus Iudicij Apostolici exhibenda; & ad illud velut præparata. Vnde si interdum titulum* Sancti, *aut* Beati, Martyris, *aut* Confessoris, *aliquibus Dei seruis addixi, qui nondum solemni ritu Beatificati, aut Canonizati sunt, aut pro talibus in Ecclesia recepti, id phrasi communi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, aut populorum clamorosæ deuotioni indulgendum duxi, quæ in genere Venerabiles, Dei Seruos, quos Deus* Illuminans mirabiliter à montibus æternis *in hac vita illustrat, ab opinione & pia credulitate Sanctos Beatosq; piè pronuntiant, & isto rumore ad solemnia Beatificationum, & Canonizationum velut prouocant. Itaque in prædictis, & similibus, cuncta, quæ scripsi, iudicio, sensui, & stylo Romanæ Ecclesiæ subiecta & accommodata desidero, specialiter decreto* S. Concilij Tridentini de Inuocat. & Vener. & Reliquijs Sanctorum, ac Imaginibus, *necnon nouissimæ Constitutioni Vrbani VIII. quæ incipit:* Cælestis Ierusalem *Data Romæ* die 5. Iulij anno 1634. Pontif. anno 11. *Sic protestor, & profiteor.*

INDEX

INDEX

TITVLORVM, PARAGRAPHORVM &c. HVIVS OPERIS.

PARS I.

COMPLECTENS OCTO PRIORA FVNDAMENTA.

TITVLVS I.

FVNDAMENTVM I. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Missio Diuina Extraordinaria S. FRANCISCI, & filiorum eius in vniuersum Orbem terrarum ad prædicandum Pœnitentiam, & Euangelium regni comparata IASPIDI primo Fundamento Apostolico.

§. 1. DE signis Diuinæ Missionis. Pagin. 2.

§. 2. De causis Missionis S. Francisci, & filiorum eius. Pag. 3.

§. 3. Missio Diuina Extraordinaria S. Francisci, oraculo S. Scripturæ prænuntiata ostenditur. Pag. 4.

§. 4. Missio Diuina Extraordinaria S. Francisci, oraculo Sybillico comprobatur. Pag. 7.

§. 5. Missionem S. Franc. & Sociorum eius Diuinã Extraordinariam prædixit Abbas Ioachim, & alij. P. 9.

§. 6. Missio Diuina, & Extraordinaria S. Francisci per prodigia, quæ eius natiuitatem concomitata, & adolescentiam vsque ad ipsius conuersionem consecuta sunt, demonstratur. Pag. 10.

§. 7. Missionem Diuinam Extraordinariam S. Francisci, mirabiles dispositiones, quibus famulum suum præuenit Deus circa tempora missionis, manifestè ostendunt. Pag. 11.

§. 8. Missionem Diuinam Extraordinariam S Francisci, & filiorum eius, agnouit, & approbauit S. Mater Ecclesia Romana. Pag. 13.

§. 9. Quid singulariter operetur in Fratribus Minoribus Diuina Extraordinaria Missio. Pag. 14.

TITVLVS II.

FVNDAMENTVM II. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regulæ primæ Diuinæ Inspiratio comparata SAPPHYRO secundo Fundamento Apostolico.

§. 1. REgula prima à Christo Francisco inspirata, & scripto demandata. Pag. 17.

§. 2. Regula prima Diuinâ Inspiratione à S. Francisco conscripta tener Capitulis 23. comprehenditur. Pag. 18.

§. 3. Regula prima, Diuinâ Inspiratione, à S. Franc. conscripta, ab Innocentio III. approbatur. Pag. 37.

§. 4. S. Franciscus cum primus filijs inter manus Summi Pontificis Professionem, iuxta primam Regulam emisit. Pag. 38.

§. 5. Ab ipsa Professione Missio Diuina, de mandato Summi Pontificis, executioni demandatur. Ibid.

§. 6. Regula prima, ab Innocentio III. approbata, per Concilium Generale, & Oecumenicum Lateranense denuò confirmatur. Ibid.

§. 7. Quamdiu Ordo sub 1 Regula militarit? Pag 39.

§. 8. De Relaxationibus tempore prima Regulæ subortis: & occasione 2. Regulæ. Pag. 41.

TITVLVS III.

FVNDAMENTVM III. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regula secunda à Christo immediatè, & verbatim dictata; comparata CALCEDONIO tertio Fundamento Apostolico.

§. 1. VIsione cælesti monetur S. Franciscus, Regulam primò conscriptam ad compendiosiorem formam redigere. Pag. 43.

§. 2. Prima Regula ad compendiosiorẽ formam, iuxta visio-

visionem, Christo dictante, reducitur in Regulam secundam. Pag.44.
§. 3. *Regula secunda ab Honorio III. per Diploma Pontificium confirmatur.* Pag.45.
§. 4. *Regula Fratrum Minorum à Christo dictata, & ab Honorio III. Papa confirmata tenor.* Pag.46.
Complectitur 12. Capita.
§. 5. *Cur Regulam ab aliis Religionibus omninò condistinctam elegerit* S. Franciscus. Pag.53.

TITVLVS IV.

FVNDAMENTVM IV. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regulæ à Christo dictatæ sublimitas, comparata SMARAGDO quarto Fundamento Apostolico.

§. 1. *Regula à Christo dictata encomia celeberrima.* Pag.54.
§. 2. *Regula à Christo* S. Francisco *dictata, sicut & Diuina originis, sic est Iuris Diuini.* Pag.55.
§. 3. *Regula Fratrum Minorum à Christo dictata, verè Euangelica est.* Pag.58.
§. 4. *Regula Fratrum Minorum à Christo dictata, verè Apostolica est.* Pag.59.
§. 5. *Virtute Regulæ, à Christo dictatæ, omnes promissiones Apostolis factas, Ordo Fratrum Minorum hereditauit.* Pag.61.
§. 6. *Virtute Regulæ secundæ Ordo Minorum ad Hierarchiam Ecclesiasticam perfectam, sub primaria, assumptus est.* Pag.63.
Quæstiuncula 1. *Quid sit Hierarchia Ecclesiastica?* Pag.64.
Quæst. 2. *Quæ requirantur ad perfectam Hierarchiam?* Pag.65.
Quæst. 3. *An Ordo Fratrum Minorum, ex natura, & vi Status, ac Regulæ suæ, gradum singularem in Hierarchia Ecclesiastica obtineat, & in qua qualitate?* Ibid.

TITVLVS V.

FVNDAMENTVM V. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regulæ à Christo dictatæ intemerata Integritas, comparata SARDONYCHI quinto Fundamento Apostolico.

§. 1. *Regula Fratrum Minorum Christo mandante ab omni glosa, & arbitraria interpretatione immunis est, & immaculata.* Pag.69.
§. 2. *Regula Fratrum Minorum littera, vt probetur sincera, quatuor velut basibus innititur, & firmatur; nimirum:* Simplicitate litteræ, *iuxta intentionem S. Patris*; Euangelicâ veritate; Exemplo Christi; Actionibus & Praxi Apostolorum. Pag.71.
§. 3. *Regula Fratrum Minorum iuxta predicta literaliter exponitur.* Pag.72.
Cap. 1. Textus 1. Regula & vita *&c. Sensus literalis.* Pag.73.
Obligatio Textus 1. Pag.74.
Conformitas ad Euangelicam Scripturam. Ibid.
Textus 2. Frater Franciscus promittit *&c. Sensus literalis. Obligatio. Conformitas.* Pag.75.
Textus 3. alij Fratres teneantur *&c. Sensus literalis. Obligatio.* Ibid.
Conformitas ad Scripturam Apostolicam. Pag.76.
Cap. 2. Textus 1. Si qui voluerint *&c.* mittant eos ad suos Ministros Prouinciales *&c. Sensus literalis. Obligationes.* Ibid.
Conformitas Scripturæ. Pag.77.
Textus 2. Ministri verò diligenter eos examinent *&c. Sensus literalis. Obligationes.* Ibid.
Conformitas Scripturæ. Pag.78.
Textus 3. Dicant eis verbum S. Euangelij *&c. Sensus literalis. Obligatio.* Ibid.
Textus 4. Caueant autem fratres *&c.* ne solicitî sint de rebus suis temporalibus *&c. Sensus literalis. Obligationes.* Pag.79.
Textus 5. Postea concedant eis pannos *&c. Sensus literalis Obligationes. Conformitas Scripturæ.* P.80.
Text. 6. Finito anno probationis recipiantur *&c. Sensus literalis.* Ibid.
Obligationes. Conformitas Scripturæ. Pag.81.
Text. 7. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire *&c. Sensus literalis. Obligatio.* Ibid.
Text. 8. Et illi, qui iam promiserunt *&c.* habeant vnam tunicam *&c. Sensus literalis. Obligatio.* P.82.
Conformitas Scripturæ. Pag.83.
Text. 9. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. *Sensus literalis. Obligationes.* Pag.84.
Text. 10. Et fratres omnes vestimentis vilibus *&c. Sensus literalis. Obligatio.* Ibid.
Intentio S. Francisci *conformis Scripturæ.* Pag.85.
Text. 11. Quos moneo *&c. Sensus literalis.* Ibid.
Cap. 3. Text. 1. Clerici faciant Diuinum Officium *&c.* Laici verò *&c. Sensus literalis.* Ibid.
Obligationes. Conformitas. Pag.86.
Text. 2. Et ieiunent à festo *&c. Sensus literalis. Obligationes.* Ibid.
Conformitas Scripturæ. Pag.87.
Text. 3. Consulo verò *&c. Sensus literalis cum Euangelio connectus.* Ibid.

Text. 4. Et non debeant equitare &c. *Sensus litteralis. Obligatio.* Ibid.
Text. 5. In quacumque domum &c. *Sensus litteralis cum Euangelica Scriptura.* Pag.88.
Cap. 4. Text. 1. Præcipio &c. vt nullo modo denarios &c. *Sensus litteralis Scripturæ cõnexus.* Ibid. *Obligationes.* Pag.89.
Text. 2. Tamen pro necessitatibus infirmorum &c. *Sensus litteralis.* Ibid. *Obligationes. Conformitas Scripturæ.* Pag.90.
Cap. 5. Text. 1. Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam laborandi &c. *Sensus litteralis.* P.91.
Text. 2. De mercede verò laboris &c. *Sensus litteralis. Obligationes. Conformitas Scripturæ.* Pag.92.
Corollarium *doctrinale ad fratres Min.* Pag 93.
Cap. 6. Text. 1. Fratres nihil sibi approprient &c. *Sensus litteralis cum conformitate Script.* Pag.94. *Obligationes.* Pag.95.
Text. 2. Hæc est celsitudo &c. *Sensus litteralis cum conformitate Scripturæ.* Pag 96.
Text. 3. Et vbicumque sunt fratres &c. *Sensus litteralis cum conformitate Scripturæ.* Ibid.
Text. 4. Si quis eorum in infirmitatem &c. *Sensus litteralis cum conformitate Scripturæ.* Ibid.
Cap. 7. Text. 1. Si qui Fratrum instigante inimico &c. *Sensus litteralis.* Ibid. *Conformitas Scripturæ.* Pag.97.
Text. 2. Ipsi verò Ministri &c. *Sensus litteralis cum conformitate Scripturæ.* Ibid.
Cap. 8. Text. 1. Vniuersi Fratres vnum de Fratribus &c. *Sensus litteralis, Obligationes. Conformitas.* Pag.98.
Text. 2. Quo decedente &c. *Sensus litteralis.* P.99.
Text. 3. Et si aliquo tempore appareret &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
Tex. 4. Post Capitulum verò Pentecostes &c. *Sensus litteralis.* Pag.100.
Cap. 9. Text. 1. Fratres non prædicent &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
Text. 2. Et nullus Fratrum &c. *Sensus litt.* Pag.101.
Text. 3. Moneo quoque &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
Cap. 10. Text. 1. Fratres, qui sunt Ministri &c. visitent &c. *Sensus litteralis. Obligationes. Conformitas Scripturæ.* Pag.102.
Text. 2. Fratres verò, qui sunt subditi &c. *Sensus litteralis cum conformitate Scripturæ.* Ibid.
Text. 3. Et vbicumque sunt Fratres &c. *Sensus litteralis.* Pag.103.
Textus 4. Ministri verò benignè &c. *Sensus litteralis.* Ibid. *Conformitas S. Scripturæ.* Pag.104.
Text. 5. Moneo verò &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
Text. 6. Et non curent nescientes &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
Cap. 11. Text. vnicus. Præcipio &c. ne habeant suspecta &c. *Sensus litteralis.* Pag.105. *Obligationes. Conformitas Scripturæ.* Pag.106.
Cap. 12. Text. 1. Quicumque FF. Diuinâ inspiratione &c. *Sensus litteralis. Obligationes.* Ibid. *Conformitas Scripturæ.* Pag.107.
Text. 2. Ad hæc per obedientiam &c. *Sensus litteralis.* Ibid.
§. 3. *Regula FF. Min. tantâ Christi prouidentiâ exornata est, vt humanitùs vltra tenorem litteræ nullâ dispensatione indigeat.* Pag.108.
§. 4. *Quid Pontificum declarationes Regulæ & Ordini, contulerint.* Pag.110.
Propositio 1. *Non fuit contra intentionem S. Franc. in dubijs, vel controuersijs circa Regulæ suæ obseruantiam orientibus, petere Declarationem à Summis Pontificibus.* Pag.112.
Propos. 2. *Necessariæ fuerunt Declarationes Pontificum ad conseruandum integritatem Status & Regulæ Fratrum Minorum.* Pag.113.
Propos. 3. *Multas Bullas & resolutiones à Summis Pontificibus postulatas fuisse; solas autẽ illas probari, quæ super veris, & fundamentalibus Regulæ articulis, & quæstionibus ab illis dependentibus, seu modis vota & præcepta purè obseruandi, postulatæ sunt; solasq; illas inter Declarationes debere reputari.* Ibid.
Propos. 4. *Duæ sunt primariæ Declarationes Regulæ, vniuersaliter toti Ordini datæ, quæ vim perpetuam obtinent, quarum obseruantia puritatem Regulæ adstruit, & conseruat, quibus cætera conformari debent.* Ibid.
Synopsis *Declarationis Nicolai III.* Exijt, qui seminat; *in Regulam FF. Min.* Pag.115.
Synopsis *Declarationis Clementis V.* Exiui de paradiso; *in Regulam FF. Minorum.* Pag 117.
§. 5. *Regula S. Franc. per singula Capita à paleis, & inutilibus quæstionibus, ac controuersijs expurgatur.* Pag.118.
§. 6. *Ventilabrum palearum, & zizaniorum, quæ in Regulam Fratrum Minorum irrepserunt.* Ibid.
Ad Caput 1. Ventil. 1. *De Caparone Nouitiorum.* Pag.119.
Ventil. 2. *De Caputio Professorum.* Ibid.
Ventil. 3. *De Vestimento FF. Min.* Pag.121.
Ad Caput 3. Ventil. 1. *De Diuino Officio.* Pag 123.
Ventil. 2. *De Ieiunijs.* Pag.124.
Ventilabra *ad quinque seqq.* Capita. Ibid.
Ventilabra *ad quatuor vltima* Capita. P.125. & 126.

TITVLVS VI.

FVNDAMENTVM VI. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Altissima Paupertas, comparata SARDIO sexto Fundamento Apostolico.

§. 1. *Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum realis explicatio.* Pag.127.
Descriptio Altissimæ Paupertatis FF. Min. Pag.128.
§. 2. *Eiusdem Excellentia & Dignitas.* Pag.130.
§. 3. *Quæstiones contra Paupertatem Fratrum Minorum excitatæ, & enulsæ.* Pag.132.

Argu-

Argumenta ex Scripturis desumpta, quibus nonnulli conati sunt Dominum, vel Iuris vsum in rebus temporalibus Christo, & Apostolis attribuere, & responsio ad eadem. Pag. 135.
§. 4. *Altiss. Paupertatis FF. Min. vtilitas.* Pag. 140.
§. 5. *Eiusdem Triumphus.* Pag. 141.

TITVLVS VII.

FVNDAMENTVM VII. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Euangelica & Transcendentalis Obedientia, comparata CHRYSOLITHO septimo Fundamento Apostolico.

§. 1. *Obedientiæ Fratrum Minorum explicatio.* Pag. 143.
§. 2. *Eiusdem Perfectiones & Proprietates.* Pag. 144.
§. 3. *Eiusdem limites.* Pag. 147.
Corollarium. Pag. 150.
§. 4. *Obedientia Fratrum Minorum vtilitas, & suauitas.* Pag. 151.
§. 5. *Eiusdem Triumphus.* Pag. 152.

TITVLVS VIII.

FVNDAMENTVM VIII. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Purissima Castitas, comparata BERYLLO octauo Fundamento Apostolico.

§. 1. *Castitatis Purissimæ Fratrum Minorum explicatio.* Pag. 153.
§. 2. *Encomia & Perfectiones Eiusdem.* Pag. 154.
§. 3. *Omnia, quæ in Regula FF. Min. continentur, pro Castitate militant.* Pag. 155.
§. 4. *Expurgatio quarumdam palearum contra puritatem Castitatis.* Pag. 157.
§. 5. *Triumphus eiusdem Castitatis.* Pag. 159.

PARS II.

COMPLECTENS QVATVOR POSTER. FVNDAMENTA.

TITVLVS IX.

FVNDAMENTVM IX. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Operationes Hierarchicæ secundùm Hierarchias Angelorum Fratribus Minoribus competentes, comparatæ TOPAZIO nono Fundamento Apostolico.

§. 1. *Synopsis Hierarchiarum Cælestium, & Operationum, quibus exornantur.* Pag. 2.
§. 2. *Ordo FF. Minorum, ad similitudinem Hierarchiarum Cælestium, Operationibus Hierarchicis ornatur.* Pag. 3.
§. 3. *De Purgationibus, Illuminationibus, & Perfectionibus Hierarchicis, quibus Ordo FF. Minorum passiuè illustratur.* Pag. 5.
Purgationes FF. Min. competentes. Pag. 6.
Illuminationes Eisdem competentes. Pag. 7.
Perfectiones Eisdem assignatæ. Pag. 8.
§. 4. *De Operationibus Hierarchicis Eorum quatenus in alios exercentur; & qualiter singulis conueniant.* Pag. 9.
Admonitio *ad Fratres Minores.* Pag. 10.
Scala Hierarchica S. Bonauenturæ. Pag. 11.
§. 5. *Cur Ordo Fratrum Minorum antonomasticè dicatur Seraphicus?* Ibid.

TITVLVS X.

FVNDAMENTVM X. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Humilitas, & Patientia in aduersis, comparata CHRISOPRASO decimo Fundamento Apostolico.

§. 1. *Ordo FF. Min. à principio variis tribulationibus, & persecutionibus afflictus fuit, & de prima persecutione, in impositione intolerabilium granaminum.* Pag. 15.

§. 2. *Persecutio altera contra Statum FF. Min. quasi eorum Regulam profitentes non essent in via, & statu saluandorum.* Pag.17.
§. 3. *Persecutio 1. contra paupertatem Fratrum Minorum in speciali.* Pag.18.
Victoria contra primam Paupertatis Fratrũ Minorum Aduersarios. Pag.19.
Articuli authoritate Apostolicâ decisi. Pag.20.
§. 4. *Persecutio 2. contra Paupertatem* FF. *Min.* P.21.
Persecutionis tolerata palma pacifica. Pag.27.
§. 5. *Persecutio contra Paupertatem* FF. *Min. à Richardo Rudolphi Archiep. Armacano resuscitata.* P.29.
Armacanus victus. Pag.30.
§. 6. *Persecutiones suscitatæ contra Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, & Prædicationes.* Ibid.
Synopsis *Articulorum suscitatorum contra FF. Minores, & Ordines Mendicantium, in Ministerio Sacramenti Pœnitentiæ.* Pag.31.
Synopsis *eorum, quæ contra Ministerium Prædicationis aduersus Fratres Minores & Mendicantes suscitata sunt.* Ibid.
Decreta *Summorum Pontificum secundùm Chronologiam temporum super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Prædicationis officio à* FF. *Minoribus impendendo fidelibus.* Pag.32.
Appendix 1. *De Alcoranо Franciscanorum, impyissimo contra Ordinem Minorum libro.* Pag.34.
Compendiosa refutatio Eiusdem, Pag.35.
Appendix 2. *De nonnullis aliis persecutionibus.* Pag.37.
Appendix 3. *De fructu persecutionum.* Ibid.

TITVLVS XI.

FVNDAMENTVM XI. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Eorum ad Matrem Ecclesiam filialis Obedientia, & inuiolabilis Fidelitas, ac Matris Ecclesiæ ad Ordinem Fratrum Minorum Materna Benignitas, & solicitudo comparata HYACINTHO vndecimo Fundamento Apostolico.

§. 1. *ORdo* FF. *Min. Ecclesiæ Romanæ specialissima soboles, idq; variis Titulis.* Pag.39.
1. *Ratione Originis singularis, & Imaginis ac similitudinis ad Christum.* Pag.40.
2. *Ratione filialis Obedientiæ, & omnimodæ subiectionis.* Pag.41.
Tanta est Patris potestas Ecclesiæ in Fratrẽ Minorem, vt habeat in illum potestatem vitæ & mortis. Ibid.
Tanta est Matris Ecclesiæ in Fratrem Minorem Patria potestas, vt quidquid F. *Minori aduenit, illud Patriæ potestati acquiratur & cedat, solo simplici vsu necessario* F. *Minori velut filio-familias relicto.* Pag.42.
Patriæ potestati obligatio in filios adnascitur illis alimenta, & necessaria vitæ subministrare, moribus bonis instruere, &c. Ibid.
§. 2. *Qualiter Gubernationi, Protectioni, & Correctioni Ecclesiæ Matris Ordo Minorum vt filius immediatè sit subiectus.* Pag.43.
Bases quatuor, *Regiminis* Fratrum *Minorum.* Pag.44.
§. 3. *Oeconomia rationalis omnium Prouisionum Apostolicarum, quas Mater Ecclesia Ordini Fratrum Minorum concessit, quæ sub nomine Priuilegiorum venditantur.* Pag.46.
Classis 1. *De Prouisionibus statum* Fratrum *Minorum concernentibus.* Pag.47.
Sectio 1. *De Prouisionibus cõcernentibus votum Obedientiæ, & de exemptione* Fratrum *Minorum à Iurisdictione Episcoporum* &c. Ibid.
Iustificatio Exemptionis Ordinis Minorum à Iurisdictione Episcoporum. Pag.49.
Nulla ex Exemptione vniuersali & absoluta FF. *Min. Episcopos patet in sua potestate dispendia.* Pag.50.
Classis & Sectio 2. *De Prouisionibus votum Paupertatis Fratrum Minorum concernentibus.* Pag.51
Prouisio 1. *Eiusq; Iustificatio.* Pag.52.
Prouisio 2. Pag.53.
Iustificatio Prouisionis super Dominio pecuniarum, & earum expensione, ac administratione per Syndicos &c. Pag.56.
Classis & Sectio 3. *Prouisiones Apostolicæ spectantes votum Castitatis.* Pag.57.
Iustificatio Prouisionum supradictarum, qualiter in nullo relaxent Regulam, sed confirment. Pag.58.
Classis & Sectio 4. *Prouisiones Apostolicæ concernentes exercitationes* FF. *Minoribus in Regula præscriptas.* Pag.59.
§. 1. *Prouisiones Diuina Officia contingentes.* Pag.60.
De Oratoriis, Altaribus, & Ecclesiis FF. *Min.* Pag.61.
Iustificatio supradictarum Prouisionum. Pag.63.
Notabile super Altarium portatilium, siue viaticorum Prouisionibus ex Decretalibus Greg. l. 5. tit. 33. c. In his. Ibid.
§. 2. *Prouisiones Apostolicæ super Prædicationibus Verbi Dei.* Pag.64.
Fratres Minores, ex vi Status & Regulæ Apostolicâ auctoritate Missionem Apostolicam decernente, & ordinante, prædicare Euangelium in vniuerso mundo possunt absque vlla ab inferioribus Prælatis dependentia. Pag.65.
Prouisio Apostolica Bonifacij VIII. per Decretum; Super Cathedram, Pag.66.
Summarium illius Decretalis in iis, quæ spectant ad Prædicationes. Pag.67.
Corollaria. Pag.69.
Digressio. *De stationibus ordinarijs, quibus* FF. *Minores in Ecclesijs alienis deseruiunt.* Ibid.
Appendix. Pag.70.
Iustificatio Prouisionum Apostolicarum super Prædicationibus Fratrum *Minorum.* Ibid.
§. 3. *Prouisiones Apostolicæ super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, quoad approbationem pro sæcularibus.* Pag.72.
§. 4. *Prouisiones Apostolicæ super potestate Confessariorum approbatorum ad absoluendum.* Pag.79.

§. 5. *Prouisiones Apostolicæ super potestate Confessariorum in Dispensationibus.* Pag.76.
§. 6. *Prouisiones Apostolicæ super Administratione Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis.* Pag.77.
Iustificatio Administrationis Sacramenti Pœnitentiæ, & supradictarum Prouisionum. Pag.78.
§. 7. *Prouisiones Apostolicæ super Sepulturis in Ecclesijs Fratrum Minorum.* Ibid.
§. 8. *Prouisiones Apostolicæ super Ædificatione, & acceptatione nouorum Conuentuum.* Pag.80.
Classis & Sectio 5. *Consultatio generalis super stabilitate Prouisionum Apostolicarum Ordini Fratrum Minorum factarum, siue etiam super earum renouatione & renouatione.* Pag.82.
§. 1. *Renouationes Priuilegiorum, quæ à nonnullis allegantur.* Ibid.
§. 2. *Renouationes & concessiones nouæ, & renouatæ sub tempore, vel post Concilium Trid. Prouisionum seu Priuilegiorum Fratribus Minoribus, & alijs Mendicantibus factorum, etiam cum derogationibus omnium Renocationum.* Pag.84.
§. 3. *Renouationes & Concessiones nouæ factæ pro foro conscientiæ tantum.* Pag.86.
§. 4. *Examen sincerum & accuratum, Concessionum, Renocationum, Renouationū, & Interpretationum, Prouisionum siue Priuilegiorum Fratribus Minoribus, & alijs Mendicantibus concreditorum, siue de eorum Perpetuitate vel Cessatione.* Pag.87.
Quæstio 1. *Quæ Priuilegia siue Prouisiones debeant dici contrariari seu aduersari Canonibus, Statutis vel Decretis Concilij Tridentini?* Pag.89.
Quæstio 2. *Quæ sint illa Priuilegia siue Prouisiones, quibus per sufficientes clausulas Concilium Trident. derogauit?* Pag.90.
Decreta *Sess. 5. c. 2. & Examen Decreti 1. licentiam prædicandi tam in proprijs, quàm alienis Ecclesijs concernentis.* Ibid.
Examen *Decreti 2. in materia correctionis super prædicationibus.* Pag.92.
Examen *Decreti 3. contingentis Vagabundorum Fratrum exemptionem.* Pag.93.
Examen *Decreti Sess.6.c.3. De Regularibus extra claustra degentibus.* Ibid.
Examen *Decreti Sess.22. De obseruandis in celebratione Missæ.* Ibid.
Examen *Decreti Sess.23.c.12. De Ordinandis.* Pag.95.
Examen *Decreti Sess.23.c.15. De approbatione Confessariorum.* Pag.96.
Examen *Decreti Sess.14. De Pœnitentia c.7. De casuum reseruatione.* Pag.97.
Dubium, *An post Trid. Priuilegia Mendicantibus concessa absoluendi à casibus reseruatis Papæ & Episcopis in vigore perseuerent.* Ibid.
Notanda circa Decretum Clementis VIII. Pag.98.
Examen *responsionis Cardinalium ad Cardinalem Boromeum Archiepisc. Mediol. sub Greg. XIII. data an. 1577.* Pag.99.
Examen *responsionis Cardinalium sub Vrbano VIII. data anno 1628. &c.* Pag.100.
Examen *Clausularum derogatoriarum c. vlt. Sess. 25. De Regularibus.* Pag.102.
Regula generalis de stabilitate Priuilegiorum &c. Ibid.
Examen *Oraculorum viuæ vocis* Leonis X. Pij V. Greg. XIII. *super Renouatione omnium Priuilegiorum Minoribus factorum pro foro conscientiæ tantùm &c.* Ibid.
Dubium 1. *Quæ dicantur ad forum conscientiæ tantùm pertinere?* Pag.103.
Dub. 2. *Quid operetur Reseruatio casuum in Ecclesia Dei?* Ibid.
Dub. 3. *Quibus modis conferatur Auctoritas Absolutionum & Dispensationum.* Pag.104.
Dub. 4. principale. *Qualiter prædicta Renouatio sit intelligenda; & non obstantibus Renocationibus siue Derogationibus quibuscunque, etiam Concilij Trid. subsistat?* Ibid.

TITVLVS XII.

FVNDAMENTVM XII. ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Laborum, Opitulationum, Ministeriorum pro Ecclesia Dei susceptorum messis vberrima, comparata AMETHYSTO XII. Fundamento Apostolico.

PRæambulum. *Messis vberrima manipulorum S. Francisci, & filiorum eius in vniuerso Orbe compendiosa distributio.* Pag.109.
Sectio 1. *Quid per se, suosq; filios,* S Franciscus *circa infideles ad veri Dei cognitionem & veritatem fidei adducendos operatus fuerit?* Ibid.
§. 1. *De manipulis in infidelium* conuersione *per Asiam collectis.* Ibid.
§. 2. *De manipulis in* Africa *collectis.* Pag.113.
§. 3. *De manipulis in* Europa *collectis.* Pag.114.
§. 4. *De manipulis in* America *collectis.* Ibid.
Sectio 2. *Quanta* Fratres *Min. in schismaticis Rom. Ecclesiæ reuniendis gesserint?* Pag.117.
§. 1. *De schismaticis.* Ibid.
§. 2. *Manipuli Fratrum Minorum in Græcorum reductione ad Ecclesiam Rom.* Pag.118.
§. 3. *Prima vnio Ecclesiæ Græcorum cum Latina in Concilio Lugdunensi.* Pag.119.
§. 4. *Vnio 2. Ecclesiæ Græcæ cum Latina in persona Imperatoris.* Pag.120.
§. 5. *Vnio 3. totius Ecclesiæ Græcæ cum Latina in Cōcilio Florentino.* Ibid.
§. 6. *De reductione Armenorum ad Ecclesiam Rom. per Fratres Minores.* Pag.121.
§. 7. *De reductione Iacobitarum, & aliorum schismaticorum orientalium per FF. Minores.* Ibid.
§. 8. *De actis FF. Minorum circa reductionem aliarum nationum.* Pag.122.
Appendix. *De societate peregrinantium propter Christum.* Ibid.

Sectio 3. *Quantis laboribus, & quibus fructibus hæreticos, ac eorum hæreses Fratres Minores infectati fuerint.* Pag.123.
§. 1. *Manipuli primi sæculi* 1200. *Ordinis Minorum in conuersione hæreticorum.* Pag.124.
§. 2. *Manipuli 2. sæculi* 1300. *Ordinis Minorum in hæreticorum conuersione.* Pag.125.
§. 3. *Manipuli 3. sæculi* 1400. *Ordinis Minorum in conuersione hæreticorum.* Ibid.
§. 4. *Manipuli 4. sæculi* 1500. *FF. Minorum in conuersione hæreticorum.* Pag.126.
Sectio 4. *Quanto bonorum operum, signorum, doctrinæ fructu, FF. Minores Ecclesiæ matri, in filiorum suorum vtilitatem profuerint.* Pag.127.
§. 1. *Ordini Minorum concredita fuit à Deo, speciali priuilegio, renouatio Dominicæ Passionis in Ecclesia militante.* Pag.128.
Appendix. *De locis Dominicæ Passionis in custodiam FF. Minorum auctoritate Ecclesiæ, & Principum singulariter depositis.* Pag.131.
§. 2. *Ordini Minorum cultus Diuinissimi Sacramenti Eucharistiæ singulariter commendatus fuit, & ab eo mira incrementa sumpsit.* Pag.134.
§. 3. *Fructus ex Ordine Minorum in Eucharistiæ Sacramenti, & Sacrificij cultu in Ecclesiam deriuati, cum explicatione quorundam dubiorum.* P.135.
§. 4. *Exaltatio Nominis Iesu Ordini* S. Francisci *singulariter reseruata.* Pag.139.
Appendix. *De Sanguine Domini effuso in triduo, & de eodem reseruato in diuersis mundi partibus.* P.143.
Quæstiuncula 1. *Quid de prætenso Decreto Clem. VI. quo prætendebatur, assertio, de separatione Sanguinis Christi effusi in triduo à Diuinitate condemnata?* Pag.145.
Quæst. 2. *Qualiter Scriptura sacra de Christi Sanguine effuso loquantur, & quomodo intelligenda sint.* Pag.146.
Quæst. 3. *Quid importet axioma ex Damasceno:* Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit? Pag.147.
Quæstio 1. principalis. *An de facto Sanguis à Christi Corpore effusus & separatus tempore triduj manserit Verbo Diuino vnitus?* Pag.148.
Quæstio 2. principalis. *An Sanguis in triduo separatus à Corpore fuerit adorandus Latria?* Pag.150.
§. 5. *Exaltatio honoris B. V. Mariæ in Conceptione sua immaculata, & in alijs nonnullis Ordini Minorum singulariter reseruata.* Ibid.
§. 6. *Ioannis Duns Scoti &c. pro immaculata Conceptione concertatio publica, & victoriâ.* Pag.153.
§. 7. *Alij manipuli Ordinis Minorum in honore Deipare collecti.* Pag.155.
§. 8. *Officia Diuina diligentiâ* FF. *Minorum in Ecclesia Rom. in suo decore conseruata sunt, & suo nitori restituta.* Pag.156.
§. 9. *Regula Pœnitentiæ &c. pro omni statu seculari à* S. Francisco *proposita fuit, ingens fructu totius orbis.* Pag.157.
§. 10. *Manipuli ex Archiconfraternitate Chordæ* S. Francisci *collecti.* Pag.159.
§. 11. *Viam ad omnem sapientiam & scientiam salutarem, singulari arte, methodo, & labore aperuerunt* FF. *Minores.* Pag.160.
§. 12. *Omnibus operibus Charitatis Ordo Minorum Fidelibus &c. assistit.* Pag.164.
Opitulationes Fratrum Minorum in conseruandis fidelibus in fide. Ibid.
§. 13. *Opitulationes* FF. *Min. in vitijs extirpandis.* P.166.
§. 14. *Opitulationes FF. Minorum in operibus misericordiæ.* Pag.167.

CORONIS.

TESTAMENTVM S. P. N. FRANCISCI.

SYnopsis *Testamenti* S. Francisci. Pag.170.
§. 1. *Spiritus primanus* S. P. Francisci *ad Filiorum generationem.* Pag.171.
§. 2. *Spiritus* S. Francisci *in Institutione Ordinis, & Regulæ Obseruantia.* Pag.173.
§. 3. S. Franciscus *Regulam sibi à Christo dictatam, ac Testamenti qualitatem, & integritatem manifestat, & mandato speciali obseruandam indicit.* Pag.174.
§. 4. *De sublimitate Benedictionum, quas* S. Franco *suo testamento Regulam obseruantibus impertitus est, & de earum efficacia.* Pag.175.
Synopsis Benedictionis testamentariæ. Pag.177.
Laus Testamenti. Pag.178.
Quæstiunculæ *elucidatoriæ Testamenti* S. Franc.
Quæstiuncula 1. *An Fratres Minores teneantur ad obseruantiam Testamenti.* Ibid.
Fundamentum doctrinale ad sequentes Resolutiones. Pag.179.
Quæst. 2. *Quid de Sacerdotibus honorandis, & non prædicando in eorum Ecclesijs contra ipsorum voluntatem.* Ibid.
Quæst. 3. *Quid de Ecclesijs, & habitaculis, nisi essent secundum paupertatem, non recipiendis.* Pag.181.
Quæst. 4. *Quid de litteris in Curia Romana non postulandis.* Pag.183.
Quæst. 5. *Quid de præcepto non mittendi Glossas in Regulam, & Testamentum.* Pag.186.

BREVIS CHRONOLOGIA

MONARCHICI STATVS ORDINIS FRATRVM MINORVM:

Tam in Succeßione continuata, & non interrupta, Miniſtrorum Generalium, quàm in conſtanter aſſerta, & conſeruata Obſeruatione Regula, à Chriſto dictata, à ſua origine vſque ad præſentem diem.

Præfatio. Pag.189.

Primus *Ordinis FF. Minorum* Miniſter Generalis, *ac* Fundator *inclytus* S.P.N. FRANCISCVS Aſſiſienſis. Pag.193.

II. F.Elias de Cortono. Pag.196.

III. F.Ioannes Parens. Pag.197.

IV. F.Elias de Cortono *ad idem officium reaſſumptus.* Pag.198.

V. F.Albertus de Piſis. Pag.200.

VI. F.Haymo Anglicus. Ibid.

VII. F.Creſcentius Æſinus. Pag.202.

VIII. F Ioannes de Parma. Pag.203.

IX. S.Bonauentura à Balneo Regio. Pag 204.

X. F Hieronymus de Æſculo, *poſteà Summus Pontifex dictus* NICOLAVS IV. Pag.208.

XI. F.Bonagratia à S.Joanne. Ibid.

XII. F.Atholottus, *aliàs* Arlottus de Prato. P.208.

XIII. F.Matthæus de Aquaſparta. Ibid.

XIV. F.Raymundus Gaufredi. Pag.209.

XV. F.Ioannes de Muro. Pag.211.

XVI. F.Gundiſaluus de Valle-Bona, *vulgò*, Balboa. Pag.212.

XVII. F.Alexander de Alexandria. Pag.213.

Vacante S.Sede Officium Generalatus *vacat ad annum, & octo menſes.*

XVIII. F.Michaël de Ceſena. Pag.214.

XIX. F.Giraldus, *ſine* Gerardus Odonis. Pag.215.

XX. F.Fortanerius Vaſalli. Ibid.

XXI. F.Guilhelmus Farinerij. Pag.216.

XXII. F.Joannes de Buco. Pag.217.

XXIII. F.Marcus de Viterbio. Ibid.

XXIV. F.Thomas Farignanus de Bononia. P.218.

XXV. F.Leonardus de Giſſonibus. Pag.220.

XXVI. F.Ludouicus Venetus, *aliàs*, Donatus. Ibid.

XXVII. F.Petrus de Caſſana. Pag.221.

XXVIII. F.Martinus à S.Georgio. Ibid.

Annotatio de ſchiſmate defuncto GREGORIO XI. Ibid.

XXIX. F.Henricus Aſtenſis, *aliàs*, Alfetus. P.223.

XXX. F.Antonius de Pireto. Ibid.

XXXI. F.Angelus Saluettus. Pag 224.

XXXII. F.Antonius de Maſſa. Ibid.

XXXIII. F.Guilhelmus Caſſali. Pag.225.

XXXIV. F.Antonius de Ruſconibus. Pag.226.

XXXV. F.Angelus à Perußio. Pag.227.

XXXVI. F.Iacobus à Mozanica. Ibid.

XXXVII. F.Iacobus de Saczuela. Pag.228.

XXXVIII. F.Franciſcus de Ruuere, *ſine*, de Sauona, *poſteà Summus Pontifex dictus* SIXTVS IV. Ibid.

XXXIX. F.Zanettus, *ſine* Joannes de Vtino. P.229.

XL. F.Franciſcus Samſon. Ibid.

XLI. F.Ægidius Delphini. Pag.230.

XLII. F.Reynaldus Gratianus de Catignola. P.231.

Officium Generalatus ſit ſexennale.

XLIII. F.Philippus Bagna-Cauallus. Pag.232.

XLIV. F.Bernardinus de Prato. Ibid.

Reformatio Generalis Ordinis ſub Regula pura & ſimplici obſeruantia tempore LEONIS X. *& quæ pie illa ab Eodem ordinata.* Pag 233. & ſeqq.

XLV. F.Chriſtophorus de Forliuio. Pag.240.

XLVI. F.Franciſcus Lichetus. Pag.241.

XLVII. F.Paulus de Soncinno. Pag.242.

XLVIII. F.Franciſcus de Angelis. Pag.233.

XLIX. F.Paulus de Parma. Pag.247.

L. F.Vincentius Lunellus. Pag.248.

LI. F.Joannes Caluus. Ibid.

LII. F.Andreas Inſulanus. Pag.249.

LIII. F.Clemens à Monelia. Ibid.

LIV. F.Franciſcus Zamora. Pag.251.

LV. F.Aloyſius de Puteo. Ibid.

LVI. F.Chriſtophorus à Capite Fontium. P.252.

LVII. F.Franciſcus Gonzaga. Pag.253.

LVIII. F.Franciſcus à Tholoſa. Ibid.

LIX. F.Bonauentura à Calatagirona. Pag.254.

LX. F.Franciſcus à Soſa. Ibid.

LXI. F.Atchangelus de Meſſana. Pag.255.

LXII. F.Joannes ab Hierro. Ibid.

LXIII. F.Benignus à Genua. Pag.256.

LXIV. F.Bernardinus de Senis. Pag.257.

LXV. F.Ioannes Bapt. à Campanea. Pag.258.

LXVI. F.Ioannes Merinero. Pag.259.

LXVII. F.Ioannes à Neapoli. Ibid.

LXVIII. F.Petrus Manero. Pag.260.

Epilogus vniuerſalis Auctoris ad omnes Fratres Minores. Pag.261.

ORDINIS S. FRANCISCI
FVNDAMENTA DVODECIM,

Fundamentis duodecim Apoſtolorum ſuperædificata, ipſo ſummo angulari Lapide,
CHRISTO IESV.

PROLOGVS VNIVERSALIS.

De cauſa, materia, & methodo huius operis.

SCRVTATIONES Palatij illius ſpecioſi, & magni, militaribus armis crucis CHRISTI ſignaculo inſignitis, illuſtris; *Quod* (teſte S. Bonauenturâ cap. 1. vitæ) S. FRANCISCO *initio ſuæ conuerſionis, cùm ſe ſopori dediſſet, clementia Diuina monſtrauit, ſupernâ aſſertione aſſeuerans illud, illaq́, ſua fore, ſuorumq́, militum:* Iuſſu, ductu, conductu R.mi Patris Noſtri, F. *Petri Manero*, totius Ordinis Seraphici Miniſtri, & Primicerij Generalis, aggredior: Cuius quidem Palatij, ſi *ſublimitatem* attendo, ſuper omnes cælos vſque ad Diuinitatis ſolium aſſurgit; ſi *latitudinem*, à mari vſque ad mare, & extremos orbis terrarum terminos, ſe extendit; ſi *profunditatem*, profunda Omnipotentis iudicia attingens, ad ipſas inferorum portas ſua propugnacula promouet, vt dæmonis potẽtiam coërceat. *Comprehendere* itaque *cum omnibus ſanctis* Architecti Omniſcientis in illo *altiſſimam* ſapientiam, & charitatis *longitudinem, latitudinem, & profunditatem*, gratum quidem foret; Verùm ne videar altum ſapere, ſufficiet puſillitati meæ oſtendere: Quòd Palatium illud *Deus fixerit, & non homo*, cuius Fundamenta, *Fundamenta aterna ſupra petram ſolidam:* Ordinis enim Fratrum Minorum *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, prater id, quod poſitum eſt, quod eſt* CHRISTVS IESVS; ſuper quo, tamquam angulari lapide pretioſo, duodecim Apoſtolorum Fundamenta locata ſunt; in quibus, & ſuper quibus, Seraphici Patris FRANCISCI miniſte-

S. Bonau. c. 1. Vitæ S. Franc.

Epheſ. 3. verſ. 18.

Hebr. 8. verſ. 2. Eccli. 26. verſ. 24. 1. Cor. 3. verſ. 11.

Ephes. 2. vers. 22. Isa. 58. vers. 12. rio, Ordo Fratrum Minorum *coædificatus est in habitaculum Dei in Spiritu*, per quem (attestante Isaiâ) *ædificata sunt deserta sæculorum*: quippe qui *Fundamenta generationis, & generationis suscitauit*, hoc iure vocatus *Ædificator sæpium, auertens semitas in quietem:* qui vtique cum filijs ruinas antiquas erexit, & instaurauit ciuitates desertas, & dissipatas in generationem.

Relinquens igitur sublimioribus ingenijs demetiendam in Historia Seraphica structuram emendicatâ *mensurâ arundineâ aureâ, quâ* Angelus Apoc. 21. *mensus est ciuitatem cælestem, & portas eius, & murum*; Obedientiæ mihi impositæ satisfactum confido, si *duodecim* inhæream *Fundamentis ciuitatis sanctæ Hierusalem*, in quibus singulis inscripta erant nomina duodecim Apostolorum Agni: Neque enim (teste Christi Vicario NICOLAO III. in Extrauagante; *Exijt, qui seminat*) Regula, aut Ordo, Fratrum Minorum alijs innititur Fundamentis; quippe, *Quæ descendens à Patre luminum, per eius Filium exemplariter & verbaliter tradita, & demùm per Spiritum Sanctum* B. FRANCISCO, *& eum sequentibus inspirata, totius quasi in se continet testimonium Trinitatis.*

Apoc. 21. vers. 15.

Nicol. III.

Hæc igitur erit totius Operis series: Ordinem S. FRANCISCI, attentâ Petrâ CHRISTO, cui innixus est, super ipsis fundamentis vitæ & doctrinæ Apostolicæ fundatum esse demonstrare: Demùm non tam nomina singularia, Apostolorum fundamentis inscripta, quàm Apostolicas eorum virtutes, lapidibus pretiosis fundamẽtorum singulorum Apostolico calamo insculptas, ostendere, ab eo, & per eum, qui *dixit Hierusalem ædificaberis, & templo fundaberis*, cuius *manus suscitauit terram, & dextera mensa est cælos*, qui & *Fundauit Sion, vt in ipso sperarent pauperes populi eius.*

Isa. 44. vers. 28. Cap. 48. vers. 13. Cap. 14. vers. 32.

SCHEMA OPERIS.

FVNDAMENTA XII. ORDINIS FRATRVM MINORVM, comparata DVODECIM LAPIDIBVS PRETIOSIS. *Apoc. 21.*

FVND.	LAP.	
I.	IASPIDI,	MIssio Diuina extraordinaria S. FRANCISCI, & filiorum eius, in vniuersum orbem terrarum, ad prædicandum pœnitentiam, & Euangelium Regni.
II.	SAPPHYRO,	Regulæ primæ Diuina Inspiratio.
III.	CALCEDONIO,	Regula secunda, à CHRISTO immediatè, & verbatim dictata.
IV.	SMARAGDO,	Regulæ, à CHRISTO dictatæ, Sublimitas.
V.	SARDONYCHI,	Regulæ, à CHRISTO dictatæ, intemerata Integritas.
VI.	SARDIO,	Altissima Fratrum Minorum Paupertas.
VII.	CHRYSOLITHO,	Euangelica, & transcendentalis eorum Obedientia.
VIII.	BERYLLO,	Purissima eorum Castitas.
IX.	TOPAZIO,	Operationes Hierarchicæ, secundùm Hierarchias Angelorum, Fratribus Minoribus competentes.
X.	CHRISOPRASO,	Humilitas & Patientia eorum in aduersis.
XI.	HYACINTHO,	Eorum ad Matrem Ecclesiam filialis Obedientia, & inuiolabilis Fidelitas, ac Matris Ecclesiæ ad Ordinem Fratrum Minorum materna Benignitas, & Solicitudo.
XII.	AMETHYSTO,	Laborum, Opitulationum, Ministeriorum, pro Ecclesia Dei susceptorum, Messis vberrima.

comparatum

CORO-

CORONIS.

Testamenti S. P. Francisci irrefragabilis Auctoritas.

HOC ordine suis titulis & paragraphis Fundamenta ista examinabuntur; & Coronidis loco Spiritus S. Francisci, in suo Testamento apparens, vniuersa firmabit, &, vt in imagine omnia recapitulentur, ad finem posita est, *Breuis Chronologia Monarchici Status Ordinis Fratrum Minorum* &c.

Porrò totum Opus secatum est in duas Partes, quarum *Prima Pars* octo Fundamenta complectitur, quæ ad interiora Ciuitatis Fratrum Minorum pertinent: *Pars Secunda* exteriora expendit, quæ Ecclesiam Dei respiciunt, pro qua, vt matre, & genitrice sua, Ordo Fratrum Minorum labores & dolores passus est, & cui pro Deo omnia sua dedicauit. Vtere, Lector, & fruere; Vtere (inquam) vt laudetur Deus in sanctis suis, glorificetur in firmamento virtutis suæ, secundùm multitudinem magnitudinis eius; fruere Deo in donis, & benedictionibus eius. Amen.

TITV-

TITVLVS I.

FVNDAMENTVM I.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Miſsio Diuina Extraordinaria S. FRANCISCI, *& filiorum eius in vniuerſum Orbem terrarum ad prædicandum Pœnitentiam, & Euangelium Regni:*

Comparata

IASPIDI *primo fundamento Apoſtolico.*

PARS I.

DIVINA Sapientia quæ ſuæ prouidentiæ immenſitate à fine vſque ad finem fortiter attingit, diſponitque omnia ſuauiter, ſicut ante Chriſti aduentum à primo Abel, vſque ad Ioannem Præcurſorem ſuæ Eccleſiæ non defuit: ſic poſt dormitionem Apoſtolorum, eidem (quam pretioſo ſuo ſanguine redemit) ſemper benigniſſimo adjutorio adfuit, vt firmiſſima ſemper ſubſiſteret, quam ſupra petram contra portas inferi validiùs ſolidauerat: Suſcitauit vtique omni tempore illi generoſiſſimos Athletas, qui & eam defenderent, & brachio Omnipotentis è miſeriarum lacu ipſam liberarent. Hi ſunt, *Pueri* quos (apud Iſaiam) *dedit* Deus Eccleſiæ ſuæ in *ſignum, & portentum à Domino exercituum qui habitat in Syon, ligans teſtimonium, & ſignans legem in Diſcipulis ſuis*: Nè pietate deficientibus, deeſſet *Enos*, qui in illis *inciperet* denuò *inuocare nomen Domini*: Aut Catachlyſmo inundantium perſecutionum inuolutis, *Noë* fauſtiſſimus Nauclerus abeſſet: Aut ſub ſeruitute Ægyptiacâ gementibus, *Moyſes* aliquis deficeret.

Dei prouidentia pro ſua Eccleſia.

Iſaiæ 8. verſ. 18. Verſ. 16.

Geneſ. 4. verſ. 26. & c. 7. verſ. 1.

His titulis afflictæ Eccleſiæ miſſus eſt *S. Franciſcus*, qui & cum *Enos* veram in Deum, & Ieſum Chriſtum Crucifixum pietatem velut reſtituit, & cum *Noë* Animas à peccatorum diluuio liberauit; nec non infinitos ab Ægyptiacâ ſeruitute cum *Moyſe* per mare rubrum Pœnitentiæ traducens, in deſerto Paupertatis mannâ cæleſti nutritos, ad terram Promiſſionis deduxit; *nudus, & diſcalceatus, ſignum & portentum factus ſuper Ægyptum & ſuper Æthiopiam. Apparuit namq;* (ait S. Bonau.) *gratia Dei Saluatoris noſtri diebus iſtis nouiſſimis in ſeruo ſuo Franciſco omnibus verè humilibus, & ſanctæ Paupertatis amicis: qui ſuper affluentem in eo Dei miſericordiam venerantes, ipſius eruditur exemplo, impietatem & ſæcularia deſideria abnegare, Chriſto conformiter viuere, & ad beatam ſpem deſiderio indefeſſo ſitire. In ipſum namque vt verè pauper-*

S. Franciſcus velut alter Enos. Noë. Moyſes, &c.

Iſaiæ 20. verſ. 3. *S. Bonau. in prol. ad vit. S. Franc.*

pauperculum & contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quòd non solùm de mundialis conuersationis puluere suscitauit egenum: Verùm etiam Euangelicæ perfectionis Professorem, Ducem, atque Præconem effectum in lucem dedit credentium, vt testimonium perhibendo de lumine: ad viam lucis, & pacis corda fidelium Domino præpararet. Secundùm imitatoriam namque similitudinem Præcursoris (ait idem Sanctus Doctor) *destinatus à Deo, vt viam parans in deserto Altissimæ paupertatis, tam exemplo, quàm verbo Pœnitentiam prædicaret: primùm superna gratiæ præuentus donis, deinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque impletus spiritu; nec non & Angelico deputatus Officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & vir Hierarchicus curru igneo sursum vectus, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu Heliæ.* Hoc est principium operum Domini in seruis suis: singularis scilicet *Electio*, & *Missio* quæ benè *Lapidi Iaspidi* in primo ciuitatis supernæ Hierusalem fundamento comparatur: siue enim nigri coloris *Iaspidem*, siuè rubei, vt Belgicus est, assumamus; vterque vndosis velut spumis candidissimi coloris variegatus est: vt ostendatur candor benignitatis, & misericordiæ Dei in *Electione*, & *Missione* sanctorum suorum superfluere illis, qui vel nigris percelluntur peccatorum tenebris: vel sanguineas iam præsentiunt diuini Numinis iras. Quæ omnia quidem in Apostolis enituisse, vita eorum Apostolica probauit. In S. autem Francisco velut renata fuisse, sequentes Paragraphi declarabunt. Verè enim S. Pater *Iaspidi* comparandus est, siuè lapidem attendas, siuè gemmam (de qua Plinius lib. 37 c. 9.) ratione *Electionis*, & *Missionis*: In cuius duritie *Fides*, in albicante vndosis spumis colore *Spes*; in sanguinolento colore *Charitas* omnia patiens (quibus qui à Deo ad peccatores mittitur ornari debet) apprimè referuntur, quæ sunt tria Patriarchæ Seraphici, & Ordinis eius insignia, pariter & signa.

S. Francisci Electio, & Missio. Iaspidi simile.

§. I.

De signis Diuinæ Missionis.

Missio vera Dei seruorum vnde colligenda.

VERAM seruorum Dei ad populos legationem, Missione Diuinâ debere originaliter probari, insigni Sorite, siue graduali argumento, ostendit Apostolus ad Rom. 10. de diuini Euangelij Præconibus sic disserens, vt & eorum necessitatem, ex inuocationis Dei necessitate concludat, & nihilominùs Diuinam Missionem debere inuocationem Dei antecedere inferat: *Omnis* (inquit) *qui inuocauerit nomen Domini saluus erit*: Super quo velut fundamento sic argumentatur: *Quomodo* (ait) *inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine Prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* q.d. Inuocatio Dei ex fide, fides ex auditu, auditus ex verbi Dei prædicatione: Prædicatio autem ex Missione procedit. Vnde & ipse totus est in Epist. ad Galat. c. 1. & 2. vt per hæc contra Pseudo-Apostolos suam Missionem à Deo processisse probet: *Paulus* (ait) *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis* &c. Infrà: *Notum enim facio vobis fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi* &c. Quæ omnia latiùs prosequitur. Antiqua sanè fuit semper querimonia aduersus Pseudo-Prophetas, quòd missi non essent: sic enim Ierem. 23. *Non mittebam* (ait) *Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Quos proinde idem Propheta grauissimis comminationibus perstrinxerat cap. 3.

Rom. 10. vers. 13.

Galat. 1. vers. 1.

Vers. 11.

Ierem. 23. vers. 21.

Antè omnia igitur demonstranda est S.P. Francisci *Missio Diuina*, vt vniuerso

*S. Francisci & suorum Missio Deo Orb*i*ua.*

Orbi innoteſcat, non à caſu, non à fortuna, non ab humana ſorte, vel induſtria, Ordinem illum Seraphicum totum mundum penetraſſe, ſed diuinâ, immediatâ, & extraordinariâ Iuſſione, & mandato Dei miſericorditer hominum ſaluti conſulentis.

Miſſio diuina quid?

Et quidem nomine *Miſſionis diuinæ* intelligenda venit: *Deputatio certa & clara à Deo, vel Dei nomine, ab auctoritatem habente facta, quâ perſona aliqua ad aliquod Officium, ſiue Miniſterium eligitur, & velut deſtinatur.* Quæ à Theologis duplex ſtatuitur: Alia *Ordinaria & mediata* quæ non à Deo immediatè, ſed per Dei, & Chriſti eius vicarios, ſiuè per diuinitùs afflatos Sanctos Antiſtites Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti nomine, mediatè & ordinatè in Eccleſia Dei fieri ſolet. Alia verò eſt *Diuina Immediata & Extraordinaria* quæ à Deo & Chriſto eius ſpecialiter, & immediatè, extraordinarijs ſignis facta intelligitur, & ab Eccleſia vt talis approbatur. Signa porrò Miſſionis Immediatæ & Extraordinariæ ſunt 1. Nonnulla *Prodigia*, & *Oracula* Miſſionem antecedentia: 2. *Reuelationes*, & *Apparitiones* diuinæ. 3. *Operationes* ſingulares Miſſionis demonſtratiuæ. 4. *Miracula*, Opera Extraordinaria concomitantia. 5. *Effectus*, & *Fructus* Extraordinarij, & ſæpè miraculoſi conſequentes. His ſignis probat ſuam Miſſionem S. Paulus Apoſtolus, quæ recenſentur Actor. 9. Et ipſe populo declarat Actor. 22. vnde & 1. ad Corinth. 9. *Non ſum* (ait) *Apoſtolus? Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?* &c. *Nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* Et 2. Cor. 12. Opera & Reuelationes & Raptus ſuos indicat, vt Apoſtolatum ſuum probet. Et concludens: *Nihil* (inquit) *minus fui aliis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus.* Cuius Miſſionis ſeriem probat ad Galat. 1. & 2. per Approbationem Petri Chriſti Vicarij, ac SS. Iacobi & Ioannis, qui ei dexteras dederunt, velut in concluſionem ſuæ Miſſionis.

Alia ordinaria & mediata, alia extraordinaria & immediata.

Signa Miſſionis Immediatæ & Extraordinariæ.

Act. 9. & 22. 1. Cor. 9. verſ. 1.

2. Cor. 11. & 12.

Gal. 1. & 2.

Quomodò autem hæc omnia ſigna in ſanctiſſimo Patriarcha Francisco pro ſe, & filijs ſuis Miſſionem Diuinam Immediatam & Extraordinariam demonſtrauerunt: ſequentibus Paragraphis luce meridiana clarius fiet.

§. II.

De cauſis Miſſionis S. Franciſci & filiorum eius.

LVgebat quondam S. Bernardus Eccleſiam in ſuis primordijs. Nece Martyrum, & perſecutionibus Tyrannorum *Amaram*, In progreſſu, Hæreticorum conflictu *Amariorem*; ſuo autem tempore prauis moribus propriorum domeſticorum *Amariſſimam*. Non minùs ſanè naſcente S. Franciſco, triplex illa Amaritudo inteſtina Eccleſiæ penetrauerat: ita vt non tantùm Tyrannica infidelium crudelitas, ſed & Principum Chriſtianorum noxiæ diſcordiæ eam amaritudine repleret: quam & Hæreticorum ſerpentina peruerſitas amariorem, nec non malorum filiorum nequitia amariſſimam reddiderant. *Increbuerat tunc* (inquit Bergomenſis) *ex Hæreticorum multitudine, & Imperatorum temeritate, tanta clericorum, & improborum virorum licentia, vt nulla Religionis facies in Eccleſia Dei cognoſceretur: dixiſſes tunc non modo laicos Chriſtianos, ſed & Clericos, & Monachos impios, in Italia, aut inquilinos fuiſſe, aut ex extrema omnium Nationum face eò commigraſſe. Chriſtianorum itaque Dominus Ieſus Chriſtus turpitudine, & calamitate commotus hunc potiſſimùm Prædicatorum, & Minorum Ordinem excitauit, vt collabentem Chriſtianam Religionem erigeret,* &c. Quæ cùm ex Hiſtoricis, & Chronologis aliiſque rerum Chriſtianarum ſcriptoribus legentibus obuia ſunt, paucis ea perſtringo, nè propoſiti terminos excedam.

S. Bern. ſer. 33. in Cant.

Quam miſer Eccleſiæ ſtatus naſcente Franciſco.

Bergomenſis.

Et quidem quod ſpectat ad Tyrannorum in Eccleſiam crudelitatem Turca faces præferebat: Iam enim ab anno 1189. Saladinus (teſte Bergomenſi) omnibus ferè maritimis locis occupatis, Hieroſolymam peruenerat, iam illam acriter oppugnabat, quam & anno eodem non ſine Chriſtianorum turpi, & fœda ejectione accepit: *Saladinus enim* (ait idem) *Hieroſolymam ingreſſus campanas primum turribus dejecit, dehinc Baſilicas omnes præter Salomonis templum profanauit, quod priuſquam ingrederetur aqua roſacea lauit:* Vnde migrãtes Chriſtiani Hierachium Patriarcham, & Clerum, facto agmine ſecuti ſunt, & pars Antiochiam, pars verò Tyrum, aut Alexandriam petijt, & in Siciliam quiſquè trajecit. Et hæc quidem ad tempora puerititiæ S. Franciſci; Ad annum enim 1219. in Ordinis primordijs Cordirius magni Saladini filius, obſidentibus Damiatam Chriſtianis, Hieroſolymã Ciuitatem quintã vice penitùs euertit, templo Domini

Saladinus Turca occupat & deſtruit Ieruſalem.

Parcit templo Salomonio.

tantummodo integro relicto, vt ex eodem Bergomenſi conſtat, apud quem variæ in Italiam Turcarum Irruptiones, non abſquè fidelium magnis plagis circa iſta tempora referuntur.

Eccleſia afflictio ob diſcordias Principum Chriſtianorum.

Nec minus Eccleſiam affligebant Principum Chriſtianorum feroces diſcordiæ, & in S. Sedem malè ominatæ animoſitates. Vt de Frederico I. Ænobarbo, alijs Barbaroſſa, de Henrico huius nominis quinto, alijs 6. de Otthone IV. Frederico II. Annaliſtæ teſtantur.

Ob infeſtationes Hæreticorum.

Ab Hæreticorum tandem Eccleſiam Dei vaporibus prauis infeſtantium; nulla ferè Orbis Chriſtiani pars libera erat: *VValdenſibus, Catharis,* & *Paterinis* non modò Gallias, ſed etiam Italiam totam infeſtantibus: *Albigenſibus* Tholoſam, & Hiſpaniæ confinia inficientibus: *Pauperibus de Lugduno*, qui vt verè *Errones*, & vagi erant in vniuerſum Orbem virus ſuum diffundentibus: Nec deerant Anabaptiſtarum Præmiſſarij in Germania, & ab abyſſo redeuntes nõnullæ Manichæorum reliquiæ alijs Regionibus imminebant. Sic Infernalis ille Behemoth abſorpſerat fluuium pacis & charitatis, credens quod Iordanus totus Chriſtianæ pietatis influeret in os eius, & Eccleſiam Chriſti vno hiatu abſorberet. His itaque calamitoſis temporibus *Pauperum Patriarcha Franciſcus*, diuinâ prouidentiâ reſeruatus erat, vt cum Pauperum & Pacificorum exercitu, malis impendentibus ſe murum pro domo Iſrael opponeret, & afflictæ Matri Eccleſiæ, quibus Deus diſpoſuerat modis, mediſque ſuccurreret. Sic enim oppreſſæ Eccleſiæ, gemitus vrgebant: vt ſuppetias ferret Clementiſſimus Deus: *Quis perdat Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem. Qui ſuſcitat Paſtores ſuper gregem ſuum: Qui mittit Prophetas ſuos conſurgens diluculò*: Cuius *verbum quod egreditur de ore ſuo non reuertetur ad eum vacuum, ſed proſperatur in his ad quæ mittit illud.*

Eccleſia maximè afflicta S. Franciſco cum ſuis reſeruatus.

Iſaiæ 14. Ierem. 23.

Ierem. 7. Iſaiæ 55.

B. Virgo Eccleſia miſerta filio SS. Franciſcum & Dominicum præſentauit. Vbertinus lib. 5. vitæ Chriſti c. 3.

Supplicauerat porrò filio irato, vt his malis mederetur, Pientiſſima Mater Virgo, & Eccleſiæ miſerta illi *Franciſcum* & *Dominicum* Illuſtres Athletas præſentauerat, in viſione de qua Vbertinus lib. 5. vitæ Chriſti cap. 3. Obliteratum namquè videbatur illis temporibus, in ſui obſeruantia Euangelium Chriſti; Apoſtolica vita ſorduerat, & velut extincta iacebat; Crucifixi Ieſu Chriſti Paſſio in obliuionem abierat: Refrigerat Charitas; Auaritia, Superbia, Laſciuia, nõ modò populum, ſed Clerum, & Religioſos inuaſerat. Ad hæc itaque damna reſarcieda mittitur S. Franciſcus, Chriſto vtiquè Crucifixo per omnia in corpore, vita, habitu, moribus conformãdus, cum ſodalitio toto ijſdem armis inſignito. Vndè Eminentiſſimus Eccleſiæ Cardinalis Jacobus de Vitriaco S. Franciſco contemporaneus, & teſtis oculatus in Hiſtoria occidentali cap. 3. tam cauſas, quàm ipſos effectus huius Miſſionis perſtringens: *Tribus* (ait) *Eremitarum, Monachorum, Canonicorum Religionibus vt regulariter viuentium quadratura fundamenti, in ſoliditate ſua firma ſubſiſteret, addidit Dominus quartam Religionis Inſtitutionem, Ordinis decorem, & Regulæ ſanctitatem. Si tamen Eccleſia primitiuum ſtatum, & ordinem diligenter attendamus, non tam nouam addidit Regulam, quàm veterem renouauit, relenauit iacentem, & penè mortuam ſuſcitauit Religionem* &c. *vt contra Anti-Chriſti periculoſa tempora, nouos Athletas præpararet, & Eccleſiam præmuniendo fulciret: Hæc eſt Religio verè pauperum Crucifixi, & Ordo prædicatorum; quos fratres Minores appellamus. Verè Minores, & omnibus huius temporis Regularibus in habitu, & nuditate, & mundi contemptu humiliores.* &c. Quorum ſanctas operationes eleganti calamo recenſens: *Hic eſt fratrum Minorum ſanctus Ordo, & Apoſtolicorum Virorum admiranda, & imitanda Religio, quos Dominum contra perditionis filium Anti-Chriſtum, & eius profanos Diſcipulos, credimus in nouiſſimis diebus ſuſcitaſſe. Qui lectulum Salomonis tamquam fortes milites ambiendo, de porta ad portam cum gladijs tranſeundo, ſuper muros Hieruſalem conſtituti ſunt Cuſtodes, diebus ac noctibus à diuinis laudibus, & ſanctis exhortationibus non ceſſantes vocem ſuam quaſi tubam in fortitudine exaltantes, & facientes vindictam in nationibus, increpationes in populis,* &c. Quæ omnia proſequitur mirâ elegantiâ, & virtute ſermonis. Æneas etiam Siluius Epiſt. 412. referens Ordinis fructus ab illius origine: *Quid* (inquit) *hæc Religio aliud agit, quàm quæ ſubere nouimus Euangelium? Sentes ac tribulos ex agro Dominico diuellit, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates ſtrangulat, ambitiones & odia fugat, ignauiæ & ſocordiæ ſtimulum adigit, & aperiens in Eccleſia diebus ſingulis os ſuum pœnitentiam ſuadet, & viam Domini in veritate docet.* Hæc ille. Quæ omnia effectus ſequentes probarunt, & in ſequentibus magis declarabuntur.

Iacobus de Vitriaco Hiſt. occid. c. 3.

Ordinis Minorum elogia.

Stabit contra Anti-chriſtum.

Æneas Sil. Ep. 412.

§. III.

Miſſio Diuina Extraordinaria S. P. Franciſci oraculo S. Scripturæ prænuntiata oſtenditur.

NObiliſſimam ſanè Patriarchæ Seraphici *Miſſionem Diuinam* futuram, nobiliſſima illa viſio Aquilæ Euangelicæ S. Ioan-

Apocal. 7. vers. 2.

S. Francisci Missio præmunita in Apocalypsi.

S.Ioannis c.7. ad apertionem sexti sigilli, vbi Angelus habens signum Dei viui, ab oriente ascendens, & quatuor Angelis quibus datum erat nocere terræ & mari & arboribus nè nocerent inhibens, donec signassent seruos Dei in frontibus eorum, describitur, (attestante Doctore Seraphico Bonauenturâ, sic ex Diuina Reuelatione scripturam interpretante) præsignauerat, prout in Prologo ad vitam S.Francisci ipsemet *Indubitabili fide* se collegisse adstruit: Cum enim in similitudinem imitatorum Præcursoris, S.Franciscum destinatum à Deo, vt viam parans in deserto Altissimæ Paupertatis, tam exemplo, quàm verbo Pœnitentiam prædicaret, sanctus Doctor assecuerasset, statim subijcit; de S. Francisco visionem Apocalypsis interpretatus. *Ideóque* (ait) *alterius amici Sponsi Apostoli, & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridicâ, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumq; Dei viui habentis adstruitur non immeritò designatus: sub apertione namque sexti sigilli:* Vidi (ait Ioannes) alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: *Hunc Dei Nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, seruum Dei fuisse Franciscum indubitabili fide collegimus: si cultum in eo eximiæ sanctitatis aduertimus, qua inter homines viuens, Imitator fuit puritatis Angelicæ: qua & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum, & piè: non solùm inducit officium quod habuit, vocandi ad fletum & planctum, calumtiam, & cingulùm sacci, signandiq; Thau super frontes virorum gementium & dolentium, signo Pœnitentialis Crucis, & habitus cruci conformis, verùm etiam irrefragabilis veritatis testificatione confirmat signaculum Dei viuentis, Christi videlicet, Crucifixi, quod in corpore fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei viui:* In quo quidem Seraphici Doctoris contextu notanda sunt energica verba, quibus hanc Prophetiam de S.Francisco intelligendam adstruit, nimirùm: *Vaticinatione veridicâ, indubitabili fide, fideliter sentiendum & piè, irrefragabilis veritatis testificatione.* Quæ quidem (exceptâ fidei definitione) nescio quid amplius superaddere valeant ad confirmandam Prophetiæ veram de S.Patre intelligentiam, & explicationem textus literalem. Quam Expositionem sine dubio Spiritu sancto dictante, singulari Reuelatione S.Bonauenturam accepisse; non infimæ sanctitatis viri affirmarunt, inter quos S. Bernardinus Senensis *Tomo 2. de Euangelio Æterno serm. 60. in Exordio:* Vbi Visionem illam Apocalypsis 7. Exponens de S.Francisco, auctoritatem S.Bonauenturæ assumit, his verbis: *Huic* (ait) *Sententiæ attestatur Assertio quam fecit D. Bonauentura in Capitulo Generali Parisijs celebrato, cùm esset nostri Ordinis Generalis Minister:* Sequitur: *Nam prædicans in ipso Capitulo, cum maximo feruore asserut: se certissimè scire per Reuelationes indubitabiles & solemnes, factas talibus personis qui de hoc non poterant dubitare: Quòd B. Franciscus erat singulariter Angelus sexti signaculi Apocal.7. Et quòd ad litteram de ipso atque illius Statu, & Ordine intellexit Euangelista, atque in Spiritu eum vidit, quandò protulit dicta verba, nec non & filiorum suorum perfectè imitantium Christum Collegium, in omnibus senarijs liber Apocalypsis clariùs intellexit:* Hæc S. Bernardinus. Reuelationem porrò hanc factam ipsi S. Bonauenturæ (etsi pro sua modestia id tacuerit) in Ædicula Portiunculæ Ordinis prima, narrat Bartholomæus Pisanus Cõformitate 31. *Cùm enim* (inquit) *existens in loco S. Maria de Portiuncula, deberet de Beato Francisco prædicare, tenens librum Apocalypsis ante se, cœpit instantissimè orare Dominum, quatenùs dignaretur sibi reuelare, de quo fuisset illa dicta figura Apocalypsis, de Angelo habente signum Dei viui cap. 7.* Et vox de cœlo venit, dicens: *Frater Bonauentura figura illa litteraliter dicta est de S. Francisco. Et hoc ipse fratribus, & secularibus postmodùm dixit:* Hæc Pisanus. Qui & suum in hanc Prophetiam Commẽtarium Conform. 1. adjungens: Probat, Apertionem sexti sigilli in Apocalypsi in tẽpora Frederici II. Siciliæ Regis. & Romanorum Imperatoris incidere: Quo tempore velut terræ motu concussa est Ecclesia, in qua per persecutiones ab Imperatore, & Principibus aduersùs eam exortas, ob Saracenos in Ecclesiam immissos, & in S.R. E. Cardinales ac Clericos, nec non Religiosos furentes: *Sol factus est niger* (Summo vtiquè Pontifice Christi Vicario Româ fugato, & in habitu simplici Sacerdotis Vẽnetijs conseruato) *& luna tota* (id est Ecclesia) *facta est vt sanguis* (id est, Cardinalium, Prælatorum, Clericorum interfectione sanguinolenta) *stellis etiam de cœlo cadentibus* (id est, multis viris magnis, qui velut stellæ in cœlo militantis Ecclesiæ lucebant, Frederico & persecutoribus cæteris adhærentibus): Quæ omnia Historijs & Annalibus Ecclesiasticis concordãt, quas infrà suo loco referemus. Circa hæc itaque tempora, quatuor velut Angelis diuinæ misericordiæ ventos retinentibus, S.Franciscum velut Angelum ab ortu solis (id est, Assisio quæ ciuitas respectu Italiæ ad Orientem sita est) habentem signum Dei viui ascendisse, conformiter ad

S. Bonau. in Prologo ad vitam.

S. Franciscus Angelus 6 sigilli ad litteram.

S. Bernardinus Sen. tom. 2. de Euang. æter. serm. 60.

Pisan. Conformitate 31.

Idem.

Vaticinium S. Ioannis, vt signaret seruos Dei signaculo Pœnitentiali Crucis in frontibus eorum: plurimi viri magni interpretati sunt, inter quos S. Bernardinus Senensis sup. Bernardinus de Bustis Rosarij p. 2. serm. 27. Iacobus de Voragine Ordin. S. Dominici Episcopus Ianuensis. Quam Interpretationem confirmat Leo X. in Bulla vnionis Ordinis cuius initium. *Ite & vos in vineam meam.* His verbis: *Ad hanc* (ait) *vineam excolendam, primo manè exoriente iam sole misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui B. Franciscum, qui comitantibus mira sanctitatis Viris prima vitis huius iecere fundamenta.*

Leo X.

Nec quempiam mouêre debet antiqua Sanctorum Patrum, & Doctorum Classicorum ad hæc vsquè tempora communis huius Visionis Interpretatio, qui per Angelum illum alterum, habentem signum Dei viui ipsum Dei filium Iesum Christum intellexerunt.

Vnus idemq; S. Scriptura locus an plures sensus litterales possit habere.

Reuocanda enim est illa vniuersalis SS. Patrum, & Theologorum Regula, Scripturam vnam eandemque frequentiùs plures litterales, & (etsi iuxta diuersa tempora) sibi subordinatos, æquè tamen intentos, admittere sensus: Eandemq; Prophetiam diuersis temporibus ad diuersa tempora extendi: vt iuxtà Ezechielis visionem reperiatur: *Rota in medio Rota.* Quemadmodùm quæ de Salomone dicta litteraliter reperiuntur, in Christo litteralissimè completa esse de fide credendum est, sicut & dicta de Dauid, vt ex toto Psalmo 88. plenissimè constat. Quod ipsum ex verbis Christi comprobatur qui Matth. 11 Ioannem Baptistam Heliam esse affirmauit: *Ipse* (inquit) *est Helias* conformiter ad interpretationem Gabrielis Angeli Lucæ 1 Protiam Malachiæ cap. 4. interpretantis: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Elia, vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam Iustorum, parare plebem perfectam.* Ex quibus manifestum est Prophetiam Malachiæ cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini, magnus, & terribilis,* ità litteraliter in Eliæ Prophetæ persona ante Iudicis aduentum debere compleri, *vt* & anteà litteraliter in Ioanne Baptista (Christo & Archangelo Gabriele interprete) impleta sit. Nec ideò mirũ si ratione operationis eiusdem in alijs etiam completa intelligatur, prout alludit S. Bonauentura in prologo vitæ S. Francisci de eodem loquens: *Qui* (inquit) *incendio Seraphico totus ignitus, & vt vir Hierarchicus curru igneo fursùm vectus, sicut ex ipsius vita cursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu & virtute Eliæ.*

Ezech. 1. vers. 16.

Psalm. 88.

Matth. 11. vers. 14.

Lucæ 1. vers. 17. Gabriel Ang. in Malach.

Malach. 4. vers. 6.

S. Bonau. in Prol.

Nil itaque Spiritui sancto sacrarum litterarum Dictatori, nil fidei, aut Ecclesiæ Dei sensui contrarium, si Prophetia illa Apocalypsis in Christo primùm completa, eodem sensu litterali, eodem spiritu operante, implenda similiter in S. Francisco referatur, prout ex Reuelatione sibi factà S. Bonauentura: *Vaticinatione veridicâ, & indubitabili fide, ac irrefrabili veritatis testimonio* adimpletam fuisse agnouit, super quibus eiusdem Scripturæ sacræ in diuersa & varia extensis Interpretationibus, millies notanda, & memoriæ refricanda est nobilis illa sententia D. Augustini lib. 12. Confess. cap. 31. Vbi cum disceptationes diuersas, diuersa in interpretatione Sacrarum Scripturarum sentientium retulisset: quorum vnus de eadem Scriptura, & de Auctoris sensu disputans, dicit: *Hoc sensit quod ego.* Alius, *Imò illud quod ego,* ostendès Scripturam non coarctari vno tantùm sensu litterali, sed Dei infinitam sapientiam quæ attingit à fine vsque ad finem, varios sensus sub vno verborum sono cõprehendisse. sic resoluit: *Ita* (inquit) *cum alius dixerit, Hoc sensit* (Scriptura) *quod ego;* Et alius: *Imò illud quod ego: Religiosius me arbitror dicere: Cur non vtrumque potiùs, si vtrumque verum est? si quid tertiũ, & si quid quartum, & si quid aliud verum quispiam in his verbis videt? Cur non omnia vidisse credatur per quẽ vnus Deus sacras litteras vera, & diuersa visuris multorum sensibus temperauit.* Et concludens de Scriptoribus S. Scripturæ, ac eorum mẽte amplissima: *Nolo* (ait) *Deum meum tam præceps esse, vt hoc illũ virum* (Scriptorem scilicet) *de te meruisse non credam: sensit ille omninò his verbis, atque cogitauit cum ea scriberet, quidquid hic verũ potuimus inuenire, & quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inuenire poterit.* Et c. 32. pijssimè & fidelissimè Deo confitens super hac vniuersali Scripturæ amplitudine. *Postremò* (inquit) *Domine, qui Deus es, & non caro & sanguis: si quid homo minus videt, numquid & spiritum tuum bonum, qui deduces me in terram rectam latere potuit, quidquid eras in eis verbis tu ipse reuelaturus legentibus posteris, etiamsi ille per quem dicta sunt, vnam fortassis ex cunctis veris sententiam cogitauit. Quod si ita est, sit igitur illa quam cogitauit cæteris excellentior: Nobis autem Domine aut ipsam demonstra, aut quam places alteram veram.* Hæc S. Augustinus. Dicamus itaque cum illo: In Visione Ioannis de altero Angelo ascendente ab Ortu solis habente signum Dei viui, &c. Sit illa de Christo primaria & excellẽtior: Sed & altera de S. Francisco interpretatio, non ideò minùs vera erit etsi posterior, & secũdaria, quam reuelaturus erat Christus ipse S. Bonauenturæ, vt posteris legenti-

S. Aug. l. 12. Conf. 31.

Quid de multiplicitate sensuũ litteralium vnius S. Scripturæ sentiat S. Augustin.

Idem.

Idem c. 32.

gentibus, illam ex testificatione, diuinæ visionis illam traderet. Super quo conformiter. S. Augustinus c. 18. *Idem c. 18.* *Deus* (inquit) *quisquis conatur id sentire in scripturis sanctis, quod in eis sensit qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendisti verum esse: etiamsi hoc non sensit ille, quem legit, cùm & ille verum, nec tamen hoc senserit.* Suprà: *Deus meus lumen oculorum meorum: quid mihi obest, cùm diuersa in his verbis intelligi possunt, quæ tamen vera sunt.* Hæc Sanctus Augustinus.

§. IV.

Missio Diuina Extraordinaria S. Francisci, Oraculo Sybillino comprobatur.

S. Francisci Missio prænuntiata per Sybillam Erithræam.

ORaculo S. Scripturæ, Prophetiam solemnem Sybiliæ Erithreæ subijcio, quam ex Bartholomæo Pisano Conformitate 1. & Ioanne Garzon in vita S. Dominici, nec non Petro Rudolpho Tossinianensi Hist. Seraphicæ lib. 1. ac alijs nonnullis fide dignis Auctoribus accepi.

Sybilla Erithræa quæ & quales.

Sybilla itaque Erithræa (quam Apolidorus Erithræus, suam ciuem appellat, quamuis alij, vt Lactantius, Babylone natam affirment, adeoque *Babylonicam* nominent. (Ipsa tamen Lactantio teste *Erithræam* se appellandam magis voluerit) inter Sybillas quintum locum obtinet, floruitque iuxta S. Augustinum primâ Romæ conditæ ætate, iam regnante Romulo, & iuxta Varronem, tempore Ezechiæ Regis Iuda. Huius solemnem de Christo Saluatore, eiusque vita, & morte Prophetiam, refert Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. Poëmate quidem Latino ex Græco translato, cuius Poëmatis Græci initiales litteræ hæc verba reddebant *Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ, υἱὸς σωτὴρ*, id est, *Iesus Christus Dei filius Saluator*, quæ omnia explicantur præclarè à Ludouico Viues in Comment. dicti Capitis. *S. Aug. l. 18. Ciuit. c. 23.*

Sybilla Erithræa.

Hæc igitur inter Sybillas nobilissima, cùm de Christo sequentia protulisset: *In vltima* (inquiens) *ætate humiliabitur Deus, & humiliabitur proles Diuina, jungetur Humanitati Diuinitas, jacebit in fœno Agnus, & Puella officio decubabitur Deus, & Homo.* Posteà suas Prophetias prosequens: *Erit autem* (ait) *Bestia horribilis ab Oriente veniens, cuius rugitus vsque ad gentes Punicas, cuius Capita septem, sceptraq; innumera. Stella quoque duæ surgent contra ipsam, & non obtinebunt, donec veniat abominatio, & voluntas Altissimi consummetur.* Hæc ibi. Cuius quidem Sybillini Oraculi Expositionem per Glossas tradens Bartholomæus Pisanus 2. p. Fructus & Conformitatis 1. *Bestiam horribilem* ab Oriente venientem Mahumetem interpretatur, cuius rugitus gentes Punicas, id est, Africanas peruasit, cuius Secta plurima Regna obtinuit, cuius Regnum ad sexcentos sexaginta tres annos peruenturum traditur. Per *duas* verò *stellas* Sanctos *Dominicum*, & *Franciscum* designatos asserit, quos contra *Mahumetis* spurcissimi porci, spurcissimos Sectatores, à Deo in firmamento Ecclesiæ positos esse, vt contra eos (vt olim stellæ contra Sisaram) velut è cœlo Religiosarum sodalitatum pugnarent, rei euentus satis comprobauit: Nam Mahumetanis non tantùm Orientis, sed etiam Occidentis Regna, ac ferè vniuersum Orbem peruadentibus, horum duorum Patriarcharum Ordines se opposuerunt. Nec absque duarum stellarum nomine à *Sybilla Erithræa* indigitati sunt, ob vitæ & doctrinæ splendorem cœlestem, quem mundo pluſquam Cymmerijs tenebris obfuso immiserunt. Vndè & ad litteram, non tantùm *facula ardens* nascituro S. Dominico prælata matri apparuit, sed & *Stella* eius *frontis* impressa, Prophetiæ veritati suffragata est. Quâ non absimili significatione (referente S. Bonaucturâ) S. Francisci animam statim à morte: *sub specie Stellæ præfulgidæ, candidâ subnectam nubeculâ, super aquas multas in cœlum recto tramite sursùm ferri,* vnus ex fratribus, & discipulis eius vidit. *Tamquam* (ait Doctor Seraphicus) *sublimis sanctitatis cãdore prænitidam, & cœlestis Sapientiæ, simul & Gratiæ vbertate repletam.* Hic etenim (eodem S. Doctore teste) *quasi Stella matutina in medio nebulæ claris micans vitæ & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris, & vmbra mortis irradiatione præfulgidâ direxit in lucem.* *Pisanus 2. p. Conf. 1.* *SS. Franciscus & Dominicus duæ stellæ.* *S. Bonau. vitæ c. 14.* *Idem Prol. c. vltim.*

Illos porrò Patriarchas duos cõtra Mahumetis Sectarios primùm Castra mouisse, Historiæ Ecclesiasticæ satis commemorant. Quinimò vix dum S. Franciscus Ordinis sui fundamenta iecerat, necdum Copias collegerat, aut milites suos instruxerat. Quin velut moræ impatiens, vt Legationis Diuinæ primitias Deo Regi suo offerret: *Ipse* (vt scribit S. Bonau. cap. 9. vitæ) *sexto Conuersionis suæ anno desiderio Martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Christianam, & pœnitentiam Saracenis, & alijs infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuerit:* A quo quidem itinere Diuinâ dispositione impeditus, & in Sclauoniam ventis contrarijs actus; nihilominùs rursùs Marochium versùs iter arripuerit, vt Miramolino magno Mahumetanorum Regi, & Genti eius Euangelium Christi prædicaret: A qua iterùm expeditione Diuinâ prouidentiæ *S. Franciscus quam zelosus contra sectam Mahumetis.* *S. Bonau. cap. 9.*

prouidentiâ, ob infirmitatem, quâ in Hiſpaniam perueniens detinebatur, repulſus, Italiam repetere cogitur: Donec tandem Charitatis ardore, & ſpiritus victricibus flammis vrgentibus, tertiâ vice, veſut Sanctiſſimæ Trinitatis virtute, & nomine, pro cuius fide ſanguinem paratus erat effundere, procedens; Tertiò decimo ſuæ Conuerſionis anno ad partes Syriæ perueniẽs, *Soldani Babyloniæ* (alijs *Ægypti*) præſentiam adiret, & intrepidè illi ac populo ſuo Euangelij Chriſti fidem prædicaret, non infausto quidem euentu: Etſi enim à Soldano magno honore exceptus, benignè auditus, & multis ſignis beneuolentiæ, ac inclinationis ad veram fidem oſtenſis, re tamen infectâ & abſque reali conuerſionis effectu tunc receſſerit: dictum tamen *Soldanum* in fine vitæ ſuæ, meritis S. Patriarchæ ad fidem conuerſum & à duobus fratribus à S. Francisco ad hoc ipſum miſſis baptizatum: *Speculũ vitæ Sociorum S. Francisci c.74.* commemorat, & *Bartholomæus Piſanus Conformitate & Fructu* 39. fuſiùs recenſet. Nec per ſuos filios, & fratres ad hæc vſque tempora S. Pater perſequi horribilem illam Mahumeticæ fraudis Beſtiam deſijt, qui à principio ex Miramolini Regno Primitias Martyrum in odorem ſuauitatis Prædicationis fidei recepit, quos penè infiniti in Saracenorum conuerſione laborantes, poſteà ad Martyrium ſecuti ſunt, & indies ſequuntur. Nec S.P. Dominicus in hoc Bello aduerſus Mahumeticam perfidiam, iuxtà Sybillinum Oraculum, minori gloriâ pugnauit: Etſi enim contra Albigenſes, & alios tunc paſſim graſſantes Hæreticos, primi eius congreſſus fuerint: conſtat tamen plurimos fratrum ſuorum initio naſcentis Ordinis iuſſu *Honorij tertij* Pontificis Maximi cum fratribus Minoribus in Hiſpaniam, & Africam ad Saracenorum conuerſionem miſiſſe, coſque etiam ad Miramolini Regnum peruenisſe, vt refert *Bzouius ad annum Chriſti* 1220. n.9. & 10. vbi & inſignem ſuper hac miſſione viſionẽ cuiuſdam Eremitæ recenſet, quâ vidit Prædicatores flumen magnum cum curribus, & perſonis vtriuſque ſexus onuſtis maximo labore trajicientes, fœlici quidem adiutorio, & ſucceſſu, vt ſi qui fortè in trajectu deficerẽt, à Diua Virgine opem reciperent. Vndè & ibidem illorum operâ, multos Saracenorum ad fidem conuerſos tradit. Qui cùm à Miramolino Tyranno ritu Chriſtiano viuere non permitterentur: *Honorius* Pontifex eodem anno præfato Miramolino Regi litteras ſcripſit, obſecrans, vt conuerſos ad lucem veritatis Chriſtianæ, fineret more Chriſtiano ſacris operari & viuere. Hæc *Bzouius*, qui & ibidem n. 11. S. Franciſci, & Fratrũ Minorum profectionem ad Saracenos proſequitur. Et *anno ſequenti* 1221. renouatam Miſſionem ad Saracenos eiuſdem *Honorij* mandato enarrat, miſſis ad vniuerſos Europæ Epiſcopos litteris, vt idoneæ perſonæ ex vtroque Ordine ad Sedem Apoſtolicam ad dictum finem deſtinarentur: *Vndè* (inquit) *multos vtraque Religio*, nimirùm S. Dominici, & S. Franciſci *ſubminiſtrauit, quibus volupe fuerat Barbaras Gentes fidei ſplendore illuſtrare, & ad vitæ melioris cultum traducere.* Quæ Miſſio, eodem referente ad *annum* 1233. *num.*15. effectus non mediocres ſortita eſt, Frederico II. Imperatore apud Gregorium IX. intercedente & promouente, vtroque autem Miſſioni fauente Quæ ſufficiant vt probentur *Duæ illæ Stellæ* (iuxta Sybillinam Propheriam) contra *horribilem Beſtiam* Mahumetanæ factionis ſe viriliter oppoſuiſſe. Nos ampliatas Hiſtorias Miſſionum in fundamento 12. dabimus.

Piſanus Conf. 39. *Franciſcani ab initio contra Mahumetanos ſe oppoſuerunt.*

S. Dominicus cum ſuis contra Mahumetanos pugnauit.

Bzonius.

Dominicani in hoc à B. Virg. iuuantur.

Bzonius ad an. 1221.

Notandum autem, & poſteritati non ſine fructu, & Diuinæ Prouidentiæ clementiſſima benignitate commendandum, quòd poſt tot Regnorum, & in diuerſis Regnis, tot Saracenorum conuerſionem per vtriuſque Religionis ſtrenuos Athletas, poſt tot pugnas, & Martyrij triumphos *Sybilla Erithræa* ſubjungit: *Et non obtinebunt* (inquit) *donec veniat abominatio, & voluntas Altiſſimi conſummetur.* Quibus verbis oſtendit, Victoriam contra Beſtiam ab vltimo Belli puncto dependêre, gloriam autem Belli in duratione conſiſtere. In eo enim quòd non obtenturos plenam cõtra Beſtiam Victoriam fortiſſimos Stellarum duarum Athletas, *donec veniat Abominatio, & voluntas Altiſſimi compleatur*, aſſerat: Oſtendit ambos Ordines contra Mahumetis reliquias vſque ad Anti-Chriſti tempora Bellum continuaturos. Antiquiſſima enim in Ordine Minorum Traditio eſt, hunc Ordinem vſque ad Anti-Chriſti tempora duraturum, quo tempore etiam fratres Minores ſe Anti-Chriſto opponentes, reliquias Mahumetanorum ad Chriſtum conuertent, prout inferiùs altera Abbatis Ioachim Prophetia clariùs demonſtrabit. Traditionis autem huius meminit *Iacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis* vitæ ſanctitate, & doctrinâ Eminentiſſimus, S.P. Franciſco contemporaneus in ſua Hiſtoria Occidentali c. 32. his verbis: *Hic* (ait) *eſt fratrum Minorum ſanctus Ordo, & Apoſtolicorum Virorum admiranda, & imitanda Religio, quos Dominus contra perditionis filium Anti-Chriſtum, & eius profanos Diſcipulos, credimus in diebus nouiſſimis ſuſcitaſſe.*

Sybilla Erithræa Franciſcani & Dominicani contra Mahumetanos continuabunt vſque ad finem mundi.

Iacobus de Vit. Hiſtor. Occid. c.32.

§. V.

§. V.

Missionem S. Francisci, & Sociorum eius Diuinam Extraordinariam prædixit Abbas Ioachim & alij.

S. Francisci & suorum Missio prædicta ab Abbate Ioachim.

SIbillinum Oraculum subsequuntur aliæ non mediocris fidei Prophetiæ, inter quas excellit vna singularissima Ioachim. Calabri Abbatis Florēlis (quem Prophetiæ spiritu claruisse demonstrant plurima, quæ potissimùm in Commentarijs in Hieremiam Prophetam. & Apocalypsim futura prædixit, quæ vera fuisse euentus docuerunt.) Hanc verò habet in libro *de Concordia vtriusque Testamenti*, & refertur à

Pisan. Conf. 1. & 2. *Bartholomæo Pisano Fratru & Conformitate* 1. & 2. his verbis: *Erunt* (ait) *duo viri, Vnus hinc, & Alius indè: Vnus Italus, & alter Hispanus* (qui; nimirùm, duorum Ordinum Capita fuerunt) *& post duos istos Ordines veniet alter succis vestitus, sub cuius tempore apparebit filius Iniquitatis, qui dicitur Anti-Christus*: Infrà: *Brevissimum est tempus ipsius* (id est, Tertij Ordinis) *sicut brevissimi dies Anti-Christi successoris sui.* Et exprimens Ordinem Minorum & eius progressum.

Idem. *Ordo enim Minorum* (inquit) *vsque ad tempora nouissima duraturus, per mare Aquilonare transibit, aspera pascua gustabit: Regina Austri proteget, & fouebit eum in amaritudine sua, flumen Euphraten transibit, & vndam, & impetum eius mitigabit: Aspera reducentur in planum in Sermone eius. Terra Salsuginis*, id est, *Ægypti ad Dominum conuertetur per eum: In eadem terra securè Euangelium prædicabit: Multa Gentes per ipsum Ordinem ad Dominum conuertentur: Gens Idolatra cuius lingua ignorabitur, qua de finibus terra veniet, missa à Deo in adiutorium terræ Promissionis, & vt ipsa agnoscat Deum Patrem Omnipotentem, & filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, ad fidem Catholicam conuertetur. Futurum est enim quòd Ordo Minorum, viriliter se opponat contra Mortis Angelum: & contra eum prædicando plures, & maxima multitudo de filijs ipsius Ordinis martyrio ad Dominū transibit, sicut dictum est per Dauid Prophetam*: Posuerunt mortalia seruorum suorum escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum Bestijs terræ. *Gaudebunt in Canticis suis*, id est, *in Prædicatione, omnes tribus terræ, & Gens immunda Mahumetica, quæ remanebit, & qui residui erunt, ad Dominum conuertentur.* Hæc Ioachim Abbas. Quæ quidem Prophetia cum verbis clarissimis proposita sit, ex euidenti prædicatione Euangelij iam per vniuersas Orbis partes in Asia, Africa, Europa, America per fratres Minores iam facta, satis præsagiri potest in cæteris, futuris temporibus complenda.

Psal. 78. vers. 2.

Hîc verè controuertitur inter Scriptores: Quo tempore Abbas Ioachim floruerit, & quanto; tempora SS. Francisci, & Dominici antecesserit? Et quidem, omnes fatentur *annum Christi* 1100. non excessisse, atque adeò primam Conuersionem S. Francisci, aut initia Ordinis eius, ac S. Dominici videre non potuisse; cùm tamen omnibus constet ipsum Ioachimum, S. Franciscum cum S. Dominico in eo habitu & vestitu quo Ordines suos auspicati sunt, *in Æde S. Marci* Venetijs opere Musaico exprimi curasse, quod & Poëta eleganti versu indicat de Francisco loquens:

Ioachim quo tempore vixerit.

Antè prius fuerit, quam mundo exortus, in Æde
Qua Marci titulo nulli in Orbe secūda est,
Extat apud Venetos longis expressus in annis.

Fides itaque de ætate, & tempore, quibus vixit Ioachimus Calaber, Abbas Florensis penes Chronologos remaneat: sanè illum Sanctum Franciscum centum totis annis præcessisse, *Guillelmus Pepinus Ordinis S. Dominici in Serm. de S. Francisco* asseruit, quem secutus est *R. P. Henricus Sedulius* in Elogijs ad vitam S. Francisci præmissis, *Bergomensis in Chronico* refert illum circa annum 1158. floruisse: Alij illum ad annum 1195. perducunt: *Bzouius* ad annum 1199. peruenisse asserit: Quidquid sit. Certum est pluribus annis, ante primam conuersionem S. Francisci obijsse, & effigies quas in *Æde S. Marci* exprimi curauit, sicut & Prophetias quas de S. Francisco, & Dominico in suis libris Posteritati tradidit, multis annis antè illius mortem editas fuisse, imò & ante SS. Francisci, & Dominici Natiuitatem, prout ex Chronologis conuinci potest.

Ioachim ex Propheta.

Nec de qualitate Prophetiæ in ratione prædictionis altercandum est, cum ea prædicat, quæ multo tempore post futura, & nequidem modò completa sunt; quamuis plusquàm Propheta S. Ioannes Baptista à Domino asseritur, qui Agnū digito demonstrauit, quem necdum Iudæa vēnisse tunc nouit: vndè nec minus Prophetæ nomen Abbas Ioachim promeruit, qui futura de SS Frācisco, & Dominico, antequā mundo reuelata essent (etsi propinqua) præmonstrauit, qui & remotissima, vsquè ad finem mundi indigitauit. Aliàs etiam plurimas Prophetias de his Ordinibus prodijsse, refert Pisanus, quæ quia obscuriores, & prolixiores sunt, libens omitto & ad illarum expēsionem prouidum Lectorem remitto.

Vnam tamen adjungendam huic putaui; cuiusdam Abbatis Transmarini vitæ sanctitate conspicui, quam idem *Pisanus supra* breuiter refert 2. p. Fructus & Conformitatis 1. *Cum enim* (ait) *dictus Abbas multa suis Monachis de futuro aduentu S. Francisci & eius Ordine dixerunt illis injunxit: Vt si quando contingeret S. Franciscum, aut eius fratres ad partes illas transmarinas venire: Illi cum Cruce & reuerentia occurrerent, ac cum solemni ritu deducerent.* Quod postea euenisse statim à principio Ordinis cùm Sanctus Pater mari transmisso Soldani præsentiam adiret, Legenda Antiqua testatum reliquit.

Pisan. 2 p. fruct. 1.

§. VI.

Missio Diuina & Extraordinaria S. P. Francisci per Prodigia, quæ eius Natiuitatem concomitata, & Adolescentiam, vsque ad ipsius Conuersionem cosecuta sunt, demonstratur.

Sanctorum Natiuitas per Angelos sæpe præmunciatur.

Hic est non rarus in Sanctorum ortu Diuinæ Bonitatis apparatus vt Angelorum Prænuntio aut occursu honestetur. Ita enim tres Angeli concipiendum Promissionis filium Isaac, alius Samsonem, Gabriel Baptistam prænuntiarunt, qui & in ortu S. Francisci non minori fœlicitate à Deo missi sunt, vt Legati Christi in mundum venientem, mirandis prodigijs honorarent, quippe de quo meritò dici possit, quod de seipso S. Paulus testatur: Quod *Ex vtero Matris segregatum fuerit à Deo, qui vocauit illum vt reuelaret filium suum in eo, & euangelizaret. Gal. 1.*

Galat. 1. vers. 15.

Angelus S. Francisci quasi obstetrix.

Prodigium itaque primum, fuit: Angeli in forma peregrini apparitio, qui velut manus fupplens obstetricantis, instrueret, qualiter S. Pater verè in hoc mundo aduena & peregrinus futurus, maternis visceribus saluâ Matre effunderetur. Cum enim pia Mater plurimis diebus partus labores experta, in doloribus deficeret, Angelus facie peregrini in foribus domus adstitisse Legenda Manu-scripta antiqua testatur, Domesticos admonens, vt si salua parere vellet, à thalamo molli & delicato abstracta, ad stabulum jumentorum transferretur, vbi diuino quidem consilio, illum eniti debebat, qui vt Saluatoris Imago, Imaginem ipsius in cordibus hominum reparaturus veniebat. Dictum, factum: Mater cum in stabulum vicinum translata, diuinâ potius quàm humanâ manu obstetricante, à doloribus statim liberata Puerum illum peperit, qui ad Saluatoris similitudinem, in stabulo natus, in præsepio super fœnum positus fuit: vt à loco stabuli Missionem Euangelicam ordineretur, ex quo vtique tempore suo ad Christi effigiatam similitudinem crescere debebat. Visitur locus ille Assisij, in posterorum memoriam honestè asseruatus, extructo in illo decenti sacello in honorem Sancti, sub hac appellatione: *San Francisco el piccolo.* Et in superliminari aureis litteris notatum. *Hoc Oratorium, fuit bouis & asini stabulum: In quo natus est Franciscus mundi speculum*: Primum hoc prodigium statim alterum secutum est: *Alter* enim *Angelus* Baptismo ipsius in Ecclesia Cathedrali S. Ruffini, qui Patrini vices subiret, adfuisse certâ Traditione fertur; Apparens enim Peregrini iterum specie Angelus, graui tamen vultu incessuque, vrbano quodam desiderio, & affectu de Sacro fonte Puerum susceipere postulanit: Quod & ei, sic Deo disponente, benignè indultum est. Accessit itaquè reuerenter, deuotè Puerum suscepit, peractoque ministerio (relictis in lapide marmoreo super quo altari adgeniculans adorauerat, genuum vestigijs) ex oculis adstantium euanuit. Qui quidem lapis crate ferreâ munitus in hunc vsque diem in dicta Ecclesia asseruatur. ad perpetuam cœlestis prodigij recordationem, & Baptisterium singulari Epigraphe inscriptum ostenditur. Et quidem in Diuinæ Missionis significationem, Nomen *Ioannes*, Puero in Baptismo isti inditum fuit, quippe qui Præcursoris Officium in Pœnitentia prædicanda obiturus erat.

Angelus S. Francisci in Baptismo Patrinus.

Nec hîc Angelica prodigia stiterunt. Vix enim puerulus Franciscus à Baptismi lauacro domum reportatus erat, cum ecce *Tertius Angelus*, iterum velut peregrinus, foribus domus maternæ adstitit, & Nutrici, deuoto quidem affectu, vt puerum videre eumque amplecti liceret, importunus fuit: Obtinuit, vidit, in vlnas vt Christum Simeon senex accepit, amplexatus, & osculatus est eum, eiusque humero dextro *signum Crucis* visibiliter impressit, Crucis vtique Præconi, & fortissimo Athletæ mox futuro. Reddidit deindè Puerum Nutrici, serio sermone illum eius tutelæ commendans, quem mundo omnis boni Diabolo sciret exosum, eò quòd inter perfectissimos Dei Seruos, perfectissimus & ipse aliquandò futurus esset. Quibus dictis disparuit, nec posteà requisitus reperiri potuit. Referunt hæc ex Legenda maiori antiqua Pisanus, Petrus Rodolphus, & ex illis Ordinis præclarus Annalista *R. P. Lucas VVadingus* in Apparatu.

Angelus S. Francisci quasi Episcopus Confirmator.

His prodigijs Angelicis meritò addendum est illud ignoti cuiusdam velut Præcursoris,

Angelus ante ortum

S. Francisti, de eo prænuntiat pacem & bonum.

cursoris, quod refert Marianus, quod etiã trium Sociorum narratio confirmat: Antequam enim S. Pater mundo appareret, Assisij Vir quidam deuotus, multis diebus omnibus sibi occurrentibus per plateas, his verbis velut congratulabatur, eaque repetebat: *Pax, & Bonum, Pax, & Bonum*; quæ quidem Salutatio vsque dum S. Franciscus mundo innotescceret, perduranit: Apparente autem S. Francisco: Mirum dictu! Vir ille non tantùm tacuit, sed etiam disparuit, nec vnquam amplius in populis visus fuit. Quod non sine graui ratione à multis interpretatum fuit: Virum illum deuoti Angeli Pacis S. Francisci præconem à Deo præmissum, vt eum superuenturum vaticinaretur, qui Pacem & Bonum, id est, *Euangelium Pacis*, verbo, & exemplo denuò Mundo prædicare veniebat.

§. VII.

Missionem Diuinam Extraordinariam S. Francisci, mirabiles dispositiones quibus famulum suum præuenit Deus, circa tempora Missionis manifestè ostendunt.

Deus quemodo suos prædisponat ad opera extraordinaria.

HÆc est iterùm Diuinæ Sapientiæ artificiosa manus, & ingentiosa Æternæ Artis industria, vt cùm Apostolicos Viros ad Legationes suas destinat, eosdem ad Idæarum æternarum similitudinem pro Officij dignitate, & qualitate efformet, vt Imaginem illius à quo mittũtur omnibus referant. & inexcusabiles illi ad quos mittuntur, fiant. Non enim minore artificio, etsi labore nullo, opera sua format Deus: sed sicut (apud Ecclesiasticum c. 38.) *Faber & Architectus qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signaculo sculptilia, & assiduitas eius variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus.* Sic in Idæis suis ludit, non laborat, Sapientia Dei, Cor amoris sui dans in consummationem operum, & vigiliâ suâ ornans omnia in perfectionem.

Eccli. 38. vers. 28.

S. Francisc. eius quomodo prædispositus à Deo ad opera Crucis & Crucifixi.

Sic in S. Francisci Missione, suo vno & multiplici spiritu, visa est Diuina Sapientia ludere: Qui enim Athletam suum ad Crucem, Crucifixique Imaginem in cordibus hominum efformandam, aut reformãdam, Diabolumque Crucis Inimicum fugandum, missurus erat, varijs illum dispositionibus gradatim præuenit: Vt ipse in suo Testamento de seipso testatur: *Primus*

Testamentum.

namque gradus fuit *Pœnitentiæ: Dominus* (inquit) *dedit mihi fratri Francisco sic facere Pœnitentiam, quia cùm essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, & ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis, & recedente me ab ipsis, id quod mihi videbatur amarum, conuersum mihi fuit in dulcedinem animæ & corporis.*

Secundus gradus fuit *Deliberationis:* Et *postea* (inquit) *parùm steti.*

Tertius fuit *Separationis* à sæculo: *Et exiui* (ait) *de sæculo.*

Quartus fuit *Institutionis Ordinis*: Et *postquàm Dominus dedit mihi de fratribus, nemo mihi ostendebat quid deberem facere, sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quòd ego deberem viuere secundùm formam S. Euangelij, & ego paucis, & simplicibus verbis feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi* &c.

Quos quidem omnes gradus varijs prodigijs exornauit Deus. Primò quidem (referente S. Bonauenturâ cap. 1. vitæ) cœpit illum vt olim Prophetas visionum somnijs, non sine grauissimis effectibus præparare: *Postquam enim facta super eum manu Domini, diutinis languoribus, vt coaptaretur Anima ad Sancti Spiritus Vnctionem*, corpus à Deo afflictum fuisset, & resumptis viribus, occurrenti sibi militi Nobili quidem, sed egeno & malè vestito, decentia quæ sibi parauerat vestimenta se exuto tradidisset; Nocte sequenti cùm se sopori dedisset: *Palatium spaciosum, & magnum cum militaribus armis Crucis Christi signaculo insignitis, (clementia sibi diuina monstrauit:* Illa sua fore, militumque suorum asseuerans. Cumque rerum adhuc cœlestium ignarus, per ea militiam temporalem sibi sequendam, magnæque futuræ prosperitatis indicium hanc visionem fore existimaret. Et iam ad militiam se accingeret, alterâ interpretatione per familiarem allocutionem eum dignatus est Dominus, monens vt reuerteretur: *Visio enim illa quam vidisti* (dixit Dominus) *spiritualem præfigurat effectum, non humanâ sed diuinâ in te dispositione complendum.* Et ecce statim in seruo Dei secuta est mira Superni Artificis dispositio. Ex tunc enim à publicæ negotiationis tumultu Franciscus se subtrahens, supernam deuotè precabatur clementiam, vt quid sibi foret agendum ostendere dignaretur. Crescit interim (illo operante interiùs, qui Athletam suum præparabat) flamma cœlestis desiderij in corde Tyronis, ita vt pro amore supernæ Patriæ, terrena omnia despiceret quasi nihil: illi enim interiùs suggerebatur, Christi militiam à sui ipsius victoria inchoandam.

1. Per somniorum visiones.

S. Bonau. c. 1. vitæ.

Vndè altera iterum vehementior Dispositio verè miranda subsecuta fuit. *Quadam itaque die* (ait S. Bonauentura) *dum*

2. Per leprosi occursum.

Ibidem.

equitarit per planitiem quæ subjacet Ciuitati Assisij, leprosum quendam habuit obuium, cuius inopinatus occursus ei non parum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis iam concepta propositum, & recolens quòd seipsum oporteret primùm deuincere, si vellet esse Christi miles, ad deosculandum eum, equo lapsus accurrit. Cui cùm manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque conuertens, cùm campus pateret vndique liber, leprosum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus & gaudio, laudes cœpit Domini decantare deuotè, proponens semper ex hoc ad majora consendere. Hæc S Bonauentura.

Ex quibus patet *Diuinæ Extraordinariæ Missionis* futuræ arcanum: Quem enim Deus ad perfectam Christi Crucifixi sequelam disponebat Illum vestimenta propria cõtemnere intùs docuit, & ad vestiendum pauperem exteriùs animauit. Et qui ad peccatorum horrendam lepram medelâ Pœnitentiæ cuiusdam, Franciscum per vniuersum Orbẽ mittere parabat: Illum leprosorum naturaliũ Medicum, & Amicum instituit. *Indut enim ex tunc* (ait S. Bonau.) *Spiritum Paupertatis, humilitatis sensum, & affectum intimæ pietatis: Nam cùm prius leprosorum non solùm cõsortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret: Iam propter Christum Crucifixum, qui iuxta verbum Propheticum contemptibilis vt leprosus apparuit, vt semetipsum plenè contemneret humilitatis, & humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat, & cum multo compassionis affectu manus ipsorum osculabatur & ora: Quinimò diligentissimè seruiens omnibus propter Deum, lauabat ipsorum pedes, ligabat vulnera, educebat plagarum putredinem, & sanies abstergebat:* Osculabatur etiam ex deuotione vlcerosas plagas ipsorum, Euangelicus Medicus mox futuros. Et hanc sibi sanctæ Missionis præparationem fuisse ipsemet in Testamento suo velut primarium suæ Conuersionis lapidem demonstrat: *Dominus* (ait) *dedit mihi F. Francisco sic facere Pœnitentiam: Cùm enim essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, & ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis: Et recedente me ab ipsis id quod mihi videbatur amarum conuersum mihi fuit in dulcedinem Animæ & Corporis: Ex posteà parùm stetit & exiui de sæculo.* Gradatim porrò ad perfectiora Missionis signa Dei sapientia progrediebatur: Cùm enim interea solitaria loca quæreret amica mœroribus, & vnà dierũ sequestratus oraret & præ nimietate feruoris totus esset absorptus in Deum: Apparuit illi Christus Iesus veluti Cruci confixus, ad cuius conspectum liquefacta est Anima eius, & memoria Passionis Christi vlceribus cordis ipsius adeò impressa medullitùs, vt ab illa hora cùm Christi Crucifixio veniret in mentem, vix posset à lachrymis & gemitibus exteriùs contineri. Hanc verò fuisse proximam futuræ Missioni eius dispositionem testatur S. Bonauentura his verbis: *Intellexit nempè Vir Dei illud Euangelicum sibi dici: si vis venire post me abnega semetipsum, & tolle Crucem tuam & sequere me.*

S. Francisci erga leprosos affectus.

S. Franc. in Testam.

3. Per orationem & sectatum Passionis Christi memoriam.

S. Bonau. sup Matth 16. vers. 24.

Vnde paucis post diebus cùm Ecclesiam S. Damiani quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, instigante se spiritu causâ Orationis intrasset, & prostratus ante Imaginem Crucifixi, lachrymosis oculis in Dominicam Crucem intenderet: Vocem de ipsa Cruce dilapsam ad eum, corporeis audiuit auribus ter dicentem: *Francisce vade, & repara domum meam quæ vt cernis, tota destruitur.* Hæc fuit vera: etsi symbolica *Missio*, quæ primò tremefactum, ac à sensibus alienatum Franciscum, extatico quodam mentis stupore. dum corde diuini eloquij percipit virtutem, in Deum suspendit. Hæc: Quæ illum ad ædificandas Ecclesias materiales primò quidem mysteriosè accinxit, donec spoliatus à Patre, Deo plenus, mundo valediceret, & mutatâ mente simul & habitu, ad reparandam non materialem, sed spiritualem Dei Ecclesiam, Christi sanguine redemptam accingeretur; accepto altero signo: Dum in S. Maria de Portiuncula Missam deuotus audiret, ex Euangelio Apostolicæ Missionis in quo Apostolis Euangelica in viuendo forma denuntiabatur *Nè videlicet possiderent aurum, vel argentum, nec in Zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta deferrent neque Virgam:* tantâ vi diuini Spiritus interiùs est commotus hoc signo accepto, Euangelij non surdus auditor, *Missioni Diuinæ* per omnia se componens, soluerit calceamenta de pedibus, depositurit baculum, peram rejecerit, & pecuniam execratus sit, rejectâque corrigiâ, quâ erat præcinctus pro cingulo funem sumpserit, omnem solicitudinem apponens qualiter audita perficeret, & Apostolicæ rectitudinis Regulæ per omnia se coaptaret. Hinc ad Pœnitentiæ prædicationem se accingit. & vocatis eodem spiritu quinque viris filiorum Francisci senarius completus est numerus. Demùm à Patre luminum certificatus de Remissione plenaria omnium delictorum suorum, & in raptu miro lumine absorptus, dum dilatato mentis sinu, quæ circa se & filios suos futura erant aspexisset, ad quatuor mundi plagas se suosque mit-

S. Francisci Missio per Crucifixum se alloquentem.

Item per audita in Euangelio Missa. Matth. 10. vers 9.

Cui patrio obtemperat.

mit-

mittens (donec alij multiplicentur eiusdem Missionis operarij.) Quibus iterum, vnâ die congregatis, ab eo *qui dispersiones congregat Israelis.* Ad stabiliendum tandem Ordinem, & suorum Militum Exercitum Militiæ symbolo insigniendum, Regulâ sibi à Domino inspiratâ se resoluit.

Psal. 146. versu.

§. VIII.

Missionem Diuinam Extraordinariam S. Francisci, & filiorum eius agnouit, & approbauit S. Mater Ecclesia Romana.

HVius agnitionis, & approbationis: cuius amplissima testimonia dederunt Summi Pontifices frustrà mentionem faceremus, nisi nos ad aliqua proferenda sancta moueret Antiquitas, & debita in Ecclesiam Matrem obseruantia ex gratitudinis Officio id postularet. Sanè monitus cælitùs *Innocentius III.* visione hominis pauperculi Ecclesiam Lateranensem dorso sustinentis, à Deo profectam huius Viri Missionem agnouit: *Hic est* (ait) *ille qui opere & doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam.* Vndè nec dubius de Oraculo, nec incertus de cœlesti Nuntio, agnoscens Diuinam dispositionem, Sententiâ Apostolicâ: *Approbauit* (ait S. Bonauentura) *Regulam, dedit de Pœnitentia prædicanda mandatum, & Laicis fratribus omnibus qui Seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas parunlas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent,* &c. Quid tam subitò, tam efficaciter, ad Missionem simplicium & idiotarum pro Pœnitentia annuntianda supremum Ecclesiæ Antistitem mouere potuisset, nisi illam diuinitùs confirmatam, sub Spiritus Sancti directione agnouisset? Certè *Honorius III. Innocentij* Successor anno 3. sui Pontificatus litteris ad vniuersos Ecclesiæ Archiepiscopos, Episcopos & Prælatos directis, approbatam diuinitus à S. Romana Ecclesia hanc Missionem denuntiat his verbis: *Cùm* (inquit) *dilecti filij F. Franciscus & Socij eius de vita, & Religione Minorum fratrum, abjectis vanitatibus huius mundi elegerint vitæ viam à Romana Ecclesia approbatam, ac serendo semina verbi Dei, Apostolorum exemplo circumeant Nationes,* &c. *mandamus vt ipsos recipiatis sicut Catholicos & fideles, eis ob reuerentiam Diuinam, & nostram exhibentes vos fauorabiles & benignos.* Notanda verba (*ob reuerentiam Diuinam, & nostram*) quibus apertè Pontifex illam *Missionem Diuinam:* ob cuius reuerentiam vtique istis Missionarijs exhibenda mandatur charitas, Ecclesiæ Decreto, &c. *Gregorius* etiam *IX. Honorij* Successor eiusdem *Diuinæ Missionis* non ingratam commendationem facit, in Bulla quæ incipit: *Cum messis multa: Data Pontificatus anno 7.* in qua fratribus Minoribus ad terras Virgianorum, & Pagaporum proficiscentibus sic loquitur: *Cum messis multa, & Operarij pauci, Euangelicus ille Pater familiàs adhuc mittit Operarios in vineam suam, & eos in hac quasi hora vndecima vineæ suæ nouos deputat Vinitores, quorum laborem pari cum primis denario compensat,* &c. Quæ prosequens addit: *Illis ad terras Virgianorum, Saracenorum, & aliorum Infidelium proficiscentibus Animarũ solicitudinem commissam: Illius operante Clementiâ, qui de lapidibus potest filios Abrahæ suscitare,* &c. Et tandem monet fratres, vt Ministerium suum (vtique à Deo sibi commissum) diligenter implentes se Operarios inconfusibiles exhibeant, &c. Idem Pontifex in Bulla quæ incipit: *Cùm qui recipit Prophetam,* &c. De fratrum Minorum vocatione esse affirmat: *More Apostolorum serendo semina Verbi Dei diuersas circuire Regiones:* Data Pontif. ann. 9. *Alexander IV.* in Bulla quæ incipit: *Si Noua, Pontif. an. 1.* &c. Ordinem S. Francisci vocat: *Nouam militiam Militaris Ecclesiæ.* Idem in Bulla quæ incipit: *Patris æterni benignitas*: declarat *Fratres Minores & Prædicatores Patris æterni benignitate pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute, inter personas plurimas Diuinis obsequijs deputatas, in Ecclesia sua sancta constitutos.* Vndè ibidem infert: *His sunt dilecti Deo & hominibus fratres Ordinis Minorum & Prædicatorum qui suum semper affectum ad amorem cœlestium dirigentes, virentem diuini nominis per Orbem terrarum publicant, & Christiana Religionis ampliando cultum vigili attentione desudant: His sunt ejus vitam & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola Cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis Paradisi. His sunt qui hostes Animæ per scutum fidei, loricam Iustitiæ, gladium Spiritus, salutis galeam, hastam perseuerantiæ debellantes, obtinere satagunt, vt Catholicis vniuersis Fidei, Spei & Charitatis augmenta proueniant: ac perfidis veritatis via pateat, & Hæretica prauitatis insania euanescat,* &c. Vnde mandat Pontifex vt omnia quæ sunt oportuna pro Animarum salute, eis liberaliter ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis concedantur. Idem in Bulla quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine:* Data Pontif. an. 3. asserit. *Duos* illos Ordines fratrum Minorum & Prædicatorum esse, *velut Eminentia candelabra & duo magna luminaria in Ecclesia Dei posita, vt sacra do-*

S. Francisci Missio Diuina à Pontificibus approbatur. Innoc. III. PP.

S. Bonau. c. 3. vita.

Honor. III. PP.

Gregor. IX.

Alexander IV.

Etrina lumen diffundatur, & vbique per Orbem Christi Euangelium ardenter, & efficaciter prædicetur, &c. Deficeret charta si ea quæ in probationem huius *Diuinæ Missionis* Fratrum Minorum, à Summis Pontificibus sunt veraciter mundo publicata, referre deberemus. Hæc igitur sufficiant, pluta reseruantes in oportuna loca cùm de eorum laboribus in *Tit.* 12. differendum erit.

§. IX.

Quid singulariter operetur in Fratribus Minoribus tot signis probata, Diuina Extraordinaria Missio.

PLurima vtique *Diuina Missio* tot signis illustris, operatur in Fratribus Minoribus, tam respectu sui, quàm eorum ad quos mittuntur: Nos ad quatuor titulares diuinæ dispositionis effectus reducemus. Operatur igitur hæc Missio in Fratribus Minoribus. 1. *Obligationem sanctam Euangelizandi, & prædicandi Verbum Dei.* 2. *Singularem Diuini Numinis in hoc opere assistentiam.* 3. *Contradicentium Diuinam vltionem.* 4. *Specialem Operariorum in Diuina prouidentia curam.* Quæ quatuor singulariter expendemus.

Diuinæ Missionis effectus 4.

Necessitas prædicandi quibus incumbat.

Primò itaque: *Obligationem* submittendi Ecclesiæ Concionatores tam ad fideles, quàm Infideles, ex hac Missione Ordinem contrahere manifestum est exemplo S. Pauli, qui ex sua Missione hãc obligationem deducit. Sic enim cùm 1. Corinth. 1. indicasset qualitatem suæ Missionis: *Non enim misit me* (inquit) *Christus baptizare, sed euangelizare.* Debitum autem ex hac Missione consequenter emanans latè probat c. 9. *Nam si* (ait) *Euangelizauero non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi est, si non euangelizauero: si enim volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Hoc idem eodem modo de Fratribus Minoribus *Missio Diuina* concludit, vt nimirùm: In vim *Missionis Diuinæ*, in S. Francisco, Ordini concreditæ, non sit ipsis liberum à Prædicatione abstinere, quam Christus Regulæ Dictator eis commisit. Ità vt si verè ex virtute suæ Missionis S. Paulus ad Rom. 1 fateatur: *Græcis & Barbaris, sapientibus, & insipientibus se debitorem*: Non minùs id ex vi Status Frater Minor dicere possit: Cuius Ordini mediante Superiorum Obedientiâ, intemerata Prædicandi Missio à Christo in c. 9. Regulæ ad omnes concredita est; Ad Saracenos autẽ, & alios infideles Missio specialis, etiam Ministris Prouincialibus in c. vlt. demandata. Quam obligationem suis filijs intimare volens S. Franciscus in quodam Opusculo quod inscripsit: *Cur fratres Minores dati sint Mundo?* hanc quartam causam ponit: *Vt sint* (ait) *testes, & sequaces verbo & opere tanta charitatis, & affectionis Christi ad salutem omnium Animarum: per mundum discurrendo, ac verbo & exemplo prædicando, atque Animas ipsius Christi pretioso sanguine redemptas ad ipsum verum Creatorem, & Pastorem, ac Redemptorem Animarum ducendo.* Ita docet Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib. 1. de fuga in Peste disput. 1. q. 1. concl. 1. vbi ex D. Thoma 2. 2. q. 188. ar. 4. ostendit: Ordines Mendicantium ad salutem Animarum præcipuè institutos, & destinatum eorum finem esse, vt per Prædicationes, & Confessiones, ac alia pia Opera saluti Animarum incumbant: Ex quo infert: Illos absque peccato mortali in necessitate non posse illa subsidia populo subtrahere. Et in particulari ad Probationem 3. Hæc verba pro assumpto ponit: *Tempore* (ait) *Hæresis tenentur sub peccato mortali Religiosi, qui ex Instituto habent prædicare & studere, etiam cum periculo mortis, quando quis ab Infidelibus seducitur, non discedere ab eo loco, sed manendo docere, & prædicare, vt Populus à seductione liberent*, &c. & allegat D. Thomam opusc. 18 c. 14. Cajet. & Bannez loco citato D. Thomæ in 2. 2. q. 188.

1. Corint. 1. vers. 17.

Et cap 9. vers. 16.

Fratribus Minoribus an liberum abstinere à prædicatione.

Rom. 1. vers. 14.

S. Francisc. Opuscula.

D. Thomas. Ordines Mendicantes ad quid instituti.

Rutilius Benzon. lib. 1 de fuga & peste d. 1. q. 1. c. 1.

Secundus Effectus Missionis Diuinæ Extraordinariæ in fratribus Minoribus est, *Specialis Spiritus sancti assistentia*, & Diuina Virtus, iuxta illud Psal. 67. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multâ.* Promissio enim Christi facta Apostolis, & Discipulis Matth. 10. & vltimo: Ioan. 16. & alijs locis, deriuatur in Successores, à Christo similiter missos, quales sunt fratres Minores: Item vt etiã Tyrannis præsentatis, detur in illa hora quid loquantur: *Non enim* (ait) *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et expressissimè Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quæ quidem manifestè in fratribus euenisse, Historia Seraphica suis locis manifestat. Vnde & huius promissionis singularem mentionem facit S. P. Franciscus Collat. 2. vbi postquam dixit: Fratres suos missos non tantùm pro sua, sed pro multorum etiam salute, vt irent per mundum, exhortando omnes plus exemplo, quàm verbo, ad agendum Pœnitentiam de peccatis suis, & ad habendam memoriam mandatorum Dei; subdit Promissionem assistentiæ Dei: *Nolite* (ait) *timere quia pusilli, & insipientes videmur,*

Prædicantibus assistit Spiritus sanctus.

Psal. 67. vers. 12.

Matth. 10. vers. 20.

Ioan. 16. vers. 13.

S. Francisc. Collat. 2.

demur, sed securis annuntiate simpliciter Pœnitentiam, confidentes in Domino, qui vicit mundum quòd spiritu suo loquetur per vos. & in vobis ad exhortandum omnes vt conuertantur ad ipsum, & eius mandata obseruent. Quod etiam energicè aliquandò docuerat Epist 12. ad Capitulum Generale 2. *Ideo* (ait) *misit vos Deus in mundum vniuersum vt verbo, & opere detis testimonium voci eius.* &c. Quasi verba illorum sint vox Dei, in illis, & per illos loquens.

Idem Ep. 10. ad Cap. Generale 2.

Tertius effectus Missionis Extraordinariæ Diuinæ in fratribus est *singularis Protectio*, quâ à se missos conseruat Deus, & eis resistentes siue etiam Aduersarios iusto suo Iudicio percutit, sic enim fratres Minores locum septuaginta duorum Discipulorum ex diuina ordinatione subeunt, sic Hæredes sunt diuinarum Promissionum quibus à se missos Discipulos Christus cumulauit: Hi sunt vtique quos mittendos Christus Luc. 10. prædixit: *Messis* (ait) *multa, Operarij autem pauci, rogate ergo Dominum messis, vt mittat Operarios in messem suam.* Hi sunt, quorum *capilli omnes numerati sunt*, ita vt nullus capillus de capite eorum pereat, sine Patris æterni singulari prouidentia. Hi sunt qui benedictiones hæreditarunt, de quibus Matth. 10 *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Item: *Qui vos spernit, me spernit*, quibus & mandatur Matth. 10. *Qui non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite pulueres de pedibus vestris: Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm illi Ciuitati.* Et his quidem Promissionibus ab initio Ordinem in suo Fundatore firmauit Deus. Vnde S. Bonau. c. 3. ex ore S. Patris Francisci, hanc Diuinam Promissionem refert, sic loquêtis ad suos: *Confortamini* (ait) *charissimi & gaudete in Domino, nec quia pauci estis efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas: quoniam sicut mihi à Domino in veritate ostensum est: In magnam multitudinem faciet vos Deus crescere, & sua benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit.* Qualis verò fuerit illa Benedictio cap. 8. explicatur per Verba Christi ad B. Patrem: *Ego* (inquit) *vocani, seruabo, & pascam, & alys existentibus alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci, & quantiscumque in pusillus pauperula hac fuerit concussa Religio, salua semper mea munere permanebit.* Vnde in Collat. 2 ostendens qualiter diuino Iudicio aliqui verbum illorum acceperint, alij recusaturi essent: *Ite* (ait) *annuntiantes hominibus pacem, prædicantes Pœnitentiam in Remissionem peccatorum: Inuenietis quosdam homines fideles, mansuetos & benignos qui cum gaudio vos, & verba vestra recipient: ac per oppositum alios infidelis, superbos, blasphemos, qui exprobrantes resistent vobis, & his quæ dicetis: Ponite ergo in cordibus vestris patienter, & humiliter omnia tolerare, &c.*

Prædicantes Deum particulariter protegit.

Lucæ 10. vers. 2.

Lucæ 12. vers. 7.

Matth. 10. vers. 40. Lucæ 10. vers. 16 Matth. 10. vers. 14.

Specialiter fratres Minores. S. Bonau. vita c. 3.

Et cap. 8.

Collat. 2.

Quintus effectus Missionis Diuinæ Extraordinariæ in fratribus Minoribus est, *Mirabilis illa necessariorum ad vitæ conseruationem prouidentia*, quâ infinitæ penè multitudini semper prouidit Deus; vt pauperes Minores non habentes vbi caput reclinent, vbique terrarum etiam in medio Infidelium, eleëmosynis Pietatis sustententur. Quæ quidem Prouidentia duobus Titulis fratri Minori aduenit: *Altero* quidem *Hereditatis* sibi à Christo acquisitæ ratione cuius: *Qui reliquerunt omnia & secuti sunt Christum, Centuplum* in hoc mundo *accipient, & vitam æternam possidebunt: Altero, Iustæ mercedis*: Quia eleëmosynæ Retributiones sunt laborum, quos suscipiunt in Prædicatione Verbi Dei, & exercitijs Christianæ Pietatis, iuxtà Christi mercedem decernentis infallibilia Decreta: Matth. 10. *Nolite* (ait) *possidere aurum & argentum*, &c. *Dignus est enim Mercenarius cibo suo.* Quæ & repetit Luc. 10. Et S. Paulus 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus: Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt: Et qui altari deseruiunt cum altari participant.* Et concludit *Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Et his quidem Titulis Decreto Christi Iesu, fratres suos viuere debere ostendit S. Franciscus. Vnde *de 1. Titulo, c. 9.* Primæ Regulæ sic de eleemosyna loquitur: *Et eleemosyna* (inquit) *est hereditas & iustitia quam nobis acquisiuit Dominus noster Iesus Christus. Et fratres qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt*, &c. Quæ eadem repetit Collatione 7. vbi etiam Eleemosynam vocat, *Arrham cœlestis Hereditatis.* Item serm. 3. *Hereditas pauperum est eleemosyna, quam magnus ille frater noster Iesus Christus omnibus acquisiuit: Non igitur quando illis distribuitur, alienum dono datur, sed quod verè suum est impenditur.* Et hæc fuit S. Francisci ad Pontificem in Parabola Regis & Sponsæ pauperis Responsio: *Non est* (ait) *formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij & Hæredes, qui ad Imaginem Regis Christi per Spiritum S. virtutem de paupere Matre nati, & qui per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula enutrienda*, &c. De 2. autem *Titulo* præclarè Collat. 5. *Si Dominam meam Paupertatem fratres complexi fuerint, mundus eos nutriet: Quia* (ait) *mundo dati sunt ad salutem*: Hæc est ratio

Prædicantibus abundè prouidet Deus.

Prouidentia illa duobus titulis aduenit fratribus Minoribus.

Matth 19. vers. 29.

Matth. 10. vers. 9.

1. Cor. 9. vers. 11.

Vers. 13.

Vers. 14.

1 Reg. 1. vers 9.

S. Franc. serm. 3.

Idem apud S. Bonau. cap 3. vita.

Item Collat. 3. Contra duos inter FF. Minores & Mundum.

ratio Missionis, super qua contractum cum mundo factum infert: *Commercium* (ait) *est inter mundum, & fratres: Debent enim ipsi mundo bonum Exemplum, debet eis mundus Promissionem necessitatum: Quando autem ipsi retraxerint bonum Exemplum fide mentitâ, retrahet mundus manum iustâ censurâ.* Alij enucleatiùs in Contractu enumerant, *Vitam Bonam, Orationem, Doctrinam*, pro quibus ineunt fratres cum mundo sanctum Contractum; Mundus verò fratribus Victum, Vestitum, & Habitaculum reciprocè repromittit, Deo Contractum firmante. Et hanc ineffabilem Diuinæ Prouidentiæ in Missione fratrum curam, dum mitteret fratres suos per mundum S. Franciscus in Viatici sufficientis symbolum, dabat: *Iacta* (aiebat) *cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Quod Commercium tam firmiter in hanc horam vtrimque Deo prouidente obseruatum est, vt mundus cum in cæteris fallax, hactenùs in hac re fidelissimus fuerit & liberalissimus, vt Historijs Ordinis, & experientiâ quotidianâ plusquam probatum est.

Viaticum à S. Francisco datum Missionarijs. Psal. 54. vers. 23.

TITVLVS II.

FVNDAMENTVM II.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regula prima Diuina Inspiratio:

Comparata

SAPPHYRO *secundo Fundamento Apostolico.*

Sapphyri qualitas.

QVI *Sapphyri* naturam exploratum, medicam illi virtutem attribuunt, & Sculpturæ omnis expertem interlucentibus chrystallinis centris virere asserunt: irradiantibus autem sparsim aureis punctulis fulgorem emittere affirmant, in hoc similis sereno cœlo maximè cùm radijs solis percutitur: Hunc autem lapidem secundo Fundamento Apostolico Ciuitatis supernæ Hierusalem, idcircò collocatum existimant: Quòd Doctrina Apostolica medelam Peccatoribus attulerit, & simplicitate suâ omnem artis, & inuentionis humanæ sculpturam abhorruerit, chrystallinis synceritatis & veritatis centris virorem spei nostræ illustrans, & aureis charitatis punctulis animabus fulgorem immittens, sereno cœlo non absimilem dum à Sole illustratur. *Sapphyro* igitur non dissimiliter secundum Fundamentum Ordinis S. Francisci comparatur: Postquam enim Christus in Benedictionibus dulcedinis S. Franciscum præueniens, ad Missionis suæ capescendos labores aptasset, & illustribus dispositionibus Iaspidem pectoris sui candido pariter, & sanguineo colore decorasset: In *Sapphyris* illum fundare voluit: vt esset medela peccatoribus, omnis humanæ, & mundanæ impressionis expers, virorem salutaris spei chrystallino candore mixtum præ se ferens, irradiantibus charitatis aureis punctulis velut quodam fulgore corda penetrans. Denique sereno cœlo, cui nullus terrenus vapor inerat, quasi radijs Solis Christi Iesu

Comparata Apostolus.

Et Ordini S. Francisci.

percussus

percussus alios repercutiens. Quæ omnia probant Seraphici Patriarchæ Sanctæ conuersionis, conuersationisque initia vt ex dicendis patebit.

Iam quippe *S. Franciscus* à negotiationis tumultu secedens, visione Christi Crucifixi sibi dum sequestratus oraret, apparentis, & Euangelicum illud: *Si vis venire post me abnega temetipsum, & tolle Crucem tuam & sequere me*, vehementer cordi insti. Iantis, Spiritum Paupertatis, humilitatis sensum & affectum intimæ pietatis induerat: Iam *Dilectus candidus & rubicundus* animam illius liquefecerat, & memoriam Passionis suæ visceribus cordis ipsius medullitus impresserat: Iam velut alter Ioseph coram Episcopo pallium reliquerat mundanæ adulteræ, spolia vestium mundanarum filius Gratiæ Patri Carnis relinquens, omniq̃ue hęreditati abrenuntians, nudus nudum sequi Christum peroptans, omnem filiationem temporalem abjecerat, vt vnico in cælis Patri se subderet, & Naturam in Gratiam feliciori cambio permutaret, nulli amplius sculpturæ humanæ seu mundanæ stylo aptus. Quinimò recepto ab Episcopo vili hominis rustici mantello habitum mutauerat, & in Chrystallino candore virorem præ se ferens, Spem peccatoribus simul & Charitatem punctis aureis instillabat, & velut sereno cælo fulgorem diuinum, quo intus & foris illustrabatur, ardente zelo repercutiebat. Et hîc cœperunt fructus Primi Fundamenti, quæ erat Diuina Missio, in cuius virtute: dum materialibus Ecclesijs reparandis insudat, non minùs illuminandis & illustrandis cordibus hominem Deo inuisibiliter operante occupatur. *Factum enim est* (ait S. Bonauentura) *vt iuxta sermonem propheticum, & ipse Prophetarum spiritu afflatus, annuntiaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes à Christo priùs extiterant à salute longinqui. Cœperunt namque ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem rejectis omnibus, habitu vitaque coniungi.* Quorum numerus cùm ad duodenarium peruenisset: *Iaspidi* Missionis Diuinæ Primo Fundamento, secundum hoc Fundamentum appositum est, *Sapphyrus* nimirùm: id est, Regula Prima doctrinæ simplicis veritate, vitæ candorem, virorem & aureum fulgorem à Christo sole iustitiæ accipiens, vt cæteris in medelam & gratiam cõmunicaretur.

Matth. 16. vers. 24.

Cant. 5. vers. 20.

S. Bonan. c. 3. vita.

Isaiæ 52. vers. 7.

§. I.

Regula prima à Christo Francisco inspirata, & scripto demandata.

Ibidem. Regula à S. Francisco diuinitus inspirata.

CRescens (ait S. Bonauentura) *famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi & fratribus suis simplicibus verbis formulam Vitæ, in qua S. Euangelij obseruantia pro fundamento indissolubili collocata, panca quædam alia inserunt, quæ ad vniformem viuendi modum necessaria videbantur.* Scripsit (inquit) sed an proprio genio, proprio dictamine ab eo hæc formula vitæ scripta sit? Audi ipsum scriptorem in suo Testamento rem enarrantem, & gloriam Deo reddentem, *Propter quem* (teste Ecclesiastico) *confirmatus est itineris finis, & in cuius sermone consummata sunt omnia, & qui est consummatio sermonum in omnibus.* Sic verò huius Regulæ

Eccli. 43. vers. 28.

gulæ primæ quam fratribus dedit, describit Originem: *Postquam* (inquit) *dedit mihi Dominus de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse Altissimus revelavit mihi, quòd ego deberem vivere secundùm formam S. Evangelij: & ego paucis & simplicibus verbis feci scribi, & Dominus Papa confirmavit mihi.* Contextus energiam aduertite: *Postquam dedit mihi Dominus de fratribus* (cùm nimirùm ad duodenarium numerum excreuissent) *nemo ostendebat mihi quid deberem facere.* Regula enim Fratrum Minorum. *Non ab Homine, neque per Hominem*, neque enim in principio suæ Conuersionis Institutorem, aut Directorem aliquem habuit S Pater (vt de quodam Joanne Bono Instituti S. Augustini, occasione corrigiæ nonnulli fabulantur, quos verba veridica Testamenti condemnant) *Sed ipse* (ait) *Altissimus revelavit mihi: Quòd ego deberem vivere secundùm formam S. Evangelij.* q. d. Ipse per se, non per Angelum, aut Creaturam aliam, sed *ipse Altissimus*, qui dedit Legem Moysi, qui Paulo in via apparuit, *revelavit mihi.* In quibus verbis, Reuelationem Regulæ specificam, & expressam manifestè ostendit, & probat: *Et ego* (ait) *illam paucis, & simplicibus verbis*, siue (vt firmamentum Ordinis legit) *simpliciter, feci scribi, & Dominus Papa confirmavit mihi.* q. d. Nil industriæ meæ, aut humani, vel proprij conceptus addidi, nihil ab Amanuensi eloquentiæ mutuaui, sed secundùm formam Euangelij, prout inspirabatur & reuelabatur *scribi feci.* Nec de Reuelatione, & Inspiratione Diuina Viro Dei facta dubitandum est, quæ non tantùm in abscondito faciei Dei enituit, sed foris etiam exhibita est: Testis inspiratio illa, quam audiens Missam de Apostolis in loco Portiunculæ ad verba Euangelij Matth. 10. Nè Apostoli *possiderent aurum aut argentum, nec in Zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta deferrent, neque Virgam*, tanto impetu suscepit, vt in alterum hominem mutatus in has voces erumperet: *Hoc* (inquit) *est quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupisco:* Et verbum Euangelicum Executioni demandans. *Soluit proinde* (teste S. Bonauentura) *calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, vnâque contentus tuniculâ, rejectâ corrigiâ, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens qualiter audita perficeret, & Apostolicæ vestigiis Regulæ se coaptet.*

Huius etiam Reuelationis, & Diuinæ Inspirationis luculentum testimonium exhibet: Trina Libri Euangeliorum à Trinitatis Cultore, Regulam à Deo Trino exposcentis, in Ecclesia S. Nicolai præsente F. Bernardo de Quinta-Valle facta apertio: In cuius Libri prima apertione occurrit illud: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* In secunda: *Nihil tuleritis in viâ.* In tertia: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* In quibus cum suæ Regulæ compendium Sanctus agnosceret. *Hæc est* (ait) *vita & Regula nostra, omniumq; qui nostræ voluerint Societati conjungi.* Iuxta has & similes Reuelationes suam in primis conscripsit Regulam. Hæc est Prima Regula, quam tertio perfectæ Conuersionis anno qui fuit 1210. obtinuit, & quæ Christo dictante, vt posteà dicetur, in breuiorem formam contracta est. Constat verò illa 23. Capitulis: quam hic prout Monumentis antiquis continetur, ad posterorum memoriam damus.

3. *Franciscus in Testam.*

Matth 10. vers. 9.

Supra.

Galat 1. vers. 1.

Exod 20. vers. 1.

Actor. 9. vers. 7.

Matth. 19. vers. 21. Lucæ 9. vers. 3. Matth. 16. vers. 24.

§. II.

Regulæ primæ Diuinâ Inspiratione à S. Francisco conscriptæ.

TENOR.

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Amen.*

Regula prima S. P. Francisci.

HÆc est vita, quam Frater Franciscus petijt sibi concedi, & confirmari à Domino Papâ Innocentio; & concessit, & confirmavit eam sibi, & suis Fratribus, habitis, & futuris. Frater Franciscus, & quicumque erit caput istius

Religio-

Religionis, promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Innocentio Papæ, & eius Successoribus obedire.

CAPVT I.

Quod Fratres debent viuere in obedientia, sine proprio: & in castitate.

REgula & vita istorum Fratrum hæc est, scilicet viuere in obedientia, & in castitate, & sine proprio; & Domini nostri Iesu Christi doctrinam, & vestigia sequi, qui dicit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo; & veni & sequere me. *Et:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. *Item:* Si quis vult venire post me, & non odit patrem suum, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et omnis qui reliquerit patrẽ, aut matrem, fratres, aut sorores, vxorem, aut filios, domos, aut agros, propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Matt. 19. vers. 21.

Lucæ 9. vers. 23.

Lucæ 14. vers. 26.

Matt. 19. vers. 29.

CAPVT II.

De Receptione, & vestitu Fratrum.

SI quis Diuinâ inspiratione volens accipere hanc vitam, venerit ad Fratres nostros, benignè recipiatur ab eis: qui si fuerit firmus accipere vitam nostram, multùm caueant Fratres sibi, ne de suis temporalibus negotijs se intromittant: sed ad suũ Ministrum, quàm citiùs poterunt, eum repræsentent. Minister verò benignè recipiat ipsum, & confortet, & vitæ nostræ tenorem ei diligẽter exponat. Quo facto, prædictus, si vult, & potest spiritualiter, & sine impedimento, vendat omnia sua, & studeat pauperibus erogare. Caueant autem Fratres, & Ministri Fratrum, quòd de negotijs suis nullo modo se intromittant. Nec accipiant aliquam pecuniam, nec per se, nec per interpositam personam. Si tamen indiguerint, alia necessaria corporis, præter pecuniam accipere possunt Fratres causâ necessitatis, sicut alij pauperes. Et cum reuersus fuerit, Minister concedat ei pannos probationis vsque ad annum, scilicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem vsque ad cingulum. Finito verò anno, & termino probationis,

Quæ obseruanda sunt Fratribus in recipiendis nouitijs.

Ab intrantibus non recipiant pecunias.

Vestitus Nouitiorum.

Professo non licet extra Ordinē euagari.

recipiantur ad obedientiam. Posteà non licebit ei ad aliam Religionem accedere, nec extra obedientiam euagari, iuxta mandatum Domini Papæ. Si autem aliquis venerit, qui sua dare non potest, sine impedimento, & habet spiritualem voluntatem, relinquat illa, & sufficit ei. Nullus recipiatur contra formam, & institutionem sanctæ Ecclesiæ.

Vestitus professorum.

Alij verò, qui promiserunt obedientiam, habeant vnicam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, si necesse fuerit, & cingulum & braccas. Et omnes Fratres vilibus vestibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & alijs pecijs, cum benedictione Dei; quia Dominus dicit in Euangelio: Qui in veste pretiosa sunt, & in delicijs, & qui mollibus vestiūtur, in Domibus Regum sunt. *Et licet dicantur Hypocritæ, non tamen cessent benefacere. Nec quærant caras vestes in hoc sæculo, vt possint habere vestimentum in Regno cœlorum.*

Matth. 11. vers. 8.

CAPVT III.

De Diuino Officio, & Ieiunio.

Marci 9. vers. 28. Matth. 6. vers. 16.

Dicit Dominus: hoc genus Dæmoniorum non potest exire, nisi in ieiunio & oratione. *Et iterum:* Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. *Propter hoc omnes Fratres, siue clerici, siue laici, faciant Diuinum Officium, Laudes, & Orationes secundùm quod debent facere. Clerici faciant Officium, & dicant pro viuis & pro mortuis secundùm consuetudinem Clericorum. Pro defectu autem & negligentia fratrum omni die dicant, Miserere mei Deus, cum Pater Noster; & pro fratribus defunctis dicant: De Profundis, cum Pater noster. Et libros necessarios ad implendum eorum officium possint habere. Et Laicis scientibus legere psalterium, liceat illud habere. Alijs verò nescientibus litteras librum habere non liceat. Laici verò dicant: Credo in Deum; & viginti quatuor Pater noster, cum gloria Patri. Pro Tertiâ, Sextâ, Nonâ, pro qualibet istarum horarum septem Pater noster, cum gloria Patri. Pro vesperis autem duodecim; pro Completorio septem, & Credo in Deum, cum gloria Patri. Pro mortuis septem Pater noster, cum Requiem æternam, & pro defectu, & negligentia fratrum, tria Pater noster, qualibet die.*

Quid ex hac Regula tenebātur fratres recitare pro Officio Diuino.

Et similiter omnes Fratres ieiunent à festo Omnium Sanctorum vsque ad Natale, & ab Epiphania, quando Dominus noster

Ieiunia huius Regulæ.

noſter Ieſus Chriſtus incepit ieiunare, vſque ad Paſcha. Alijs verò temporibus non teneantur ſecundum hanc vitam, niſi Sextâ feriâ ieiunare, & liceat eis manducare, de omnibus cibis qui apponuntur eis, *ſecundùm Sanctum Euangelium.* Lucæ 10. verſ. 8.

CAPVT IV.

De Miniſtris, & alijs Fratribus, qualiter ordinentur.

IN Nomine Domini: Omnes Fratres, qui conſtituuntur Miniſtri, & ſerui aliorum Fratrum, in locis quibus fuerint, collocent ſuos Fratres, quos ſæpè viſitent, & ſpiritualiter moneant, & confortent. Et omnes alij Fratres mei benedicti diligenter obediant eis, in his quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & non ſunt contraria vitæ noſtræ. Et faciant inter ſe ſicut dicit Dominus: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis; & quod tibi non vis fieri, non facias alteri. *Et recordentur Miniſtri, & Serui, quòd dicit Dominus,* Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare; *& quòd commiſſa eſt eis cura animarum Fratrum; de quibus ſi aliquid perderetur propter eorum culpam & malum exemplum, in die Iudicij oportebit eos reddere rationem coram Domino Ieſu Chriſto.* *De benignitate Prælatorũ, & obedientia ſubditorum.* Matth. 7. verſ. 12. Matt. 20. verſ. 28.

CAPVT V.

De Correctione Fratrum in offenſione.

IDeóque animas veſtras, & Fratrum veſtrorum cuſtodite, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. *Si quis autem Miniſtrorum alicui Fratrum aliquid contra vitam noſtram præceperit, vel contra animam ſuam, non tenetur ei obedire, quia illa obedientia non eſt, in qua delictum vel peccatum committitur. Verumtamen omnes Fratres qui ſunt ſub Miniſtris, & ſeruis Fratrum Minorum, & ſeruorum, conſiderent rationabiliter & diligenter, ſi viderint aliquem illorum carnaliter, & non ſpiritualiter ambulare pro rectitudine vitæ noſtræ, poſt tertiam admonitionem, ſi non ſe emendauerit, in Capitulo Pentecoſtes renuntiẽt Miniſtro, & ſeruo totius Fraternitatis, nullâ contradictione impediente. Si verò inter Fratres, vbicumque ſint, fuerit aliquis Frater, volens carnaliter* Hebr. 10. verſ. 31. *Vera obedientia peccatum non præcipit. Deponẽdi mali Miniſtri. Fratres charitatiuè corrigendi.*

BIBLIOTECA

& non ſpiritualiter ambulare; Fratres, cum quibus eſt, moneant eum, & inſtruant, & corripiant humiliter, & diligenter. Quòd ſi ille poſt tertiam admonitionem noluerit ſe emendare, quàm citiùs poſſint mittant eum, vel ſignificent ſuo Miniſtro & ſeruo; qui Miniſter, & ſeruus de eo faciat, ſicut ſibi ſecundum Deum meliùs videbitur expedire. Et caueant omnes Fratres, tam Miniſtri, & ſerui, quàm alij, quòd propter peccatum alterius, vel malum exemplum non turbẽtur, & iraſcantur; quia diabolus propter delictum vnius vult multos corrumpere; ſed ſpiritualiter, ſicut poſſunt, adiuuent eum qui peccauit; quia non eſt ſanis opus Medicus, ſed malè habentibus. *Similiter omnes Fratres non habeant poteſtatem, vel dominationem, maximè inter ſe. Sicut enim Dominus dicit in Euangelio:* Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. *Non ſic erit inter Fratres, ſed quicumque voluerit inter eos maior fieri, ſit eorum Miniſter & ſeruus; & qui maior eſt inter eos, fiat ſicut minor. Nec aliquis Fratrum malum faciat vel malum dicat alteri, imò magis per charitatem ſpiritus voluntariè ſeruiant, & obediant inuicem. Et hæc eſt vera, & ſancta obedientia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et omnes Fratres quomodocumque declinauerint à mandatis Domini, & extra obedientiam euagauerint, ſicut dicit Propheta, ſciant ſe eſſe maledictos extra obedientiam, quouſque ſteterint in tali peccato ſcienter. Et quando perſeuerant in mandatis Domini, quæ promiſerũt per ſanctum Euangelium, & vitam ipſorum, ſciant ſe in vera obedientia ſtare, & benedicti ſint à Domino.*

Matth. 9. verſ. 12.

De humilitate Superiorum.

Matt. 20. verſ. 25.

Fugienda inter Fratres rixæ.

De non exercenda obedientia.

Pſal. 118. verſ. 21.

CAPVT VI.

De Recurſu Fratrum ad Miniſtrum, & quòd aliquis Frater non vocetur Prior.

Miniſtri prouideãt ſpiritualibus neceſſitatibus.

Abhorret Nomen prioris inter Fratres.

FRatres in quibuſcumque locis ſunt, ſi non poſſunt vitam noſtram obſeruare, quàm citiùs poſſunt, recurrant ad ſuum Miniſtrum, hoc ipſi ſignificantes. Miniſter verò taliter ſtudeat eis prouidere, ſicut vellet ſibi fieri, ſi in conſimili caſu eſſet. Et nullus vocetur prior, ſed generaliter omnes vocentur Fratres Minores, & alter alterius lauet pedes.

CAPVT

CAPVT VII.

De modo seruiendi, & laborandi.

OMnes Fratres, in quibuscumque locis fuerint apud aliquos ad seruiendum, vel ad laborandum, non sint camerarij, nec cellarij, nec præsint in domibus eorum, quibus seruiũt, nec recipiant aliquod officium quod scandalum generet, vel anima sua faciat detrimentum: sed sint Minores, & subditi omnibus, qui in eadem domo sunt. Et Fratres, qui sciunt laborare, laborent, & eandem artem exerceant, quam nouerint, si non sit contrà salutem animæ suæ, & honestè poterunt operari. Nam ait Propheta: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. *Et Apostolus:* Quĩ non vult laborare, non manducet. *Et vnusquisque in eadem arte, & officio in quo vocatus est, permaneat. Et possint pro labore accipere omnia necessaria, præter pecuniam; & cùm necesse fuerit, vadant prò eleëmosynis, sicut alij pauperes. Et liceat eis habere ferramenta, & instrumenta suis artibus necessaria. Omnes Fratres studeant bonis operibus insudare; quia scriptum est: Semper facito aliquid boni, vt te Diabolus inueniat occupatum. Et iterum: Otiositas est anima inimica. Idcircò serui Dei semper orationi, vel alicui bonæ operationi insistere debent. Caueant sibi Fratres, vbicumque fuerint, in eremis, vel in alijs locis, quòd nullum locum sibi approprient, nec alicui defendant. Et quicumque ad eos venerint, amicus, vel aduersarius, fur vel latro, benignè recipiatur. Vbicumque sunt Fratres, vel in quocumque loco se inuenerint, spiritualiter, & diligẽter debeant se reuidere, & honorare ad inuicem, sine murmuratione. Et caueant sibi, quòd non ostendant se tristes extrinsecùs, nubilosos, & hypocritas; sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares, & conuenienter gratiosos.*

Fugienda officia scãdalosa in domibus secularium.

Laborare iubet Fratres.

Psal.127. vers.2. 2.Thess.3. vers.10.

Fugienda otiositas.

Eccli.33. vers.29.

Non appropriandа loca.

Benignitas erga quoscumque.

Honorent se semper hilares.

CAPVT VIII.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

DOminus præcepit in Euangelio: Videte, & cauete ab omni malitia, & auaritia; & attendite vobis à solicitudinibus huius sæculi, & à curis huius vitæ. Vnde nullus Fratrum, vbicumque sit, & quocumque vadit, aliquo modo tollat, nec reci-

Lucæ 21. vers.34.

Fugienda omnino Minoribus pecunia.

recipiat, nec recipi faciat pecuniam, aut denarios; nec occasione vestimentorum, nec librorum, nec pro pretio alicuius laboris; imò nullâ occasione, nisi propter manifestam necessitatem infirmorum Fratrum, quia non debemus maiorem vtilitatem habere, & reputare in pecunia, & denarijs, quàm in lapidibus. Et illos vult diabolus obcœcare, qui eam appetunt, vel reputant lapidibus meliorem. Caueamus ergo quia omnia relinquimus, nè pro tam modico regnum cœlorũ perdamus. Et si in aliquo loco inuenerimus denarios, de his non curemus, tamquam de puluere, quem pedibus calcamus, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Et si fortè (quod absit) aliquem Fratrem contigerit pecuniam, vel denarios colligere, vel habere, exceptâ solummodò predictâ Infirmorum necessitate; omnes Fratres teneant eum pro falso Fratre & fure, & latrone, & loculos habente, nisi verè pœnituerit. Et nullo modo Fratres recipiant, nec recipi faciant pecuniam, vel eleëmosynam, nec denarios pro aliquibus domibus, vel locis, nec cum persona, pro talibus locis pecuniam vel denarios quarente, vadant. Alia autem seruitia, quæ non sunt contraria vitæ nostræ, possunt Fratres in talibus locis facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in manifesta necessitate leprosorum, possunt pro eis quarere eleëmosynam. Caueant tamen multum à pecunia. Similiter caueant omnes Fratres, nè pro aliquo turpi lucro terras circumeant.*

Eccles. 1. vers. 2.

Fugiendi discursus quæstuosi.

CAPVT IX.

De petenda eleëmosyna.

petenda cum fiducia eleëmosyna.

OMnes Fratres studeant sequi humilitatem, & paupertatem Domini nostri Iesu Christi; & recordentur, quòd nihil aliud oportet nos habere de toto mundo; sicut dicit Apostolus: habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Et debent gaudere quando conuersantur inter viles & despectas personas, inter pauperes & debiles, infirmos & leprosos, & iuxta viam mendicantes. Et cum necesse fuerit, vadant pro eleëmosynis, & non verecundentur, & magis recordentur, quia Dominus noster Iesus Christus filius Dei viui Omnipotentis, posuit faciem suam, vt petram durissimam, nec verecundatus est, & fuit pauper, & hospes, & vixit de eleëmosynis ipse, & beata Virgo, & discipuli eius. Quando facerent*

1. Tim. 6. vers. 8.

rent eis homines verecundiam, & nollent eis dare eleëmosynam, referant inde gratias Deo, quia de verecundijs recipient magnum honorem ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi. Et sciant quòd verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. Et eleëmosyna est hæreditas & iustitia, quæ debetur pauperibus, quã nobis acquisiuit Dominus noster Iesus Christus. Et Fratres qui eam acquirendo laborant, magnum mercedem habebunt, & faciunt lucrari & aquirere tribuentes: quia omnia quæ homines faciunt in hoc mundo, peribunt, sed de charitate, & de eleëmosynis quas fecerint, habebunt præmium à Domino. Et securè manifestet vnus alteri necessitatem suam, vt sibi necessaria inueniat & ministret. Et quilibet diligat, & nutriat Fratrem suum, sicut mater diligit, & nutrit filium suum, in quibus Deus eis gratiam largiatur. Et qui non manducat, manducantem non spernat; & qui manducat, non manducantem non iudicet. *Et quando necessitas superuenerit, liceat vniuersis Fratribus, vbicumque fuerint, vti omnibus cibis, quos possunt homines mãducare, sicut Dominus noster dicit de Dauid, qui comedit panes propositionis quos non licebat comedere, nisi Sacerdotibus. Et recordentur quod dicit Dominus:* Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superueniat vobis repentina illa dies, tamquam laqueus; laqueus enim superueniet super omnes, qui sedent super faciem orbis terræ. *Similiter tempore manifestæ necessitatis, faciant omnes de eorum necessarijs, sicut eis Dominus gratiam largietur, quia necessitas non habet legem.*

Lucrum eleemosynæ.

De mutua Fratrum charitate.

Rom.19 vers.3.

Tempore necessitatis indiscriminatim vesci liceat.

Lucæ 21. vers.34.

Fugienda crapula.

CAPVT X.

De Infirmis Fratribus.

SI quis Fratrum in infirmitatem inciderit, vbicumque fuerit, alij Fratres non dimittant eum, nisi constituatur vnus de Fratribus, vel plures si necesse fuerit, qui seruiant ei, sicut vellent sibi seruiri. Sed in maxima necessitate possunt eum dimittere alicui personæ, quæ debeat sua satisfacere infirmitati. Et rogo Fratrem infirmum, vt referat de omnibus gratias creatori; & qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret, siue sanum, siue infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam præordinauit æternam, flagellorum, atque infirmitatum stimulis,

Cura præcipitur infirmorum.

& compunctionis Spiritu erudit, sicut dicitur in Apocalypsi:
Apocal.3. vers.19. Ego, quos amo corrigo, & castigo. *Si autem turbabitur, siuè irascetur contra Deum, siuè contra Fratres; vel si fortè solicitè postulauerit medicinas, nimis desiderans liberare carnem citò morituram, quæ est anima inimica; à malo sibi euenit, & carnalis est, & non videtur esse de Fratribus, quia plus diligit corpus, quàm animam.*

Non curandum nimium de corpore.

CAPVT XI.

Quod Fratres non blasphement, nec detrahant; sed diligant inuicem.

Fugienda calumnia. & murmurationes. *ET omnes Fratres caueant sibi, vt non calumnientur aliquem, nec contendant verbis, sed studeant retinere silentium, quandocumque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter se, nec cum alijs; sed primò curent humiliter respondere, dicentes:* Serui inutiles sumus. *Et non irascantur:*
Lucæ 17. vers. 10. Matth. 5. vers. 22. Quia omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit Fratri suo, racha, reus erit gehennæ ignis. *Et*
Joan. 15. vers. 12. *diligant se inuicem, sicut Dominus dicit:* Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. *Et ostendant ex operibus dilectionem, quam debent ad inuicem, sicut dicit*
1. Ioan. 3. vers. 18. *Apostolus:* Non diligamus verbo aut linguâ, sed opere, & veritate. *Neminem blasphement, nec murmurent, nec detrahant alijs; quia scriptum est:* Susurrones, & Detractores sunt
Eccli. 28. vers. 15. & Rom. 1. vers. 24. Deo odibiles. *Et sint modesti omnes, monstrantes mansuetudinem ad omnes homines; nec iudicent, nec condemnent. Et sicut dicit Dominus, non considerent minima peccata aliorum, imò magis sua recogitent, in amaritudine animæ suæ. Et contendant intrare per angustam portam, quia dicit Dominus:*
Lucæ 6. vers. 41. Matth. 7. vers. 14. Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

CAPVT XII.

De malo visu, & frequentia mulierum vitanda.

OMnes Fratres, vbicumque sunt, vel vadunt, caueant sibi à malo visu, & frequentia mulierum. Et nullus cum eis consilietur solus. Sacerdos honestè loquatur cum eis, dando pœnitentiam, vel aliud spirituale consilium. Et nulla penitùs

mulier

mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam; ſed dando ſibi conſilium ſpirituale vbi voluerit, agat pœnitentiam. Et multùm omnes nos cuſtodiamus, & omnia membra noſtra teneamus, quia dicit Dominus: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt cum eâ in corde ſuo.

Senſus refrenandi.

Matth.5. verſ.28.

CAPVT XIII.

De Præſumptione fornicationis.

SI quis Fratrum, Diabolo inſtigante, fornicaretur, habitum, quem ex ſua turpitudine amiſit, ex toto deponat, & à noſtra Religione penitùs expellatur, & poſteà pœnitentiam agat de peccatis.

CAPVT XIV.

Quomodò Fratres debeant ire per mundum.

QVando Fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam, nec ſacculum, nec peram, nec panem, nec pecuniam, nec virgam. Et in quamcumque domum intraverint, dicant primùm: Pax huic domui. Et in eadem domo manentes, edant & bibant quæ apud illos ſunt. *Non reſiſtant malo, ſed* Si quis eos in maxillam percuſſerit, præbeant ei alteram; & qui auferret eis veſtimentum, & tunicam non prohibeant. Omni petenti ſe tribuant; ſed ſi quis auferret quæ ſua ſunt, non repetant.

Converſatio Minorum inter ſæculares.

Lucæ 10. verſ.5.

Lucæ 6. verſ.29.

CAPVT XV.

Quòd Fratres non teneant beſtiam, nec equitent.

INiungo omnibus Fratribus meis, tam Clericis, quàm Laicis, euntibus per mundum, licèt morantibus in locis, quòd nullo modo apud ſe, nec apud alium, & aliquo modo beſtiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, niſi infirmitate, vel magnâ neceſſitate cogantur.

CAPVT XVI.

De euntibus inter Saracenos, & alios Infideles.

Matt. 10. vers. 16. DIxit *Dominus:* Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Vnde quicumque Fratrum Diuinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, vadant de licentia sui Ministri, & serui. Minister verò det eis licentiam, & non contradicat, si viderit eos esse idoneos ad mittendum. Nam tenebitur Domino reddere rationem, si in hoc vel in alijs processerit indiscretè. Fratres verò qui vadunt, possunt duobus modis spiritualiter inter eos conuersari. Vnus modus est, quòd non faciant lites, nec contentiones,* sed sint subditi omni humanæ creaturæ propter Deum, *& confiteantur se esse Christianos. Alius modus est, quòd cùm viderint placere Deo, annuntient verbum Dei, & credant in Deum Omnipotentem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum Creatorem omnium, Redemptorem & Saluatorem Filium; vt baptizentur, & Christiani efficiantur: quia* nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei. *Hæc, & alia quæ placuerint Domino, ipsis & alijs, dicere possunt, quia dicit Dominus in Euangelio:* Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. *Et qui erubuerit me, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in Maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Et omnes Fratres, vbicumque sunt, recondentur, quòd dederunt se, & reliquerunt sua corpora Domino nostro Iesu Christo, & pro eius amore debent se exponere inimicis, tam visibilibus, quàm inuisibilibus, quia dicit Dominus:* Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam in vitam æternam. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si autem persequuntur vos in vna ciuitate, fugite ad aliam. Beati estis, cùm vos oderint homines, & maledixerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum, & cùm dixerint omne malum aduersùm vos, men-

Quibus cõcedenda licentia eundi in terras infidelium.

Duplex conuersatio inter infideles.

1. Petr. 2. vers. 13.

Joan. 3. vers. 5.

Matt. 10. vers. 32.

Matt. 10. vers. 39.

Idem 5. vers. 10.

Ioan. 15. vers. 20.

Matt. 10. vers. 23.

Idem 5. vers. 11.

mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Dico autem vobis amicis meis, nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant. Videte ne terreamini. In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Lucæ 12. vers. 4. Lucæ 21. vers. 19. Matt. 10. vers. 22.

CAPVT XVII.

De Prædicatoribus.

NVllus Fratrum prædicet contra formam, & institutionem sanctæ Ecclesiæ, nisi concessum fuerit sibi à suo Ministro. Caueat ergo sibi Minister, ne alicui indiscretè concedat. Omnes tamen Fratres operibus prædicent. Et nullus Minister, vel Prædicator appropriet sibi ministerium, vel officium prædicationis. Sed quacumque horâ ei iniunctum fuerit, sine omni contradictione dimittat suum officium. Vndè deprecor in charitate, (quæ Deus est) omnes Fratres meos Prædicatores, oratores, & laboratores, tam clericos, quàm laicos, vt studeant se humiliare in omnibus, non gloriari, nec in se gaudere, nec intrinsecùs se exaltare de bonis verbis, & operibus; Imò de nullo bono, quod dicit, vel facit Deus, & operatur in eis aliquando, & per ipsos, secundùm quod ipse Dominus dicit: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur vobis. *Et firmiter sciamus, quòd non pertinent ad nos, nisi vitia & peccata. Et magis debemus gaudere, cùm in tentationes varias inciderimus, & cùm sustinemus quascumque animæ, vel corporis angustias, aut tribulationes in hoc mundo, propter vitam æternam. Omnes ergo, Fratres, caueamus ab omni superbia, & vana gloria, custodiamus nos à sapientia huius mundi, & à prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult, & studet multùm ad verba habenda, sed parùm ad operationem; & quærit non Religionem, & sanctitatem Spiritus, sed vult, & desiderat Religionem, & sanctitatem foris apparentem hominibus; & isti sunt, de quibus dicit Dominus:* Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Spiritus autem Domini, vult mortificatam, & despectam, vilem, & abiectam, & opprobriosam esse carnem, & studet ad humilitatem, & patientiam, & puram simplicitatem, & ve-*

Iniungi, non assumi debet prædicationis officium.

1. Ioan. 4. vers. 8.

Humilitas maximè decet Prædicatores.

Lucæ 10. vers. 20.

In tribulatione gaudendũ, non in eloquentia gloriandum.

Contraria studia carnis & spiritus.

Matth 6. vers. 2. & 5. & 16.

ram pacem ſpiritus. Et ſuper omnia deſiderat Diuinum timorem, & Diuinam Sapientiam, & Diuinum amorem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et omnia bona Deo altiſſimo & ſummo reddamus, & omnia bona ipſius eſſe recognoſcamus, & de omnibus eis gratias referamus, à quo bona cuncta procedunt, & ipſe altiſſimus, & ſummus ſolus, & verus Deus habeat, & ei, reddantur, & ipſe recipiat omnes honores & reuerentias, & omnes laudes, & benedictiones, & omnes gratias, & omnem gloriam, cuius eſt omne bonum, qui ſolus eſt bonus. Et quandò videmus vel audimus malum dici, vel fieri, vel blaſphemari Deum, nos benedicamus, & benefaciamus, & laudemus Deum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Omnia bona in Deum referenda.

Lucæ 18. vers. 19.

CAPVT XVIII.

Qualiter Miniſtri conueniant ad Inuicem.

Tempus, locus & modus celebrandorum Capitulorum.

QVolibet anno vnuſquiſque Miniſter cum Fratribus ſuis poſſit conuenire, vbi cumque placuerit eis, in feſto S. Michaelis Archangeli, de his quæ ad Deum pertinent tractaturus Omnes verò Miniſtri, qui ſunt in vltramarinis & vltramontanis partibus, ſemel in tribus annis, & alij Miniſtri ſemel in anno veniant ad Capitulum in Feſto Pentecoſtes apud S. Mariam de Portiuncula, niſi à Miniſtro & ſeruo totius Fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

CAPVT XIX.

Quòd omnes Fratres viuant catholicè.

Catholicũ catholicè viuere, & loqui decet.

OMnes Fratres ſint Catholici, viuant, & loquantur catholicè, ſi quis verò errauerit à fide, & vita Catholica in dicto vel in facto, & non ſe emendauerit, à noſtra Fraternitate panitùs expellatur. Et omnes Clericos, & omnes Religioſos, habeamus pro Dominis, in his quæ ſpectant ad laudem animæ, & à noſtra Religione non deuiant, & Ordinem & Officium eorum, & adminiſtrationem in Domino veneremur.

Venerandi Eccleſiaſtici.

CAPVT XX.

De Confessione Fratrum, & perceptione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

FRatres benedicti, tam Clerici, quàm Laici cõfiteantur peccata sua Sacerdotibus nostræ Religionis. Et si non possunt, confiteantur alijs discretis, & catholicis Sacerdotibus: scientes firmiter, & attendentes, quòd à quibuscumque sacerdotibus acceperint pœnitentiam, & absolutionem, absoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, si pœnitentiam sibi iniunctã procurauerint humiliter & fideliter obseruare. Si verò tunc Sacerdotem habere non poterunt, confiteantur Fratri suo, sicut dicit Apostolus Iacobus: Confitemini alterutrum peccata vestra. *Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad Sacerdotes; quia potestas ligandi, atque soluendi, solis Sacerdotibus est concessa. Et sic contriti, & confessi, sumant Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, cum magna humilitate, & veneratione, attendentes quòd ipse Dominus dicit:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *Et:* Hoc facite in meam commemorationem.

Quibus confitendũ sit minoribus.

Iacob. 5. vers. 16.

Ioan. 6. vers. 55. Lucæ 22. vers. 19.

CAPVT XXI.

De laude, & exhortatione, quam possunt facere omnes Fratres.

ET hanc talem exhortationem, & laudem omnes Fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt, & inter quoscumque homines, cum benedictione Dei: Timete, & honorate, laudate, & benedicite: Gratias agite, & adorate Dominum Deum Omnipotentẽ, in Trinitate & Vnitate, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Creatorem omnium. Facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia scitote quòd citò moriemur. Date & dabitur vobis. Dimittite & dimittetur vobis; *& si non dimiseritis, Dominus non dimittet vobis peccata vestra. Beati qui moriuntur in pœnitentia, quia erunt in Regno cœlorum. Væ illis, qui non moriuntur in pœnitentia, quia erunt filij Diaboli, cuius opera faciunt, & ibunt in ignem æternum. Cauete, & abstinete ab omni malo, & perseuerate vsque in finem in bono.*

Quomodo laudandus Deus, quidue annuntiandum populo.

Lucæ 6. vers. 38. Ibidem vers. 37.

CAPVT

CAPVT XXII.

De Admonitione Fratrum.

Matth. 5. vers. 44.

ATtendamus omnes, Fratres, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos:

Inimici pro amicis reputandi.

Nam & Dominus noster Iesus Christus, cuius vestigia sequi debemus, traditorem suum vocauit amicum, crucifixoribus sponte se obtulit. Amici ergo nostri sunt omnes illi, qui iniustè nobis inferunt tribulationes, Angustias, verecundias, & iniurias, dolores & tormenta, martyrium & mortem, quos multùm diligere debemus; quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam aternam.

Corpus vero pro inimico.

Et odio habeamus corpus nostrum cum suis vitijs & peccatis, quia carnaliter viuendo vult nobis auferre amorem Domini nostri Iesu Christi, & vitam aternam: & seipsum cum omnibus perdere in infernum. Quia nos propter culpam sumus fœtidi, miseri, & bono contrarij; ad mala autem prompti, & voluntarij: quia sicut dicit Dominus in Euangelio: De corde hominum procedunt & exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, & auaritia, nequitia, dolus, falsa testimonia, blasphemia, superbia, stultitia. *Hæc omnia mala ab intus de corde hominis procedunt, & hæc sunt quæ coinquinant animam. Nunc autem postquam dimisimus mundum, nihil aliud habemus facere, nisi vt soliciti simus voluntatem Domini sequi, & placere ipsi. Multùm caueamus ne simus terra secus viam, vel petrosa, vel spinosa, secundùm quod dicit Dominus in Euangelio:* Semen est verbum Dei, quod autem secus viam cecidit & conculcatum est, hi sunt qui audiunt verbum Dei, & non intelligunt; & confestim venit Diabolus, & rapit quod seminatum est in cordibus eorum, ne credentes salui fiant. Quod autem super terram cecidit, hi sunt qui cum audierint verbum, statim cum gaudio suscipiunt illud: *Factâ autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuò scandalizantur,* & hi radicem in se non habent, *sed temporales sunt,* quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui verbum Dei audiunt, & solicitudo, & erumnæ istius sæculi, & fallacia diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant verbum, & sine fructu efficiuntur.*

Religiosis fugienda sæcularia.

Varius & rarus fructus Verbi Dei in hominibus. Lucæ 8. vers. 13.

Quod

Quod autem in terram bonam ſeminatum eſt, hi ſunt qui in corde bono & optimo, audientes verbum intelligunt, & retinent, & fructum afferunt in patientia. *Et propterea nos, Fratres, ſicut dicit Dominus,* dimittamus mortuos ſepelire mortuos ſuos, *& multũ caueamus à malitia, & ſubtilitate Satanæ, qui vult nè homo mentem ſuam, & cor habeat ad Dominum Deum, & circuiens deſiderat cor hominis ſub ſpecie alicuius mercedis, vel adiutorij tollere, & ſuffocare verbum, & præcepta Domini à memoria, & vult cor hominis per ſæcularia negotia, & curam excœcare, & ibi habitare; ſicut dicit Dominus:* cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca, arida & inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecũ nequiores ſe, & ingreſſi habitãt ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius, peiora prioribus. *Vnde, Fratres, cuſtodiamus nos multùm, nè ſub ſpecie alicuius mercedis, vel adiutorij, vel operis, perdamus, aut tollamus mentem noſtram à Domino. Sed in ſancta charitate, quæ Deus eſt, rogo omnes Fratres, tam Miniſtrõs quàm alios, vt omni impedimento remoto, & omni curâ, & ſolicitudine poſtpoſitâ, quocumque modo meliùs poſſunt, debeant ſeruire, amare, & honorare Dominum Deum mundo corde, & purâ mente, quod ipſe ſuper omnia quærit. Et ſemper faciamus in nobis habitaculum, & manſionem illi, qui eſt Dominus Deus Omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus S. qui dicit: Vigilate itaque omni tẽpore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia mala quæ vẽtura ſunt, & ſtare antè filium hominis. Et cùm ſtatis ad orãdum, dicite:* Pater noſter qui es in cælis. *Et adoremus eum puro corde.* Oportet *enim* ſemper orare, & non deficere; *nam pater tales quærit adoratores.* Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet eum adorare. *Et adipſum recurramus, tamquam ad patrem, & Epiſcopum animarum noſtrarũ, qui dicit:* Ego ſum Paſtor bonus, qui paſco oues meas, & animã meam pono pro ouibus meis. *Omnes enim vos Fratres eſtis.* Patrẽ nolite vocare vobis ſuper terram: vnus enim eſt pater veſter, qui in cælis eſt. Nec vocemini Magiſtri: vnus enim eſt Magiſter veſter, qui in cælis eſt. Si mãſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet

Matth 8. verſ. 22. *Religioſis quæ cauẽda.*

Lucæ 11. verſ. 24.

Et quæ ſectanda.

Lucæ 21. verſ. 36.

Idem 18. verſ. 1. Joan. 4. verſ. 23.

Idem 10. verſ. 11. & 14.

Matt. 23. verſ. 8. & 9.

Ioan. 15. verſ. 7.

Matth. 18. vers. 20. vobis. Vbicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Ecce ego vobiscum sum Mat. 28. vers. vlt. vsquè ad consummationē sæculi. Verba quæ locutus sum Ioan. 6. vers. 64. vobis, spiritus & vita sunt. Ego sum via, veritas, & vita. *Teneamus ergo veram vitam, & doctrinam, & sanctum eius* Ioan. 14. vers. 6. *Euāgelium, qui dignatus est pro nobis patrem suum, & nomen* Ioan. 17. vers. 6. *eius nobis manifestare, dicens:* Pater, manifestaui nomē tuum hominibus, quos dedisti mihi, quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego prò eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi in nomine tuo, vt sint vnum, sicut & nos. Hæc loquor in mūdo, vt habeant gaudium in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundū, ego misi eos in mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, vt sint ipsi sanctificati in veritate. Non enim pro eis rogo tātùm, sed pro eis qui credituri sunt propter verba eorum in me, vt sint coniuncti in vnum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut me dilexisti. Et notum faciam eis nomen tuum, vt dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, & videant claritatem tuam in Regno tuo.

CAPVT XXIII.

Oratio ad Deum, siue gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.

Omnipotens, sanctissime, altissime, & summè Deus, Pater sancte, & iustè Domine, Rex cœli & terra, propter temetipsum gratias agimus tibi, quòd per sanctam voluntatē tuam, & per vnicum filium tuum, & Spiritum sanctum, creasti omnia spiritualia, & corporalia; & nos ad imaginem tuā & similitudinem factos in Paradiso posuisti, & per culpā nostram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia sicut per filium tuum nos creasti, sic per istam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, ipsum verum Deum, & verum hominem ex gloriosa semper Virgine beatis-

Quibus titulis Deo simus astricti.

beatissima sancta Maria nasci feciſti, & per Crucem, & Sanguinem, & mortem ipſius nos captiuos redimere voluiſti. Et gratias agimus tibi, quia ipſe Filius tuus iterum venturus eſt in gloria Maieſtatis ſuæ mittere maledictos, qui pœnitentiam non egerunt, & te non cognouerunt, in ignem æternum; & dicere omnibus, qui te cognouerunt, & adorauerunt, & tibi ſeruierunt in pœnitentia: Venite benedicti patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratũ eſt ab origine mundi. *Et quia omnes miſeri & peccatores, non ſumus digni nominare te, ſuppliciter exoramus, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus,* Filius tuus dilectus, in quo tibi benè complacuit, *vnà cum Spiritu ſancto paraclito gratias agat tibi, ſicut tibi, & ipſis placet pro omnibus, qui tibi ſemper ſufficit ad omnia, per quem tanta nobis feciſti. Alleluia. Et glorioſam Matrem, Beatiſſimam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, & omnes choros beatorum ſpirituum, Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, principatuum, & Poteſtatum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum; B. Ioannem Baptiſtam, Ioannem Euangeliſtam, Petrum, Paulum, & beatos Patriarchas, & Prophetas, Innocentes, Apoſtolos, Euangeliſtas, Diſcipulos, Martyres, Confeſſores, Virgines, Beatos Eliã, & Enoch; & omnes ſanctos, qui fuerunt, erunt, & ſunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, vt ſicut tibi placet, pro his tibi gratias referant ſummo Deo, vero, æterno, & viuo, cum filio tuo beatiſſimo Domino Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto paraclito in ſæcula ſæculorum, Amen. Alleluia. Et Domino Deo vniuerſos intra ſanctam Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam ſeruire volentes, & omnes ſequentes Ordines, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, & Exorciſtas, Lectores, & Oſtiarios, & omnes Clericos, vniuerſos Religioſos, & vniuerſas Religioſas; omnes pueros, & paruulos, pauperes & egenos: Reges & Principes, laboratores, & agricolas, ſeruos & Dominos; omnes virgines, continentes, & maritatas, laicos, maſculos & fœminas; omnes Infantes, adoleſcentes, iuuenes, & ſenes, ſanos & infirmos, omnes puſillos & magnos, & omnes populos, tribus & linguas, & omnes nationes, & omnes homines vbique terrarũ, qui ſunt & erunt, humiliter rogamus, & ſupplicamus nos omnes Fratres Minores ſerui inutiles, vt omnes in vera fide, & pœnitentia perſeueremus; quia aliter nullus ſaluari poteſt. Omnes diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex*

Innumera Deo gratia agenda.

Matth. 25. verſ. 34.

Matth. 17. verſ. 5.

Ad pœnitentiam exhortatio.

tota mẽte & fortitudine, ex toto intellectu, & ex omnibus viribus, toto niſu, toto affectu, totis viſceribus, totis deſiderijs & voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totã animam, totã vitã dedit, & dat omnibus nobis: qui nos creauit, & redemit, & ſolâ ſuâ miſericordiâ ſaluauit: qui nobis miſerabilibus & miſeris, putridis, & fœtidis, ingratis, ignaris, & malis omnia bona fecit, & facit. Nihil ergo aliud deſideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat, nihil aliud delectet nos, niſi Creator, & Redemptor, & Saluator noſter, ſolus, & verus Deus, qui eſt plenum bonum, omne bonũ, totum bonum, verum, & ſummum bonum, qui ſolus eſt bonus; *pius & mitis, ſuauis & dulcis, qui ſolus eſt ſanctus, iuſtus, verus, rectus: qui ſolus eſt benignus, innocens, mũdus: à quo, per quem, & in quo eſt omnis venia, omnis gratia, omnis gloria, omniũ pœnitentium, & Iuſtorum, omnium beatorũ in cœlis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil ſeparet, nihil interpellet. Vtique nos omnes, omni loco, omni horâ, & omni tempore, quotidiè, & continuè credamus veraciter, & humiliter, & in corde teneamus, & amemus, honoremus, adoremus, ſeruiamus, laudemus, & benedicamus: glorificemus, & ſuperexaltemus: magnificemus & gratias agamus altiſſimo, & ſummo Deo æterno, & Trinitati, & Vnitati, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Creatori omnium, in ſe credentium & ſperantium, & diligẽtium eum, qui ſinè initio, & ſine fine, immutabilis & inuiſibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incõprehenſibilis, inueſtigabilis, benedictus, laudibilis, glorioſus & ſuperexaltatus, ſublimis, excelſus, ſuauis, amabilis, delectabilis, & totus ſemper ſuper omnia deſiderabilis in ſæcula ſæculorum.*

Deus ſuper omnia diligendus.

Lucæ 18. verſ. 19.

Nihil à charitate Chriſti nos ſeparet.

EXHORTATIO AD FRATRES.

IN nomine Dei Omnipotentis rogo omnes Fratres, vt addiſcant tenorẽ & ſenſum eorũ quæ in iſta vita ad ſalutem animæ noſtræ ſcripta ſunt, & iſta frequenter ad memoriã reducãt, Et oro Deum vt ipſe qui eſt omnipotens, trinus & vnus, benedicat omnes docentes, addiſcentes, recordantes, & operãtes iſta, quotiens repetunt quæ ibi ad ſalutem noſtram ſcripta ſunt. Et deprecor omnes cum oſculo pedum, vt multùm diligant, cuſtodiant, & reponant; & ex parte Dei Omnipotentis, & Domini Papæ, & per obedientiam, ego Franciſcus firmiter præcipio, & iniungo, vt ex his quæ in iſta vita ſcripta ſunt, nullus minuat, vel in ipſa ſcriptũ aliquod deſuper addat, nec aliam Regulam Fratres habeãt. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut

erat

erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

§. III.

Regula prima Diuinâ Inspiratione, à S. Francisco conscripta, ab Innocentio III. approbatur.

S. Francisc. quàm obseruans S. Sedu.

ECclesiæ Romanæ verus filius Franciscus, quantumuis superni luminis ductu viam sibi demõstratam agnosceret, nihil tamen in sua Vocatione euulgãdum putauit, nisi à S. Sede Romana, & Christi Vicario, Summo Pontifice approbaretur: Vnde etsi Regulam Reuelatione & inspiratione Spiritus sancti conscripsisset, illam tamen suis sequendam proponere noluit, nisi priùs Apostolicâ auctoritate confirmaretur: *Desiderans itaque* (ait S. Bonauentura) *per Summum Pontificem approbari quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus Directione Diuina.* Et benè quidem. Nam & Paulus quantumuis à Christo vocatus Apostolus, ad Galat. 2. *Ascendit Hierosolymam cum Barnaba assumpto Tito, secundùm* (ait) *Reuelationem, & contulit cum Petro Euangelium, nè forte in vanum curreret, aut cucurrisset.* Nec minus proindè duxit secum duodecim Socios suos, quia & illos Regulæ illius obseruantia concernebat, & Ecclesiæ Capiti Gregem suum subijcere disponebat.

S. Bonau. cap. 3.

Galat. 2. vers. 1.

Qualiter autem negotium illud ex se satis arduum, successerit S. Bonauentura describit. Ac primo quidem in itinere confortatum refert. Demonstratâ sibi visione arboris procerissimæ, ad cuius pedem cum famulus Dei consisteret, videbatur sibi eleuari ad arboris cacumen, & suprema eius curuare, siuè inflectere ad ima, quâ visione, insinuabatur condescensio suprema Apostolicæ dignitatis, ad pedes pauperculi homuncionis: Sed *qui probat corda & renes Deus*, grauitatem rei difficultatibus motis anteà comprobari voluit: Cùm enim ad Romanam Curiam peruenisset, in ipso accessu repulsam passus est Seruus Dei; Occupatus namque Christi Vicarius in maioribus, tãquam ignotum indignanter repulit, & non nisi Diuinis motionibus posteà motus Franciscum ad audientiam admisit. Vidit namque Summus Pontifex sequenti nocte, Palmam paulatim inter pedes suos succrescere, & in arborem pulchertimam eleuari: Illi, Deo fortiter suggerente: Palmam illam, Pauperem quem pridiè repulerat designare. Viderat enim & priùs Pontifex in somnis, Lateranensem Basilicam ruinæ proximam, quam quidam Pauperculus & modicus, proprio dorso subnisso, nè caderet, sustentabat. His permotus, mandauit sequẽti die Pauperculum requiri, qui & repertus in Hospitali S. Antonij, & ad præsentiam Summi Pontificis adductus: Postulationem de confirmanda, quam scripserat, Regula humiliter exposuit, & ad vitam Euangelicam in illa expressam pro se, & sequacibus suis approbari rogauit: ac mirabiliter magni simplicis Animi puritate, propositi constantiâ, ac ignito voluntatis feruore, Christi Pauper, Christi Vicarium vt suum præberet assensum, inflexit.

S. Francisci visio ante approbationem Regulæ.

Ierem. 11. vers. 20.

Ante approbationem Regulæ Frãciscus quas passus difficultates.

Pontificis duplex visio.

Verùm grauitas tanti negotij Cardinalium, ac Concilij Apostolici animos non parùm commouerat: Cùm enim de re ardua, & humanas vires superante, ac de vita Apostolicis etiam humeris formidanda ageretur; In varias Concilium Apostolicum sententias abibat, & remoras magis seriæ Cõsultationis ingerebat: Et nisi vnus ex Eminẽtissimis Cardinalibus D. Ioannes de S. Paulo Episcopus Sabinensis, Diuinâ superueniẽte in illum virtute nodum gordium verbi potentis gladio dissecuisset, omnes timor inuaserat, modum viuendi huiusmodi approbare nolentes, qui humanam Virtutem excedebat. Verùm dictus Cardinalis superno lumine illustratus, & cõsiderans vniuersam Regulam, & modum viuendi ex ipsis Euangelij, ac Apostolicæ Vitæ verbis, & actionibus contextam, velut voce Domini confringentis Cedros, Pontificem allocutus, hæc verba coram toto Consistorio intulit: *Si* (inquit) *petitionem pauperis huius, tamquam nimis arduam nouamq; refellimus, cum petat confirmari sibi formam Euangelicæ Vitæ: Cauendum est nobis nè in Christi Euangelium offendamus: Nam si quis* (inquit) *intra Euãgelicæ perfectionis Obseruantiam, & Votum ipsius, dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile, aut impossibile, contra Christum Euangelij Auctorem blasphemare conuincitur.* Hæc ille: Solidissimo quidem, & conuincenti argumento omne nubilum, omnemq́ue formidinem dissoluens: quo permotus Pontifex, & acceptâ (post præmissam Orationem) à Viro Dei insigni Regis Diuitis cum muliere formosâ, & paupere Connubia jungentis parabolâ, annuit votis; Regulam confirmauit, de prædicanda Pœnitentia mandatum dedit, & ita postulata concessit, vt etiam in posterum plura se concessurum repromitteret, totus in Pauperem, & Pauperum Patriarchæ Cœtum amore deuinctus, prout patebit in sequentibus.

Approbationi ob Ill. Cardinales.

Excepto vno.

D. Ioannes de S. Paulo Card.

Lubens tandem approbat Pontifex.

§. IV.

S. Franciſcus cum primis filijs inter manus Summi Pontificis, Profeßionem iuxta primam Regulam emiſit.

Pontifex totus nouo Ordini addictus per ſe excipit profeſſionem S. Franciſci & ſuorum.

EO ipſo itaque anno ſcilicet 1210. eademque die quâ S. Franciſcus obtinuit per *viuæ vocis Oraculum* approbationem Regulæ primò conſcriptæ Tanta fuit Summi Pontificis, in Pauperculum Gregem qui ſe eius conſpectui præſentauerat, affectus; vt non ſolùm voce formam illam viuendi confirmaret; ſed ipſo facto ſolemniter ſingulorum vota reciperet, & Ordini nouo immediatâ auctoritate principium daret, ſeque ſingulare illius Ordinis & ſuos Succeſſores *Caput & Patrem* conſtitueret; vt nemini mirandum ſit: Si Ordo ſingularem Obedientiam ſupremo Capiti Romano Pontifici voueat, eiuſque immediatis pedibus & Regimini ſubijciatur. Sic enim Regulæ primæ cõſcriptæ per modum Prologi inſcribitur: *Hæc eſt vita quam Frater Franciſcus petyit ſibi concedi & confirmari à D. Papa Innocentio, & confirmauit eam ſibi & ſuis fratribus habitis & futuris.* Et ſubjungit: *Frater Franciſcus & quicumque erit Caput iſtius Religionis, promittit Obedientiam, & Reuerentiam D. Innocentio Papæ, & eius Succeſſoribus obedire.* Sic refert Marianus ex Legenda Sociorum, & ex eo R. P. Lucas Wadingus ad annum 1210. Eminentiſſimum D. Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem à Summo Pontifice impetraſſe vt ſolemnem ipſe Pontifex in ſuis manibus reciperet ſingulorum profeſſionem, votaque de huiuſmodi Inſtituto obſeruando probaret. Quibus emiſſis Pontifex S. Franciſcum conſtituit noui ſurgentis Ordinis *Caput*, & *Miniſtrum Generalem*: In cuius acceptatione Franciſcus pro ſe, & Succeſſoribus promiſit Domino Papæ, & Succeſſoribus Obedientiam, in cuius virtute cæteri Fratres, ſimiliter Franciſco tamquam Ordinis ſupremo Rectori vouerunt obedire.

Vnde FF. Minores ſingularem obedientiam vouent Papæ. In Prologo 2. Regulæ.

§. V.

Ab ipſa Profeßione Miſſio Diuina, de Mandato Summi Pontificis Executioni demandatur.

ET quidem omnia hæc, & alia plurima ad Stabilitatem huius Inſtituti à Pontifice facta fuiſſe res ipſa demonſtrat: Nam 1. *Nominis* (vt ſcilicet vocaretur *Ordo Fratrum Minorum*) impoſitio authentica, hîc incœpit, quod Nomen tantùm tranſitiuè indicauerat S. Pater cap. 6. Regulæ primæ. 2. Miſſionis exequendæ mandatum dedit Põtifex, dum omnibus Laicis paruulas coronas fieri curauit, & eos minoribus Ordinibus initiauit, ac S. Patrem Diaconum ordinauit: tum vt congruentiùs illis mandatum prædicandi imponeret, & illud decentiùs exequerentur, tum (vt notat *Iacobus Oddo Perußinus*) vt digniùs aliquo à ſæcularibus ſigno diſtincti, in Altaris, & Sacramẽtorum Miniſterio Sacerdotibus deſeruirent. Hîc namque aduertendum eſt: Ordinem à principio Apoſtolicam vitam in Prædicationis Officio ſibi aſſumpſiſſe, cùm vtiquè omnibus eius Profeſſoribus etiam Laicis mandato Apoſtolico hoc onus fuerit impoſitum, vt omnibus vbique Pœnitentiam annuntiarent, & verbum Dei liberè prædicarent. In prima namque Regula cap. 17. de Prædicatoribus; nullus excludi videtur à Verbi Dei Prædicatione: Vnde ibidem iuxta tres Ordinis occupationes omnes fratres exhortatur, *Prædicatores.* (inquit) *Oratores, & Laboratores, tam (Iericos, quam Laicos*, vt oſtendat omnes Verbum Dei poſſe annuntiare, ſi illis à ſuo Miniſtro conceſſum fuerit. Et vbi monuit Miniſtrum, nè alicui indiſcretè Verbi Dei miniſterium concedat, addit: *Omnes tamen Fratres operibus prædicent.* Et quia in doctis humanæ ſapientiæ Verbis, illa primaria Fratrum Minorum Prædicatio non conſiſtebat *cap.* 21. Exhortationes quas fratres quandocumque placuerit, & inter quoſcumque homines cum Benedictione Dei annuntiare poſſint, compendiosè proponit. Sicut itaque in Prima Regula nullus à Prædicatione Verbi Dei, iuxta capacitatem ſuam ſecernebatur, ſic nec Pontifex diſcreuit, ſed (vt ait S. Bonauentura) *Laſciuis Fratribus omnibus qui Virum Dei ſuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt Verbum Dei liberè prædicarent.*

Ordinis Nomen.

Omnes primi Fratres à Papa ordinati etiã Laici quoque.

Ordini Minorum à principio officiũ prædicandi impoſitum.

Nemine excluſo.

Prima Regula cap. 17.

Qualiter prædicandum.

S. Bonauent. c. 3.

§. VI.

Regula prima ab Innocentio III. approbata, per Concilium Generale, & Oecumenicum Lateranenſe denuò confirmatur.

ITaque ſub Regula Prima per *Viuæ Vocis Oraculum*, & receptionem Profeſſionis ſolẽnis *ab Innocentio III.* approbata cœpit Ordo multiplicari, cœperunt & Fratres per vniuerſum penè Orbem dilatari, eorumq; Prædi-

Prædicatio non tantùm ad fideles, sed etiam ad Infideles propagàti, magno quidem fructu; sed etiam multorum non mediocri contradictione. Cùm enim *Fratricellorum*, & *Pauperum de Lugduno* Sectæ, iam mundo notæ fuissent, plurimi in Fratres Minores insurgentes (cùm Regula & Ordo solo *viuæ vocis Oraculo* approbatus tantùm esset) eos in suspicionem Hæreseos vocare, & eis contradictiones & difficultates suscitare conati sunt; ita vt non tantùm à vulgaribus, sed etiam ab Ecclesiæ Prælatis, & Clericis multa incommoda Pauperes Christi paterentur. Hoc sentiens B. Pater, occasione captatâ Celebrationis Concilij Generalis Lateranensis, quod ab *Innocentio III.* inductum, Romæ ad *annum* 1215. inchoabatur, illuc se contulit; vt publicam toti Orbi Approbationem suæ Regulæ, & Instituti faceret, & iteratam tam à Concilio Generali, quàm à Summo Pontifice Approbationem impetraret, prout & obtinuit, quamuis necdum sub expressa Bulla. In hoc itaque Concilio celeberrimo, in quo quadringenti Episcopi, & octingenti alij Prælati, siue Patres conuenerant: *Innocentius III.* (vt refert Marianus) coram omnibus pronuntiari fecit *Ordinem Fratrum Minorum* à se approbatum esse, totiúque Concilio *Regulam* similiter *approbatam* manifestauit, & legendam proposuit. Factumque est vt vniuerso Orbi innotesceret, quod in tanta Congregatione Concilij vniuersalis publicè circa hunc nouum Ordinem, eiusq; Regulam gestum erat. Et vt solemnior Approbatio haberetur *cap.* 13. dicti Concilij cautum fuit; *Nè deinceps Noua Religiones, prater approbatas instituerentur*: Verba Concilij referuntur in Decretalibus Tit. de Religiosis domibus cap. 9. *Nè nimia* (inquiunt) *Religionis diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus: Nè quis de cætero Nouam Religionē inueniat, sed quicumque ad Religionē conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat: Similiterq; qui voluerit Religiosam Domum de nouo fundare, Regulam, & Institutionem accipiat de approbatis.* Religionem autem Minorum fuisse in dicto Concilio Lateranensi approbatam declarat Concilium Lateranēse sub *Gregorio X.* in quo Tit. 23. de Religiosis domibus, dum omnes Ordines specialiter Mendicantium tempore Concilij Lateranensis præfati necdum approbatos, cassat: expressè declarat hanc Cassationem ad *Ordines Prædicatorum*, & *Minorum* non extendi; quippe in dicto Concilio approbatos supponens; etsi necdum per Bullam, his verbis: *Quos* (inquit) *euidens ex eis vtilitas Ecclesia vniuersali prouenies perhibet approbatos.* Sed & *Honorius III.* Pontif. anno 4. litteris Apostolicis ad Archi-Episcopos, Episcopos, & Prælatos: & alijs ad Archi-Episcopum Senonensem, & Episcopum Parisiensem quæ incipiunt: *'Pro dilectis filys fratribus de Ordine Fratrum Minorum*, &c. Diu antequam Regulam secundò scriptam qua vtitur modò Ordo approbaret: Declarat Ordinem & Regulam Minorum priùs confirmatam: Et in Bulla qui modernam Regulam cōfirmat, clarè dicit priorem ab *Innocentio Papa approbatam fuisse*, quæ Approbatio non tantùm primam specialem, sed & secundam solemnem, & in Concilio Lateranensi promulgatam respicit.

Difficultates ante approbationē Regulæ.

Approbatio Regulæ in Concilio Lateran.

Innocent. III. PP.

Nulla Religio potest instituī nisi approbata.

§. VII.

Quamdiu Ordo sub prima conscripta Regula militarit.

TOtis profectò tredecim annis, Ordo Minorum sub Prima Regula a Deo inspirata, à S. Francisco conscripta, & ab Innocentio III. approbata militauit: (nimirùm ab anno 1210. ad annum 1223. quo Regula, Christo dictante, in compendium velut reducta est, siue, quo diuino spiritu in vnam Regulam vtraque miro Artificio coāluit (vt Titulo sequenti dicetur) Ingenti quidē fructu, & incredibili per vniuersum Orbem terrarū incremento. Nam sub ista Prima Regula 1. Sanctus vniuersam Italiam per suos Socios verbo nouæ Prædicationis, Domino sermonem multis signis & miraculis confirmante, ipso viro Dei in Thusciæ partibus agente, repleuit; ac vbique ferè Conuentus, & Habitacula pro fratrum in dies se multiplicantium vsu acquisiuit. De quibus luculenter suo more R. P. Lucas Wadingus ad annum 1211. & sequentes.

Quanto temporedurauerit 1. Regula.

Quanto fructu in Italia.

2. Cùm jam Italia semen verbi Dei abundantiori incremento susciperet, Dubio subortо, *An ad exteras Regiones prodeundum foret, vel orationi potius vacandum?* & re commendatâ F. Syluestro (qui Crucem egredientem viderat ex ore ipsius S. Patris, & tunc in monte super Assisium iugiter orationi vacabat) nec non Sacræ Virgini Claræ, vt super dubio huiusmodi Diuinam requirerent voluntatem: Acceptâ vniformi responsione: Quòd Deus non propter se solum Ordinem hunc inspirauerat, sed diuini beneplaciti esset, vt aliorum saluti per vniuersum Orbem Fratres inuigilarent, & ad prædicandum exirent. B. Franciscus insolito feruore ardens, vt diuinum exequeretur imperium, cum F. Massæo, & F. Angelo de Reate Romam festinauit, Pontificem adijt, de Diuinis arcanis,

Extra Italiam.

arcanis, & qualiter Deus labentem mundum erigere, & senescentem, vniuersali morum reformatione renouare decreuisset, diuturniori colloquio habito: Suam de adeundis Tartaris, & Mahumetanis, ijsque ad veram fidem adducendis aperuit, & à Pontifice Benedictionem ad id ipsum; pro se, & suis accepit: ac demùm ad maritimas partes progressus, nauem conscendit, vt ad Syriæ partes se transferret: A quo itinere, Deo sic disponente præpeditur.

In Hispania. Alio iterùm tempore in Hispaniam perrecturus itineri se commisit, vt Marochium ad Saracenos conuertendos properaret, vnde denuò infirmitate cogente coactus est in Italiam regredi: non tamen sine fructu: nam hâc occasione omnibus ferè Hispaniæ Regnis, & Regionibus peragratis, illa varijs sui Instituti Conuentibus exornauit, quod & per Gallias fecisse Annales tradunt ad *annum* 1213. & 1214. Oratione, Prædicatione, miraculis omnium animos ad diuinæ misericordiæ fontem conuocans, omnibus mirabilis factus.

In Gallia.

3. Redux in Italiam, cùm denuò illam, suarum Prædicationum, & plurimorum conuersione illustrasset: ad Concilium Generale Lateranense venit, vbi (vt dictum est suprà) Promulgationem Approbationis iterato suæ Regulæ accepit.

4. Sub hac Regula indixit S. Franciscus duo Capitula Generalia: *Alterum* quidem *anno* 1216. *Assisij ad S. Mariam de Portiuncula*, statim à Concilio Lateranensi: In qua Approbatio Regulæ in Concilio Generali facta, etiam solemniter promulgata est, & ordinatum vt in vniuerso Orbe promulgaretur. Quod quidem facilè fieri potuit: Quia in hoc Capitulo ad omnes plagas Europæ Fratres dimissi sunt, & Superioribus constitutis, primò indultum, vt Nouitios reciperent, quod antea soli Francisco reseruatum erat. In Hispaniam itaque, Galliam Narbonensem, Tartariam, & Inferiorem, ac Superiorem Germaniam, ac vniuersas Europæ Prouincias, Viri præstantissimi, & Sanctitate conspicui profecti sunt, de quibus Annales dicto anno. Et ipse S. Pater Parisiorum tractum, ac Galliam Belgicam sibi reseruauerat, à qua tamen protectione per Cardinalem Hugolinum dissuasus est, hoc quidem argumento: *Adolescit adhuc* (inquiebat Cardinalis) *tuum Institutum, nosti quot habuisti Contradictores in principio, adhuc habes occultos aduersarios, & nisi adsit in Curia qui res tuas curet, & ad perfectum deducat, Acta facilè reuocantur, & dolosè supplantantur: Te presente magis seriò fouebitur Institutum, & efficacius incitabuntur tibi addicti, vt tuis velint adesse, & tibi in adjutorium.* Mansit itaque S. Franciscus in Vmbria, nè aliquid sinistri contingeret Ordini suo. Nec hæc ipsius in Italia remora suo gregi inutilis fuit: Audiens enim suorum Fratrum querimonias, quòd à Clericis multis, & Ecclesiarum Prælatis, durè tractarentur, & graues Oppositiones paterentur, nec deessent in Curia; qui sancto obloquerentur Instituto: Statuit iterùm Summi Pontificis tunc *Honorij III.* adire præsentiam, & ab eo Protectorem vnum, ex S. R. E. Cardinalibus suo Ordini petere: Ad quod iter magis incitatus est, visione quâdam in somnis sibi exhibitâ: Vidit enim (vt refert Legenda 3. Sociorum) Gallinam plurimos pullos sub alis congregare, & à superuolantibus miluis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse protegere, pluresque proinde patuisse ruinæ; Magnæ verò volucris sub alis pericula subterfugisse. Intellexit porrò expergefactus Domino reuelante, seipsum per Gallinam, Fratres suos per pullos: Cardinalem in Protectorem assumendum, per magnam volucrem significari. Conuocatis itaque Fratribus ad illos verba sequêtia habuit: *Mater omnium Ecclesiarum est Romana, & Domina omnium Religionum: Vadam & recommendabo Fratres meos Sanctæ Ecclesiæ, cuius potentia virgâ percellantur malenoli, & filij Dei in æterna salutis augmentum, vbique plenâ gaudeant libertate*, &c. *Paupertatis nostræ ipsa sancta Ecclesia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per superbiæ nubilum obfuscari non sinet: Charitatis, & pacis vincula in nobis seruabit illæsa: Euangelicæ paupertatis obseruantia sacra, continuè in eius aspectu florebit, nec odorem vitæ, vel ad horam elabi patietur.*

Difficultates iteratæ contra nouum Ordinem.

S. Francisci visio de Gallina cum pullis.

S. Pater.

Statuit petere à Papa Protectorem.

Exindè Romam abijt, & tantùm apud *Honorium III.* egit, vt *anno* 1217. Protectorem acciperet *Eminentissimum D. Hugolinum Cardinalem, Episcopum Ostiensem*, qui postea fuit Gregorius IX. verus Gubernator, Protector, & Corrector huius fraternitatis, sub quo Ordo miros progressus fecit, qui & Capitulis Generalibus per se aderat, & in illis præsidebat. Vnde nec de Protectore Prima Regula mentionem facit, quia necdum de eius postulatione tempore approbationis illius mentio, vel occasio orta fuerat.

Petit & obtinet.

Sub ista tandem Regula Prima *alterum Capitulum* celebratum est ad *annum* 1219. quod *ad Storeas* nuncupant, in quo ex toto Orbe vltra quinque millia Fratrum conuenisse, præter eos qui ad Diuina, & Domestica Officia domi remanserant, testes oculati Socij S. Patris, & S. Bonauentura, ac alij Sanctitate conspicui communiter asserunt. Præfuit huic *D. Hugolinus Protector*, adfuit *S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator*: In illo de fundamentis Ordinis

Primum Capitulum Generale ad S. Mariam de Port. in quo solemniter Regula 1. promulgata.

Quoquouersum mittuntur Fratres præstantissimi.

S. Franciscus volens ire in Galliam, retinetur dissuasu Hugolini Card.

Secundum Capitulum Generale ad Storeas, ad quod conuenere vltra 5000. Fratrum.

Cui præfuit D. Hugolin. Protect. & adfuit S. Dominicus.

In illo quid actum.

Ordinis firmiter jaciendis, de morum & Orbis totius Reformatione actum: In illo plusquàm quingenti ex Selectioribus personis quæ conuenerant, asperum hunc Statum Fratrum Minorum susceperunt. Tanta porrò fuit illius Congregationis dispositio, tanta concordia, vt Cardinalis Hugolinus exclamasse dicatur. *Verè Castra Deo sunt hæc.*

Illius mirabilis. Genes. 32. vers. 2.

In hoc Capitulo Fratres ad diuersas iterùm Prouincias missi sunt, in quibus & Conuentus obtinuerunt; vt autem charitùs reciperêtur ad ministerium Verbi Dei, resolutum fuit, vt à Summo Pontifice Litteræ commendatitiæ ad Episcopos, & Prælatos, ac Ecclesiarum Rectores obtinerentur; prout & obtentæ sunt sub *data Viterby* 3. *Idus Iunij Pontificatus Honorij anno* 3. quas videre licet in *Firmamento* 3. *Ordinum tract.* 2. *p.* 2. Et apud *Emanuelem Rodriguez* initio *Bullarij*, *Honory Bullâ* 2. Sicut & aliæ de quibus suprà, Archi-Episcopis, & Episcopis Franciæ ad sequentem annum sunt ab eodem scriptæ.

Litteræ commendatitiæ à Papa obtinentur, ad prædicationem & receptionem.

In vniuersum Orbem quinam missi.

5. Sub hoc tempore in vniuersum Orbem Fratres missi sunt, qui Euangelium, & Pœnitentiam annuntiarent. Et quidem in *Graciam* B. Benedictus ab Ortetio cum nonnullis à S. Patre cum illo dimissis perrexit. *Africam* BB. Electus, & Egidius petierunt: *Marochium* quinque Fratres Berardus, Petrus, Accursius, Adjutus & Otho abeuntes Primitiæ Martyrũ Ordinis esse meruerunt. Alij in *Hungariam* ablegati sunt: Ipse S. Pater relicto Regimine Ordinis F. Heliæ tamquam Vicario suo; Soldani præsentiam adijt, Saracenis Regnum Dei, & Christi fidem prædicauit, miris effectibus de quibus Annales, & nos alibi.

Reuocatus Franciscus absoluit Heliam à Generalatu.

Reuocatus porrò fuit à Fratribus S. P. Franciscus querimonijs multis ad eum missis super irregulari F. Heliæ regimine, quem de facto in reditu ab Officio absoluit: & F. Petrum Catanensem in eius locum suffecit, à Regimine Ordinis se subducens: Et quamuis *Generalis Ministri* titulo eum præfecisset & nomine Generalis Ministri appellandum decreuisset: Noluerũt tamen Patres illum suscipere, nisi sub Titulo *Vicary*, nolẽtes viuente S. Patre alium agnoscere Generalem Ministrum.

§. VIII.

De Relaxationibus tempore Primæ Regulæ subortis: & occasione 2. Regulæ.

Relaxationibus primo tempore Heliæ inductis obuiat S. Pater.

VIx sanè à suo Grege abfuerat fidelis Pastor Franciscus, quin sub Regimine F. Eliæ serperent Relaxationes in detrimentum Altissimæ Paupertatis, in ædificijs maximè sumptuosis, in amplioribus habitibus, & curiosis indumentis: quibus in Reditu suo à Soldano, prouidere conatus est S. Pater, in nonnullis locis illa destruendo, in alijs deferendo, & vbi non potuit deferere ita prouidendo; vt ex ijs Ordo non inficeretur, Fundatoribus toto rigore Iuris, ea in se recipientibus, vt Fratres in illis haberentur tamquam merè Aduenæ, & Peregrini. De his S. Bonau. c. 7. vitæ: & Annales ad annum 1220.

Studia manẽte institutæ cessata cum terribili exemplo.

Studia etiam generalia inchoabantur in nonnullis locis, absque sale discretionis, vtpote, quæ futura erant semina nimiæ libertatis, & destructiua sanctæ humilitatis: In quæ etiam Sanctus inuectus est multo zelo, vt Bononiæ sub Ministro F. Ioanne de Striachia contigit: Quod studium mandato S. Patris dissipatum; cum præfatus Minister restituisset, maledictione ipsius percussus, posteà maledictionis pœnas sensit, in ejulatu tremendo quòd *Damnatus, & in æternum maledictus esset*, expirans. Etsi enim Sanctus Studia vbi pietas exerceretur, non abhorreret: illa tamen quæ Vanitatem scientiæ spirabant, omninò tolli cupiebat.

F. Helias auctor relaxationum.

Auctor porrò huiusmodi Relaxationũ & Fautor erat F. Helias, qui, vt fieri solet, non paucos suæ libertatis Asseclas habebat, vt à pijs Fratribus Regulæ puritatem zelantibus S. P. didicerat, & experientia comprobarat; Nam & F. Elias præsumpserat in eius conspectu compatere in habitu cultiori, & pretioso, formæ amplioris, ampliorum manicarum, dilatatis fimbrijs, & longioti, ac alto Caputio (vnde Pyramidalis illa excelsorum Caputiorum figura Originem sumpsit) vt alibi videbitur.

Helia cum suis potenti, aliam Regulam quæ-liter se opposuerit S. Pater.

Expertus etiam fuerat in Generali Capitulo *Storearum*; genium sui Vicarij Generalis: Qui in totalem suæ Regulæ ruinam cum Ministris Hetruriæ, & Bononiæ ac alijs conspirauerat, & inducere conatus fuerat Cardinalem Hostiensem Protectorem, quatenùs sancto Patriarchæ persuadere vellet, vt non modò Regulam illam Euangelicam moderaretur, sed etiam ad aliquam antiquorum Patrum vt *S. Augustini*, *Benedicti*, *Basilij* normam viuendi declinaret. Quod singulari inito colloquio proposuit famulo Dei Benignus nimis in re tanta Cardinalis. Verùm casso effectu: Reuerenter enim per manum Protectorem accipiens, Euangelicus Pastor duxit illum ad Fratres congregatos, ac feruore magno volens astutiam illam Diaboli eludere: *Fratres mei* (inquit) *Fratres mei: Deus vocauit me per viam simplicitatis, & humilitatis,*

S. Pater.

militatis, vt Crucis sequar stultitiam; & ad eius gloriam, propriam confusionem, & vestra Conscientia securitatem vobis expando. Quòd ipse mihi sta dixit: Francisce; Ego te volo esse meum Fatuellum in mundo. qui operibus & verbis stultitiam predicet Crucis. & te tuosq; sequaces. vt in me dumtaxat, respiciant, atque absque alio viuendi modo, me sequantur: Ipse dignanter. & misericorditer mihi hanc ostendit viam pro me. & pro illis qui mihi credere voluit, & adhærere. Non *est ergo cur aliam mihi nominetis Regulam, neque Augustini, neque Benedicti, neque aliorum viuendi formam, præter eam quæ mihi à Domino pro sua benignitate, & misericordia desuper est concessa. Nolo itaq; contrarius esse voluntati Domini mei, neque per aliã viam vos præire; à qua qui recedunt, alios q; auertere curant, vereor nè diuinam sentiant vltionem, & cum rubore suo tandem cogantur ad hanc semitam redire.* Hæc ille. Quod & sæpiùs protestabatur: Se in omnibus quæ dicebat, scribebat, aut constituebat sequi dictamen, & inspirationem claram Spiritus sancti, quam oratione præuiâ, à Deo obtinebat.

Hiscè igitur varijs circa Institutũ suum mutationibus, ex inconstantia humanæ infirmitatis pullulantibus, benè expensis, visionibus etiam futurorum circa Ordinem suum permotus, cogitauit S. Pater seriò; omnibus modis Regulæ suæ Obseruantiam firmare, & quamuis sufficienter approbata foret; quia tamen nullo Diplomate, aut Bulla firmata erat, resoluit à Summo Pontifice Diploma aliquod impetrare, nè contingeret successu temporis, Regulam illam à Deo sibi inspiratam, pro varijs mobilium voluntatum euentibus dissipari. Qualiter autem hæc Approbatio subsecuta fuerit. Sequens Titulus declarabit.

S. Franciscus resoluit petere approbationem Regulæ per Bullam.

TITVLVS III.

FVNDAMENTVM III.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regula Secunda à Christo immediatè, & verbatim dictata:

Comparata

CALCEDONIO *Tertio Fundamento Apostolico.*

Calcedonij qualitas.

APOCALYPSEOS Interpretes *Calcedonium* sicut ignem suâ naturâ splendere affirmant, qui quidem splendor pallenti lucernæ similis conspicitur: Verùm singulariter notant, splendorem illum à lapide sub tecto non apparere, sed tantum sub dio, siue aperto cælo: Hancq́ue ei lapidi virtutem adscribunt, vt si radijs solis, vel digitorum attactu incalescat, paleas attrahat.

Comparata doctrinæ & vitæ Apostolicæ.

Quæ omnia vitæ, & doctrinæ Apostolicæ cogruunt: Splendore enim ignis Spiritus sancti velut accensi, non iam sub tecto, sed aperto cœlo toti mundo illuxerunt, pallorem quidem Pœnitentiæ referentes; Animos tamen illuminantes. Qui vel radio Solis Iustitiæ, vel pressurâ Tyrannorum inardescentes, paleas mundanæ Vanitatis suo velut ventilabro excutiendas attrahebant.

Deinde secunda Regula FF. Minorum.

Cur non in Tertio Fundamento Ordinis Minorum pro *Calcedonio* lapide Regulam secundam à Christo verbatim, & immediatè dictatam constituamus: Hæc enim Regula velut *Ignea Lex* in dextra Dei fuit,

fuit, quæ vtique Euãgelicam Vitam, & doctrinam in cordibus Fratrum Minorum per famulum suum Franciscum ardentissimè incendit: *Lampadi accensæ inter diuisiones* huius mundi transeunti coram Abraham in signum Diuinæ Reconciliationis non absimilis; nec minoris virtutis, quam *Calculus Ignitus* quem Angelus forcipe de altari tulerat, vt Prophetæ labia purgaret: Hęc enim Regula est velut ignis qui à S. Francisco, vt Viro altero induto lineis *Ezech.* 10. acceptus est de medio rotarum Euangelicæ perfectionis, quæ erant inter Cherubim: Hęc Regula est velut Ignis in cuius ardore surrexit S. Franciscus vti alter Elias, *Cuius verbum quasi facula ardebat, qui vnxit Reges ad Pœnitentiam, & Prophetas fecit Successores suos. Qui receptus est in turbine in curru equorum igneorum.* Hæc est *Regula*; Ignem continens quem filius hominis venerat mittere in terram vt arderet. Hæc est *Regula*; cuius splendor similis est pallenti lucernæ, sub paupertatis, & omnis asperitatis pallore refulgens. Quæ quidem nullo humanæ possessionis tecto, aut modio tegi potest. Quippe quæ nullo humanæ prouidentiæ commodo circumscribitur, sed, vt luceat aperto cœlo sub Dio solius Diuinæ claritatis luce splendescit. Quinimò quantumuis intra domesticos parietes, Frater Minor vitæ sanctitate floreat; fulgorem tamen non emittit; nisi spiritu terrena omnia peruadente, ipsis cœlis caput inferat. Benè autem vbi ardore radiorum solis, vel attactu manuum incalescit, paleas attrahere noscitur: In hoc enim gloria Regulæ, & Ordinis Fratrum Minorum in Peccatorum conuersione, & mundi expurgatione maximè enitescit, cùm vel feruore charitatis, vel persecutionum tolerantiâ, velut attrita ignoscit. De hac itaque Regula, velut de *Calcedonio* tertio vitæ Apostolicæ Fundamento, nobis in hoc Titulo Sermo erit.

Genes. 15. vers. 17.

Ezech. 10. vers. 2.

Eccli. 48. vers. 1. Vers. 7. Vers. 8.

§. I.

Visione cælesti monetur S. Franciscus; Regulam primò conscriptam, ad compendiosiorem formam redigere.

Vnde & quomodo dicantur duæ Regulæ FF. Minorum.

ETsi apud Scriptores communiter pro firmando Ordine Fratrum Minorum duæ Regulæ conscriptæ dicantur, monendus est tamen Candidus Lector, duplicitatem illam in Regula diuersitatem substantiæ non notare, sed tantùm asserere Regulam vnicam, quæ super Euangelij Obseruatione simplici, & sincera fundata erat, pro ratione temporis diuersimodè propositam fuisse, & primò quidem diffusiùs Diuinâ Inspiratione conceptam, & humano calamo scripram, posteà, Dei Sapientiâ Opus suum perficiente, compendiosiùs, & nerosiùs cõtractam, ac ex eadem materia velut ex adipe frumenti, & farinæ Euangelicæ in Hostiam, & azymum luculentioris virtutis, & substantiæ, etsi minoris molis, diuino dictamine redactam. Hoc expresè declarat *Honorius III.* in Bulla, secundam, seu potius Restitutam Regulam confirmante his verbis: *Ea propter dilecti in Domino Filij; vestris pijs precibus inclinati; Ordinis vestri Regulam à B. M. Innocentio Papa Prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolicâ confirmamus, & præsentis Scripti Patrocinio communimus, qua talis est*, &c. Et subjungit: Litteram Regulæ secundæ ad pressiorem & compendiosiorem formam sub duodecim Capitulis (cùm prima 23. Capitula haberet) redactam. Vnde verificari non potest quòd *Honorius* dicit, se Ordinis Regulam ab Innocentio III. approbatam, & in forma quam refert adnotatam confirmare, nisi quia Regula secundò cõscripta, omnem substantiam primæ Regulæ, ab *Innocentio* priùs approbatæ contineat, siue quia in substantia eadem Regula est, etsi magis compressa, & strictiori calamo in

Honorius III. PP.

meliorem formam, & majoris energiæ velut restituta: prout sequens visio monstrabit, quam præclarè suo seraphico eloquio declarat S. Bonauentura c. 4. vitæ S. Patris, his verbis:

S. Bonau. c. 4. vitæ.

S. Francisci visio de micis panum.

Cùm autem (ait) *dilatato jam Ordine viuendi formam per Innocentium approbatam disponeret per Successorem eius Honorium in perpetuum facere roborari, huiusmodi fuit à Deo Reuelatione commonitus: Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisq; famelicis Fratribus ipsum circumstantibus, debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, nè fortè inter manus excideren, vox ei desuper ait: Fracisce vnam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non deuotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox leprâ infecti notabiles apparebant.* Significationem autem visionis subjungit Seraphicus Doctor. *Recitat* (ait) *mane Vir Sanctus hæc omnia Socijs, dolens se non percipere mysterium Visionis. Sequenti verò die, cùm Vigil in Oratione persisteret huiusmodi vocem de cœlo delapsam audiuit: Francisce, Micæ præteritæ noctis verba Euangelica sunt, Hostia Regula, Lepra Iniquitas.* Intellexit ergò Sanctus Pater Regulam ex verborum Euangelij aggregatione profusiùs traditam, ad compendiosiorem formam, iuxtà quod dictabat Visio monstrata debere redigi.

Visionis interpretatio.

Emblema pulcherrimum: Regula sanè primò à S. Francisco Diuinâ Inspiratione conscripta, continuis Euangeliorum Verborum allegationibus conspersa, vix vllo coagulo stringebatur, sed velut micæ ex panibus Euangelicis cadentes à S. Patre velut in aceruum collectæ erant, vnde ex istis Euangelicorum Verborum micis resumptis, in aggregatum quoddam absque firma constrictione Regula prima consistebat (vt illam legenti constat.) Est enim prima Regula velut farina minus pista, vel vti micæ absque firma vnione coacteruatæ. Monetur itaque S. Pater: Ex micis illis *Hostiam*, id est, *Azymum* cõficere: quo non potuisset meliori symbolo Regula indicari. Non enim dixit: Fac ex micis panẽ, sed dixit *Hostiam*, similitudine, & allusione factâ ad *Eucharisticum azyma*, quod etsi verus panis sit, in hoc tamen subtilior, quia ex farinæ purissimo adipe, & subtilissima medulla, pura aqua absque fermenti, aut alicuius tertiæ substantiæ admixtione conficitur: Ex hoc inferens Regulæ primæ substantiam, & illius verba, debere Spiritu magis, quàm Litterâ, velut ad purissimum *azyma* reduci, vt quasi *Hostia Eucharistica*, facilis & grata esset illam recipientibus, vt purioris obseruãtiæ, ad Animæ nutrimentum. Vnde & Regulam illam Sanctus Pater, posteà solebat vocare *Medullam Euangelij*: Quia, vt posteà latè demonstrabimus, etsi materialia verba Euangelij non repetat, vix tamen vllum est verbum in illa cuius intellectus realis secundùm Spiritum, formaliter indicatum in Euangelio non reperiatur: Et verba omnia quamuis simplicia; ita appositè sunt distributa ad stylum, vt velut *Azymum sinceritatis, & veritatis* constituant, per quam veri Fratres Minores in Regulæ Obseruantia, purissimè in odorem suauitatis velut Hostias se Deo immolant.

Regula secunda S. Franc. optimè dicitur Hostia.

Item Medulla Euangelij.

1. Cor. 5. vers. 8.

§. II.

Prima Regula ad compendiosiorem formam, iuxtà Visionem, Christo dictante; reducitur in Regulam secundam.

OBedire itaque Reuelationi sibi factæ cupiens S. Franciscus, & *volens* (ait S. Bonauentura) *confirmandam Regulam, ex verborum Euangelij aggregatione profusiùs traditam, ad compendiosiorem formam*, iuxta quod dictabat, visio monstrata, *redigere*: In montem quemdam cum duobus Socijs Spiritu sancto ducente conscendit: vbi pane tantùm contentus, & aquâ jeiunans, conscribi eam fecit, secundùm quod oranti sibi Diuinus Spiritus suggerebat. Rem latius perstringit Pisanus, & ex eo alij plures.

S. Francis. cui antequã scriberet secundam Regulam se dabat oratioui.

Ascendisse itaque in Montem *Fontis Palumba* siuè *Columbæ* seu *Rayneriy* ab vrbe *Reatina* secundo lapide ad latus Græcij constãs est, & indubitata Traditio: Quem quidem montem sibi suisque ad annum 1217. delegerat: Montem sanè asperum, & Sanctæ Contemplationi Diuinorum aptissimum: In quo visebatur quædam Petræ scissura tempore Passionis Christi dum terræ motu rupes, & Petræ scissæ sunt, facta: In quam S. Patriarcha velut *Columba in foramine Petræ, in Caverna maceria* se recepit, & vt alter Moyses quadraginta dierum jeiunio in caliginem Legem ignitam, Regulam Seraphicam acceperus, (quæ non in Tabulis lapideis, sed in cordibus inscribenda erat digito Dei viui) se subduxit: Ibique Christo dictante Prima Regula quæ 23. Capitibus constabat, ad duodecim Capita concinnè & neruosè redacta est: Numero quidem duodenario quasi Collegio Apostolorum

Mons Palumba qualis.

Cant. 2. vers. 14.

Regula secunda capita 12. quid pra se ferant.

lorum in illa conspirante, in quo symbolum fidei vniuerso Orbi duodecim Articulis concluſum est. Vbi, etiam Christus non sine mysterio ad compendium reduxit, quod prior scribentis calamus spacierat, & (adnotante S. Bonauenturâ) vt veris Israelitis Iordanem ad terram Promissionis transeuntibus, duodecim duros lapides in signum posuit, & velut Ciuitatem Cælestem, duodecim margaritis pro Fundamento positis, Regulam Seraphicam fundauit.

Regulæ auctor immediatus Christus.

Christum porrò Regulæ immediatum, ac Verbalem Dictatorem fuisse constat. Tum ex ipsius Christi Testimonio, in nube lucida apparentis, coram Fratre Helia, & omnibus Ministris Regulæ acceptationi renitentibus expresso (quo à se omnia Regulæ Præcepta, à se tabulas formatas, à se dictatam Regulam affirmauit, ideoque *ad Litteram, ad Litteram, ad Litteram, sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa* obseruari debere mandauit) Tum ex Sancti P. testimonio veridico, Tum ex S. Brigittæ facta Reuelatione, aliisque documentis prout latiùs expendemus, dum infrà de Excellentia Regulæ ob diuinam illius Originem disseremus.

Loci vbi Regula data descripsit.

Traditionem verò de Regula in hoc monte dictata, probant hodierna adhuc consistentia in loco monumenta: Supra præfatam namque scissuram Petræ siue speluncam, in qua Regula data est, ædificari à principio, curarunt Fratres Sacellum in honorem B. Archangeli Michaelis, qui sicut Ecclesiæ vniuersæ Generalis, sic huius Fraternitatis singularis Patronus à Fundatore sigillatim agnitus est, à quo sacello in præfatam scissuram descenditur: In alia etiam editiori parte collis, Oratorium B. Virginis Mariæ, à Sancto Francisco constructum ostenditur, à quo per angustam semitam in petra excisam, ad Archangeli ædiculam similis est descensus, quasi B. Virgini Ordinis Parenti supremus locus debeatur. Reuerentiam denique, & deuotionem à Regula ibi conscripta totus locus spirat: Quem aliquando *Sixtus quartus* Pontifex visitaus, nudis pedibus perlustrare voluit, & renitentibus nuditati pedum Cardinalibus præsentibus, nè saluti noceret, pijssimè respondit: *Locus* (inquit) *iste Sanctus est:* ingredienſque ad subterraneum sacellum, seu speluncam illam in qua S. Franciscus Regulam accepit: Lachrymis perfusus circumstantibus: *Hic locus ille est* (ait) *in quo Euangelica renouata est vita: Hic à Deo data Regula Fratrum Minorum.*

Nec hic dissimulanda est fraus Aduersarij omnis boni Satanæ, qui præsentiens Regulæ huius in salutem Animarum ordinatæ virtutem, statim in sui initio illam dolo extinguere parauit. Cum enim cum gaudio velut alter Moyses S. Franciscus, acceptâ Regulâ de Monte descendisset, eamque F. Eliæ suo Vicario seruandam tradidisset, Diaboli suasu paucis post diebus, illam per incuriam perditam F. Elias finxit, nec reddere voluit: Iteratò igitur (ait S. Bonauentura) S. Vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar Prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet illicò reparauit.

Regulam perditam S. Franc. reparat.

§. III.

Regula secunda ab Honorio III. per Diploma Pontificium confirmatur.

DEus qui hominum corda disponit, & misericordiæ ac bonitati vias inscrutabiles præparat, Approbationi huius Compendiosæ Regulæ extraordinariam semitam præparauit: Illam enim Regulam quam (teste S. Bonauenturâ c. 4. vitæ) paucis admodum elapsis post diebus miranda Sacrorum Stigmatum sigillo, Dei digito impresso, tum ad ipsius stabilitatem, tum ad Auctoris Christi Jesu cõmendationem confirmare decreuerat: priùs voluit lacteo velut radio ab vbere Matris Misericordiæ emisso Regulæ illius Approbationem præuenire, & se ad impressionem sigilli salutiferi, tamquam Ceram emollire. Hic fuit celebris ille radius Indulgentiæ, auxilio Matris Dei in Æde sacra Portiunculæ obtentæ mirabili quidem ordine, suam tamen dispositione. Dum enim S. Patriarcha pro Approbatione suæ Regulæ à Christo acceptæ, ad Summi Pontificis præsentiam se pararet, antequàm è Portiunculæ loco recederet Cælesti illâ dignatione Christi Iesu, & Matris eius præuentus fuit, quâ pro Peccatoribus Indulgentia illa visitantibus sacram Ædem concessa est; ad preces humilis Patris. Quo factum est, vt duplicatâ causâ itineris Romani: priùs quidem ab *Honorio III.* Confirmationem Indulgentiæ cælitùs datæ obtineret, quàm Regulæ à Christo dictatæ, Approbationem solicitaret. Etsi enim eodem anno, eodemque tẽpore Indulgentia cum Approbatione Regulæ concurrerit, Indulgentiæ tamen Portiunculæ liberalis promulgatio, Regulæ confirmationem antecessit: vt priùs purgarentur corda, & replerentur spirituali vnctione, & demum ornarẽtur Euangelicâ obseruatione. Sub finem igitur Octobris 1223. celebratâ, & promulgatâ in Augusto Portiunculæ Indulgentiâ venit S. Pater

Regula secunda à Papa approbata qualiter.

Romam, & interueniente Cardinale Hugolino Protectore, obtulit Pontifici Regulam, quam cùm Pontifex, nimis rigidam æstimaret, & circa illam nonnulla immutanda proponeret: Illi cum omni reuerentia grauissimè famulus Christi respondit. *Ego* (ait) *Beatissime Pater, Precepta: aut verba illa in Regula non posui, sed Christus, qui omnia vtilia, & necessaria saluti Animarum, & Fratrum, & bono Statui, & Conseruationi Religionis, melius omnibus nouit, cuique omnia quæ ventura sunt in Ecclesia, & Religione nostra præsentia sunt, & patent: Non ergo debeo vel possum verba mutare aut omnino abolere.* Ità Pisanus Confor. 19. Itaque Pontifex re diligentiùs cum Sacro Cardinalium Collegio, ac maturè discussâ, & examinatâ, Regulâ etiam illâ compendiosiore; cum altera ab *Innocentio III. Viua voce Oraculo* collatâ, & primam quidem, in hac contineri aduertens: Posteriorem in sensu; & virtute priorem cõtinentem approbauit, & in perpetuum vnicam obseruandam proposuit: Data Bullâ in Palatio Lateranensi in Aula *Leonis III. 3. Kal. Decemb. Pontificatus anno Octauo.* Quam quidem in Registro Pontificio transcriptam, & repositâ peculiariter notat Auctor Compilationis Chronologiæ rerum Germanicarum ad *annum* 1223. sub *num.* 261. cum hac Inscriptione: *Fratri Francisco & alijs Fratribus de Ordine Fratrum Minorum*, &c. Quam etiam hîc cum Bulla Pontificia subjungimus, prout passim ab omnibus circumfertur.

Pisanus Confor. 19.

§. IV.

Regulæ Fratrum Minorum à Christo dictatæ, & ab Honorio III. Papa confirmatæ.

TENOR.

Prologus.

HOnorius *Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filijs Fratri Francisco, & alijs Fratribus de Ordine Minorum salutem; & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis & honestis petentium desiderijs fauorem beneuolem impartiri: Eapropter dilecti in Domino filij, vestris pijs precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam à bonæ memoriæ* Innocentio *Papa, Prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus quæ talis est.*

CAPVT I.

In nomine Domini incipit Regula, & Vita Minorum Fratrum.

REgula & vita *Minorum Fratrum hæc est: scilicet Domini nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare,*

uare, viuendo in obedientia, *&* sine proprio, *&* *in* Castitate. *Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio ac Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius Succeſſoribus obedire.*

CAPVT II.

De ijs qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodò, & non alijs, recipiendi Fratres licentia concedatur: Miniſtri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & Eccleſiaſticis Sacramentis: Et ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare: & vxores non habent, vel ſi habent, & jam monaſterium intrauerint vxores: vel licentiam eis dederint auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo: & illius ætatis ſint vxores, quòd de eis non poteſt fieri ſuſpicio: dicant eis verbum S. Euangelij, quòd vadant, & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres, & eorum Miniſtri, nè ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, vt liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpirauerit eis: ſi tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſteà concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem vſque ad cingulum (niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur) finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper, & Regulam obſeruare. Et nullo modo liceat eis de iſta Religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ: quia ſecundùm Sanctum Euangelium: nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei. Luc. 9. verſ. 62.

Et illi qui iam promiſerunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere: Et qui neceſſitate coguntur, poſſint habere calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur. Et

poſſint

possint ea repetiare de saccis, & alijs pecijs cum benedictione Dei: Quos moneo & exhortor, nè despiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis: sed magis vnusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

CAPVT III.

De diuino Officio, & Ieiunio, & quomodò Fratres debeant ire per mundum.

CLerici faciant diuinum Officium secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ: excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino: Pro laudibus quinque; Pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum Horarum septem, pro vesperis autem duodecim: Pro Cõpletorio septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium Sanctorum, vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania Domini vsque ad cõtinuos quadraginta dies, quam Dominus suo Sancto ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino: &, qui nolunt, non sint adstricti: sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunent: Alijs autem temporibus non teneantur nisi sextâ feriâ ieiunare. Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent: sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifestâ necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primùm dicant: Pax huic Domui. *Et secundùm Sanctum Euangelium, de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.*

CAPVT IV.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

PRecipio Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniã recipiant per se vel per interpositã personam: tamen pro necessitatibus infirmorum; & alijs Fratribus induendis, per

amicos

amicos ſpirituales, Miniſtri tantùm & Cuſtodes, ſolicitam curam gerant, ſecundum loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſsitati viderint expedire. Eo ſemper ſaluo, vt quod, dictum eſt, denarios vel pecuniam non recipiant.

CAPVT V.

De modo laborandi.

FRatres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & deuotè; ita quòd excluſo otio, animæ inimico ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſeruire. De mercede verò laboris pro ſe & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam. Et hoc humiliter, ſicut decet ſeruos Dei, & paupertatis ſanctiſsimæ ſectatores.

CAPVT VI.

Quod Fratres nihil ſibi approprient, & de eleëmoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tamquam peregrini & aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleëmoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Et hæc eſt illa celſitudo altiſsimæ paupertatis: quæ vos chariſsimos Fratres meos, heredes & Reges regni cælorum inſtituit; pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectiſsimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis. Et vbicumque ſunt Fratres, & ſe inuenerint, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſsitatem ſuam. Quia ſi Mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem; quantò diligentiùs debet quis diligere & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ciderit, alij Fratres debent illi ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

CAPVT VII.

De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

SI qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citius poterunt, sine mora: Ipsi verò Ministri si Presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis Pœnitentiam. Si verò Presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum melius videbitur expedire. Et cauere debent, nè irascantur, vel conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio in se, & in alijs impediunt charitatem.

CAPVT VIII.

De Electione Generalis Ministri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.

VNiuersi Fratres vnum de Fratribus istius Religionis, teneantur semper habere Generalem Ministrum, & Seruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente; Electio Successoris fiat à Ministris Prouincialibus, & Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Prouinciales Ministri teneantur semper in simul conuenire, vbicumque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres (quibus Electio data est) in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri & Custodes possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodijs semel Fratres suos ad Capitulum conuocare.

CAPVT

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo Officium prædicationis sibi concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione quam faciunt sint examinata, & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

CAPVT X.

De Admonitione & Correctione Fratrum.

FRatres qui sunt Ministri & serui aliorum Fratrum, visitent & moneant Fratres suos, humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam & Regulã nostram. Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ. Et vbicumque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere. Ministri verò benignè & charitatiuè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, vt dicere possint eis & facere, sicut Domini seruis suis. Nam ita debet esse, quòd Ministri sint serui omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Iesu Christo, vt caueant Fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & solicitudine huius sæculi, à detractione & murmuratione. Et non curent nescientes literas, literas discere: sed attendant quòd super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini, & Sanctam eius operationem; orare semper ad Deum puro corde, &

habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & infirmitate; & diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt, & arguunt; quia dicit Dominus: Diligite Inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos : Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic Saluus erit.

Matth. 5. vers. 44.
Vers. 10.
Matth. 10. vers. 22.

CAPVT XI.

Quòd Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.

PRæcipio firmiter Fratribus vniuersis, nè habeant suspecta consortia, vel consilia Mulierum. Et nè ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant Compatres Virorum, vel Mulierum, nè hac occasione, inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.

CAPVT XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios Infideles.

QVicumque Fratrum diuinâ Inspiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios Infideles; petant inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eus quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc, per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis; vt semper subditi, & subjecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.

CONFIRMATIO REGVLÆ.

NVlli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

nem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno Octauo.

§. V.

Cur Regulam ab alijs Religionibus, omnino condistinctam elegerit S. Franciscus.

CVr Regulam ab alijs Primitiuorum Ordinum Patriarchis distinctã, Deus S. Francisco dederit, non pauci ab initio mirati sunt: Et quidem, Diuinæ Sapientiæ dispositioni relinquendum esse iudicaretur ab eo qui dixit: *Nolı altum sapere, sed time:* Illum nimirùm cuius *judicia abyssus multa:* Beatum tamen Franciscum non aliquo singularitatis amore id feciſſe, & ipsius dicta, & antiquorum ratiocinationes satis indicant. Sanè Virum Sanctum cum Consorte suo S. Dominico super hac re aliquando conferentem, rationem huius reddidisse, Auctor est Bartholomæus Pisanus lib. 1. conform. 12. Ex quo sumptum est inter eius Colloquia; hoc in Ordine Colloquiorum decimum his Verbis: *Obuium sic habuere in Vrbe Vir Dei, & B. P. N. Dominicus Prædicatorum Patriarcha, & Fundator inclytus: Quibus seria quædam ad Animarum salutem, & plurima ad Ecclesiæ Catholicæ emolumentum & pacem, secum proponentibus, & disponentibus, ait Prædicatorum magnus ille decor ad Socium, & Amicum suum Franciscum: Frater charissime, propter magnam meam tecum necessitatem, præcordialem erga filios tuos amorem, pacis Fraternitatisq; inter tuos, & meos stabilitatem: vtrosque gauderem sub vna Religione militare; vt quos Patrum firmus amor sic conjunxit; Religionis, aut vitæ disparitas non dissoluat. Cui cum summa humilitate Franciscus: Diuina* (ait) *est voluntatis, Amantissime Frater, quod factum est, ab eáque ordinatum est diuersis à nobis fundari Religiones, vt in vtriusque varietate, præceptorum diuersitate, illorum rigore, & horum lenitate, varietatis subueniatur humanæ infirmitatis; vt quibus hæc non placent, illa non displiceant: quibus vna dura videtur, altera lenior appareat: Et sic non vnius Religionis angustijs Deus Animas perdat, sed alterius capacitate lucretur.*

Rom. 11. vers. 20. Psal. 35. vers. 7.

Pisanus.

Necessitudo magna inter SS. Fran. ciscum & Dominicum.

Necessitatem porrò huius Regulæ ab alijs distinctæ ad perfectam Fundamenti quadraturam ostendit Eminentissimus, ac beatæ memoriæ Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis S. Francisco contemporaneus in Hist. Occidentali cap. 23. *Tribus* (inquit) *Eremitarum* (hi sunt Basiliani) *Monachorum* (hi sunt Benedictini) *Canonicorum* (hi sunt Augustiniani) *Religionibus: vt regulariter viuentium, quadratura fundamenti in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quandam Religionis Institutionem, Ordinis decorem, & Regula sanctitatem:* Et illius substantiam, & excellentiam prosequens: *Si tamen* (inquit) *Ecclesiæ primitiuæ Statum, & Ordinem diligenter attendamus: non tam* (inquit) *nouam addidit Regulam, quàm veterem renouauit, releuauit jacentem, & pene mortuam resuscitauit Religionem in vespere mundi tendentis ad occasum, imminente tempore filij perditionis, vt contra Anti-Christi tempora periculosa, nouos Athletas præpararet:* Hæc ille, qui velut compendium Regulæ proponens in Fratribus eam obseruantibus: *Adeò* (ait) *Primitiuæ Ecclesiæ Religionem, Paupertatem, & humilitatem in se reformare procurant, puras Euangelicæ fontis aquas, cum siti, & ardore spiritus haurientes: quod non solum Euangelica Præcepta, sed & Consilia, vitamq; Apostolicam expressius imitantes, omnibus modis adimplere laborant: Omnibus quæ possident renuntiantes, seipsos abnegantes, Crucem sibi tollendo, nudi nudum sequentes, relinquentes pallium cum Ioseph, & hydriam cum Samaritana,* &c. Quæ omnia in sequentibus patebunt.

Regula ab alijs distincta necessitas.

Card. Iac. de Vitriac. Hist. Occident. c. 23.

An sit distincta à statu Primitiuæ Ecclesiæ.

TITVLVS IV.

FVNDAMENTVM IV.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regula à Christo dictata sublimitas,

Comparata

SMARAGDO *quarto Fundamento Apostolico.*

Smaragdi qualitas.

SMARAGDI Excellentissimas, & sublimes qualitates enarrant qui eas experti sunt: Inter viridantes gemmas eorum opinione principem locum tenet, cuius vtique viror gratissimus est, tantæque virtutis, vt res quibus admouetur suo virore imbuat, & aerem circumfusum viridem reddat, Gemma purissima, omnis libidinis Inimica, ita vt si Mulier etiam in legitimo concubitu illam gerat, penitùs frangatur, vt in Smaragdo annuli Margaretæ matris Ioannis II. Regis Lusitaniæ cueniſſe referunt Annales: Ideò spei æternæ Hierogliphicum est: cuius ratione *Iris in circuitu Sedis Dei in cælo* Apoc. 4. *similis erat Visioni Smaragdinæ*, quasi suâ viriditate oculum fidei, spe misericordiæ Dei, & æternæ Beatitudinis confortans: Ideoque in IV. Fundamento Apostolico congruè ponitur: vt qui iam splendore fidei tamquam lucernæ pallentes mundum replebant assimilati *Calcedonio*: Virore spei corda credentium exhilararent, & velut *Smaragdus* obuia omnia virore misericordiæ circumfunderent. Qua eâdem ratione Regulæ S. Francisci sublimitas, quartum Ordinis Fundamentum, præclarè *Smaragdo* comparatur. Spem enim æternæ vitę cordibus fidelium sublimitas Regulæ istius infudit, cuius sectatores Exemplo & Prædicationibus Pœnitentiam Peccatoribus annuntiantes, & ad summam puritatem vitæ homines inuitantes, virorem spei misericordiæ Dei, omnium animis instillarunt, prout in sequentibus patebit.

Apocal. 4. vers. 3.

Comparata Apostolo.

Et secunde Regule S. Francisci.

§. I.

Regulæ à Christo dictatæ Encomia celeberrima.

REgulam secundam à Christo dictatam celeberrimis semper Encomijs honorarunt, qui de ea scripserunt: Et vt ex eis pauca norentur: Fundator ipse S. Franciscus qui Regulæ sibi dictatæ Spiritum imbiberat; hæc Elogia de illa eructauit: Sic enim teste Thoma Celano in Legenda antiqua lib. 1. Conform. 9. Fratres suos contestari solebat, Dei beneplacitum in Regulæ Descriptione agnoscens: *Fratres* (inquit) *mei & filij charissimi, præclarè nobiscum actum est in Concessione huius Regulæ: Hæc enim quæ nobis proponitur Liber est vitæ: Spes salutis: Arrha gloriæ: Medulla Euangelij: Via Crucis: Status Perfectionis: Clauis Paradisi: Pactum æterni fœderis.* In

Regulæ encomia ab ipso S. Francisco. Thomas Celanus lib. 1. Conf. 9.

Viri-

Viridantium gemmarum Princeps *Smaragdus*. Veræ Spei Descriptionem continens. Quam vlteriùs commendans Fratribus sic pium colloquium continuat S. Pater: *Nemo vestrum est* (ait) *qui ignorat quantum emolumenti conferat nobis Sacra Religio, cùm Colluctator, & Aduersarius noster ad omnes dolos vel cogitandos, vel explicandos mirus sit Artifex*, &c. *Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, & in alleuiatione talij, & memoria præstiti Iuramenti, cum interiore homine de ea confabulamini: cum intentione eam adimplendi semper pra oculis illam portate, imò & cum ipsa debetis mori.*

Summam porrò Elogiorum quibus hęc Regula excellit, & supereminet, collegit Aluarus Pelagius Episcopus Siluensis l. 2. de Planctu Ecclesiæ art. 61. *Non fuit* (ait) *ficta, vel ficta, vel Mathematica, sed* 1. *Digito Dei scripta, à Spiritu sancto reuelata:* 2. *Euangelicâ veritate subnixa;* 3. *Ab Innocentio III. & Honorio III. & alijs quàm plurimis Romanis Pontificibus approbata.* 4. *A Gregorio IX. Innocentio IV. Alexandro IV. Nicolao III. Clemente V. in Viennensi Concilio declarata.* 5. *A D. Ioanne Papa 22. vltimo roborata.* 6. *Corpori Iuris inserta.* 7. *Per vitam multorum Sanctorum, & quorũdam ab Ecclesia Canonizatorum eam profitentium authenticata.* 8. *Ab æmulis & discolis, & male de Euangelio Christi sentientibus impugnata, sed semper à Sancta Ecclesia defensa*, &c. Quæ omnia in decursu totius huius Operis manifestè patebunt.

Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ l. 2. art. 61.

§. II.

Regula à Christo S. Francisco dictata, sicut est Diuinæ Originis, sic est Iuris Diuini.

Regula S. Francisco dictata est verbatim à Christo.

HAnc Diuinam Regulæ Originẽ præhibuimus suprà Tit. 3. §. 1. & 2. cùm Regulam à Christo dictatam in monte Palumbæ recensuimus: Huius verò Diuinæ Originis 1. Testimonium amplissimum dedit Christus, voce intelligibili coram Capitibus Ordinis, Ministris, scilicet, Prouincialibus, qui cum F. Helia Ordinis Vicario montem ascenderant, vt contra Regulæ præfatæ promulgationem, & obseruantiam protestarentur: Historiam vt sequitur adamussim referunt passim Annalistæ & Chronologi, ex quibus R. P. Lucas Wadingus ad annum 1223. n. 10. Cùm enim F. Elias Ministris insinuasset, B. Patrem ad arctiorem vitam, per nouæ Regulæ conscriptionem Fratres suos vello compellere. Illi importunè vrgentes F. Eliam coegerunt, vt tamquam Vicarius pro Fratribus Legationem sumeret: Ipsique Ministris concomitantibus, velut consp[illegible]tatione fact[illegible], Viro Sancto ipsorum nomine se opponeret. Quod & factum est: Occurrentem enim S. Franciscum, & causam istius tumultuarij accessus Ministrorum requirentem, sic allocutus est F. Helias: *Ministri* (inquit) *hi audierunt nouam sibi hic effformari Regulam, humanis viribus superiorem, induxerunt̃q; me huc, vt pro Vicarij ratione, de temperando agerem Instituto, neque enim duriori se volunt adstringere.* Quo audito S. Pater turbatus spiritu infremuit, & vultu oculisque in cælum conuersis: *Domine* (ait) *nónne prædixi non credituros, vt quid in vanum me laborare coëgisti! Ego Institutum hoc cum pauperculis meis Socijs ad mortem vsque seruabo: Nolentes hos, & durè resistentes compellere nequibo.* Dictu mirabile: Subitò in lucida nube super hominem apparuit Christus, & audientibus cunctis: *Homuncio* (inquit) *quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tunè Legislator? Tunè huius vitæ Præceptor? Nonnè omnia Regulæ Præcepta à me præscripta? Nonnè Tabulæ hæ à me formatæ? Tu dumtaxat tenue huius Operis instrumentum, & calamus scribentis: Noui ego quid dictauerim: Noui quid velim præcipere: Vires humanæ mihi comperta sunt; scio quid possint, & quantum ego valeo, & volo præstare subsidium. Volo proinde, vt Regula hæc obseruetur, ad litteram, ad litteram, ad litterã, sine glossa, sine glossa, sine glossa. Si ergo isti nolunt obseruare, deturbatis eis tamquam Discolis, & Rebellibus, illorũ loco alios substituam, & si opus fuerit nouiter nasci & oriri faciam, atque de lapidibus istis suscitabo.* Hìc voce de nube delapsâ tremuêre omnes. Ad quos S. Pater: *Audistis* (inquit) *audistis ipsi vocem claram de nube delapsam: Quod si adhuc nõ timuistis aures vestræ, faciam iterùm eandem emitti.* Confusi itaque illi & territi, obmutuerũt, & cadentes in facies suas timuerũt valdè: Donec à S. Patre confortarentur, & ad meliora conuersi cum illo de monte descenderent.

Cui opponit se Helias cum alijs.

S. Franciscus turbatus à Christo reprehenditur.

Elias cum suis confunditur.

Expendenda profectò sunt omnia verba Christi tam misericorditer apparentis, vt Diuina illa Origo huius Regulæ percipiatur. 1. enim Christus se *Auctorem* omnium Præceptorum quæ in Regula continentur agnoscit, vnde alicuius indiscretionis, aut impossibilitatis, Regula argui non potest. 2. Se *Dictatorem* fatetur, nec S. Patri aliud nisi Scriptoris nomen, & calami motum attribuit: 3. Obseruantiæ humanæ accommodatam Regulam demõstrat: Quia & se vires humanas expendisse, & de qua-

Christus omnium Regulæ præceptorum Auctor.

Et Dictator.

Regula est omnino obseruabilis.

de qualitate, & quantitate auxilij Diuini ad illius Obseruantiam præstandi, se prouidisse affirmat: *Vires* (ait) *humanas mihi comperta sunt, scio quid possint, & quantum ego valeo, & volo præstare subsidium.* 4. Omnes remouet *glossas*, & humanas Interpretationes, vt insistatur litteræ. Tãdem quod maximi ponderis est: Sponder tales Viros tantâ solicitudine ad hanc Religionẽ euocare, qui Regulæ Obseruationi satisfaciant, vt si ordinariâ viâ & vocatione non nascerentur, extraordinariâ vocatione & potentiâ illos velut de lapidibus suscitaret, conformiter ad illud Baptistæ Joan. Luc. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* In quibus omnibus & nobilissima Ordinis & Regulæ Institutio ex Diuinæ prouidẽtiæ abditissimis, & Altissimis Decretis manifestatur, & illius Directio, Cõseruatio, Restauratio ab Omnipotentis Christi Iesu solicitudine singulariter dependere demõstratur. Quæ omnia justissimè & verissimè probant necessariâ consequentiâ Regulam Fratrum Minorũ Iuris esse Diuini (vt Joannes Perrinus Tractatu super Dispẽsatione Fratrum Minorũ Correl. respõsiuo ad quæstionẽ principalem. Et in Resp. ad arg. 1. Emanuel Roderiguez qq. Reg. To. q. 4. ar. 1. & alij docuerunt.) Hâc quidem Fundamentali ratione: Quòd formam vitæ contineat, à Christo dictatam & præscriptam, ac illam assumere volentibus Diuino Præcepto demandatam, & ex ipsa Euangelij substantia descriptam: Etsi enim Iure Diuino nemo teneatur formam illam vitæ vouere: Eò ipsò tamen quò quis eam vouit: Iam se Euangelicæ vitæ formæ à Christo institutæ obligasse censendus est: Quam formam nemo humanitùs infirmare potest, quia hoc ipsò quò à Christo dictata, & ex Euangelio desumpta fuit, Iuris Diuini effecta, & Euangelicam Veritatem adepta est: ita vt quacumque mutatione vel dispensatione in subjecto facta, immutabilis veritatis Regula permæneat. Et quamuis Pontifex aliquid possit circa personas vouentes, & Statum assumentes immutare relaxando, aut immutãdo obligationes: Nil tamen potest in Regula ipsa quatenùs Obseruantiam Euangelij continet substantialiter diminuere, aut alterare: Et quamuis Regulam quatenùs hanc Congregationem siue Ordinem cõstituit, Auctoritate Apostolicâ (cuius est Ordines & Congregationes Regulares approbare) immutare, & annullare possit; nullatenùs tamen Regulam alterare aut quouis modo immutare potest, quatenus forma Euangelicæ vitæ est: Quia illa vt talis, verè fundata est supra fundamenta Apostolorum ipso summo Angulari lapide Christo Iesu: Et vt benè notat Aluarus Episcopus Siluensis l. 2. ar. 61. *Etsi filij Israël non seruauerunt Pactum Diuinæ Legis: Pactum tamen in semetipso, quia æterni fœderis est, immobile est.* Ita de Regula Fratrũ Minorum philosophandũ est: Etsi enim in filijs nonnullis ratione infirmitatis, aut relaxationis non seruaretur: Ipsa tamen immobilis & indissolubilis est, quia in Euãgelio immobili & indissolubili fundata est. Illud certè Diuini Iuris apud omnes dicitur: Quod à Deo constat esse præscriptum, & demandatum: Regula ergo Fratrum Minorum, cùm reperiatur in ipso Euangelio à Christo, eam sequi volentibus præscripta, & S. Francisco eam profiteri volenti à Christo dictata & demandata. Quid ei Iuris Diuini deesse potest? Etsi enim humana voluntas liberè & humano actu se illi addicat. Obligatio tamen Iuris Diuini ex ipsa Regula nascitur; sicut si quis quantumuis humanâ voluntate Baptismum recipit, Diuino Iure ad Baptizatorum à Deo præscriptas leges tenetur: Et iuxta Paulum: Qui circumciditur, debitor est legis à Deo datæ obseruandæ.

Non sert. glossas.

Illius strenui Obseruatores nũquam decrunt.

Luc. 3. vers. 8.

Regula FF. Minorum, an sit Iuris Diuini.

An Papa in Regula possit aliquid mutare.

Iuris Diuini quid dicatur.

Galat. 5. vers. 3.

2. *Originem* & Iuris diuini Titulum agnoscunt Summi Pontifices. Vnde præclarè *Nicolaus III. Extrau. de Verb. significatione cap. Exijt qui seminat, in 6. Hæc est* (inquit) *Minorum Fratrum mitis & docilis in paupertate, & humilitate per almũ Christi Confessorem Franciscum radicata Religio* (Attende Lector Originem Diuinam) *quæ ex illo vero semine* (nimirùm Euangelicæ doctrinæ) *germinans, germen illud sparsit per Regulam in filios quos sibi, & Deo per suum Ministrum in Obseruatione Euangelij generat.* Iterùm: *Isti sunt filij qui* (docente Jacobo) *Verbum æternum Dei filium insitum humanæ Naturæ, potens saluare animas, in mansuetudine susceperunt.* Quæ omnia explicans latiùs. *Hi sunt* (ait) *illius sanctæ Regulæ Professores, qua Euangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus attributis, firmatur.* Et neruosè concludens: *Hæc est apud Deum & Patrem munda, & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per eius filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & demùm per Spiritum Sanctum B. Francisco, & eius Successoribus inspirata, totius in se continet testimonium Trinitatis.* Hæc Pontifex.

Esse Iuris Diuini ostenditur ex Nicol. III. Nicolaum PP. III.

In Epist. c. 1. vers. 21.

Idem.

Quæ si fideliter perpendantur gradatim nobis ingenerant Diuinam illam Originem Regulæ huius, & Diuino Iuri patenter inserunt; ità vt nemo illi contradicere valeat.

1. Enim Pontifex seminantem Christum describit, qui *exijt seminare semen* Euangelicæ doctrinæ. 2. Ex illo semine eius-

eiusque germine effloruisse Regulam Fratrum Minorum declarat. 3. Nè veniat in suspicionem adulterini seminis: Reducit Regulam ad ipsum verbum æternum, Dei Filium, quod insitum fuit naturæ humanæ. *Quod potens saluare Animas*, illis se communicat. 4. Tres notas genuini seminis Regulæ applicat, nimirùm: Quia *Euangelico fundatur Eloquio, vita Christi roboratur Exemplo: Apostolorum sermonibus actibusq; firmatur.* 5. Communicationem Diuinam ordinans: Primùm ostendit Regulam *descendisse à Patre luminũ*. Demùm: *Per Filium* communicatam exemplariter, & verbaliter Apostolis: Tandem: *Per Spiritum sanctum* B. Francisco inspiratam: Ita vt habeat *Testimonium* totius *Trinitatis*. Denique vt omnis controuersia soluatur, sigillum illi impressum concludit Dominicæ Passionis. *Hæc* (ait) *est cui attestante Paulo nemo de cætero debet esse molestus, quã Christus Passionis sua stigmatibus confirmauit, volens Institutorem ipsius, Passionis sua signis notabiliter insigniri.*

Iacobi c. 1. vers. 21.

Galat. 6. vers. 17.

Idem ostenditur ex Reuelat. S. Brigitta.

3. *Excellentiam* illam Diuinæ Originis Regulæ Fratrum Minorum, clarè, & accuratè iterùm confirmat Reuelatio facta S. Brigittæ, vt habetur lib. 7. Reuel. c. 20. vbi Christi ad illam sequentia verba recitantur: *Illius* (ait Christus ad Brigittam) *Francisci Regula quam ipse incœpit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu, & prudentia: sed à me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, à Spiritu meo fuit ipsi adspiratum, & postea ipse alijs Regulam illam protulit, & perrexit.* Hæc ibi. Nota, *Quodlibet verbũ*, &c. *à spiritu Christi adspiratum* fuisse: Vt nõ tantùm quoad sensum, aut sententiam, sed quoad singula verba, intelligatur Regula à Christo dictata.

S. Brigitt. Reuelat. l. 7. c. 20.

Quam Reuelationem confirmant verba S. P. Francisci ad Honorium III. Qui cùm de Regulæ secundæ Approbatione consultans suaderet B. Patri, vt nonnulla immutaret, quæ nimis dura, nimisque gratia, humanæ infirmitati videbantur: Respondit illi famulus Dei, & ab omni immutatione eam liberam demonstrat.

Pisanus l. 1. Conf. 9.

Ego (ait) *B. Pater, Precepta aut verba illa in Regula non posui, sed Christus: qui omnia vtilia & necessaria saluti Animarum, & Fratrum, & bono Status, & conseruationi Religionis melius omnibus nouit, cuiq; omnia quæ uentura sunt in Ecclesia, & Religione nostra præsentia sunt & patent.* Ita refert Pisanus lib. 1. Conform. 9.

Dices: Aliæ Religionum, siue Ordinum Regulæ, etiam à Deo inspiratæ creduntur: Nam vt benè S. Petrus Ep. 2. cap. 1. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*: Ergo eadem est ratio omnium Regularum, quæ tamen omnes, præter tres fundamentales abrogatæ sunt: Ergo sicut Iuris Diuini non fuerunt, sic nec Regula S. Francisci, etsi à Christo dictata fuerit, Iuris Diuini erit.

2. Petr. 1. vers. 21.

Respondeo: Alius modus dictaminis in Regula S. Francisci, aliaque substantia reperitur, quæ in alijs Regulis non apparet. Et quidem Regula S. Francisci non tantùm inspirata fuit, sed etiam verbatim à Christo dictata, nec tantùm dictata, sed Præceptis, & Prohibitionibus formalibus à Christo munita: Et quoad materiam, tam in Votis, quàm in Præceptis, ex ipso Euangelio, & Euangelicis mandatis Christum in perfectione sequi volentibus constructa: Vota enim in eadem perfectione Fratribus Minoribus indicuntur, in qua Apostoli illa seruauerunt, & proportionaliter Præcepta ex ijs quæ in Euangelio Christum in via perfectionis sequentibus demandantur, sunt desumpta: Vnde Antonomasticè *Regula & vita Fratrum Minorum*, dicitur *S. Euangelium obseruare*, vt posteà demonstrabitur.

Distinctio Regulæ S. Francisc. à Deo inspiratæ, ab alijs Regulis à Deo inspiratis.

Et ex hoc maximè capite infertur Regulam *Diuini Iuris esse*, & humanæ dispositioni non subjacere: Quo quidem argumẽto tamquam infallibili vsus est magnus ille Cardinalis, & Episcopus Sabinensis Joannes à S. Paulo in primæ Regulæ approbatione; loquens Innocentio III. vt oppositiones dissolueret: *Si* (ait) *petitionem huius pauperis, tamquam nimis arduam, nouamq; refellimus, cùm petat sibi confirmari formam Euangelicæ vitæ, cauendum est nobis nè in Christi Euangelium offendamus: Nam si quis intra Euangelicæ perfectionis obseruantiam, & votum ipsius, dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile, aut impossibile, contra Christum Euangelij Auctorem blasphemare conuincitur*: Hæc ille. His itaque Fundamentis Regula Fratrum Minorum *Iuris Diuini*, sicut & *Originis Diuinæ* dicitur: Quia forma est Euangelicæ, & Apostolicæ Vitæ à Christo ex ipsis Euangelij, & Noui Testamẽti visceribus desumptæ, & S. Francisco traditæ: Ideoque quamuis auctoritate, vt talis immutabilis: Vnde benè Vrbanus Papa in cap. sunt quidam 25. q. 1. *Sunt* (ait) *quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas cõdere Leges, quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valdè affirmamus.* Et subdit: *Sciendum verò summopere est: Quia inde nouas Leges potest condere: Vnde Euangelistæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt: Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apostoli, & illos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt: Ibi non nouam Legem Romanus Põtifex dare, sed potiùs quod prædicatum est, vsque ad Animam, & Sanguinem cõfirmare debet:*

Innocent. à S. Paulo Card.

Vrbanus PP.

Papa quæ nouas Leges condere possit.

debet: si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ nostrum, quod absit, interirent, non sententiam darent, sed magis errare convincerentur: Sed hoc procul absit ab eo, qui semper Domum Ecclesiam contra impetum inimicum eorum spiritu custodierunt. Hæc Vrbanus Papa: Ex quibus verbis clarè infert Episcopus Siluensis suprà allegatus: In eo quod Regula S. Francisci consistat in Euangelij Obseruantia, quoad ea quæ in Euangelio præscribuntur non posse immutari: *Non quòd* (ait) *Regula B. Francisci sit vere & proprie idem, & ipsum Euangelium quod Christus, & è conuerso, & quòd Dominum Papa non habeat potestatem super eam, sicut nec super Euangelium, vel quicquid est in Regula S. Francisci, totum Christus ad litteram obseruauerit, vel Apostoli impleuerint obseruatione, quia hoc verum non esset: sed quod Regula S. Francisci sit vere, & proprie vita Euangelica, quam Christus in seipso seruauit, & Apostolis seruandam impleuit, & in Euangelijs inscribi fecit, sicut constat per Decret. Exiit. Extra. de verb. signif. in 6.* infrà: *Vnde Professores istius Regulæ promittunt in effectu, & in veritate sanctum Euangelium seruare, purè & perfectè secundùm intellectum Ecclesiæ & Sanctorum. Vt nulla alia obseruantia Euangelica ipsâ Francisci purior esse possit, nec sibi in perfectione Euangelica adæquare, vnde dicit prædicta Decretalis de Professoribus istius Regulæ: Christi semitas arctius quàm cæteri eligunt.* Hæc Episcopus Siluensis, de quibus latius infra. Est ergo Regula S. Francisci quatenus Euangelicam doctrinam continet, Diuini Iuris quatenus verò pro vna Congregatione Religiosa auctoritate Sedis Apostolicæ approbata, & confirmata est, & illi Congregationi concessa, Iuris Humani est. In substantia ergo quâ Euangelium Dei complectitur immutabilis est: qui verò certæ hominum Congregationi per Pontifices addicta, iuxta auctoritatem quam habet Pontifex in Suppolita, & Congregationem à Pontificibus approbatam, suas mutationes patitur, &c. hoc modo soluenda est difficultas aliquando mota super ratione Iuris Diuini, vel Humani hanc Regulam concernente. Ex his patet, quantâ reuerentiâ illa Regula suscipienda sit, quanti circumspectione tractanda, quantâ attentione interpretanda, quantâ humilitate obseruanda.

Regula FF. Minorum qualiter Iuris Diuini, & immutabilis, & qualiter Iuris humani, & mutabilis.

§. III.

Regula Fratrum Minorum à Christo dictata, verè Euangelica est.

1 Cor 3. versi 11. DIxerat aliquando S. Paulus 1. ad Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: videat qui superædificat.* Hoc vnicum fundamentum Regulæ, & vitæ Fratrum Minorum posuit S. P. Franciscus, Christo sic dictante: *Regula* (inquit) *Minorum Fratrum hæc est, scilicet, Domini Iesu Christi S. Euangelium obseruare.* Quid enim aliud est D. N. Iesu Christi sanctum Euangelium, quàm Iesu Christi vita, doctrina, mandata, exempla quæ in Euangelio referuntur? & iuxta quæ de ipso Christus ait Ioannis 14. *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Et Ioan. 10. *Ego sum ostium per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.*

Reg. c. 1. Ioan. 14. versi. 6. Et cap. 10. versi 9.

Fundamentum ergo Regulæ & vitæ suæ posuit S. Franciscus *S. Euangelium*, id est, fidem doctrinam vitam Christi: vt Christo tamquam vnico, & firmo Fundamento vita fratrum suorum inniteretur: Vt per *Christum* in Euangelio expressum intrarent, quia vnicum est *Ostium*: Per *Christum* ambularent, quia vnica est *via*: Per *Christum* dirigerentur, quia vnica est *veritas*: *In Christo*, & per *Christum* viuerent, quia vnica est *vita*. Vnde & Apostolus ad Ephes. 1. *In quo* (ait) *& vos, cùm audissetis verbum veritatis (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis, in Redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Hoc est enim signaculum vnicum veri Fratris Minoris, Euangelij Obseruatio, in qua Spiritu sancto Promissionis signatus est. Vnde tertiò illius promissæ obseruationis singularem repetit obligationem S. Pater in Regula sua: nimirum c. 1. Ibi: *Regula, & vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet: D. N. Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare.* Et c. 2. ibi *Tanto anno Probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam, & Regulam semper obseruare.* Et cap. vlt. ibi *Et sanctum Domini nostri Iesu Christi Euangelium quod firmiter promisimus obseruemus.* Hunc & apud Aluarum Episcopum Siluensem lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 61. Vocatur S. Franciscus, cum filijs suis legitimis *in carne totaliter mortuus*: *Euangelij Christi obseruator, verbatim, & Realis paritèr Reparator: Quod Euangelium Sacro-sanctum in arcanis pectoris Christum confessisse, seruauit, & sequentibus se seruare præcepit: Vir ille vestitus sancta paupertate, & puritate: Astrictissimum Scripturis Euangelij habens ad vnguem sinum, qui ad sacrorum potestatem habuit, signando Tau in frontibus gementium, & dolentium.* Vnde & ait Franciscus Christo: *Feci sicut præcepisti mihi.* In his omnibus Franciscus non abiimilis Angelo illi Apocal. 14. Quem Ioannes vidit volantem per

Regula FF. Minorum Fundamentum. Euangelium.

Fratrùm Minorum vita est obseruatio Euangelij.

Reg. c. 1. & 2.

Et cap. 12.

Aluarus l. 2. de Planctu Eccl. c. 61.

S. Franciscus vir verè Euangelicus.

Apoc. 14. vers. 6. *per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.*

Regula Observatio qualiter sit Observatio Euangely.

Qualiter autem Obseruatio Regulæ, Obseruatio Euangelij nuncuperur, & Regula ipsa, ac vita Fratrum Minorum in *Euangely obseruatione* consistat, accipe duas rationes.

Euangelia Christi quibus constet.

Prior est: Quia cùm Euangelium præter Historicam Narrationem vitæ & miraculorum Christi, in tribus potissimùm cõsistat: nimirùm in *Doctrina fidei*: In *Præceptis morum* nouæ Legis: In *Consilijs Euangelicis*, præter exhortationes sanctas à Christo tam exemplo, quàm verbo datas, sola autem doctrina fidei, & præcepta morum in Euangelio contenta, communiter Christianos ad peccatum obligent; Fratres Minores ad Consilia Euangelica cum Apostolis voto se obligarunt, & additis in Regula præceptis specialibus, ad actiones nonnullas Christi & status Apostolici imitatorias, siue ad ea quæ ad statum Perfectionis à Christo præscripta sunt, se adstrinxerunt: Ad cæterorum denique obseruantiam quæ in Euangelio sub verbis monitorijs, exhortatorijs, informatorijs, & instructorijs proponuntur, se eò magis ex condecentia status alligarunt: Quò Imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctiùs elegerunt: vt benè declarat *Nicolaus III.* in Caput: *Exijt qui seminat.* Ex quibus manifestè apparet, Obseruationem Regulæ Fratrum Minorum continere Obseruantiã Euangelij, & valdè propriè & energicè S. P. Franciscum his verbis formã viuẽdi inchoasse: *Regula & Vita Minorum Fratrum hac est: D.N.I.C. Sanctum Euangelium Obseruare*: *Regula* (inquam) quia ab Euangelio vel modicum Fratri Minori declinare, irregulare reputatur: *Vita* autem: Quia ab illa recedere principium est mortis æternæ: *Regula* (inquam) quam (vt ait Apostolus) *mensus est nobis Deus*, vt non in aliena Regula gloriemur: Vt: *Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei* requiescant; *Vita* autem: vt verus Frater Minor dicere possit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Nicolaus III. PP.

Reg. c. 1.

2. Cor. 10. vers. 13.

Galat. 6. vers. 16.

Galat. 2. vers. 20.

Posterior ratio est: Quia etsi semper Regula verbaliter, id est, ex Euangelij verbis materialibus non sit composita: Ex reali tamen sensu, & sententijs Euangelicis per omnia constructa fuit: Et iubente Domino velut ex micis Euangelij in vnam hostiam coaluit, vt visio nuper narrata protendebat.

§. IV.

Regula Fratrum Minorum à Christo dictata, verè Apostolica est.

COmmuni tritoque axiomate per se notum est: *Primum in vnoquoque genere, esse mensuram cæterorum*: Cùm igitur sub Christo, Prima Perfectionis Fundamenta Apostoli fuerint, post Christum omnis Perfectionis mensura ab Apostolica vita sumenda est: Ipsi enim sunt qui iuxta Apostolũ, Primitias Spiritus à Christo hauserunt, & sicut Primitiæ Christus, ita post Christum, Apostoli Sanctitatis omnis Primitiæ fuerunt: Ipsi sunt qui omnium Primitiuorum Primitiæ electi sunt, in Sanctificationem spiritus, in fide veritatis, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Cùm ergo perficiendorum vita in mensuram plenitudinis Christi, per Apostolos tendat, quò magis appropinquat Apostolis, eò perfectior reputanda est. Porrò vita & Regula Fratrum Minorum illa est, quæ (teste Nicolao III.) *descendens à Patre luminum, per eius filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & demùm per Spiritum sanctum, Beato Francisco & eum sequentibus inspirata, totius in se continet testimonium SS. Trinitatis.* Et hâc ratione verè *Apostolica* dicenda est: Quia ex primis Apostolici Status Fundamentis consurgit. Tribus namque Proprietatibus Apostolicus Status cõstat: *Formâ*, scilicet, *vita, officio, fine. Forma* autem *vitæ* illa dicitur, quæ à Christo Apostolis demandata est *Luce 9. Matth. 10. Marci 6.* *Officium* demùm Apostolicum in Prædicatione Euangelij, & mundi conuersione *Matth. 20. Marci 16. Luce 24. Ioannis 15. & 20. Actor. 1. & 10.* *Finis* tandem Apostolici *Status* fuit, Apex summæ Perfectionis, quæ in Abnegatione omnis Creaturæ, & suipsius, & perfecta Christi sequela consistit, iuxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Et demùm Lucæ 11. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Hic verò seriò aduertendum est: Apostolos, & primarios Discipulos, quos Christus ad prædicandum misit, formam Apostolicæ vitæ quæ in tribus Consilijs Euangelicis consistit, *Paupertate* scilicet, *Obedientia*, & *Castitate*, cum tendentia in Apicem perfectionis vouisse, & solemni voto illi se alligasse. Sic enim docet

Apostoli post Christũ omnis perfectionis 1. Fundamẽta & mẽsura.

2. Thess. 2. vers. 13.

Vnde vita & Regula FF. Minorum dicatur Apostolica. Nicolaus III. PP.

Status Apostolicus tribus constat.

Matth. 19. vers. 21.

Lucæ 11. vers. 23.

Apostoli ad venerint tria Euangelica consilia.

docet S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. Dei c. 4. loquens de Paulo ad Apostolatum assumpto, & consequenter Votis Apostolorum adstricto ad illa verba Cantici Annæ: *Suscitat de pulvere egenum*, &c. vbi sic loquitur: *De terra* (ait) *ergo susceitatus est ille* (scilicet Paulus) *supra omnes diuites pauper, & de illo stercore erectus est, supra omnes populos opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis supra sedes duodecim, & sedem gloriæ dans eis.* (Et explicans vota) *dixerunt Potentes illi: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: Hoc votum Potentissimi* (id est, Apostoli) *vouerunt: sed vnde hoc eis, nisi ab eo de quo hic continuò dictum est, dans votum vouenti?* Hæc S. Augustinus. Ex quibus verbis colligit Episcopus Siluensis, Apostolos qui à summa Perfectione *Potentissimi* vocantur, vtique in Apicè Perfectionis summo Tria Vota emisisse, siue Tribus Consilijs Euangelicis se voto adstrinxisse: dimittendo enim omnia, non tantùm intelligendi sunt possessiones & terrena Bona quoad Dominium & proprietatem, aut quemcumque vsum Iuris reliquisse, sed etiam Vxores in quarum relictione Votum Castitatis continetur. In illo autem quod dicit, *Secuti sumus te.* Perfectio Obedientiæ & omnium actionum Religiosarum eminenter exponitur, quia Christus quem sequi vouerant, *humiliauit se factus Obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis*: In quo omnis Supremæ Perfectionis exẽplar constitutum est. Hanc autem dimissionem omnium & Christi sequelam votum fuisse probat ex perfectione actus: Dupliciter enim potest, aliquis dici relinquere omnia. *Perfectè* nimirùm, & *simpliciter*, ac cum intentione & absoluta voluntate numquam resumendi: Aliàs imperfectè & secundùm quid: cùm intentione vel potestate ea iterùm resumẽdi. Certum est autem Apostolos perfectissimè reliquisse omnia, cùm ad Apostolatum perfectè vocati sunt, & Christum absolutè sunt secuti; In qua voluntate firma votum consistit. Vnde Glossa ad illa verba Luc. 18. Ecce nos dimisimus omnia: *Etiam* (inquit) *voluntatem habendi.* Et S. Gregor. in Homilijs: *Ecce nos reliquimus: Multum* (inquit) *Petrus & Andreas dimiserunt, quãdo vterque etiam desideria habendi reliquit: Multum dimisit, qui cùm re possessa etiam cõcupiscentijs renuntiauit.* Hæc Greg. Petrũ porrò omnia Vota nomine cæterorum Matth. 19. complexum fuisse istis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*, manifestè patet ex verbis Christi tria vota in sequentibus se requirentis. Vnde loquens Adolescenti. *Si vis* (ait) *perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & veni sequere me.* In quo autem consistat illa sequela exprimit Luc. 14. *Si quis* (inquit) *venit ad me, & non odit Patrem & Matrem, & Vxorem, & Fratres, & Sorores non potest meus esse Discipulus.* Et volenti alibi eum sequi: *Vulpes* (inquit) *foueas habent & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Alteri volenti sepelire Patrem & Matrem: insinuat, vt *relinquat mortuos sepelire mortuos suos. Nemo mittens* (ait) *manum ad aratrum & aspiciens retrò aptus est regno Dei.* In quibus omnibus tria vota *Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis*, manifestissimè explicantur.

D. August. l. 17 de Ciuit. Dei c. 4.

Tria vota quomodo contineantur in illis Ecce nos reliquimus omnia &c.

Philip 2. vers. 8.

Relinquere omnia dupliciter intelligitur.

Glossa sup. Luc. 18. D. Gregor. in Hom.

Matth. 19. vers. 27.

Vers. 21.

Luc. 14. vers. 16.

Luc. 9. vers. 58.

Vers. 60.

Vers. 62.

Regula itaque Fratrum Minorum 1. Quo ad formam verè & in rigore *Apostolica* est. Quia formam vitæ Apostolicæ in Euangelio expressam in Votis & Præceptis suis adamussim exhibet. Super quo iterùm benè notãdum est: Triplices fuisse Christi Discipulos de quibus Euangelistæ: *Primi* generali nomine *Discipuli* appellati sunt, qui Christi doctrinam & fidem sequebantur, eique dilectione & affectu adhærebant, etsi sua retinerent, nec Statum aliquem præter Statum cõmunem fidelium assumpsissent: Quomodò Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio & homo diues nominatur (Ioan. 19) *Discipulus occultus.* Et in hoc genere Lazarus, Nicodemus, Simon Leprosus, & fœminæ quæ ei adhærebant computari debent. *Secundi* fuerunt septuaginta duo qui electi singulariter à Christo post Apostolos ad prædicãdum missi sunt, quibus etiam potestas data est infirmos curandi, &c. Et hi altissimæ *Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis*, Votis adstricti fuerunt: iuxta ea quæ suprà ex S. Augustino explicata sunt; quippe quibus, nec possidere aurum, & argentum, neque pecuniam in zonis, neque peram, neque duas tunicas aut calceamenta habere licebat. Et hi Præceptis nonnullis tantùm (Luc. 10. contentis) adstricti fuerunt. *Tertij* fuerunt Apostoli duodecim. De quibus omnibus, cùm de Altissima Paupertate & cæteris Votis differendum erit, fusiùs agemus. Et horum formam vitæ sequuntur ex tenore Regulæ suæ Fratres Minores, ita vt à forma vitæ singulariter illorum Regula *Apostolica* nuncupari debeat, vt suo loco clarè & distinctè probabitur.

Primi Discipuli Christi triplices.

Ioan 19. vers. 38.

Sed nec 2. Proprietas Apostolica quæ consistit in *Prædicatione Euangelij*, vitæ Fratrum Minorum deficit; quippe quibus ex vi Regulæ, vt in cap. 9. Officium Prædicationis imponitur, & cap. vltimo *Missio ad Infideles* absolutè concredita est, sub sola auctoritate Generalium & Prouincialium Ministrorum.

FF. Minoribus competit etiam 2. proprietas Apostolorũ 1. Prædicatio Euangelij.

3. *Finis* denique Apostolicæ Vitæ (qui Tendentiam ad Apicem Perfectio-

Item & tertia qui est finis.

nis

nis dicit) ex Regula vero Fratri Minori præfixus est, dum cap. 10. eis injungitur, Quòd *super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde; habere humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate, & diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt, & arguunt*, &c. In quibus omnibus tota perfectio vitæ delineatur.

Reg. c. 10.

Summam quidem horum omnium quæ dicta sunt, perstringit Eminentissimus Cardinalis Iacobus de Vitriaco, S. Francisci contemporaneus in Hist. Occid. c. 23. vbi loquens de Fratribus Minoribus & eorum vita: *Adeò* (ait) *Primitiuæ Ecclesiæ Religionẽ, Paupertatem & Humilitatem in se reformare diligenter procurant, Puras Euangelici fontis aquas, cum sitis & ardore haurientes: Quòd non solùm Euangelica Præcepta, sed & Consilia, vitamq; Apostolicam expressiùs imitantes adimplere laborant: Omnibus quæ possident renuntiantes, seipsos abnegantes, Crucem sibi tollendo nudi nudum sequentes, relinquẽtes pallium cum Ioseph, Hydriam cum Samaritana, expediti currunt, ambulant ante faciem suam, & non reuertuntur, posteriora oblitis in anteriora semper & passibus contínuis extenduntur, volantes vt nubes, & sicut columbæ ad fenestras suas, nè mors per fenestras ipsius intrare valeat, cum omni diligentia & cautela prouidentes.* Infrà de Officio Apostolico: *Mittuntur autem bini ad prædicandum tamquam ante faciem Domini, & ante secundum eius aduentum: Ipsi autem Christi Pauperes, neque sacculum in via portant, neque peram, neque panem, neque æs sine pecuniam aliquam in Zonis suis, non possidentes aurum, neque argentum, nec calceamenta in pedibus habentes; Nulli enim huius Ordinis fratri licet aliquid possidere. Non habent Monasteria vel Ecclesias, non agros vel vineas, non Domos vel alias Possessiones, neque vbi caput reclinent*, &c. Quæ omnia Apostolicam vitam spirant, & suis locis magis explicabuntur.

Iac. de vit. Hist. Occid. c. 23. FF. Minorum vita & officij forma.

§. V.

Virtute Regulæ à Christo dictatæ omnes Promissiones Apostolis factas, Ordo Fratrũ Minorum hereditauit.

VArias Promissiones Apostolis Christum sequentibus tum ratione *Formæ vitæ*, tum ratione *Officij & Prædicationis*, tum ratione *gradus* ad quem electi sunt, factas esse Scriptura vbique commemorat.

Et quidem 1. Ratione, *Formæ vitæ* ijs qui reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum gloriæ gradus eminentis. Vita æterna, & Promissio necessariorum in vita mortali repromissa sunt. Ita Matth 19. *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel: Et omnis qui reliquerit Domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Centuplum vtique, etiam in remuneratione liberali in hoc sæculo, vti Marci 10. Christus seipsum explicat: *Nemo* (inquit) *est qui reliquerit domum aut fratres*, &c. *propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantùm, nunc in tempore hoc, Domos, & Fratres, & Sorores, & Matres, & Filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Quæ quidem æquiualenter & non formaliter intelligenda sunt, id est, solatium necessarium quod ex domibus & parentibus, &c. accipere posset, luculentiùs ei etiam in persecutionibus manifestabuntur Dei singulari prouidentiâ, quàm si illa in se formaliter possideret. Quod cõfirmatur per verbum (*multò plura*) Lucæ 18. *Nemo est qui reliquit domum, aut Parentes, aut Vxorem, &c. propter Regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo vẽturo vitã æternam.* Quia, vt benè S. Hieronymus lib. 3. in Matth. cũ *Quis carnalia pro Salutore dimiserit, Spiritualia recipiet quæ comparatione & merito sua ita erunt, quasi si parvo numero centenarius comparetur.* Vnde conformiter monentur Apostoli & Discipuli Matth. 6. in sermone Domini in monte: *Nolite* (ait) *solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*, &c. *Scit enim Pater vester, quia his indigetis: Quærite ergo primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quæ quidem Prouidentiæ Diuinæ singularis Promissio etiam in ratione Officij Prædicationis ab effectu conuincitur, Luc. 22. vbi Christus in vltima cœna interrogat Discipulos suos: *Quãdo* (ait) *misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil:* Omnia enim sine dubio eis speciali Dei bonitate ministrabantur. Vnde & Matth. 10. eos mittens dicebat: *Dignus est operarius cibo suo:* Et cap. 6. adduxerat in Exemplum prouidentiam circa *volatilia cæli, quæ non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, & nihilominùs Pater cælestis pascit ea.* Et intulerat: *Nonnè vos magis pluris estis illis?*

Quando promissa sint Apostolis sequentibus Christũ. Matth. 19. vers. 28.

Marci 10. vers. 29.

Promissa temporalia quomodo intelligenda.

Lucæ 18. vers. 29.

S. Hier. l. 3. in Matth.

Matth. 6. vers. 31.

Lucæ 22. vers. 35.

Matth. 10. vers. 10. Et cap. 6. vers. 26.

2. Non tantùm Promissio illa necessariorum facta erat Apostolis, sed etiam *merces promissa* illis qui eos pascerent, aut eis de ne-

Promissio illa etiam respicit Apostolorum amicos.

de necessarijs prouiderent Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: Et, Qui recipit Iustum in nomine Iusti, mercedem Iusti accipiet: Et, Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam.*

Matth 10. vers. 40.

Promissa Apostolis prædicantibus Spiritus S. assistentia. Ioan. 14. vers. 26.

3. Ratione *Officij* promiserat Christus Apostolis euntibus per mundum ad euangelizandum verbum Dei singularem *Spiritus sancti assistentiam.* Ioan. 14. *Paraclytum autem Spiritum sanctum quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et Matth 10. *Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Matth. 10. vers. 19.

Item securitas, sanctificatio, & vnitas. Ioan 17. vers. 9.

Vers. 15.

4. Ratione gradus *Apostolicæ Perfectionis*; Omnem *securitatem, sanctificationem & vnitatem* apprecatus est Apostolis Ioan. 17. *Ego pro eis* (ait) *rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Pater sancte: Serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Infrà: *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo: sanctifica eos in veritate.*

Item multiplicatio operariorum. Luc. 10. Matth 9.

5. *Multiplicationem Operariorum*, mittendorũ in Domini messem in adjutorium Apostolorum insinuauerat eorum precibus, Luc. 10. & Matth. 9. *Messis multa* (ait) *Operarij pauci: Rogate ergo Dominum Messis vt mittat Operarios in messem suam.*

Promissa eadem S. Francisco cum suis hæreditatis.

Has omnes Promissiones Christus dans Regulam S. Fr̃ancisco hæreditariè illi confirmauit pro se, suisque fratribus. Sic enim Regula iam data, Christum S. Franciscum compellasse narrant antiqua Ordinis Monumẽta. Et ex illis R. P. Lucas Wadingus ad annum 1223. vbi refert quod post descensum de monte Palumbo, & demõstratam suis Regulam, quam à Christo acceperat, cùm nonnullis durum visum esset, nihil omninò in cõmuni possidere: Franciscum ad locum vnde venerat reuersum cum Christo Legislatore, & Magistro iniisse consilium, a quo ita responsum: *Ego pars, hæreditas eorum ero, volo vt immisceantur terrenis curandis, omnium huius vitæ Virorum. Ego me cõstituo Œconomum: Nec permittam vt quidquam ex necessarijs vitæ elementis eis deficiat, dum illi curauerint hanc Regulam obseruare: Quo major eorum numerus, eo major videbitur mea prouidentia, dum in me jactauerint cogitatum suum, enutriam eos, neque in æternum dabo fluctuationem iustis.*

Non absimilis Promissio à S. Bonaventura scribitur in Legenda Majori, quam refert Fundamentum Trium Ordinum t. 2. p. antiquæ Impressionis folio 14. Cùm S. Francisco turbato, & oranti ob nonnulla mala suorum Fratrum Exempla, Christus apparens: Hanc ei declarationem dedit: *Cur turbaris* (aiebat) *pauper Homuncio: An ego te super Religionem meam sic Pastorem instituì, vt me principalem nescias esse Patronum? Hominem simplicem ad hoc te constituì, vt quæ in te fecero non humana industria, sed superna gratia adscribantur.* Et subjunxit: *Ego vocauì, Seruabo & Pascam, & alijs excedentibus, alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci. Et quãtumcumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa Religio, sedna semper meo munere permanebit.* Quæ omnia singularem probant assistentiam, qualis Apostolis promissa erat. Quam confirmant singularia tria Priuilegia quæ S. Pater à Christo accepit, postquam ei sacra Stigmata impressisset.

Fitmanlit. 3 Ord. f. 14.

Tria Priuilegia à Deo S. Patri data.

1. Quòd quantò plures fratres essent in Ordine, & eorum numerus augeretur, tantò meliùs, & abundãtiùs eis prouideretur, & quòd Ordo duraret vsque ad diem Iudicij. 2. Quòd nullus volẽs in Ordine malè viuere, poterit in illo diu perseuerare, vel permanere. 3. Quòd quicumque ex corde diligit Ordinem suum, quantumcumque sit Peccator, misericordiam à Domino consequetur pœnitendo, id est: Per Pœnitentiam, cuius donum misericorditer indulgebit illi Deus. Quorum Priuilegiorum authenticum testimonium reseruatur in Ecclesia Montis Aluernæ, vbi mensa quædam lapidea ferreâ crate contecta ostenditur super qua Christus apparuit, dum S. Francisco hæc Priuilegia concessit, quam ideò S. Pater per F. Leonem curauit primò aquâ, deinde vino, postmodum lacte lauari, rursùs oleo, ac tandem balsamo inungi in honorem Christi super illa apparentis, & sibi secreta Diuina reuelantis: Cui ad perpetuam memoriam est incisa hæc Inscriptio: *Mensa B. Francisci, super quam habuit mirabiles apparitiones, sanctificansq; ipsam effudit oleum desuper dicens: Hic est Ara Dei.*

Quanta reuerentia ad mensam, in qua ista priuilegia concessa S. Francisco.

Et vt ad singulas Promissiones ordinatè reuertamur: Illarum testimonium publicum reddidit varijs occasionibus Seraphicus Pater.

Promissio prima.

De *Prima* enim: Pontificem *Innocentium III.* Primæ Regulæ Approbatorem securum reddidit, dum proposita Parabola de Connubio Regis diuitis cum Spõsa paupere, ex qua filios plurimos suscepit, intulit: *Non est formidandum* (inquit) *quòd fame pereant æterni Regis filij & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritum sanctum virtutem de paupere Matre nati: Nam & ipsi per Spiritum Paupertatis*

Opusc. to. 3.

sunt

sunt in Religione paupercula abundè nutriendi: si enim Rex cœlorum imitatoribus suæ promittit Regnum æternum; quantò magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis, & malis. Vide in *Opusculis S.P. Francisci tom.3.* Parabolam primam. In qua inter Paupertis Reginæ natos Primogeniti ponuntur Apostoli, & prouidentia circa illos vocatur, *Regis cælestis Mensa* in qua eos alendos suscepit, & aliæ Diuinæ Prouisiones narrantur, quas Paupertatis altissimæ filij, Fratres Minores hæreditarũt. Quibus permotus Diuinitùs Pontifex Regulam Primam, vt aliàs dictum est, approbauit.

S. Bonau. cap.3. vitæ. Ita refert *S. Bon. c.3. vitæ, Pisanus* l.1. *Confor.* 12. Non absimile testimonium dedit Pauperum Patriarcha *Honorio III.* antè Confirmationem secundæ Regulæ possessiones suadenti: *Confido* (ait) *in Domino Iesu, quòd qui nobis in sæculo repromisit, & dabit vitam, & gloriam sempiternam, non subtrahet nobis illa modica, quæ corporis victui, & vestitui sunt necessaria.* Pisan. l 2. Conf. 4.

Pisan. l.2. Conf.4.

Promissio secunda. De *secunda* Promissione, facta in gratiam eorũ qui fratribus suis eleemosynam forent largituri, sic testatus est *Colloquio* 37 apud Pisanum l.1. Conf. 12. & 18. & l. 2. Conf. 4. *Hæc* (ait) *nonissimâ horâ Fratres Minores commodate sunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à Iudice commendentur, illud audientes suauissimum verbum: Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Impij verò, & crudeles reprehendantur, & ejciantur audientes durissimum illud eloquium: Quamdiu non fecistis vni de Minoribus his, nec mihi fecistis.* Et infert: *Iucundum ergo est, sub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in Retributione Iustorum Euangelica veritatis Magister, ore suo tam signanter expressit.* Hæc ille.

Idem colloq.37. Pisan. l 1. Confor. 12. Et l. 2. Confor. 4.

Promissio tertia. De *tertia* Promissione, *Assistẽtia* scilicet *singularis* in Prædicatione verbi Dei, absolutè Fratribus testatus est Collat. 2. Vbi ab oriente veniens, & vocationem suorũ Fratrum in spiritu feruoris commendãs: *Consideremus* (ait) *Fratres charissimi vocationem nostram, quâ vocauit nos misericorditer Deus non tantùm pro nostra, sed pro multorũ etiam salute, vt eamus per mundum, exhortando omnes plus exemplo, quàm verbo, ad agendã pœnitentiam de peccatis suis, & ad habendam memoriam mandatorum Dei.* Et subdit Promissionem: *Nolite* (inquit) *timere, quia pusilli, & insipientes videmur, sed securi annunciantes simpliciter pœnitentiam, confidentes in Domino qui vicit mundum: Quòd Spiritus suo loquetur per vos, & in vobis, ad exhortandum omnes, vt conuertantur ad ipsum, & eius mandata obseruent:* Hæc ibi.

Collat.2.

Promissio quarta. De *quarta* Promissione *omnium Benedictionum* Apostolis necessariarum: latissimè Seraphicus Pater c.22. Regulæ primæ, vbi omnia quæ Apostolis Christus in vltima cœna indulsit, breui compendio suis fratribus completa denuntiat. Videatur suprà.

Promissio quinta. De *quinta* super *multiplicatione Operariorum* clarissimam Enarrationem habet Collat.1. *Confortamini* (ait) *charissimi, & gaudete in Domino: nec quia pauci estis, efficiamini tristes, nec vos terreat mea, vel vestra simplicitas: Quia signa à Domino mihi in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet vos crescere Deus, suaq; Benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit: Multi conuertentur ad Dominum, & per vniuersum mundũ multiplicabit Deus familiam suam, & angebit.* Infrà: *Vidi multitudinem magnam hominum, ad nos venientium: & in habitu Sanctæ Conuersationis nobiscum volentium conuersari: Et ecce adhuc sonitus eorum in auribus; euntium, & redeuntium secundùm Obedientiæ sanctæ mãdatum: Veniũt Francigenæ, festinant Hispani, Teutonici, & Anglici currunt, & aliarum diuersarum linguarũ multitudo maxima accelerat:* Hæc ibi. Et de *Officio Prædicationis* specialiùs loquens. Collat. 2. *Nolite* (ait) *timere, quoniam non post multum temporis, venient ad vos multi sapientes, & nobiles, eruntq; vobiscum Prædicantes Regibus, & Principibus, & Populis multis.* Quæ omnia euenisse experientia docuit, & in Historijs Ordinis trivialia sunt, & passim occurrunt.

Collat.1.

Collat.2.

§. VI.

Virtute Regulæ secundæ Ordo Minorum ad Hierarchiam Ecclesiasticam perfectam, sub Primaria assumptus est.

VIdebitur nonnullis hic Paragraphus nimis altè sapere velle, & Ordinem Minorum in sublime contra innatam Status humilitatem erigere, vltra communem Ecclesiæ sensum, & opinionem. Verùm attendat Lector, Horâ vndecimâ venientes ad vineæ culturam, eandem mercedem accepisse cum primis, quibus murmurantibus respondit Pater familias: *An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam, quia ego bonus sum?* Matth 20. vers. 15. *Amice non facio tibi iniuriam: Tolle quod tuum est, & vade.* Nemo itaque succenseat: si Ordo Fratrum Minorum Status Hierarchici dignitatem participatam sibi à Christo, per Regulam collatam agnoscat; non enim alicuius excellentiæ, aut honoris gratiâ id facit, sed participationis operum, & laborũ se debitorẽ agnoscit, & sacræ seruitutis Deo, & Ecclesiæ per hoc ipsum homagium facit.

Etsi

Etsi enim certum sit; (exponente doctissimo Ioanne Gersone Cancellario Parisiensi, cum communi sensu lib. de Statibus Ecclesiasticis) Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & Subcælestis Primatum Monarchicum, & Regalem à Christo omnis Hierarchiæ fonte influente, Summum Pontificem Romanum in Petro perseueranter, & multipliciter accepisse, & Hierarchas Episcopos in Apostolis iuxta Ordinem suum à Christo in Ecclesia visibili constitutos: à quibus & gradum suum acceperunt Curati, & alij Ordinum inferiorum Ministri, ac demùm Ordines Religiosos in subsidiarios Ecclesiæ subintrasse. Quid vetat? Si Christo, ac summo Ecclesiæ Romanæ Hierarchæ Christi Vicario approbante, per Regulæ à Christo dictatæ instrumentum publicum, demonstrauero ad Statum Hierarchicum Ordinem Fratrum Minorum assumptum, non per Priuilegium, sed ex natura Regulæ, & Institutionis suæ. An fortè non licuit Christo eiusque in Primatu Ecclesiasticæ Hierarchiæ locum tenenti, quod voluerunt facere? An inuidorum oculus nequam, quia Christus bonus: Vt ergo absque inuolucris res tota manifesta fiat, quia maximi momenti est, & ab illius declaratione plurimæ difficultates sopiendæ promanant: Quæstiunculis distinctis omnem Doctrinam proponam.

Hierarchia primatus, à Christo Papæ Rom. datus,

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid sit Hierarchia Ecclesiastica?

NE supercælestem Hierarchiam de qua S. Dionysius, his commisceamus, aduertendum est, *Hierarchiam creatam* sic definiri à Gabriele in 2. d. 4. *Hierarchia creata, est sacra Potestas, plures continens Ordines, communicans inferioribus, determinato Ordine, quod à prima Potestate Diuina suscepit.* Dicitur *(sacra Potestas)* deriuatione sumptâ à *ipse* quod est *sacrum*, & *archi* quod *Principatum* sonat. Dicitur *(plures continens Ordines)* Sicut enim varij sunt gradus, & variæ actiones, sic tum in Angelica, tum in Ecclesiastica Hierarchia, plures assignantur Ordines, pro varia Hierarchiarum dispositione, pulchritudine, & decore, & operationū diuersitate. Dicitur *(Communicās Inferioribus determinato Ordine, quod à prima Potestate Diuina suscepit)*. Omnis enim Hierarchiæ Principatus, & Potestas, sicut ad Deum reducit, sic à Deo procedit, omnisq; actio, scientia, effectus ab eo profluit, qui omnis boni & concordiæ ac vnitatis principium est. Vnde & S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. *Huius* (ait) *Hierarchia principium est Trinitas, quæ est fons vitæ, Bonitatis essentia, vna causa rerum omnium, à cuius bonitate, & statu & bonus status, ijs quæ sunt conceditur.* A Sanctissima itaque Trinitate, Angelica pariter, & Ecclesiastica Hierarchia deriuatur, communique definitione à Dionysio definitur: *Ordo sacer, & scientia, & operatio, quæ ad Dei similitudinem pro viribus nititur, ac pro modo suo ad imitationem Dei, ex indulta sibi Diuinitùs luce subuehitur.* Ex quibus omnibus sic diffinitionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ formo.

Hierarchia creata quid sit iuxta Gabrielem.

Dion. de Eccles. Hierarch. c. 1.

Quid sit iuxta Dionys.

RESOLVTIO.

Hierarchia Ecclesiastica, est sacra Potestas à Christo Iesu Ecclesiæ Capite instituta, in Petro, & Successoribus residens, Ordinibus, & variis Gradibus legitimè subordinatis Diuinâ Institutione communicabilis, & communicata, ad totius Ecclesiæ (quæ est Corpus Christi) regimen, & Animarum in Deum per sacras actiones, & operationes reductionem. Hæc descriptio in substantia sumitur ex S. Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia c. 1.

Hierarchia Ecclesiastica quid Ibidem c. 1.

Dicitur *(sacra Potestas)* Nam vt ait dictus Sanctus: *Hierarchia nostra ad Sanctum Sanctorum refertur, continetq; Sanctorum filiorum, sanctissimè diuinitùs traditam, ac diuinam diuinosq; efficientem, & scientiam, & actionem, & perfectionem* &c. Siue vt ibidem. *Hierarchia nostra, est ratio complectens omnia sacra, quæ ad eam pertinent, secundùm cuius ritus Diuinus Hierarcha initiatus, omnium Sacrorum quæ eum attingũt, omnium Sacratissimorum gradum sacri eius* Ordinis dignitate inferiorum particeps erit, tamquam à supremo sacerdotij gradu nomen sortitus.

Dicitur *(à Christo Iesu Ecclesiæ Capite instituta)* Jesus enim (eodem Dionysio teste) *Mens est, & Diuina maximè, & Essentia superior, omnisq; Hierarchia tum Sanctitatis, tum Diuinæ actionis principium & Hierarchiarum Auctor, atque perfectio.*

Dicitur *(In Petro, & Successoribus residens)* Summus enim Pontifex Principatum, siue Primatum ex Christi Institutione in hac Hierarchia obtinet, & vt ait D. Dionysius suprà: *Ipse Pontifex pro sua natura, modo, & ordine in Diuinis Mysterijs, ac rebus perficitur, atque Diuinitatem consequitur: vt eis qui ipsi parent Diuinam similitudinem, quæ in eo diuinitus inest, pro suæ cuique dignitate impertiat,* &c.

Dicitur (*Ordinibus, & variis gradibus legitimè subordinatis, diuinâ institutione communicabilis, & communicata*) communicata quidem à Christo primò *Apostolis*, quos ibidem S. Dionysius *Hierarchiæ* nostræ *Duces ac Principes* vocat, demùm & 72. *Discipulis*, quibus Potestas à Christo data est: Com-

est: *Communicabilis verò per supremum Hierarcham, & primos Apostolos, Successoribus Apostolorum, & Discipulorum*, id est Episcopis, & alijs Ecclesiarum Ministris, qui ad Hierarchica munia, & Gradus Hierarchicos eliguntur, & ordinantur.

Episcoporũ Potestas vnde.

Hic porrò aduertendum est: Quòd etsi Potestas Episcoporum, imò & Inferiorum Ministrorum, vt Curatorum, ac aliorum, substantialiter sit à Christo instituta, & consequenter ex Institutione Diuina; quatenùs tamen Personas spectat, siue quatenùs Ioanni, vel Petro applicatur, & confertur, siue quatenùs hæc persona præ altera eligitur, pertinere ad Potestatem humanam, radicaliter quidem, sed non formaliter in Institutione Diuina constantẽ. Vnde Designatio Episcoporum Potestati humanæ concessa est: Ordinatio autem illorum qua eis Potestas Sacrorum confertur, à Potestate Diuina emanat. Quare in descriptione ponitur (*communicata*) pro Primitiuis, qui à Christo Potestatem Hierarchicam acceperũt: *Communicabilis* autem, pro ijs quibus à Petro, & Successoribus communicatur.

Dicitur in Descriptione (*Legitimè subordinatis*) ad Essentiam enim Hierarchiæ requiritur, vt Ordines, & gradus in Ecclesia harmoniacè, & consonanter inuicem recto ordine se respiciant.

Dicitur (*Ad totius Ecclesiæ quæ est Corpus Christi regimen &c.*) Hic est enim finis Potestatis Hierarchicæ, vt neruosè, & pijssimè S. Dionysius loco allegato ostendit, & per totum librum de Ecclesiastica Hierarchia demonstrat.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quæ requirantur ad perfectam Hierarchiam?

RESOLVTIO.

Ad Hierarchiam quæ requirantur.

QVatuor ad Perfectam Hierarchiam requiruntur. 1. *Potestas Sacra* in Principe Primario, siue etiam mediatis Principibus, iuxta eorum qualitatem residens. 2. *Ordines, & Gradus Officiorum*, quibus Potestas Sacra actu communicatur. 3. *Operationes* quibus Potestas illa administratur. 4. *Personæ* in quas Operationes exercentur. Vnde aliud est esse de Hierarchia; Aliud sub Hierarchia: De Hierarchia enim dicuntur esse, qui munia Sacræ Potestatis exercent: Sub Hierarchia autem, illi in quos proportionatè Operationes Hierarchicæ exercentur.

Esse de Hierarchia, & esse sub Hierarchia quomodo differant.

In Hierarchia Ecclesiastica, quot gradus.

Triplices verò sub Capite, & Primatu Ecclesiæ Ordines & Gradus enumerat Concilium Trident. sess. 23. Can. 6. *Si quis* (ait) *dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Diuinâ Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, Anathema sit.* Vbi per *Episcopos* intelligit omnes Gradus qui Episcopale Ministerium pro sua qualitate proportionatè participant: Per *Presbyteros*, illos qui in Pastorali siue Parochiali Cura communicant; Per *Ministros*, Gradus illorum qui ad varia Ministeria assumuntur, vt ad Prędicationes, & Sacramentorum & Sacrarum actionum administrationes.

Conc. Trident. sess. 23. Can. 6.

Quot personæ participantes Operationes Hierarchicas.

Triplices etiam Personæ Hierarchicas Operationes percipiunt: *Clerus, Monachi, Populus.*

Quot Operationes.

Triplices tandem Actiones capitales à Potestate Hierarchica procedunt: *Illuminatio, Purgatio, Perfectio.*

QVÆSTIVNCVLA III.

An Ordo Fratrum Minorum ex Natura, & Vi Status, ac Regulæ suæ, Gradum singularem in Hierarchia Ecclesiastica obtineat, & in qua qualitate?

Ordo FF. Minorum dupliciter considerat.

ADuertendum: Ordinem Fratrum Minorum in hac materia dupliciter considerari posse. 1. *Intra se.* vt est Congregatio Religiosa Superioribus, Officijs, & familijs constans, sub Regulari, & Monastico Regimine. 2. *Ad Extra:* vt Actiones, & Exercitia sibi concredita in Ecclesiam vniuersalem exercenda habet, vt sunt Prædicationes verbi Dei, Conuersio Infidelium, Administratio Sacramẽti Pœnitentiæ, &c. His sic prænotatis sit

RESOLVTIO I.

Ordo FF. Minorum ad intra obtinet gradum in Eccles. Hierarchia.

DIco 1. Ordinem Fratrum Minorum ad intra, vt est Congregatio Religiosa, obtinere & constituere Gradum in Ecclesiastica Hierarchia, ad illamque essentialiter pertinere:

Ratio Fundamentalis clarissima est: Quia in se continet Potestatem sacram, à Christo, & eius Vicario Summo Pontifice immediatè communicatam, siue actu influentem, per singulares Hierarchas, & Ministros legitimè subordinatos, ad Ecclesiæ partialis Regimen, & reductionem Animarum sibi subiectarum, per sacras Operationes in Deum: Eique tota Diffinitio Hierarchiæ competit ex natura, & Institutione sua.

Ordo ex vi Regulæ immediatè subijcitur Papæ.

Quæ ratio sic declaratur: Subijcitur enim Ordo Minorum (absque aliqua Exemptione priuilegiata, quâ alij Ordines gaudẽt) ex Natura Regulæ, & Institutione

A quo participat omnem sacram Potestatem.

sua (Christo Domino Regulæ Dictatore, sic definiente & declarante) immediatè supremo Hierarchæ, *Summo Pontifici Romano* (cui Votum speciale Obedientiæ emittit) qui omnem Potestatem sacram tam Gubernatiuam, quàm Correctiuam, & Conseruatiuam influit, & communicat vel immediatè, vel mediante *Cardinale Gubernatore, Correctore & Protectore* ad hoc à supremo Hierarcha constituto. Influit (inquam) in *Ministrum Generalem, & Prouinciales* tamquam Hierarchas, & *Custodes* ac *Guardianos*, tamquam Hierarchiæ subordinatos Ministros, ad dirigendas, corrigendas, & conseruandas familias Fratrum, & Fratres ad Deum reducendos; absque alicuius alterius Potestatis necessaria interuentione.

Hæc omnia patent ex textu Regulæ à Christo dictatæ: Et quidem 1. subiectio immediata exprimitur c. 1. *Frater Franciscus promittit Obedientiam, & Reuerentiam Domino Papa Honorio, & Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ:* Et deriuationem immediatam Potestatis exprimens: *Et alij* (ait) *Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.* Ergo sacra Potestas supremi Hierarchæ per Votum Obedientiæ hunc Ordinem immediatè sibi, Christo decernēte, copulauit, & immediate subiecit: Et demùm: Potestatem sacram communicauit *Fratri Francisco* non tantùm vt Fundatori, sed vt Superiori siue Ministro Generali, quæ etiam in Successores Ministros Generales ex natura Regulæ deriuaretur, & iuxta alia Capitula Regulæ in Prouinciales & Custodes, siue Guardianos legitimâ distributione proportionaliter transiret.

Reg. cap. 1.

Et nè fortè communi decreto quo Monachi à principio, & eorum Monasteria ad Episcoporū regimen transibant, hic Ordo similiter putaretur ex sui Institutione Episcopis debere subijci, speciali Præcepto Cardinali Protectori subijcitur, vnde cap. 12. sic concluditur: *Ad hæc per Obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa, vnum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector huius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Domini nostri Iesu Christi Euangelium, quod firmiter promisimus, obseruemus.* Ex quibus verbis conuincitur: Ordinem Fratrum Minorum quoad totam suam Obseruantiam immediatè Potestatem sacram, & Regimen à Summo Pontifice accipere, & non per Episcopos, ipsamq; potestatem sacram, vel per ipsum Pontificem Summum immediatè, aut per Cardinalem ad hoc à Summo Pontifice

Reg. cap. 12.

institutum, deriuari in Prælatos Generales, Prouinciales, & alios iuxta subordinationem à Christo in Regula præscriptam. Et hanc fuisse Ecclesiæ mentem à principio, nec non Ordinis praxim ostendit Bulla *Gregorij IX.* quæ incipit: *Inducimur pia conuersationis vestræ, &c. Data Laterani 3. Kalend. Martij Pontif. anno 14.* Cuius originale habetur in Archiuo conuentus Brugensis Prouinciæ S. Ioseph in Comitatu Flandriæ: In qua Pontifex informatus, quòd Episcopi à Fratribus Minoribus Obedientiam manualem postularent, id est, vt in litteris & libellis supplicibus ad Episcopos, subscriberent illis *Obedientiam & Reuerentiam*, hoc ipsum tamquam Episcopis indebitum ex natura, & Institutione Ordinis Pontifex prohibuit fieri: Verba Bullæ sunt: *Hinc est quòd cū quidam Prælati Ecclesiarū, qui sicut accepimus, vos sibi deuotos inueniunt, & in exhibitione condignæ reuerentiæ studiosos, à vobis Obedientiam exigunt manualem:* Et subiungit: *Nos id arbitrantes incongruum, & reputantes indignum, vt nullus ex Prælatis eisdem absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, à vobis dictam Obedientiam manualem præsumat exigere, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Nulli ergo hominum &c.* Vide Emanuelem Roderiguez in Bullario, Gregor. IX. Bulla 3.

FF. Minores non tenentur ad Obedientiam Manualem Episcopi.

Gregor. IX. apud. Rod. Bulla 3.

Ex quibus omnibus constat clarissimè: Duo Primaria quæ ad Hierarchiam constituendam pertinent, nimirùm: Potestatem sacram in Principe Supremo, & deinde eius influentiam in Ordines, & gradus sibi inuicem subordinatos, in Religionem Fratrum Minorum simpliciter, & absolutè reperiri: Et Ordinem Fratrum Minorum, non ad instar aliorum Exemptione Priuilegiatâ, Exemptum dici: Sed ex vi Regulæ immunem natum, ab omni Iurisdictione, & Regimine externo, soli Hierarchæ supremo, Summo Pontifici, Vicario Christi subijci, & ab illo, vel immediatè, vel per Cardinalem Gubernatorem, Protectorem, Correctorem omnem influentiam necessariam recipere per Ordinarios Domesticos Superiores. Quòd si aliquando Bullæ Ordinem ab Episcopis eximentes referantur: Illæ non tam eximunt, quàm Natiuam, & Originalem Independentiam confirmant, contra illos qui eam inuadere satagebant, vt ex Bulla Gregor. IX. allegata constat.

Ordinis Minorū exemptio in quo differat ab exemptione aliorum Ordinum.

Quod autem spectat ad Actiones Hierarchicas, & Personas in quas intra Ordinem exercentur: Superuacaneum foret illas recensere, cùm Regula tota non nisi Illustrationibus, Purgationibus, & Perfectionis modis, & medijs constructa sit, quibus ingens illa fraternitas, ad Euangelicæ

Perfe-

Perfectionis Apicem,& cum Christo vnionem deducitur, vt ex dicendis suo loco patebit.

RESOLVTIO II.

Ordo FF. Minorum ad extra obtinet specialem gradum in Ecclesiastica Hierarchia.

DIco 2.Ordinem Fratrum Minorum, vt ad extrà Ecclesiam respicit, obtinere similiter gradum Hierarchicum in Ecclesiastica Hierarchia,sub supremo Hierarcha specialem,ex vi Regulæ, & Christi Instituto: Hæc iterùm Resolutio constat ex diffinitione Hierarchiæ, & ipsis viscetibus Regulæ Fratrum Minorum,à Christo dictatæ. Potestas enim sacra in Supremo Hierarcha residens, de facto Christo dictante per Regulam deriuatur, & influit in Hierarchas Ordinis, Ministros Generales, & Prouinciales, non tantùm ad Regimen Fratrum, sed ad fideles in Ecclesia vniuersali vniuersaliter Purgandos, Illuminandos, Perficiendos per Prædicationes, Sacramentum Pœnitentiæ,& alia exercitia ad quorum exercitationem, Potestas absque Episcoporum necessaria concurrentia à Generalibus, & Prouincialibus Ministris immediatè conceditur ex influentia Supremi Capitis Hierarchiæ. Hæc constant ex ipsis Regulæ contextibus.Vnde cap.9.

Reg. c.9. FF Minorũ potestas prædicandi immediatè à Generali Ministro.

Nullus Fratrum Populo audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo Officium Prædicationis sibi fuerit concessum. Ex quo manifestum est,Auctoritatem, simul & Iurisdictionem Concionatorum Ordinis, prouenire à Ministris Generalibus, in quos deriuatur à supremo Hierarcha sacra illa Potestas;ita vt Fratribus Ordinis ex vi Professionis,& Regulæ suæ cõpetat Prædicare,potestate non aliundè acceptâ, sed per Ministrum Generalem Ordinis à supremo Hierarcha ordinatè deriuata. Quòd enim ibidem prohibetur Fratribus, vt *non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum:* Illud debitæ reuerentiæ est: & vt notat S. Bonauentura non requiritur, vt interueniat Episcopi auctoritas, sed tãtùm vt non contradicat. Vnde idem S.

S. Bonav. in cap 9. Reg.

Bonauentura ibidem in c.9. Regulæ: *Ex isto* (ait) *Capitulo Regulæ patet: Quòd Fratres ex sua Professione habent prædicare; In quorum Regula specialis tractatus de Prædicationis Officio continetur. Vnde certissimè constat, quòd nullis alijs Religiosis plus competit prædicare ex ratione Status sui, quàm his qui hanc Regulam profitentur.* Hæc S. Bonauentura. Qui & suprà eodem cap. volens ostendere hanc prædicãdi Potestatem pertinere ad Hierarchiam, & procedere à supremo Hierarcha.

Idem.

Hierarchia (ait) *secundùm Dionysium est,Potestas ordinata,ad dispensandum,sacra omnia Potestati subiecta. Vnde & ipse Hierarcha habet totam Potestatem in se ordinatam, quæ est in Hierarchia per varios gradus distributa. Et nominans Hierarchiam, nominat omnem Hierarchicã Potestatem.* Vnde docet Dionysius lib.de Hierarchia Eccles. *Licèt ille Hierarcha alijs tradat sibi subditis Potestatem, manet tamen apud eum Ordinaria Potestas, ad agenda omnia quæcumque per sibi subditos fieri possunt,ad salutem fidelium procurandam.* Hæc S.Bonauentura,quæ & latè prosequitur ibidem, ostendens, Fratres Minores quidquid agunt in Prædicationibus, & Confessionibus, iuxta tenorem Regulæ suæ in vim supremi Hierarchæ agere, eiusque vicem gerere in Hierarchicis actionibus, adeoque Parochos Fratres Minores legitimè missos recusantes, mortaliter peccare; secundùm illud Apostoli ad Rom.13. *Qui resistit Potestati,Dei Ordinationi resistit.*

FF. Minores legitimè missos ad prædicãdum admittere nolentes qualiter peccent.

Rom.13. vers.2.

Indicat verò S. Bonauentura Fratres sic Hierarchicè ad prædicandum missos, gradum obtinere in Hierarchia inter *Opitulationes*, de quibus Apostolus 1. ad Cor. 12. vbi recensens varios Hierarchiæ gradus: *Quosdam* (ait) *posuit Deus in Ecclesia. Primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores,deinde virtutes,exinde gratias curationum, Opitulationes, Gubernationes, Genera linguarum, Interpretationes sermonum.* Vbi *Opitulationes*, ante *Gubernationes* recensentur, vt non minùs existimentur in Hierarchia,qui ad *Opitulandum* animabus mittuntur,quàm illi qui gubernant, cùm sæpiùs plus præstet in Hierarchia qui *Opitulantes* siue *Subsidiarij* sunt, quàm qui ad clauum Gubernij otiosè frequẽter sedent.

FF. Minores tales censentur inter Opitulationes.

1.Cor.12. vers.28.

Nota.

Non enim ab honorum gradibus Hierarchicæ actiones æstimandæ sunt,sed à fructu,& vtilitate Ministerij:Nam vt benè ibidem S.Paulus: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,* siue vt explicat ad Ephes 4. *Ad consummationem Sanctorum in opus Ministerij, in ædificationẽ Corporis Christi.* Cùm igitur Ordo Fratrum Minorum,ex Regula,& Instituto teneatur Prædicatores mittere vniuersaliter, quid mirum est, si gradum inter Hierarchicos Ordines teneat: Quinimò eò superiorem gradum, quò vniuersaliter ad omnes mittantur in forma Apostolica, *sine ære in zonis,sine pera,sine calceamento,sine duplici tunica,sine virga.* cũ symbolo Apostolorum, vt *in quamcumque domum intrauerint, primũ dicant: Pax huic domui.* Quos si à gradu eminentiori duodecim Apostolorum quis secernere velit; à gradu tamen septuaginta duorum Discipulorum nemo sibi præsens illos sequestrare poterit,cùm indifferenter, sicut & septuaginta duo Discipuli in omnẽ

Hierarchicæ actiones vnde existimandæ.

1.Cor.12. vers.7.

Ephes 4. vers. 12.

Lucæ 10. vers. 5.

FF. Minores si non Apostolis saltem 72. Discipulis comparandi.

locum mittatur: Nam vt benè notat S. Th. 2.2.q 188.ar.4. ad 5. *Non enim (ait) legitur quòd septuaginta duobus Discipulis Dominus aliquas determinatas Parochias assignavit, sed quòd mittebat eos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus.* Certè Fratres Minores mittuntur in vniuersum Orbem, tamquam Ministri supremæ Hierarchiæ, nec tantùm ad fideles, sed etiam infideles, vt expressè c.12. Regulæ continetur: Imò cùm Prædicationis Officium circa fideles cap.9. Institutioni Ministrorum Generalium sit reseruatum, Officium Prædicationis ad infideles, singulorum Ministrorum Prouincialium iudicio vniuersaliùs est remissum, vt promptiùs Hierarchicæ Actiones per subditos, in omnem terram diffunderentur.

5 Tho. 2.2. q 188. ar. 4. ad 5.

Et hæc pro loco isto sufficere videntur, vt *Regula sublimitas* etiam ex gradu Hierarchico, quem Ordo ex Regula obtinet, probetur: Alia fortè latiùs dicenda fuissent in gratiam aliorum Ordinum, quibus ex Commissione Hierarchica eædem actiones, & consequenter similes gradus competunt: Alia de diuersitate graduum & actionum, ratione quarum Fratres Minores cum Apostolis, Prophetis, Doctoribus, Virtutibus, &c. participant; Sed hæc congruenter reseruanda putauimus in Titulum, & Fundamentum nonum, vbi de illis fusè agemus. Nolo autem in supradictis aliquid detrahere de Hierarchicis Ordinibus, & Gradibus in Regimine Ecclesiastico sæculari fulgentibus, quibus omnis honos, & reuerentia debetur: Scio enim ordinatissimè sub supremo Hierarcha, Vicario Christi Episcopos Apostolis succedere, quibus alia Ministeria dignè, & ordinatissimè vsque ad Curatos subordinata fuerunt indefessâ serie: sed volui Ordinis mei referre, & agnoscere obligationem ex Regula innatam, quâ insertus Hierarchiæ Ecclesiasticæ, omnibus fidelibus, & infidelibus ad Ministerium, & opera Hierarchica obligatus manet: Vt probatum est, per Fundamentum primum de Missione Extraordinaria Diuina Fratrum Minorum, & præcipuè §.9. Accipiat verò Lector Elucidationis gratiâ Schema Hierarchici gradus Ordinis Minorum

Hierarchia Ordinis Minorum schema.

Hierarchia

1.
Supremus Hierarcha sub Christo Iesu
Summus Pontifex
Ordini Fratrum Min. tam ab intra, quàm ad extra sacram Potestatem influens.

2.
Cardinalis Ordinis Minorum
Gubernator, Protector, Corrector.

3.
Minister Generalis.

4.
Ministri Prouinciales.

5.
Custodes.

6.
Guardiani.

7.
Concionatores, & Confessarij.

8.
Cæteri Fratres.

Ordinis.

Hanc seriem intemeratam tradidit Christus in Regula, Hanc agnouit Romana Ecclesia, & Pontifices Romani in suis Bullis confirmarunt: Hæc à principio Ordinis illibata, vsque ad hæc tempora permansit. Si quæ dubia vel opinabilia occurrant, suis locis resoluentur, & elucidabuntur, nè materiæ ad inuicem confundantur.

TITV-

TITVLVS V.

FVNDAMENTVM V.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Regula à Christo dictata Intemerata Integritas,

Comparata

SARDONYCHI *quinto Fundamento Apostolico.*

Sardonychus qualitas.

SARDONYX (vt Naturales referunt) Gemma pretiosa est, Vnguis humani extremis digitis carni adhærenti colorem ac figuram referens: ὄνυξ enim Græcè, *Vnguem* Latinè significat; vocatur autem *Sardonyx*, quia *Sardy* naturam, & colorem participat; Triplici enim colore *Sardonyx* vestitur; primò *nigro*, medio *candido*, superiore *rubeo*, & sicut vnguis humanus naturâ candidissimus ex adiacente carne rubedinem quandam contrahit, sic interdùm in extremis aliquam nigredinem induit. Hæc verò gemma in quinto Fundamento Apostolico collocatur: Ex eo quòd Apostoli in puritate vitæ Candoris intemerati, per Martyrium carnis rubedinem contraxerint, & in laboribus mundo abiecti, quandam in extremitatibus luctus nigredinem participare visi sunt.

Apostolis comparata.

Item Regula FF. Minorum.

Quàm præclarè Gemma illa in Fundamento Ordinis Fratrum Minorum, pro Regulæ illibata Integritate ponitur! *Sardonyx* sanè Regula Fratrum Minorum est: Quia vnguem humanum referens: ad vnguem strictissimè seruari debere prænuntiat: *Candorem* habet illibatum, quia nullam patitur siue in verbis, siue in sensu glossam, siue alienam interpretationem. *Rubedinem* tamen à Carne Christi, & eius Passione gloriosè participat; quia Christi pro nobis Crucifixi imitationem natiuam præfert: Nec mirum si in extremis *nigredinem* aliquam referat, quæ mundo, & omni mundanæ vanitati nuntium remittens: Et Peccatores huius sæculi luget, & pro dilatione Regni gemitus ad cælum emittit. Hęc sequentibus Paragraphis edisserentur.

§. I.

Regula Fratrum Minorum Christo mandante ab omni Glossa, & arbitraria interpretatione immunis est, & intemerata.

Apocalypsis Ioānis, quomodo ab ipso Christo approbata.

APocalypsim illam omnium quæ à Christi Ascensione, vsque ad eius secundum Aduentum Ecclesiæ Dei superuentura erant manifestationem miris visionibus complectentem, probare, signare, & testimonio suo intemeratam, & ab omni nævo probatam reddere volens Iesus Christus; his verbis concludit: *Ego* (ait) *Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs: Contestor enim omni audiēti verba Prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus plagas scriptas in li-* Apocal. 22. vers. 16. Vers. 18.

in libro isto: Et si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.

Regula S. Francisci qualiter ab ipso Christo approbata.

Si non pari, non absimili tamen modo intemeratã voluit, & testimonio suo signauit Christus Iesus, Regulam quam S. Patriarchæ Pauperum Francisco in monte Palumbo dictauit, & suo Ordini tradendam præscripsit: Cùm enim (vt suprà Fundamento quarto, §. septimo retulimus) F. Helias cum Ministris, se Regulæ à Christo in monte Palumbo traditæ opponere vellet: Christus illius se Auctorem, & Dictatorem in nube lucida apparens demonstrare volens tonante voce inclamauit: *Omnia* (ait) *in ista Regula à me præscripta sunt: Tabulæ hæ à me formatæ fuerunt*, &c. *Volo perinde, ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa hanc Regulam seruari: Si ergo isti nolunt illam obseruare, deturbatis ijs alios substituam* &c.

Regula S. Francisci integritas.

Ex quibus Christi ad S. Franciscum, & Ministros congregatos verbis manifesta, euadit Regulæ huius sacra, & intemerata Integritas. Cùm enim Christus se Regulæ, *Auctorem*, & *Dictatorem* asserat; cùm Obseruantiam illius, *ad litteram* præclusis omnibus *Glossis* demandet, & eam *ad litteram* non obseruantibus mortem, & mortis æternæ pœnas minetur: Quis audebit ad illam addere, vel minuere? Confer quisquis præsumis proprij genij interpretationes in hanc sãctam Regulam intrudere, maledictionem comminatam immutantibus verba Apocalypsis, cum maledictione hac è nube lucida à Christo comminata: & vel calamum subtrahe, vel supplicia æterna expecta.

Littera seu sensus litteralis triplex.

Benè autem & præcisè tertiò *ad Litteram*, & *sine Glossa* Regulam obseruandam intimauit Christus. Triplex enim *Littera*, sicut & triplex *Glossa*, apud huiusmodi Commentatores Regularum interuenire solet: *Alia* enim *Littera* dici potest, quæ communi & vsurpato sermoni, iuxta rei circumstantias cõgruit: Et huic plurimum officit *Glossa Grammaticalis*, quæ verborũ sæpè inutiles sensus, ex punctis Grammaticis à proposito loquentis omninò alienos excogitat. *Alia* est *Littera*, quæ intentionem Legislatoris respicit: Huic non parum nocent Commenta, & Interpretationes arbitrariæ, efflictis, & contortis Apicibus, & Textibus Iuris: *Alia* tandem *Littera* est, quæ finem legis attendit, siue, quæ ex fine propter quem *Littera*, siue Scriptura facta est educitur, & à quo fine dicendi vt plurimùm veritas Litteræ sumenda est, quam incongruè immutat glossa alteratæ inuentionis. *Ad Litteram* itaque Christus Regulam Fratrum Minorum simpliciter absque *Glossa* seruari præcipit: *Ad Litteram* (inquam) iuxta simplicem, & in communi colloquio vsurpatã significationem vocis, exclusis *Glossis* eloquentiæ *Grammaticalis*: Iterùm *ad Litteram* puræ intentionis loquentis, sequestratis *Glossis* arbitrarijs, & Apicibus ac minutijs Iuris: Tertiò *ad Litteram* iuxta directionem finis, qui cùm fuerit pura Euangelij obseruantia, omnes Glossas quæ formæ Euangelicæ contrariantur, reprobat, & reijcit.

Regula S. Francisci

qualiter ad litteram seruanda sit.

Hanc Christi pro integritate intemerata confirmationem, S. Franciscus in suo Testamẽto clarissimè repetijt: Cùm enim huic Testamento quod Regulæ compendium erat, prohibuisset aliquid addere, vel demere: Intemeratam suæ Regulæ integritatem prout à Christo dictata erat repetitis velut verbis Christi inculcare volens: *Et omnibus* (inquit) *Fratribus meis (Clericis & Laicis, præcipio per Obedientiam, vt non mittãt Glossas in Regula, neque in istis verbis, dicẽdo: Ita volunt intelligi: Sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter* (id est, vsuali, & vsurpato sermone) *& purè* (id est, purâ intentione) *dicere & scribere, ita purè & simpliciter sine Glossa* (alteratè scilicet sermonem, vel intentionem litteræ) *intelligatis, & cum sanctâ Operatione, obseruetis vsque in finem.* Quo autem fine dictata fuerit Regula, suprà in eodem Testamento expresserat: *Altissimus* (inquit) *reuelauit mihi, quòd ego deberem viuere secundùm formam S. Euangely*, &c. Omne ergo quod aut simplicitati sermonis, aut puritati intentionis, aut formæ Euangelicæ cõtrariatur, *Glossa* est prohibita, tamquam *Littera* contraria.

Testamentum S. Francisci.

Triplex hic funis difficilè rumpitur aut separatur, *ferme sincerus & simplex, intentio pura, finis rectus.* Hoc triplici fune stat, intemerata Integritas Regulæ, excludens *Glossas scrupulosorum, superstitiosorum, & malignantium.* Et huius integritatis Assertores fuerunt primi Patres: Quinimò ad hoc respexit *Nicolaus III.* in sua Extrauagante. *Exijt qui seminat.* In qua cùm sancto trium illorum funiculorum ductu Declarationem suam in Regulam summo labore, magnâ deliberatione, serio examine complesset: Nè fortè *Glossis & Interpretationibus* arbitrarijs Iurisconsultorum in ruinam intemeratæ Integritatis, Regulæ declaratio illa pateret, sequentem prohibitionem adiecit: *Itaque* (inquit) *sub pœna Excommunicationis, & Priuationis Officij, ac Beneficij, præcipimus: vt præsens Constitutio, cùm ipsam legi contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad Litteram: Concordantia, contrarietates, seu diuersa, vel aduersa opiniones à Lectoribus, seu Expositoribus nullatenùs inducantur. Super ipsis Constitutione Glossa non fiant, nisi forsan per quas verbum, vel verbi sensus, seu constructio, vel ipsa*

Nicol. III. in Extrau. Exijt.

Papa sub excommunicationis prohibet glossas in suam Declarationem.

ipsâ Constitutio, quasi Grammaticaliter, ad litteram, vel intelligibilius exponatur, nec intellectus ipsius per legentem depraue tur in aliquo, seu distorqueatur ad aliud, quàm littera ipsa sonat. Infrà: *Glossantes verò in scriptis Constitutionem ipsam aliter, quàm eo modo quo diximus,* &c. *Excommunicationis sententia, quam nunc in ipsos proferimus, si nouerint subiacere, à qua per neminem nisi per Romanum Pontificem possint absolui.* Hæc ibi.

Consequenter & magis videtur prohibere eadem in ipsam Regulam.

Quod si tantas adhibuit cautelas Summus Pontifex, vt declaratio Regulæ ab ipso facta immunis ab omni glossa seruaretur: Quas cautelas requirit Regula ipsa, vt eius integritas muniatur, quam tantâ protectione in se suscepit Christus, vt voce sensibili coram omnibus ita *ad Litteram, ad Litteram, ad Litteram* illam seruandam pronuntiaret, & *sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa*, integerrimè conseruari mandaret: Quam Christi vocem Ecclesiasticâ Censurâ adhibitâ, eò magis confirmasse censetur Pontifex, qui à suis in illam Declaratione omnem Glossam prohibuit, eamque *ad Litteram* purè interpretandam mandauit, nè Glossæ in Declarationem Pontificiam adnuentæ, in Regulam, & eius puritatis præiudicium redundarent. Nè verò quis omnes Regulæ Expositiones sub hoc prætextu abijciat, quibus maximè Litteralis Expositio absque Glossâ velut terminis, & basibus contineri debeat, paucis sequenti Paragrapho explicatur.

§. II.

Regula Fratrum Minorum Littera, vt probetur sincera, quatuor velut Basibus innititur, & firmatur, nimirùm: Simplicitate Litteræ, *iuxta intentionem S. Patris*; Euangelicâ veritate, Exemplo Christi, Actionibus & Praxi Apostolorum.

Dubia circa Regulam statim à morte S. Patris mota.

VIuente S. Patre non fuit qui præsumeret Regulæ Textus in Quæstiones reuocare, aut Dubia circa Regulam mouere: Post mortem tamen eius non defuerunt qui Dubijs, & Quæstionibus motis, tanto spiritus ardore conceptus suos proponerent, vt vel S. Sedes consulenda esset, vel eligendi graviores Patres qui explanandæ Regulæ vacarent.

Et quidem primus ad S. Sedem recursus pro Dubijs enodandis factus est statim à principio Generalatus Reuerendissimi P. F. Joannis Parentis *anno* 1230. *Religionis* 23. annis scilicet quinque à morte S. Patris quo tempore cum scrupulis Fratrum, & nonnullis contentionibus satisfieri non posset (etsi renitente Beato Generale, cui hic recursus displiçebat, cùm ex Littera Regulæ, & Testamento Resolutiones satis claræ apparerent) resolutum est, vt ad *Gregorium IX.* aliqui Patres mitterentur, qui nouem Dubia ei proponerent, & Resolutionem istorum ab eo expectarent: Ad hunc autem recursum mouebantur, non ratione simpliciter Apostolicæ Auctoritatis, sed (vt idem Pontifex fatetur) vt per eum scirent intentionem Seraphici Patris: Quia nouerant *Gregorium IX.* longam familiaritatem cum S. Francisco habuisse, & Regulam à Christo dictatam, ipsi tamquam Protectori primùm communicasse, ac ipsius interuentu Confirmationem Regulæ obtinuisse, atque cõsequenter Sancti intentionẽ penitùs inspectam habere. Quibus Dubijs Pontifex clarè respõdit, per Decretum, siue Declarationem, quæ incipit: *Quo elongati à seculo,* &c. *Datum Anagniæ 4. Kalend. Octob. Pont. anno 4.* De qua sicut, & de alijs suo loco. Succrescentibus autem pro geniorum differentia, alijs posteà Quæstionibus inter Fratres, prodijt *Expositio 4. Magistrorum:* Nimirùm: *F. Alexandri Alensis, F. Ioannis de Rupella, F. Roberti de Rastia, F. Richardi* aliàs *Rigandi*, qui ad *annum* 1242. septemdecim circiter annis à morte Seraphici Patris, singulariter electi à Capitulo Montis-pessulano Prouinciæ Franciæ, cui Reuerendissimus Pater Haymo Anglicus Generalis præsidebat, re collatâ cum Gaufredo de Bria, præfatam Expositionem ediderunt; Et nè proprium sensum, & iudicium viderentur secuti, illam Expositionem primò examinandam miserunt ad Capitulum Generale, quod tunc *Bononiæ* celebrabatur, vt constat ex Epistola, quam cum illa Declaratione ad Capitulum Generale scripserunt: In qua fit mentio de speciali mandato Obedientiæ, sibi singulariter ad hoc impositæ, & protestationem addunt, se in Expositione illa Domino docente, intellectum purum Regulæ seruatos fuisse, & addunt: *Nouam autem Expositionem, vel glossaturam circa Regulam non adstruimus, sicut à quibusdam intentionis pure damnatoribus, & Zelum suum in Animarum periculum suarum, & Fratrum scandalum peruertentibus prædicatur: Imò simpliciter & purè intellectum ipsius Regulæ (qui omnes nos ligat, & cuius ignorantia nullum excusat) non ex nostro sensu; sed ex ipsa littera, vt potuimus, extrahentes, secundùm insunctam nobis Obedientiam, iudicio vestro dirigimus iudicandum: Vestra sententia, plusquam*

Quibus dã respondet Gregor. IX.

Expositio Regulæ quatuor Magistrorum à quibus, & quando.

quam nostro sensui, in his & in aliis innitentes, &c.

Expositiones aliæ similis puritatis posteà secutæ sunt, maximè illa quæ est *S. Bonaventuræ*, & *Hugonis de Dina*: Post quas infinitæ multiplicatæ vsque ad hæc tempora difficultates, quæ non tantùm ea quæ ex Littera Regulæ pendent Dubia mouerũt; sed infinitis Quæstionibus, Parergis inutilibus, curiosis, scrupulosis, superstitiosis & turbulentis, simplicitatem, pietatem, soliditatem, Regulæ turbauerunt: Ita vt quam dictante Christo ad compendiosiorem à prima Regula formam reduxerit Pater Sãctus, & ea quæ purè, & simpliciter dixit, Philosophicis, Theologicis, Jurisperitis Quæstionibus dilatantes, in immensum ampliauerint, dissolutâ Regulæ virtute, & sinceritate.

Zelans puritatem Regulæ ad quatuor attendat.

Itaque: Quisquis est qui Regulæ suæ puritatem zelat, & ad primam simplicitatem Spiritus S. Patris redire desiderat, in omni Regulæ Interpretatione; ad hæc quatuor attendat, necesse est: vt nimirùm Interpretatio: *Simplici verborum communiter vsurpato sensus iuxta intentionem S. Patris concordet: Euangelicæ veritati conformetur: Exemplo Christi firmetur*: Et *ad Apostolorum praxim in agendis commensuretur.*

Has Bases Regulæ Fratrum Minorum interpretandæ, præfixit clarissimè *Nicolaus III.* in Declaratione sua Extrau. *Exyt qui seminat.* Et quidem 1. volens ostendere spiritum Regulæ in illius verbis contineri, verba Regulæ comparat *semini bono*, & eius virtutem *Germini* ex ipso semine exurgenti, ita vt veritas sit ex ipsis verbis requirenda: *Hæc est* (ait) *Minorum Fratrum mitis, & docilis in paupertate, ac humilitate radicata Religio: qua ex illo vero semine germinans, germen illud sparsit per Regulam in filios, quos sibi & Deo per suum Ministrum in obseruatione Euangelij generat.* q. d. Si quis velit Regulæ Veritatem apprehendere, illam debet requirere in semine, & germine, quòd à Deo seminante per Regulæ verba sparsum est, ex quo semine, veri filij, & Obseruatores Euangelij S. Francisco nascuntur.

Nicol. III. Extrau. Exyt.

2. Alia tria commemorans ex quibus veritas Regulæ eruenda est: *His sunt* (ait) *illius sanctæ Regulæ Professores, qua Euangelico fundatur eloquio, Christi roboratur exemplo, Fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus attibiisque firmatur.* Iterùm: *Hæc est apud Deum, & Patrem munda & immaculata Religio: Qua descendens à Patre luminum per eius filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & demùm per Spiritum sanctum B. Francisco, & eius sequentibus inspirata, totius in se continet testimonium Trinitatis.* Et vt Fundatoris intentio, & sinceritas in Expositione litteræ attendatur: Illam à Christo approbatam sigilli sacrorum Stigmatum impressione testatur: *Hæc est* (ait) *cui attestante Paulo* (ad Galat. 6.) *nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus Passionis suæ Stigmatibus confirmauit, volens Institutorem ipsius Passionis suæ signis notabiliter insignire.*

Canones in vera Regulæ Fratrum Minorum Expositione necessariò obseruandi.

Regulæ expositor quos Canones debeat obseruare.

QVisquis igitur Regulam Fratrum Minorum sibi aut alijs interpretari litteraliter desiderat. 1. attendat: Quid verba, non tam Grãmaticaliter, quàm vulgato, & vsurpato communiter sermone significẽt. 2. Si aliqua obscuritas oriatur, iuxta circumstantias rei, & litteræ, ad intentionem S. Patris reflectat. Nam (vt benè Sapiens Prou. 19.) *Qui tantum verba sectatur nihil habebit, qui autem Possessor est mentis, diligit animam suam.* Vnde & cap. *Intelligentia, Extran. de Verb. signif. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: Quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* 3. Aduertenda sunt quæ in Euangelio Christi & Scripturis Apostolorum verba Regulæ concernunt: Cùm enim ex micis Euangelij Regula sit conscripta, & medullam Euangelij contineat: Ille Litteralis sensus erit, qui inuenitur in Euangelio & scriptis Apostolorum expressus. 4. Nè quis fortè in Euangelicorum verborum Interpretatione extra rei sinceritatem exuberet, ad ipsa facta Christi, & Apostolorum in simili vel eadem materia de qua agitur, recurrendum est: Qui in omnibus cœperunt *facere, & docere*, ita vt ex factis doctrina probari, & elucidari debeat: Hæ sunt quatuor Bases quibus Regulæ litteralis sensus innititur, ita vt si ab illis recedas, consequenter à via deflectas, & errorum periculis te exponas.

Prou. 19. vers. 8.

C. Intelligentia Extra. de verb. signif.

§. III.

Regula Fratrum Minorum iuxta prædicta litteraliter exponitur.

SVper dictis itaque quatuor Fundamentis breuem, & succinctam Regulæ Fratrum Minorum à Christo dictatæ conabimur *Expositionem ad Litteram*, secusis omnibus glossis, & disceptationibus extruere:

extruere: Perpendiculum subministrabit vita Christi & Apostolorum, & ea quæ de hac forma vitæ in Euangelio, & Scriptis Apostolicis traduntur, ad quæ sensum litteralem collimabimus. Ab Auctorum Citationibus, & singularibus Interpretationibus, quantum poterimus abstinebimus, nisi fortè Sanctorum dicta qui vel tempore, vel propè tempora S. Patris vixerunt, quasi Traditionis fidelis certum testimonium interdùm referamus. Cæterùm (vt loliа, & zizania superseminata absque frumenti puri detrimento euellatur) postquam hanc Expositionem Deo propitio ab omnibus paleis expurgatam deduxerimus. Quidquid nimis scrupulosè, superstitiosè, aut iuxta mundanam sapientiam cutiosè motum fuerit, singula iterùm Capita Regulæ percurrentes, ventilabro sincero excutiemus.

EXpositio genuina, & Litteralis Regulæ Fratrum Minorum:

Regulæ FF. Minorum genuina & litteralis expositio.

iuxta

Regulæ simplicem Sensum, vt Euangelio, vitæ Christi, Apostolorum actionibus, & intentioni S. Patris conformis est.

In Nomine Domini

Incipit Regula, & Vita Fratrum Minorum.

CAPVT I.

TEXTVS I.

Regula, & Vita Fratrum Minorum hæc est: scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in Obedientia, sine Proprio, & in Castitate.

SENSVS LITTERALIS.

Regulæ FF. Minorum essentia in quo consistat.

ESsentia, & Substantia Regulæ Fratrum Minorum, secundùm quam verus Frater Minor obligatur in Conscientia suas actiones, & totam vitam dirigere, consistit in *Obseruantia Euangelij*, non tantùm secundùm ea quæ omnis Christianus ex vi Euangelij obseruare tenetur: sed etiã secundùm illa quæ Christus specificatiuè, & eminenter præscripsit in Euangelio, expressam formam, siue viam Perfectionis volentibus amplecti, *viuendo* scilicet, siue *viuendo viuere in Obedientia, sine Proprio, & in Castitate:* quæ etsi respectu communis vitæ Christianorum in Euangelio sint consilia; volentibus tamen Christum secundùm Perfectionis semitam stabiliter sequi, transeunt in Vota & Præcepta.

Duæ viæ vitæ æternæ.

Pro cuius Textus, & eius genuinæ significationis intellectu aduertèdum est. Christum in Euangelio *Duas vias* ad vitam æternam adipiscendam præscripsisse: *Aliam*, omnibus Christianis communem, & necessariam, quæ consistit in *Obseruatione mandatorum*, tam fidei, quàm morum, siue in Decalogo, & lege Naturæ, siue in Euangelio superaddita, renouata vel explicata fuerint, iuxta ea quæ specialiter in cap. 5. 6. & 7. Matth. continentur: *Altera via* est, quam Christus volentibus illum per semitam Perfectionis sequi tradidit. Ad quam soli illi obligantur, qui propriâ voluntate voluerunt illi se voto obligare, vt Apostoli, & Primarij siue Apostolici Discipuli, & hæc vita constabat tribus votis, *Obedientiâ, Paupertate & Castitate*, prout in Euangelio describuntur.

Hæc clarissimè patent ex ipso Euangelij contextu: *Primam* enim viam omnibus communem tradidit Christus adolescenti eum interroganti Matth. 19. Cùm enim adolescens piè interrogasset: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Matth 19. vers. 16. Aliud Responsum non habuit, nisi: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* q. d. Hæc via communis omnium saluãdorum, Obseruantia, scilicet, Mandatorum. Sub mandatis autem comprehenduntur Præcepta Fidei, Spei, Charitatis tradita communiter, tam in Decalogo, quàm in Euangelio. Vnde ab effectu Joan. 12. dicuntur: *Mandata eius, vita æterna.* Et cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et hæc via generaliter Marci 1. vocatur *Euangelium Regni*, & ad illam Christus adhortans initium

Joan 12. vers. 50. Et 17. Vers. 3.

Marc. 1. vers. 14.

tium suæ Prædicationis sumpsit dicens:
Vers. 15. *Pœnitemini & credite Euangelio.*

Viam veram viam Perfectionis Christus Adolescenti viam Mandatorum obseruanti Matth. 19. similiter proposuit: Cùm enim omnia mandata à iuuenture sua se obseruasse asseruisset, subintulit: *Si vis perfectus*
Matth 19. vers. 21. *esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Hæc est via Perfectionis quam Christus Exemplo móstrauit, & Apostolis, ac Primarijs Discipulis præscripsit sequendam, in qua tria vota Religiosa exprimuntur: *Paupertatis* quidem, in eo quòd in ordine ad Perfectionem dicit: *Si vis perfectus esse: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: Obedientiæ* autem, in hoc quod ait, *veni: Castitatis* autem & eminentis Perfectionis, in eo quod dicit: *Sequere me:* Christus enim fuit exemplar Castitatis, Puritatis & omnium virtutum: Et hanc viam voluisse Apostolos, & Primarios Discipulos, profitetur omnium nomine ibidem S. Petrus:
Vers. 27. *Ecce* (ait) *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis*, vt ex S. Augustino sup. Fundamento 4. §. 4. docuimus. Vnde omnibus hanc viam sequi volentibus subiunxit Christus:
Vers. 29. *Et omnis qui reliquerit Domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* In qua relinquendorum conglomeratione, continentur Vota Religiosa. Relictio enim *domus*, vel agrorum *Paupertatem*, Relictio Patris, aut Matris translationem *Obedientiæ* in Deum: Relictio vxoris *Castitatem* designat.

Hæc est vita, & Regula secùdùm quam Fratres Minores sub nomine *observationis Euangelij* viuere promittunt; & quia in solo Euangelio præscribitur, benè *Euangelium* antonomasticè vocatur, iuxta illud
Marc. 8. vers. 35. Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Euangelium saluam faciet eam.*
Et 10. c. 30. Item cap. 10. *Nemo est qui reliquerit Domum aut Fratres, aut Sorores, aut Matres, aut filios propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat nunc centies tantum, & in futuro sæculo vitam æternam.*

OBLIGATIO TEXTVS I.

FF. Minores quomodò teneantur ad Obseruantiam Euangelij.

SVmma igitur Obligationis Textus huius est: Quòd Frater Minor (qui aliàs ex vi characteris Baptismalis, tenetur ad Obseruantiam Euangelij, prout communem viam salutis omnium continet, secundùm qualitatem eorum quæ omnibus Christianis præscribuntur) Eò ipsò quò Regulæ & Vitæ Fratrum Minorum se addixit: Teneri voto Generali ad obseruantiam Euangelij specificè, & eminenter in Euangelio determinatam in sequentibus, scilicet: *Viuendo in Obedientia, sine Proprio, & in Castitate.* prout, scilicet, in Euangelio Apostolis & formam Perfectionis sequentibus, fuit à Christo præscripta.

Hanc obligationem subire modũ Voti manifestè infertur in Cap. 2. Regulæ: *Finito* (ait) *anno Probationis recipiantur ad Obedientiam, promittentes vitam istam, & Regulam semper obseruare*, atquí *Regula ista, & vita Fratrum Minorum hæc est, sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi obseruare:* Ergo qui finito anno Probationis recipiuntur ad Obedientiam; Promittunt *sanctum Euangelium D. N. Iesu Christi semper obseruare:* Ergo Votum emittunt. Expressissimè autem & in terminis cap. vlt. *Vt semper subditi & subiecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, &c. Paupertatem & humilitatem, & sanctum D. N. Iesu Christi Euangelium, quod firmiter promisimus obseruemus.* Nota verba *(quod firmiter promisimus)* quæ explicitè *Votum* exprimunt.
Reg. c. 2. Et cap. vlt.

Ex vi itaque huius Promissionis siue voti, obligantur Fratres Minores 1. Tendere ad Perfectionem: Christus enim in Euangelio hanc vitã proposuit titulo *Perfectionis Euangelicæ*, vt cõstat suprà c. 19. Matth. *Si vis perfectus esse vade, vende*, &c.
FF. Minores vnde teneãtur tendere ad perfectionem. Matth. 19.

2. Tenentur seruare tria Vota, specifica: *Obedientiam, Paupertatem*, & *Castitatem* non simpliciter & generaliter, sed in qualitate qua à Christo Apostolis, ac primarijs Discipulis formam Perfectionis sequentibus sunt in Euangelio præscripta.
Qualiter ad tria vota teneantur.

3. Quia: Quæ circa hæc Vota, & formam Euangelicam in Euangelio exprimuntur, non omnia æquali obligatione iniungũtur: Ex illis aliqua sub Præcepto formali & eminenti, alia per æquipollẽtia & vim Præcepti habentia, alia per modum Instructionis, Exhortationis, & Monitionis, &c. ex micis Euangelij in Regula sunt expressa: secundùm hæc obligatio qualificanda est: vt clarissimè monuit *Nicolaus III.* in Declaratione sua quæ incipit: *Exiit qui seminat*, de quibus in prosecutione Textuum.
Non æqualis obligatio omnium in Euangelio positorum.

Conformitas ad Euangelicam Scripturam.

EX dictis cõformiter ad Textus Euangelicos ex quibus Micæ Euangelicæ sumptæ sunt, patet cõcordia Textus primi cum Euangelio, & cur hæc forma viuendi vocetur *Regula & vita Fratrum Minorum: Et quidem Regula:* Quia ad eius rectitudinem debet Frater Minor omnes actiones suas collimare, ita vt si vel ad dexteram, vel ad sinistram declinet, actiones eius sint irregulares, & vitiosæ iuxta qualitatem
FF. Minorum forma viuẽdi quare vocetur Regula.

trans-

transgressionis: Quia transgrediuntur iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 10. *Mensuram Regulæ, quâ mensus est eis Deus.* Vocatur autem *Vita*, quia in eius obseruatione, & praxi continua Fratris Minoris *Vita Anima* consistit, & ex eius transgressione sequitur *Mors.* Dicitur tandem *Fratrum Minorum*, nomine Apostolico ipsis impositio, sic enim suos Apostolos *Fratres* Christus vocauit Matth. 28. *Ite nuntiate Fratribus meis.* Et c. 23. prohibens nè vocarentur Magistri. *Vos* (inquit) *omnes Fratres estis.* Voluit & ab humilitate vocari *Minores: Qui* (inquit) *maior est in vobis fiat sicut minor.* Item: *Quamdiu non fecistis vni de Minoribus his, nec mihi fecistis.* Ipse etiam Christus apertè se *Minorē* nuncupauit Matth. 11. *Qui* (inquit) *minor est in regno cœlorum, maior est illo*, scilicet Ioanne Baptista, de quo erat sermo.

2. Cor. 10. vers. 13. *Quare Vita.*

Franciscani quare vocantur Fratres. Matth. 28. vers. 10. Cap. 23. vers. 8. *Quare Minores.* Lucæ 22. vers. 26. Matth. 23. vers. 45. Matth. 11. vers. 11.

TEXTVS II.

Frater Franciscus promittit Obedientiam, & Reuerentiam Domino Papæ Honorio, & Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ.

SENSVS LITTERALIS.

SEnsus litteralis ex ipso verborum sono clarus est: *Nam* (vt benè Hugo de Dina) *perfectus Euāgelij obseruator S. Franciscus, Petro Apostolo in Successore suo, cui à Christo Ecclesia est commissa, se suosq; in se, specialis obedientiæ ac reuerentiæ promissione subiecit. Etsi enim* (ait S. Bonau.) *totus Clerus & Religiosorum vniuersitas tenetur firmiter Apostolicæ Domino obedire: tamē Sanctus, huic debito Votum adijcit speciale, sciens vota supernenire, & fortificari Ordinis vinculum, & meritum geminare.* Ex quo Hugo de Dina infert: *Vnde* (ait) *Summo Pontifici, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ, sunt Fratres specialiter, tam ex singulari hac sponsione, quàm etiā ex speciali eius ad ipsos cura, & defensione adstricti: Præsertim cùm Ordo per ipsam vitus in eius sinu, forma, roboris, & incrementi, susceperit incrementum, vt quasi proprius Ecclesiæ filius dici possit.* Hæc Hugo.

Hugo de Dina. S. Franciscus se & suos speciali Voto Papæ astrinxit. S. Bonau.

Hugo sup.

OBLIGATIO TEXTVS II.

EX hoc voto, obligantur omnes Fratres eādem Voti obligatione obedire Summo Pōtifici Romano Canonicè electo. Ideò dicitur: *Domino Papæ Honorio, & Successoribus eius canonicè intrantibus*, ad euitandum Pontifices Schismaticos, & illegitimè intrusos: Additur etiam, *Ecclesiæ Romanæ*, quæ Sede vacante, potissimū residet, aut specialiter in Collegio Apostolico Cardinalium, aut vniuersaliter in Concilio Generali.

Conformitas ad Scripturam Euangelicam.

IN hoc autem Voto S. Franciscus professus est nomine sui Ordinis Primatum Petri, cui à Christo præ alijs Apostolis dictum est: Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hāc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Joan. 21. *Pasce oues meas*, communē scilicet populum Christianum Et: *Pasce agnos meos*, animos scilicet perfectionis semitam eligētes. Et iterum Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.* In quibus omnibus Pontifices Romani Canonicè electi Petro succedunt. Quod autem additur, & *Ecclesiæ Romanæ*, sumendum est ex eo loco: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Matth. 16. vers. 18. Ioan 21. vers. 18. Lucæ 22. vers 32. Matth. 18. vers. 17.

TEXTVS III.

Et alij Fratres teneantur F. Francisco, & eius Successoribus obedire.

SENSVS LITTERALIS.

AGnito summo Hierarchâ, & Capite Ecclesiæ Vicario Christi per homagium Voti Obedientiæ, S. Franciscus constituitur à Christo, Ordinis Caput, & Generalis Minister, cui cæteri Ministri Generales succedere debebant; Præcipiturque omnibus fratribus præsentibus & futuris, vt S. Francisco non tantùm vt Fundatori (in qua qualitate non habet Successores) sed vt Ordinis Capiti & Generali, ac in ea qualitate, eius Successoribus obediant.

Approbante Pontifice S. Franciscus Ordinis Caput & Minister à Deo constitutus.

OBLIGATIO TEXTVS III.

ETsi verò verba Textus videantur tantùm sonare vim Præcepti; Obligatio tamen obediendi Generali Ministro nascitur ex Voto, cuius obiectum, siue persona cui Votum Obedientiæ debetur, hîc exprimitur; Ita vt Præcepti quidem vis determinet personam cui obediendum est: Obedientiæ verò actus, ex Voto Obedientiæ proueniat. Quod quidem ex litterali contextu natiuo colligitur: Postquam enim expressit Votum Obedientiæ Summo Pontifici per verbum *Promitto*, eundū sensum Textus continuat: *Et alij* (ait) *Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire*, nimirùm: eodem Obedientiæ Voto, quo obedirent Summo Pontifici.

Fratres quo iure teneātur obedire Generali.

Conformitas ad Scripturam Apostolicam.

ETsi Christo viuente, nulla fuerit præferentia Prælaturæ inter Apostolos, illo tamen abeunte in cælum. 1. ad Corinth. 12. Diuisiones Ministrationum factæ sunt, & Gubernationes institutæ.

Conformiter ergo S. Franciscus, & Successores eius facti sunt Ordinis Rectores, & Gubernatores, quibus cæteri vi voti Obedientiæ obedire tenentur iuxta illud ad Hebr. 13. *Obedite Prepositis vestris, & subiacete eis: Ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro Animabus vestris reddituri.* Hebr. 13. vers. 17. Porrò in S. Francisco eminenter continentur Inferiores Prælati, siue Superiores, vt Ministri Prouinciales, Custodes, Guardiani qui de Auctoritate Ministri Generalis, in suo gradu proportionatè participant, & quos spiritus S. Patris, vt olim Moysis in Seniores, velut distributus est.

CAPVT II.

De his qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.

TEXTVS I.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Prouinciales, quibus solummodò, & non alijs recipiendi Fratres licentia concedatur.

SENSVS LITTERALIS.

NVllus Fratrum præsumat priuata auctoritate aliquem hanc vitam accipere volentem recipere; sed si veniant tales ad Fratres: *Ipsi mittant*, id est, charitatiuè illos informent, cui se debeant præsentare, nimirùm: *Ministris Prouincialibus: Quibus solummodo* pro suis Prouincijs respectiuè, *& non alijs, recipiendi Fratres licentia concedatur*: Licentia vtique Potestatis ordinariæ, & absolutæ.

Potestas recipiendi ad Ordinem, penes quos.

Aduertendum autem: Potestatem Primariam recipiendi Fratres in Generali Ministro, siue in Ordine in Capitulo Generali congregato, tamquam in fonte residere: Quæ non per Delegationem, sed ex virtute Regulæ Ministris Prouincialibus communicata declaratur: Hoc enim importat verbum neutri generis, *Concedatur*, id est, concessa vi Regulæ absque alio recursu censeatur. *Sic enim* (ait Hugo de Dina) *dictum est Recipiendi licentia cõcedatur, vt sint verba licentiam concedentis.* Vtitur autem Textus, nomine *Licentiæ*, & homine *concedatur*, vt ostendatur: Hanc Potestatem recipiendi ad Ordinem venientes in Ministris Prouincialibus, aliquàm dependétiam à Ministro Generali, & Ordine retinere, vt interdùm, arctari vel circumstantionari possit ab illis, vt frequenter in Capitulis Generalibus factum fuisse, Constitutiones Ordinis ostendunt.

Hugo de Dina.

Quod autem additur: *Quibus solummodò, & non alijs recipiendi Fratres licentia concedatur*; Intelligendum est de ordinaria, & vniuersali Potestate, qualis residet in Ministro: Quia delegari posse hanc Potestatem, in Casibus aliquibus, pro certo tempore, & sub determinatis circumstantijs, Praxis Ordinis à principio docuit, vt ostẽdit Hugo de Dina, & *Innocentius IV.* in sua Declaratione quæ incipit: *Ordinem vestrum*: Hæc tamen facultas delegandi in Ministris Prouincialibus non prouenit ex Regula, vt notat *Gregor. IX.* in sua Declaratione art. 7. sed ex condescensione Ordinis vt declarauêre Pontifices posteriores.

OBLIGATIONES TEXTVS I.

QVamuis ex verbis Textus videatur tantùm Instructio aliqua de modis quibus Fratres recipiuntur, directè contineri: Varia tamen Præcepta, & Prohibitiones Præceptis æquipollentes ex natura Textus inferuntur. 1. Fratrem peccare mortaliter contra Regulam, si absque Potestate legitima præsumat aliquem recipere, etiamsi esset Superior, vel Guardianus, imò nec hoc licere vni integro Conuentui. 2. Fratres peccare mortaliter, si venientem vt recipiatur; indebitè impediant nè se Ministro Prouinciali præsentet. 3. Patres Prouinciales teneri ordinariè sub peccato mortali venientes idoneos, per se recipere, nec posse suam Auctoritatem delegare, extra Casus in Ordine receptos, & exceptos. Hæc patent ex Textu: & ex natura Receptionis ad Ordinem quæ Auctoritati legitimæ debet inniti.

Qualiter peccetur recipiendo ad Ordinem.

Confor-

Conformitas Scripturæ.

Apostoli & Discipuli vocati, & admissi per solũ Christum.

HÆc porrò Euangelicæ, & Apostolicæ Scripturæ consonant. Christus enim cum eo viuente, nullus ex Apostolis alteri actualiter præpositus esset, sicut per se ad Apostolatum & Discipulatum vocabat, sic per se solum admittebat, vt videre est *Luc.9.* Quinimò, & *Marci* 5. Se præsentantem qui à Dæmonio vexatus fuerat, etsi feructer deprecaretur vt esset cum illo, repudiauit, & non admisit: *Vade* (ait) *ad tuos, &c.* Et in praxi Apostolorum erat volentes sequi Christum, vt illos mitterent, vel adducerent ad eum: Quemadmodum *Ioan.* 1. Andræas Fratrem suum Simonem Petrum duxit ad Iesum, & *ibidem* Philippus Nathanaëlem: Et cum Præceptum haberent Marci 10. v. 14. vt Paruulos sinerent venire ad eum: *Sinite* (ait) *Paruulos venire ad me, & nolite prohibere illos*; multò magis ad Discipulatum prætendentes, impedire perhibentur: Quippe qui etiam *Marci 9.* noluit eum perhiberi, qui in eius nomine Dæmonia eijciebat.

Marci 5. vers. 19.

Ioan. 1. vers. 42.

Vers 47.

Marci 10. vers. 14.

Prouinciales vnde vocentur Ministri. Lucæ 22. vers. 26. Matth. 23. vers. 11.

Hic etiam Prouinciales, nomine *Ministri* primò vocantur iuxta illud Luc 22. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui Præcessor est, sicut Ministrator.* Item: Matth. 23. *Qui maior est vestrum erit Minister vester.* Cùm verò Christus sit vnicum ad vitam Ostium, Minister Prouincialis Ostiarius huius Ouilis per Regulam instituitur, vt ingredientibus aperiat.

TEXTVS II.

Ministri verò diligenter eos examinent de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramẽtis. Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finẽ firmiter obseruare: Et vxores non habent, vel si habent, & Monasterium iam intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, & illius ætatis sint vxores quòd non possit de ijs oriri suspicio, dicant eis verbum S. Euangelij, &c.

SENSVS LITTERALIS.

VErba Textus Expositione litterali non indigent; sed enarratione summarià eorum quæ in hoc Textu præcipiuntur. Summatìm itaque iniungitur Ministris. 1. Vt venientes ad Ordinem *examinent.* Quod ex natura rei intelligendum est, si qualitas & idoneitas petentis admitti, non sit Ministro perspecta. 2. Proponuntur duo Capita Examinis: *Alterum de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis: Alterum* de libertate Status, vt venientes ad Ordinem *Vxores non habeant.* 3. Circa *fidem & Sacramenta* in veniente ad Ordinem, Tria requiruntur: vt scilicet verè *fideles sint*, & omnia pertinentia ad fidem, & sacramenta corde credant: *Demùm:* vt Ore & Opere ea confiteantur. Non enim sola Oris Professio sufficit, sed Operis confessio principalior est, dicente Jacobo: *Fides sine Operibus mortua est: Tandem* requiritur; vt quæ confitetur, velit *vsque in finem firmiter obseruare:* Ita vt etiam Interprete S. Bonauenturâ, paratus sit pro fide, & operibus fidei, Martyrium subire. 4. Circa Vxores Regula postulat, vt intrans Ordinem sit liber ab Vxore: Quod fiet: Si Matrimonio consummato Vxori non sit alligatus; aut casu quo sic alligatus fuerit: Si consensu vtrimque præstito, Vxor priùs intrauerit Monasterium, in eoque sit professa, vel ad minus auctoritate Episcopi Diœcesani *Votum* simplex *continentiæ emiserit, & Marito licentiam ingrediendi Religionem dederit:* Et sit extra omnem suspicionem incontinentiæ.

Iacob 2. vers. 26.

OBLIGATIONES TEXTVS I.

Quanti faciendæ Nouitiorum receptio.

POrrò hęc omnia æquiualere Præcepto docuit *Clemens V.* Nec abs re; cùm summi momenti in Religionibus sit Nouitiorũ Receptio, à qua pendet, & Status Religiosi integritas, & puritas, & multorum salus. Ex his autem apparet, quanta fuerit Diuina prouidentia circa Ordinem, & S. Franciscum virum Catholicum, & Apostolicum, & quãtam dederit viro Dei, & eius Ordini latitudinẽ charitatis: Quippe qui in admissione venientium ad Ordinem duo tantùm hæc requisiuerit: Prius, vt venientes, fide, ore, & opere veri & firmi Catholici essent, nè deesset vocationis sanctæ ædificio firmum fundamentum: *Prater quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Iesus:* Posterius: Ne fides sacramenti Matrimonij violaretur, & Statui à Deo indissolubiliter instituto manifesta iniuria fieret: Aliunde ianuam Pœnitentiæ, & salutis apertissimam omnibus dedit: Nimirùm: vt quicumque, qualescumque, cuiuscumque Status, modò fidei fundamento inhærerent, & liberâ ac firmâ voluntate accederent, reciperentur. Quantum, nimirùm, erat ex parte Ordinis, nisi

In recipiendis duo tantùm requisita.

1. Cor. 3. vers. 11.

Ecclesia vetaret, cuius dispositionibus subiacebat. Ex parte itaque Regulæ & Ordinis, nulla alia Conditio requisita est: Cæteræ ab Ecclesia vniuersaliter sunt constitutæ, & successu temporis ob causas nouæ institui possunt.

Conformitas Scripturæ.

POrrò duæ illæ obligationes *fidei* scilicet, & *Carentiæ vxoris* conformiter ex Scriptura deducuntur: Ac quidem omnis sanctæ vocationis Basim Christus *fidem* posuit, *sine qua* vtique *impossibile est placere Deo.* Vnde Marci 1. *Pœnitemini* (ait) *& credite Euangelio.* Et cap. vlt. fidem præponit Baptismati: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c.* Et Joannis 9. A Cœco nato post sanationem exigit fidem; *Credis* (ait) *in filium Dei?*

Hebr. 11. vers. 6. Marci 1. vers. 15. Et vltim. vers. 16. Joan. 9. vers. 35.

Sed & Status Discipulatus Carentiam vxoris supponit ob Votum Castitatis annexum Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit vxorem, &c. non potest meus esse Discipulus.* Posse tamen ob eminentiorem Religionis Statum, non obstante matrimonij indissolubilitate, mutuo consensu coniuges separari, constat ex permissione Christi Matth. 19. *Et omnis qui reliquerit domum &c. & vxorem, &c. propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Lucæ 14. vers. 26.

Matth. 19. vers. 29.

TEXTVS III.

Dicant eis verbum S. Euangelij: Quòd vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant Pauperibus erogare: Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas.

SENSVS LITTERALIS.

HIc Textus non tam conditionem in Receptione Nouitiorum requisitam continet, quàm efficax Præceptum Euangelicum ex verbis Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Quod quidem Præceptum omnibus formam Euangelicam, Primariorum Christi Discipulorum sequi volentibus, ita imponitur, vt in termino, quo quis illam formam vitæ amplectitur, non tantùm peccet mortaliter contra Præceptum si aliquid retineat; sed voti Paupertatis perpetuus transgressor maneat. Itaque hoc Præceptum recipientem quidem afficit, vt venienti ad Ordinem hoc Præceptum Euangelicum seriò in principio intimet: Venientem autem obligat in termino, id est, ad tempus professionis, ad realem effectum, quia Præceptum Euangelicum est.

Matth. 19. vers. 21.

Sensus itaque Litteræ est: *Dicant eis*, id est, informent venientes de Euangelico Præcepto, quod etsi non debeat executioni, nisi ante professionem, demandari: De illo tamen, & eius obligatione veniens à principio informari debet, nè ignorantiam prætendat, & vt animum ad illius obseruantiam præparatum habeat. *Substantia* verò Præcepti vniuersaliter consistit, in omnimoda renûtiatione omnis Possessionis, & Juris, in rebus temporalibus: *Accessorium* autem est: vt vendantur omnia, & dentur Pauperibus; si nimirùm absque graui difficultate, vel læsione tertij, aut ordinatæ charitatis fieri possit: Quòd si congruè ex circumstantijs talis venditio, & distributio fieri nequeat, sufficit, vt veniès paratum ad id animum habeat, & sinceram voluntatem, iuxta illud S. Hieronymi: *Si habes, res tuas vende; si non habes, proijce.* Sufficit itaque ad Præcepti substantiam omnimoda renuntiatio, & abdicatio omnis Juris naturalis, & politici:

Renuntiatio omnium quando, quo & qualis debeat fieri à venientibus ad Ordinem.

D. Hieron.

OBLIGATIO TEXTVS III.

HIc itaque Textus obligat sub mortali *Recipientem*, vt venientem (si ignoret) de huiusmodi obligatione informet: *Venientem* autem; vt ante professionem modo suprà explicato, rebus omnibus renuntiet. Vnde peccant mortaliter, Qui ex bonis suis aliqua sibi reseruant, etiam per modum eleemosynæ post professionem applicanda. Renuntiare enim omnibus tenentur. Nec sibi quisquam abblandiatur, quasi per modum eleemosynæ sibi tãtùm debeatur: Non enim aliquis sibi dare eleemosynam censetur, quod enim donatur, alteri donatur; Retinere autem aliquid sibi prohibetur, qui omnibus renuntiare præcipitur. Vnde transgressores Voti remanent, qui sibi pro Studijs, pro infirmitatibus, & pro alijs aliqua in futurum retinent etiam sub Titulo eleemosynæ, quæ directè vel indirectè Heredes, vel eorum Procuratores obligat: Quia id ratione Præcepti Euangelici facere non potuerunt: Nec posteà emisso Voto Paupertatis illius capaces sunt: Aliud est, si ante professionem aliquid Ordini vel Conuentui legẽt, ad subueniẽdum necessitati præsenti, præteritæ, vel imminenti intra terminos liciti vsus, vel acceptationis. De conformitate ad Scripturam nihil hîc dicitur: Quia ex verbis Euangelij Præceptum formatum est.

Qualis & quãta obligatio renuntiationis.

Nota.

TEX-

TEXTVS IV.

Caueant autem Fratres, & eorum Ministri nè soliciti sint de rebus temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis quidquid Dominus inspirauerit eis: Si tamen consilium requiratur licentiam habeant Ministri mittendi eos, ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua Pauperibus erogentur.

SENSVS LITTERALIS.

MOnentur Fratres & Ministri, nè se aliquâ solicitudine intromittant de rebus temporalibus Nouitiorum vendendis, scilicet, donandis, & quouis modo distrahendis: *solicitudine* (inquam) quæ quouis modo officiat libertati faciendi liberè de rebus suis, quidquid secundùm Deum, & Diuinam Inspirationem faciendum cóceperint, aut iudicauerint. Et in Casu quo Nouitius disponens de rebus suis anxius sit, aut dubius de modo vendendi, donandi aut distribuendi, dat Regula licentiam Ministris, vt possint mittere illos pro consilio ad aliquos Deum timentes.

Dubitatum est hic: An verba illa monitionem tantùm, & cautelam continerent: An formalem, vel æquipollentem prohibitionem: Et quidem S. Bonauentura putat prohibitionem esse: *Illud* (inquit) *videtur dici prohibitoriè cùm inhibeatur, vt illicitum: Quod colligitur ex hoc quod sequitur: Si tamen consilium requiratur: Ex quo enim licentia in hoc tantùm datur, in alio denegatur:* Alij aliqui monitionem putant: Omnes tamen agnoscunt pro puritate Regulæ seruari debere.

S. Bonau.

Vt verò certa ab incertis secernantur, aduertendum est verba Textus innuere cauendum esse Fratribus à duobus: *Primò* quidem: *A solicitudine* circa res temporales aspirantium ad Ordinem, vbi scilicet de illis disponere, seu illis renuntiare debent. Sic enim verba habent: *Nè soliciti sint de rebus suis temporalibus. Secundò:* Nè huiusmodi *solicitudine* præiudicent in aliquo iustæ eorum libertati, sed eorum voluntati, siue libertati ita relinquant, vt secundùm Deum & pietatem disponere possint: *Vt* (ait) *faciant de rebus suis quidquid Dominus inspirauerit eis.*

Quæ solicitudo prohibeatur Fratribus circa dispositionē Nouitiorum de temporalibus.

Ex quo *infertur* 1. Non prohiberi omnem curam, & solicitudinem circa Nouitios, & Renuntiationem Bonorum quam debent facere; sed tantùm temporalem illam quæ circa distributionē rerum temporalium, & earum venditionem & donationem, &c. versatur: Vnde non tantùm licet; sed etiam tenentur Ministri & Fratres inuigilare: Vt Nouitij satisfaciant Præcepto Euangelico nimirùm, vt perfectè & legitimè tempore suo renũtient omnibus rebus suis & animum paratum habeant, si commodè vel congruè possint ea vendere, & Pauperibus erogare. Patet ex Textu superiori: Eò enim ipsò, quò Ministri tenentur illis dicere verbum S. Euangelij, *Quòd vadant & vendant*, &c. tenentur tum ipsi, tum Fratres qui eorum probationi inuigilant, soliciti esse vt Præcepto, & Verbo Euangelico, quãtum in se est, satisfaciant. Exemplo quidem S. Patris, qui sua Amicis relinquere cupientem, vt indignum reiecit. Licet etiam Fratribus in foro Conscientiæ resoluere dũbitationes, & anxietates quas interdùm Nouitij patiuntur ratione huius bonorum distributionis, vt super restitutionibus, satisfactionibus, obligationibus quas habent, vel se habere putant. Licet & Nouitijs iam paratis eleemosynam dare Conuentui, suas necessitates veras, in quas impendantur, explicare: Hæc enim nec solicitudinem propriè de rebus temporalibus dicunt, nec libertatem Nouitiorum impediunt.

Infertur 2. Solam illam curam, & solicitudinem prohiberi. Quæ directè vel indirectè attingit rerum temporalium dispositionem; siue potiùs dispositionis negationem, ratione cuius: vel præiudicaretur purissimæ libertati Nouitij in sua distributione: vel præsumi possit sinister oculus contra Fratres, non tantùm ratione receptionis eleemosynæ; Sed etiam ratione distributionis & deriuationis in certas personas, alijs exclusis: vnde nascuntur multa dicteria, ac interdum calumniæ contra Fratres. Et hunc sensum indicat *Clemens V. Extra: Exiui de Paradiso.* Cùm docet intentionem Conditoris Regulæ in hoc passu fuisse elongare Professores huius Regulæ ab omni affectu temporalium rerum, ipsorum ingredientium: *Vt* (inquit) *quantum est ex parte Fratrum, ipsorum receptio ad Ordinem sancta & purissima appareat, & nè aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, sed ad ipsos tantùm Diuino seruitio mancipandos.*

OBLIGATIONES EX TEXTV IV.

OMnis itaque solicitudo circa temporalium bonorum distributionem, siue fiat inductionibus, siue suasionibus, siue consilijs in quantum vel præiudicat quouis modo

modo libertati, vel aliquam suspicionem præiudicij inducit, Ministris & Fratribus est prohibita: Et qualitas peccati mortalis, vel venialis est desumenda ex qualitate præiudicij vel suspicionis siue oculi sinistri exinde contra Fratres accepti, quæ duo diuino præcepto cùm vitanda sint, per Regulam confirmantur. Et ita exponit *Clemens V.* Qui addit pro consilio petendo Nouitios *debere mitti ad timentes Deum alterius statu, non ad Fratres: Vt verè cunctis pateant esse tam salutaris Instituti paterni zelatores, studiosi, sedulí & perfecti.*

TEXTVS V.

Postea concedant eis pannos Probationis, videlicet, duas Tunicas sine Caputio, & Cingulum, & Braccas, & Caparonem vsque ad Cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur.

SENSVS LITTERALIS.

Nouitiorum habitus qualis esse debeat.

Postea, id est, post debitum examen si idonei reperti sint, & conditiones à Regula requisitæ in eis subsistant, ad Probationem admittantur, primò mutatâ veste sæculari, in vestem religiosæ probationis, quæ consistit in duabus tunicis non caputiatis, cum cingulo & braccis, & caparone.

Hic non specificatur qualitas tunicarum, cinguli, braccarum, nec caparonis, sed generaliter tantùm habitus Nouitiorum, vocantur *Panni Probationis.* Igitur, traditio & consuetudo Ordinis, & Prouinciarum in his attendenda est, & omninò sequenda, & inutiles sunt variæ disputationes, quæ de Caparonis forma & figura sparguntur. Sufficit enim substantia 1. vt sint *Panni Probationis Religionis*, ac idcircò à mundana & sæculari, ac professorũ veste distincti esse debent, etsi in austeritate, vilitate & rigore cum religiosa veste conueniant. Frustrà enim *Panni Probationis* vocarentur, si non per illa vestimenta rigor & austeritas religiosi vestimenti probarentur, & per illa austeritates non experirentur. In veste itaque Nouitij proportionaliter debet elucere ex natura *Probationis* eadem austeritas, vilitas & paupertas quæ in veste professi. 2. Sufficit vt vestis Nouitij distinguatur aliquo signo manifesto à veste professi, quam distinctionem innuit Regula per *Tunicas sine Caputio*, & ad distinctionem pro Caputio ponit Caparonem, qui videtur significare additamentum aliquod caput tegẽs, quod Cappis solet superaddi. Super quo Prouincia quælibet arbitrata est, & distinctionem Caputij à Caparone in aliquibus dependentijs petiarum panni constituerunt. Porrò immutatio aliqua in habitu Nouitiorum ità relicta est arbitrio Ministrorum: Vt tamen habitus in aliqua austeritate & rigore constituatur, vt verè *habitus Probationis* nuncupetur.

OBLIGATIONES TEXTVS V.

OBligationes igitur Textus 5. sunt: Vt Nouitij in austeritatibus vestis Religiosæ probentur; & eis aliquod signum distinctiuum à Professis adhibeatur.

Conformitas Scripturæ.

CONformiter in Scriptura: Qui strictiorem vitã sequebantur, vestitu austeriori vtebantur: Sic de Joanne Baptista Marci 1. & Matth. 3. dicitur. Quod *vestitus erat pilis camelí, & zonâ pelliceâ*, & Christus vniuersaliter mundanos à Religiosis distinguens: *Ecce* (ait) *qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.* Et de cingulo Isa. 3. *Erit pro zona funiculus, qui* & alibi vocatur *Cingulum sacci.* Quin & Apostolos statim à principio vocationis vestes mutasse probat Episcopus Siluensis de Planctu Ecclesiæ lib. 2. ar. 56. Ex S. Clemente, & legenda S. Ioannis Euangelistæ.

Marci 1. vers. 6. Matth. 3. vers. 4. Matth. 11. vers. 8. Isaiæ 3. vers. 24.

TEXTVS VI.

Finito anno Probationis recipiantur ad Obedientiam, promittentes vitam istam, & Regulam semper obseruare.

SENSVS LITTERALIS.

FInito anno Probationis, *recipiantur*, si probati, & idonei, ac perseuerantes reperiantur, *ad Obedientiam*, id est, sub Obedientia Ordinis & Regulæ incorporentur, mediantibus Votis, & Professione, quo promittant *vitam istam, & Regulam semper obseruare*, id est, toto decursu vitæ suæ se obligent ad omnia obseruanda, quæ in ista Regula continentur iuxta eorum qualitatem, & modos quibus in Regula obseruanda proponuntur: Nimirùm Vota vt Vota, Præcepta vt Præcepta, Exhortationes & Consilia, vt Exhortationes & Consilia. *Vouens enim* (ait S. Bonauentura) *si totam Regulam pro Regula habiturus, secundùm mandantis intentionem, vt quædam ad obseruan-*

S. Bonau.

ol ſeruandum omnimodò, quadam ad habendum pro ſalutaribus hortamentu. Et ſubiungit: *Ergo illa quæ ad obſeruantiam inuiolabiliter ſunt vouenda: iſta ad cautelam ex voto perenniter ſunt habenda.* Id eſt: Et omnia quæ in Regula inuiolabiliter obligant, nõ fiant formaliter Vota, vt ſunt Præcepta, & illi Æquipollentia, tamen obligationem ex vi Voti Regulæ contrahunt, eò quòd per Regulam præcipiantur.

OBLIGATIONES TEXTVS VI.

QVatuor obligationes ad peccatum mortale iuxta materiæ qualitatem obligantes ex hoc Textu eruuntur. 1. Vt non admittantur ad Obedientiam ſiue Profeſſionem niſi benè probati, & idonei: Qui verò idonei per probationem inuenti fuerint, non poſſint repelli. 2. Nè admittantur ante finitum annum probationis. 3. Nè ſine legitima cauſa proteletur tempus. 4. Vt qui profitentur, ſimpliciter promittant: *Vitam iſtam, & Regulam obſeruare*, abſque nimirùm gloſſis, diſpenſationibus, vel reſeruatione alicuius conditionis, Regulæ & vitæ contrariæ.

Conformitas Scripturæ.

PRobandos ſpiritus ſi ex Deo ſunt monet Ioannes Ep. 1. c. 4. Et Paulus de Diaconis loquens 1. ad Timoth. 3. *His probentur* (ait) *primùm, & ſic miniſtrent.* Sanè Chriſtus primos Apoſtolos probaſſe conſtat Ioan. 1. Cùm enim à Ioãne ad Chriſti ſequelam inducti petiiſſent à Chriſto vbi habitaret? Reſpondit eis: *Venite & videte:* Et (ait Textus Ioan. 1.) *Venerunt & viderũt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illa.* Vbi abſque dubio inſtructi fuerunt ab illo, nèc tam citò ad Apoſtolatum admiſſi, ſed poſteà cùm è naui vocati ſunt: Tunc enim primùm reliquerunt retia, & Patrem. Nec credendum eſt etiam alios Diſcipulos, in Diſcipulatum ſtatim abſque aliqua probatione ſtabiliter admiſſos; ſed aliquo tempore probatos: Vnde poſt diuturnam ſequelam Chriſti duodecim Apoſtoli & 72. Diſcipuli electi ſunt. Et Ioãnis 6. de alijs dicitur: *Multi Diſcipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum ipſo ambulabant.* Probationis autem tempus ad annum terminatur, Exemplo ſicutneæ quæ *Luce* 13. vno anno ad probationem dimittitur, vt eius fœcunditas vel ſterilitas probetur.

1. Tim. 3. Vers. 10.

Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti probati ante vocationem ſiu admiſſionem.

Ioan. 1. vers. 39.

Ioan. 6. vers. 67.

Lucæ 13. vers. 8.

TEXTVS VII.

Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire iuxta mandatum Domini Papæ, quia ſecundùm S. Euangelium: Nemo mittens manum ad arâtrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei.

SENSVS LITTERALIS.

FF. Minoribus an liceat ire ad aliũ quamcumque Religionem.

NVllo modo, id eſt, nullo prætextu licet in iſta Religione profeſſis exire, nè quidem prætextu ad perfectiorẽ ſiue ſtrictiorem Religionem tranſeundi: tum quia ſic declarauit Summus Pontifex, tum & primariò ob ſententiam Chriſti, quâ percutit *Luc.* 9. volentem poſt vocationem priùs renuntiare ijs qui domi erant: *Nemo* (ait) *mittens manum ad arâtrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei.* Vnde S. Bonauentura hoc loco diſtinguit tres gradus eorum qui à Religione recedunt: *Primus* eorum qui reuertuntur ad ſæculum; *Secundus* eorum qui ad laxiorem Religionem declinant. *Tertius* eorum qui ob frugem meliorem ad Religionem perfectiorem aſcendunt. Et quidem duos primos in omni Religione damnabiles affirmat, niſi Diſpenſatio legitima pro ſecundo gradu interueniat. *Tertium* autem gradum laudabilem declarat, ſi poſſibilis ſit. *Impoſſibilem* autem arbitratur in Ordine Fratrum Minorum: Cùm enim Status & Ordo Fratrum Minorum à Chriſto ex Regula in Apice Euangelicæ, & Apoſtolicæ Perfectionis cõſtitutus ſit: Quicumque ad aliam Religionem declinat, *retrò aſpicit.* Quod probat tum ex Sententia Domini Papæ, tum ex Sententia Chriſti in Textu allegata: Niſi enim Papa ſupponeret hunc receſſum impoſſibilem: Regula non præmitteret: *Nullo modo licebit de iſta Religione exire*, & ſubiungeret *iuxta mandatum Domini Papæ:* Et adderet: *Quia ſecundùm ſanctum Euangelium: Nemo mittens manum ad arâtrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei: Si igitur* ait S. Bonauentura) *non licet exire: Quia non licet retrò aſpicere: Ergo omnis alia Religio huic eſt retrò, & Apoſtatæ ſunt omnes ab hac Religione, poſt Profeſſionem ad aliam quamcumque tranſeuntes.* Hæc S. Bonauentura.

Lucæ 9. vers. 62.

S. Bonau.

OBLIGATIO TEXTVS VII.

EX dictis conſtat Fratrem Minorem poſt Profeſſionem non poſſe ſine Regulæ manifeſta tranſgreſſione ad aliam quam-

quamcumque Religionem transire. Quod ab Eminentia huius Religionis, & votorum probat *Hugo de Dina in hoc Capite:* Ostendens quòd licèt fortè alia Religio in obseruantijs aliquibus abundare videatur. In specialibus tamen Votis Religionis, nulla sit quæ ad huius religionis perfectionem attingat. Et *ibidem* de singulis Votis exemplificat, prout & nos suo loco expendemus.

Hugo de Dina.

Quamuis igitur ex alijs Religionibus liceat ad strictiorem transire: Fratribus tamen Minoribus ad aliam transire non licet; quia nulla est à parte rei strictior: Et si aliquando Pontifices Fratribus Minoribus ad Carthusianos transitum permiserint: Permissio illa Dispēsationis fuit, non Perfectionis. Vnde etsi alij religiosi petitâ licentiâ à Superioribus, etsi non obtentâ, ad rigidiores Religiones transeant, Frater Minor sub titulo *Rigidioris* non potest etiam cum suorū licentia, ad aliam transire absque speciali licentia & dispensatione Papæ, quia quantumcumque alia Religio in aliquibus videatur rigidior; In essentialibus tamen est Religione Fratrum Minorum imperfectior; adeoque *retrò aspicit*, quisquis aliam Religionē post huius Professionem petit. Ita clarissimè *S. Bonauentura & Hugo.* Quod & probat Bulla *Honory III.* quæ incipit: *Cùm secundum consilium sapientis. Data Viterby* 10. *Kal. Octob. Pontif. anno quinto.* Ex qua in Regula sumuntur verba: *Iuxta mandatum Domini Papæ:* Quod quidem mandatum præcesserat Regulæ à Christo dictatæ Approbationem tribus annis.

Conformitatem Scripturæ hic non addo: Quia verba Euangelica in Regula assumpta clara sunt.

TEXTVS VIII.

Et illi qui iam promiserunt Obedientiam, habeant vnam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio qui voluerint habere.

SENSVS LITTERALIS.

REgularem habitum Professorum constituit in vna tunica cum caputio; ita vt tunicæ Regularem formā præbeat caputium illi coniunctum: ob infirmitates autem & necessitates humanas, ordinat secundam tunicam absque caputio, cuius tamen vsum relinquit arbitrio Fratrum. Cui conforme est: Quod de se & suis in principio Ordinis refert S. Franciscus in Testamento suo: *Et eramus* (ait) *contenti vnâ tunicâ intùs & foris repetiatâ, cum cingulo & braccis, & nolebamus plus habere.* q.d. Etsi ex Regula duabus tunicis vti siue duas tunicas habere possemus: Eramus tamen contenti vnâ contra frigus intùs & foris repetiatâ, & quamuis nobis liberum esset, nolebamus vti pluribus. Addit porrò S. Franciscus: *Cum cingulo & braccis*, quæ non repetierat Textus Regulæ; sed ex habitu Nouitiorum præsupposuerat resumenda.

Testamentum S. Patris.

OBLIGATIO TEXTVS VIII.

OBligantur itaque Professi semper gestare vnam tunicam cum caputio tāquam habitum Regularem, & vti braccis, & cingulo siue chordâ communi, & rudi, iuxta Ordinis communem Vsurpationem & Institutum: Illumque habitum sine causa notabili tempore dimittere peccatum mortale est. Hic enim Textus vim habet Præcepti Affirmatiui.

APPENDIX.

FIguram tunicarum, & Caputij, sicut nec Braccarum non expressit Regula: Quia Ordini reliquit, vt de illis disponeret modo religioso & honesto; seruatâ tamen (vt ait inferiùs) vilitate materiæ. Ex Textibus verò Regulæ constat 1. Materiam tunicarum debere esse ex *panno:* Nam probandi præcipiuntur Nouitij in *Pannis Probationis:* Ex quo infertur, Professos vestiri debuisse tunicis ex panno, cuius austeritatem debebant probare Nouitij. Vnde manifestè excluduntur à Vestimento linea, staminea, & alia quæ ad pannum non spectant. 2. *Pannus* debet esse *vilis* in pretio, pariter & *colore*, vt infrà dicetur: In *pretio* quidem; in hoc enim potissimùm consistit *vilitas:* In *colore* autem: Quia Fratres iterùm infrà prohibentur iudicare sæculares, quos viderint *coloratis* indutos: Et consequenter indicatur eos nullo colore aduentitio debere vti in tunicis; sed contentos debere esse naturali colore lanæ. 3. Constat: Tunicas siue Habitum Fratris Minoris debere esse simplicem, non rugatum, non crispatum, aut artificiosâ figurâ, & modo dispositum; sed qui sufficiat communi vsu ad corpus honestè tegendum; vnde simpliciter *tunica* vocatur. 4. Nec figura Caputij vllatenùs indicatur; sed communi figuræ cuius erat vsus, relinquitur ab Ordine pro honestate vsurpandus.

FF. Minorum vestimenti qualitas.

De braccarum materia vel forma, etiam nîl tangitur: Vnde S. Bonau. *Istarum* (ait) *braccarum non tangitur qualitas, vt liceat Fratribus si nolunt, tangere lini, delicias, braccis vti laneis vel etiam coliciis.* *S. Bonau.*

Confor-

Conformitas Scripturæ.

An habere duas Tunicas non sit contra Euangelium. S. Bonau.

HIc verò ob conformitatem ad vitam Euangelicam & Apostolicam, monet S. Bonauentura non parui momenti Dubium: *Cùm enim* (ait) *dicatur Matth. 10. in Regula Apostolorum: Neque duas tunicas habeatis: Qualiter S. Franciscus hîc concedit duas tunicas, qui superiùs dixit: Regula & Vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet D. N. Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare?* Respondet S. Bonauentura: *In Euangelio* (inquit) *nomine vnius tunicæ, vestitus designantur necessarij. Vnde non habere duas tunicas, est non ferre superflua vestimẽta: Sed quia pro Religionis honestate necessarium est exteriorem tunicam, in longitudine & latitudine ab alia, vel alijs differre. Necessarium vestimẽtum B. Franciscus in duas diuisit tunicas: In vna intelligens exteriorem amictum, vt Fratres Cappa tegantur: In alia omne corpori manifestè necessarium vestimentum.* Hæc S. Bonauentura. Itaque Exterior Tunica Caputiata Regulare vestimentum est, quod Religiosum demonstrat: Interior Tunica simplex vel repetiata indicat indumenta corpori necessaria, iuxta temperamẽtum, vel externas aëris dispositiones.

Et hæc est genuina Euangelij, & Apostolicæ Regulæ Interpretatio: In hoc enim quòd Regula Euangelica, siue Apostolica duas Tunicas prohibeat: Communis Patrum Interpretatio est, per duas Tunicas Apostolis interdictas, intelligi *vestes mutatorias*, quæ sapiant humanam prouidentiam absque necessitate; vtpote quarum vsus alternatiuam sapit, & quæ ad supellectilem in arca reconduntur: Non autẽm quæ præsenti necessitati, vel honestati deseruiunt. Quod manifestum sit exemplo Christi & Apostolorũ, à quo reales Interpretationes Euangelij desumendæ sunt. Constat enim Christum præter Tunicam inconsutilem, quæ erat propria vestis, alia vestimenta tum ad honestatem, tum ad necessitatem simul portasse: Nam & Joan. 13. retentâ Tunicâ inconsutili, surgens à Cœna posuit vestimenta sua, quæ post lotionem pedum resumpsit. Et cap. 19. clarè vestimenta Christi quæ partiti sunt milites, distinguuntur à Tunica inconsutili contexta per totum, super quam miserunt sortem, vt Scriptura impleretur Psalm. 21. *Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Nec aliter loquitur Scriptura de Apostolis & Discipulis Lucæ 19. de quibus scribitur, qualiter in ingressu Domini in Hierusalem: Iactarunt vestimenta sua super pullum, & imposuerunt Jesum. Quod idipsum scribitur Matth. 21. & Marci 11. Ex quibus manifestum est Apostolos vestem quidem Apostolicam retinuisse (non enim nudi ambulabant) alia autem vestimenta communiter simul gestasse, quæ Asello imposuerunt, & super quibus Christus sedit: Eadẽ enim Phrasis est: Act. 12. vbi mandat Angelus Petro: *Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me:* Neque enim iacebat Petrus nudus inter milites dormiens. Vnde & S. Paulus 2. ad Timoth. 4. petit sibi referri Penulam quam Troade reliquerat. Est verò *Penula* (teste Sancto Hieronymo Dial. 3. contra Pelagianos, Chrysost. & Theophylacto in hunc locum, & Lampridio in Seuero) Genus quoddam vestis, quod contra frigora & imbres antiqui ferre solebant, & tunicæ superinduebatur. Vniuersaliter S. Hieronymus: In duabus (ait) tunicis duplex videtur innuere vestimentum: Non quòd in locis Schytiæ, & glaciali niue rigentibus vna quis tunica debeat esse contentus, sed quòd in tunica vestimentum intelligamus, nè alio vestiti, aliud nobis futurorum timore reseruemus. Itaque vestis Regularis Fratris Minoris est tunica cum Caputio, & correspondet vni tunicæ Apostolicæ, ad quam deferendam Frater Minor obligatur, & quâ extra congruam necessitatem contentus esse potest: Sub tunica autem secũda sine Caputio intelligitur necessariũ quoddam vestimentum, quod vel necessitati deseruit, vel etiam congruæ honestati, quale nec Apostolis per orbem missis negatum est: adeoque Frater Minor absque aliqua relaxatione Euangelicæ & Apostolicæ vitæ, & Regulæ, chlamyde, & tunicâ altera vtitur, sicut & Apostoli suis vestimentis: & Paulus *Penulâ* contra frigus & imbres. Notat autem *S. Bonauentura* tunicas & vestimenta multiplicari non posse vltra duas, absque iudicio & consensu Ministrorum, quibus necessitas Fratres induendi secundùm loca, tempora, & frigidas regiones cap. 4. Regulæ committitur iudicanda. In necessitate autem ex vi Regulæ iuxta iudicium Ministrorum prout viderint expedire, posse alijs & alijs vti, vt subaculis, & mutatorijs.

Christus & Apostoli, an habuerint plures tunicas.

Act. 12. vers. 8.

Psalm 21. vers. 19.

ADMONITIO.

EX his collige quantâ impertinentiâ, & quàm futilibus prætextibus tot Disputationes de forma & figura Caputij, de Mantellis, de Galleris, & secundis Caputijs ac infinitis similibus motæ sint, quæ ex ipsâ Regula sedari poterant: Quas paleas simul cum alijs posteà singulariter excutiemus.

TEXTVS IX.

Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta.

SENSVS LITTERALIS.

ETsi Apostolico more Fratres nudis pedibus, & vt notat S. Marcus cap. 6. *Calceati sandalijs*, incedere communiter debeant: Permittitur tamen illis cùm necessitate coguntur, calceamenta portare; id est, (vt antiqui Patres interpretantur) *consueta pedum operimenta de corio*, quibus vtuntur, & pedem armant itinerantes, iuxta morem Patriæ.

OBLIGATIONES TEXTVS IX.

EX quo contextu conuincitur 1. Fratres Minores tempore necessitatis non aliqari ex vi Regulæ ad incedendum nudis pedibus, nec portare calceamenta in necessitate esse dispensationem; sed Regulæ prouisionem, ac positiuam facultatem, quâ vti possunt. Nec necessitatem periculosam aut grauem requiri; sed illâ sufficere iuxta iudicium & Interpretationes antiquorum Patrum: *Quam non carnis prudentia; sed rationabilis conciliat causa, vt quando debitum impeditur officium, vel temporale aut spirituale timetur dispendium.* Hæc Hugo de Dina, qui anteà dixerat: *Vbi cogit necessitas non minus calceatus, quàm discalceatus seruat Regulam.*

Hugo de Dina.

2. Ex indirecto conuincitur: Fratres Minores extra casum necessitatis obligari pedibus nudis ambulare; non tamen plantis, idque Exemplo Apostolorum, quibus sandalia *Marci* 6. concessa sunt, ad conseruandam plantam pedis. Vnde Actor. 12. vbi Angelus mandat Petro: *Calcea te caligas tuas.* Græcè ponitur: *Subliga sandalia tua: Caliga* enim à ligando calce quasi *Calciliga* dicitur: Ex obligatione tamè cum sit ex Præcepto indirecto, & calceamenta portare consuetudinem sonet, non incurritur peccatum mortale; nisi sit notabilis transgressio in vtu aliquo continuato.

Actor 12. vers. 8. Græc.

ADMONITIO.

HIc etiam frustrà mouentur Quæstiones de caligis truncatis, calepodijs, forma sandaliorum, cum talis, vel sine talis, quas paleas etiam suo loco excutiendas reseruamus; Nè luctemur hic inutiliter.

TEXTVS X.

Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & alijs petijs cum benedictione Dei.

SENSVS LITTERALIS.

QVia qualitas panni in vestimentis præcisè non potuit definiri, ob regionum, & prouinciarum per vniuersum Orbem ad quas fratres Minores mittendi erant diuersitatem: Nè contingeret excessus, qualitatem panni solummodò ad *vilitatem* restrinxit, & coarctauit: Ita vt sufficiat si Fratres vbicumque terrarum, vili panno vestiantur, & pannus quo vtuntur Fratres Minores in habitibus, in regione illa in qua degunt, pannus tam in colore, quàm in pretio vilis communiter reputetur. Vnde & libertatem Repetitionis in vestimentis indulget, hac quidem ratione: Quia Repetitio primariò quidem cõseruationis in veste oportunitatem, & mediũ quoddam paupertatis ostẽdit; Secundariò autem vilitatem quandam conciliat: Vile enim Mundanis est, Repetitis vti. Quod autem de *Saccis*, addit, *& alijs petijs*, ostendit manifestam vestis vilitatem, quæ scilicet, etsi sacco repetietur, inhonestatem & deformitatem non infert. Nec ad litteram saccus lineus hic accipiendus venit: Nam vt benè S. Bonauentura: *Saccus duplex est lineus, & laneus*, & secundum Scripturam saccus dicitur: Omnis vestis vel pannus vilis: Vnde & datur *saccus cilicinus*, quod indutus est Propheta.

FF. Minorum vestimenti vilitas qua.

OBLIGATIO TEXTVS X.

OBligatur itaque Frater Minor vilitatem in pretio, pariter & colore panni seruare, iuxta æstimationem communem in Regione, & Prouincia in qua Fratres viuunt, & morantur: Ita vt grauis excessus in pretio & quædam singularitas in colore, peccatum mortale inducat: Judicium autem vilitatis penes Ministros maximè in Capitulis residere debet, quorum est etiam iuxta Regulam de ijs quæ expediunt, in prouisione vestimentorum iudicare.

APPENDIX.

IN libertate Repetitionis grauiter aduertendum est ad venena Hypocrisis & Vanitatis, quæ irrepserunt: vt iam conser-

Repetitio hypocritica fugienda.

uatio

natio vestis non attendatur, sed pictura quædam Hypocritis & Vanitatis, vt ab hominibus videantur: Vnde non sine causa S. Franciscus addit: *Possint repetere cum Benedictione Dei*; Benedictio autem Dei vanitatem, & iactantiam aut inhonestatem, siue deformitatem non approbat; sed condemnat. Vnde Zachar. 13. ad Prophetas: *Non operientur* (ait) *pallio saccino, vt mentiantur*: Hi autem qui Repetitiones illas exoletas, & singulares quærunt, verè saccinis & deformibus pellis se operiunt, vt mentiantur: Mentiuntur enim Paupertatem quam non obseruant, austeritatem quam non patiuntur, & velut in Idolo suas fictiones faciunt. *Benedictio Dei* est in Fratre: Qui suum habitum repetiat amore Paupertatis: Nè nouum comparare frequentius cogatur: *Benedictio Dei* est in Fratre: Qui ad hoc suum habitum repetiat, vt cum sacco indutus in Apocalypsi, Christi Pauperis testis sit, & pœnitentiam annuntiet: Et vt (ait) S. Bonauentura: *Huic vestimento Benedictio additur, quoniam qui se stultum & despicabilem exhibet huic mundo, ipsi Deo efficitur pretiosus: Quod aliunde est, à malo est.*

Zachar. 13. vers. 4.

S. Bonav.

Intentio S. Patris conformis Scripturæ.

FF. Minorum vestiũ repetitio ad quid.

VNica Intentio S Patris fuit vt Fratres in habitu mundo monstrent contemptum sui, despectum mundi, arctam viam, & pœnitẽtiæ necessitatem. Hinc Prophetæ & Christi Præcursores saccis amicti prædicabant: Vt de Isaia constat Isa. c. 20. Qui iubetur *saccum de lumbis soluere* (quo indutus fuerat ad pœnitentiam) *& nudus ac discalceatus incedere, vt fieret triũ annorũ signum, & portentũ super Ægyptum.* Quâ ratione & c. 37. Ezechias & Sacerdotes describũtur *saccis induti* intrare domum Domini. Et in Euangelio Matth. 3. vestitus Ioannis Baptistæ *de pilis camelorum* describitur. Sic Apocal. 11. Helias & Enoch diebus mille ducentis sexaginta *amicti saccis* prædicare describũtur. Et ad hæc collimat S. P. Francisci intentio, dum vult fratres ad prædicandam pœnitentiam missos vilibus indui, & permittit saccis repetiari ad sui despectum, mundi contemptum, ac pœnitentiam, vitâ & exemplo prædicandam.

Isaiæ 20. vers. 2.

Et 37. vers 1. Matth. 3. vers. 4.

Apocal 11. vers. 3.

TEXTVS XI.

Quos moneo & exhortor nè despiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis; sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum.

SENSVS LITTERALIS.

VErba hæc exhortatoria & monitoria; tantùm indicant intentionem quam S. Franciscus voluit à Fratribus suis seruari: *In vilitate vestimentorum, & austeritate ciborum*: nimirùm: vt non alicuius sanctitatis, aut virtutis sint signa; sed vt debitæ pro peccatis pœnitentiæ sint argumenta: Ita vt per illa Frater Minor se melioribus indignum iudicet, & se despicabilem potiùs exhibeat, quàm aliorum Iudicem aut Censorem. Et contra hanc intentionem militant Fratres Minores, quotquot ex austeritatibus suis, laudem & hominum æstimationem quærunt. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Nec hic Textus alia Expositione indiget.

CAPVT III.

De Diuino Officio, & Ieiunio, & qualiter Fratres debeant ire per mundum.

TEXTVS I.

Clerici faciant Diuinum Officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria: Laici verò dicant 24. Pater noster pro Matutino, & c.

SENSVS LITTERALIS.

CVm Oratio & Laudes Diuinæ vitæ Religiosæ præcipuum exercitium sit, & velut primarium Fundamentum; ac inter supremas Ordinis Operationes S. Frãciscus *Orationem puræ Cordis* reçenseat: Inde est quòd ante omnia Professis Clericis & Laicis imponat Recitationem Officij Diuini, sub terminis vim Præcepti habentibus: Et quidem Clericis, vt recitent siue *faciant Officium Diuinum secundum Ordinem S. Romanæ* vniuersalis *Ecclesiæ: Excepto* (ait) *Psalterio*; Eò quòd in ipsa Romana Ecclesia Patriarchali alterius Interpretationis Psalterij vsus sit, nimirùm: Lxx. Interpretum, quod non communi-

catur Ecclesijs alijs per Orbem diffusis.

S. Franciscus cur officium Romanum indixerit. S. Bonau.

Cur autem Officium Romanum elegerit S. Franciscus: Respondet S. Bonauentura: *Quia optabat* (inquit) *S. Franciscus Romanæ Ecclesiæ vestigijs Religionē suam pro viribus copulare, sciens eam immediatè subesse cælesti Curiæ, & ab ipso Domino fuisse institutam, & à Sanctis Patribus gubernatam, qui habentes sapientiam, & iudicia mittere toti mundo; secundùm tamen Officium illud prolixum laudauerunt Altissimum.*

Cur sub obligatione mortali.

Cur verò sub Præcepto ad peccatum mortale obligante illud imposuerit? *Primaria* quidem ratio fuit ipsius in Diuinas laudes inspirata propensio: *Secundaria* autem non minoris momenti: *Quia* (vt ait

Barthol Pisanus.

Pisanus) *cùm Fratres Minores populi Eleemosynis purè alantur, sicut Beneficiarij Ecclesiæ, sic Fratres Minores Officio Diuino obligandi fuerunt, vt nocte & die preces offerrent, pro ys quorum panē, & laboribus nutriuntur.* Quantam verò obligationem agnouerit S. Franciscus Fratribus suis iniunctam lectione Officij Diuini, ex Testamento constat: Quippe qui non facientes Diuinum Officiū mandabat vinculis constringi, & carceri mancipari, & superioribus

Hugo de Dina.

præsentari; *Ostendens* (ait Hugo) *ex criminis, & pœnæ collatione legis voluntatem, & culpæ infinuans quantitatem.* Additur porrò, *Ex quo habere poterunt Breuiaria*; tum quia Breuiaria non habentes Officium illud supponuntur legere non posse: tum vt ostendat, quemlibet Fratrem Breuiarij vsum habere posse.

Laicorum Officium proportionatè, & cōformiter obligare censendum est: Quod ex repetitis Orationibus Dominicis non sine magnis Mysterijs compositum declarat S. Bonauentura in hoc Capite.

OBLIGATIONES TEXTVS I.

OBligationes huius Textus vim Præcepti habentes, expendendæ sunt ex Obligationibus Clericorum Romanæ Ecclesiæ, qui ad Officium Diuinum siue ex Beneficio, siue ex Ordine maiori, aut aliūde obligantur, tam quoad Officium horarum, quàm ea quæ ad Officia Missalis pertinent. Eadem enim est ratio: Exceptâ tamen Obligatione Restitutionis Beneficiatorum. Vnde his immorandum non est.

Conformitas Scripturæ.

HÆc porrò ratio Orationis, & Laudis diuinæ confirmatur Scripturâ: Pro exemplo enim Christus legitur sæpiùs in oratione pernoctasse, & Apostoli pro varia temporum ad orandum distributione referuntur in Templum ascendisse. Et in Epistolis Apostolicis ad Colos. 3. & 1. ad Timoth. 2. mentio fit *Orationis, Obsecrationis & Gratiarum Actionis*, quæ fiebant, & alibi sæpiùs de solatio quod in Hymnis & Canticis fideles capiebant.

TEXTVS II.

Et Ieiunent à festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, &c.

SENSVS LITTERALIS.

IN hoc toto Textu Regula duas sub Præcepto Fratribus imponit Quadragesimas: *Alteram* à festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, quæ olim à Christianis celebrabatur, quibusdam illam inchoantibus ad *festum S. Martini*, & vocabatur *Ambrosiana*, eò quòd S. Ambrosius illius Promotor fuisset; Alijs ieiunium inchoantibus à *prima Dominica Aduentus* (quæ adhuc ab aliquibus modò seruatur) ad præueniendam Christi sanctissimam Natiuitatem.

Alteram Quadragesimam quæ Catholicis omnibus communis est, qua per quadraginta dies Christianus præparat animos ad S. Pascha, cum Christo resurgendo celebrandum. In memoriam autem Dominicæ Passionis singulis Hebdomadibus *Feriam 6.* ieiunium dedicauit verus Dominicæ Passionis æmulator, & Discipulus. Quia autem graue erat Sancto Viro à vestigijs Christi vel latum vnguem recedere, Tertiam Quadragesimam sub *Benedictione Dei* absque obligatione conscientiæ suis Fratribus ab Epiphania Domini vsque ad quadraginta dies obseruandam proposuit: Quia his ipsis diebus secūdùm anni decursum Christus ieiunium suum in deserto inchoauit, prosecutus est, & perfecit; & istos dies suo ieiunio cōsecrauit: Die enim Baptismi sui quo à Joanne in Jordane baptizatus est: *Tunc* (teste Matthæo c. 4.) *ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo, vbi ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Siue vt notat Marcus c. 1. Statim à Baptismate *expulit eum Spiritus in desertum.* Dies autem Baptismatis incidit in diem Epiphaniæ.

Matth. 4. vers. 1.

Marci 1. vers. 12.

OBLIGATIONES EX TEXTV II.

EX his accipe breuiter Obligationes quas ex Regula Frater Minor habet ieiunandi, nimirùm: 1. A festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. 2. A die Cinerum vsque ad Pascha.

3. Sin-

. Singulis feriis sextis totius anni. Qualitas autem & quantitas obligationis mensurãda est, iuxta obligationes ieiuniorum, quæ sub Præcepto Ecclesia imponit iuxta morem Patriæ. Cùm de his nil specificauerit S. Pater Addens tamen prouisionem paternam : *Tempore manifestæ necessitatis, non teneri Fratres ieiunio corporali.* Cuius necessitatis iudicium regulariter est penes Superiores, in dubio auditis Medicis, aut ijs quibus competit de dubia necessitate iudicare.

Conformitas Scriptura.

IEiunauerunt sanè Sancti Moyses, Elias, sicut & Christus 40. diebus & 40. noctibus: Sed & *Matth. 9.* ortâ Quæstione, cur Christi Discipuli eo tempore non ieiunarent sicut Discipuli Joannis & Pharisæi: acceperunt Responsum: *Quia filij sponsi non poterant lugere quamdiu cũ eis esset sponsus:* Cùm autem *auferetur ab eis sponsus, tunc demùm ieiunarent.* Ab Apostolis itaque post Ascensionem Christi, ieiunia in Ecclesia initium sumpserunt, & particularibus ieiunijs Apostoli se macerauerũt: Ad quorum exemplum religiones posteà singularia ieiunia elegerunt, & Christus Regulam dictans supradicta Fratribus Minoribus imposuit.

Matth. 9. vers. 15.

TEXTVS III.

Consulo verò moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadunt per mundum non litigẽt, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici, & modesti, &c.

Sensus Litteralis cum Euangelio coniunctus.

EVangelij Sectator in suis Fratribus per mũdum euntibus requirit omnes virtutes quas Christus Apostolis demãdauit, quando illos binos ante faciem suam misit: Et 1. Omne litig ium à suis remouet, iuxta illud Marci 9. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos:* Per quod insinuat Fratres Minores semper binos per mundũ ire debere: litigare enim & cõtendere verbis, non potest fieri nisi inter binos. Persuadet autem mititatem, iuxta illud: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris:* Ex qua mititate oritur *modestia pacifica, & humilis, ac affabilis conuersatio;* & quidam animi nitor & pietas. Etsi autem hæc exhortatoria sint, & ex vi Regulæ ad mortalem culpam non obligent: Ex natura tamen sua, iuxta præuaricationem charitatis, & exempli, siue ratione motus inordinati, siue ratione scandali, mensuranda sunt, & frequenter peccata mortalia contra Dei mandata inuoluunt.

Marci 9. vers. 49.

Matth. 11. vers. 29.

TEXTVS IV.

Et non debeant equitare nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur.

SENSVS LITTERALIS.

PEdestres voluit S. Franciscus Fratres suos cum Christo & Apostolis quamdiu sani sunt, & extra casum necessitatis ambulare: Et singulariter *equitationem* prohibuit; quia pompam, & diuitum sęculi vsum, & cõsuetudinem *equitatio* dicit, sub qua etiam absque dubio Pompaticus Rhedarum, & Curruum vsus intelligitur. Sanè Christus semper pedester ambulauit: Qui Joannis 4. ex itinere fatigatus iuxta fontem sedit: Qui & à Magdalena pedes lutosos sibi lauari permisit, nec vnquam nisi ad mysterium asinam conscendit. Quod & Apostolos sectatos esse planè constat, cùm & illis ipsemet in vltima cœna pedes abluerit.

Ioan. 4.

OBLIGATIO TEXTVS IV.

ÆQuipollenti Præcepto sub mortali obligantur Fratres Minores ab *equitatione* abstinere extra casum manifestæ necessitatis vel infirmitatis: Ita vt non solùm necessitas, sed manifesta & indubitata necessitas, vel infirmitas ad equitandum requiratur. Quid verò de bigatione vel quadrigatione? Proportionatâ quidem ratione pompaticum diuitum, aut sæculariũ morẽ prohiberi non est dubium, vbi nulla necessitas suadet; humilem tamen ad modum pauperum currus humilis vectationem, sicut & abiectum aselli vsum putarem tam strictè non prohiberi. Pono verba Hugonis de Dina: *Etsi cùm animalia cætera, vel honesta occurrunt vehicula equis tracta, vectari littera fortè minùs vetet: Beatiùs tamen, & honestiùs, nisi vrgente necessitate vitamus, pedites, cum Domino Iesu ex itinere fatigamur. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini nostri inuocabimus.* Conformitas Scripturæ suprà sensui litterali permixta fuit.

FF. Minoribus an prohibitum bigare.

Hugo de Dina.

TEX-

TEXTVS V.

In quamcumque Domum intraueuerint, primùm dicant: Pax huic Domui, & de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.

Sensus Litteralis cum Euangelica Scriptura.

TExtus hic alium Sensum Litteralem non habet, præter eum qui est Textus Euangelici: Continet enim *Symbolum Pacis*; quam Apostoli iussi sunt in vniuersum Orbem deferre: Illam annuntiantes in omni Domo ad quam intrabant *Matth.*10. Et *Luc.*10. *In quamcumque Domum intraueritis primùm dicite: Pax huic Domui: Et si ibi fuerit filius Pacis, requiescet super illum Pax vestra; S'in autem reuertetur ad vos.* Et subdit alteram partem Textus: *In eadem autem Domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus enim Operarius mercede sua:* Siue vt *Matthæus: Dignus est Operarius cibo suo.*

Matth 10. vers. 12. Lucæ 10. vers. 5.

Quam adprecationem efficacem Apostolis commissam, sibi & suis reuelatione diuinâ demandatam asserit S. Pater in suo Testamento: *Salutationem* (inquit) *mihi Dominus reuelauit, vt dicerem: Dominus det tibi pacem.* Vnde etsi verbis illis, domibus ad quas intramus, & illis qui in eis habitant, Pacem nuntiare Præceptum non sit, Efficaciam tamen habet ab institutione & reuelatione diuina, magnumque Mysterium patenter insinuat, nimirùm: In ingressu Fratrum Minorum ad eorum imprecationem efficaciter Pacem dari filijs pacis in ipsis habitantibus, S'in minùs ad eos reuerti: Quòd Priuilegium Apostolicum fuit.

Adprecatio pacis in ingressu domorũ quando facienda.

Quòd autem subiungit Regula: *Et de omnibus cibis qui apponũtur eis liceat manducare:* Libertatem iterùm Apostolicam in ciborum vsu in Fratribus Minoribus confirmat, quæ ostenditur non ad luxum, sed ad necessitatem cõcedi. In Textu quidem Euangelico, dum non debere quæri aut parari extraordinariè cibos insinuat; sed obuios comedi, qui apud Hospites reperiuntur, siue qui simpliciter apponuntur. Præclara verò hic nota inculcatur: Quòd cibi quos Apostolici Viri per mundũ euntes in domibus Hospitum suorum comedunt, ex diuina Prouidentia debeant ab eis suscipi, vt Remunerationes laborum suorum, & Operationis Euangelicæ; non autem vt recreationes sensualitatis suæ: *Dignus est enim Operarius* (inquit Christus) *mercede sua*, siue *cibo suo.*

FF. Minorum cibus qualis.

Porrò etsi hîc Textus videatur tantùm Fratres per mundum euntes concernere, ex quo etiam magnæ notæ Viri visi sunt velle Fratres domi non posse communiter cibis obuijs vti; sed eos ad legumina & pisces voluerunt coarctare. Nihilominùs certum est Fratres vbicumque sunt extra tempora prohibita, etiam in proprijs domibus, iuxta hunc Textũ, de omni cibo comedere: Vbicumque enim sunt etiam in proprijs domibus peregrini sunt, vbicumque sunt alieno cibo, alieno tecto, alienis bonis vtuntur, liberè ergò si alio præcepto non prohibeatur appositis vti possunt.

CAPVT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

TEXTVS I.

Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam Personam.

Sensus Litteralis Scripturæ connexus.

EMinentissimum hîc Præceptum omnibus numeris absolutum ponitur, cum clausulis omnium exceptionum derogatiuis, vt ex singulis particulis constat: *Præcipio* (ait) id est, absolutè mando, *firmiter*, id est, absque spe mutationis, vel priuilegij dispensatiui; *Fratribus vniuersis*, id est, tã Superioribus, quàm Inferioribus, Clericis, vel Laicis: *Ne vllo modo denarios vel pecuniam recipiant*; vllo (inquam) modo siue in Dominium, siue in Possessionem, siue in Ius vel Iuris administrationem, depositionem, dispositionem, vsum-fructum, vsum Juris, aut simplicis facti vsum, & politicum contractum, &c. *Denarios vel pecuniam*, id est, numeratam pecuniam, quæ immediatè Emptionis, vel Venditionis instrumentum est, recipiant, id est, in se vel suam administrationem consignari permittant,

mittant, *Per se*, id est, in propria persona, *vel per interpositam* suo nomine & auctoritate *personam*. Quod autem per denarios vel pecuniam, numerata pecunia intelligi omninò debeat, desumitur ex mandato Euangelico Apostolis dato ex quo hoc præceptum litteraliter sumptum est: Matth. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis.* Et Marci 6 *Neque in zona as* Luc. 9. *Nil tuleritis in via, neque peram, neque panem, neque pecuniam*: Quæ omnia loca simpliciter intelligenda sunt: de nummis, siue numerata pecunia, neque aliter intelligi possunt. Neque enim aliud *pecunia in zonis* siue butsis, aut *as in zona*, aut ipsa deportatio pecuniæ significare possunt, nisi denarios vel pecuniam numeratam, quibus itinerantes communiter vtuntur, vel quæ sunt ciuilia, & politica instrumenta, quibus homines immediatè vtuntur ad emptiones & venditiones. Quapropter si quandoque expositores antiqui, nomine *pecunia* interpretentur *quidquid recipitur vt vendatur, vel per illud aliud ematur*: siue vt Iurisconsulti loquuntur: *Quidquid appretiatur pecuniâ numeratâ, vt aliquid ematur*: Id nimis generaliter dictum est, & contra simplicitatem Textus ac Euangelij, & glossam sapit. Etsi enim non inficias imus, quin talia interdùm à Iurisconsultis vocentur *Pecunia*, quia pecuniæ æquiualent, aut pecuniæ vicem in contractu venditionis supplere possunt, atque ideò propter ius & proprietatem talia Fratri Minori in tali acceptione per Textum primum *cap.* 6. prohibeantur, eò quòd aliquam appropriationem iuris habere videantur: Non possunt tamen intelligi nomine *Pecunia* vel *Denarij* prout in hoc Textu sumuntur: Quia illâ sola pecunia hîc prohibetur, quæ Apostolis prohibita est per pecuniam, & *as in zonis*, quam itinerantes secum ferre solent. Itaque vt benè notat Hugo de Dina. *Isti capitula & prohibitiones Regula non distinguunt*: Constat enim, quòd in aliquo capitulo eis rei proprietas interdicitur, sed non vsus: In præsenti verò capitulo rerum quarumdam quæ nomine *pecunia* & *denariorum* designantur, & proprietas & vsus. Inutiles itaque quæstiones sunt quæ hîc mouentur, & quæ *ad 6. Caput* Regulæ remitti debent: sufficit enim hîc iuxta Textum Euangelicum pecunia numerata siue denarij, & nummi in omni vsu politico Fratribus prohiberi, vt olim pecunia in zonis Apostolis prohibita fuit: Paleas ventilabro aliàs excutiemus.

Pecunia nomine quid intelligatur.

Matth. 10. vers. 9.

Marci 6. vers. 8. Lucæ 9. vers. 3.

Hugo de Dina.

OBLIGATIONES TEXTVS I.

PRohibetur itaque Fratri Minori præcepto formali omnis circa pecuniam vsus politicus, & ciuilis qualiscûque: omnis titulus iuris, quantumcumque remotus, per quamcumque personam nomine Fratris vsurpatus. Vnde non licet Fratri Minori, in dominium, possessionem, depositum, administrationem, vel quemcumque vsum, pecuniam recipere, aut permittere vt suo nomine recipiatur, deponatur, vsurpetur, numeretur, vel etiam consumatur, aut ciuiliter expendatur: peccatque mortaliter, quoties in ciusmodi titulos vel actus consentit, vt suo nomine fiant. Hæ obligationes cõtinentur in particula *Nullo modo*, quæ omnem iuris dispositionem vel vsum interdicit.

Pecuniam mitti pro FF. Minoribus quomodo intelligendum.

Hic tamen aduertendum est: sæpè in vsurpata vulgari locutione, dici, *Pecunias pro Fratribus Minoribus mitti*, &c. Verùm hæ locutiones æquiuocæ sunt, nec ciuilem aliquem actum, aut vsum, aut politicũ ius significant. Præpositio enim *Pro*, non terminatur ad pecuniam, sed ad necessitates Fratrum, quæ per pecuniam licito modo à donantibus, vel pecuniam nomine dominorum principalis administrantibus procuratur, vel quibus subuenitur: vt sit sensus: recepta, deposita, seruata, expensa est pro Fratribus pecunia, id est, pro rebus Fratribus licitis, & necessarijs, per dominos vel eorum substitutos, siue personas idoneas nomine dominorum comparandis. De quibus Textu sequenti.

TEXTVS II.

Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs Fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantùm, & Custodes solicitam curam gerant, secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper saluo, vt denarios vel pecuniam non recipiant.

SENSVS LITTERALIS.

SVppositi S. Pater: communibus Fratrum necessitatibus non semper sufficienter prouideri per res in specie oblatas, mendicatas, vel in mercedem laborum siue per laboritium acquisitas. Benignus igitur & prouidus Pater Christo dictante, ad-

uertens nonnullas interdùm necessitates occurrere posse, quæ non nisi mediante pecuniâ comparari, vel quibus sine pecunia subueniri nequit: Ita præceptum de pecunia à Fratribus non habenda illibatum voluit. vt tamen necessitatibus, quibus non nisi mediante pecuniâ prouideri potest, congruè satisfiat. In hoc Textu quinque potissimùm præcipiuntur.

Res textu quæ præcipiuntur.

1. Vt Ministri & Custodes, sub quibus Guardiani intelliguntur, solicitam curam gerant pro similibus necessitatibus, exemplificando duas præcipuas, in quibus pecunia interuenire solet, & reputantur necessitates ineuitabiles, nimirùm: *Pro necessitate infirmorum, & Fratribus induendis.*

2. Vt quando interuenire debet pecunia in eiusmodi necessitatum prouisione: Id fiat non per Fratres, sed per amicos spirituales, qui sunt vel eleemosynam dantes, vel eorum ministri, siue deputati, aut personæ ad hoc ipsum potentes, & legitimè constitutæ.

3. Nè proprietas aliqua in harum rerum prouisione irrepat: Præcipitur vt cura illa prouidendi incúbat *solis Ministris, & Custodibus*, siue *Guardianis*, & non Fratribus in particulari: Vnde Fratres indirectè prohibentur se immiscere dictis prouisionibus: nisi cura illa aliquibus à Ministris & Custodibus fuerit demandata, idque semper dependenter ab illis quibus hanc curam, & solicitudinem Regula imposuit. Et hæc indicat particula *Tantùm*; *Ministris* (ait) *& Custodes tantùm*, &c.

4. Iudicium de vestimentis Fratrum, eorumq; necessitatibus, committitur Ministris & Custodibus, vt illis prouideatur: *Secũdùm loca, & tempora, & frigidas Regiones.* Ex quo infertur quòd suprà diximus de pluralitate tunicarum, de calceamentis & alijs ad vestitum Fratrum pertinentibus: Illa quidem extra casum necessitatis esse determinata ad duas tunicas, *vnam cum capitio, & alteram sine capitio, & cingulum, & braccas* ac sandalia: In necessitate autem secundùm *loca & tempora, & frigidas Regiones*: Fratres non tantùm pluribus vestimentis vti posse: sed positiuè mandatum esse Ministris, & Custodibus, *vt solicitam* de induendis Fratribus, & infirmis curandis *curam gerant*, vt *secundùm loca & tempora, & frigidas Regiones*, id est, secundùm quod ex circumstantijs videbitur, seu iudicabunt necessitati expedire, dictis necessitatibus prouideant.

5. Semper vult illibatum manere præceptum, & non obstante illo recursu obseruari; Vt ita purè Fratres se gerant, vt non censeantur vllo respectu pecuniam recipere, vel in pecunia aliquid habere.

OBLIGATIONES TEXTVS II.

Obligationes Superiorum pro necessitatibus Fratrum.

EX his patent obligationes Fratrũ quoad hos Textus. 1. Vt Superiores qui nomine Ministrorum & Custodum intelliguntur, curã habeant solicitam, & Fratribus de necessitatibus maximè quoad vestimentum, & infirmorum indigentiam, prouideatur: Ita vt si ex negligentia, aut alio defectu Superiorum, necessaria illa notabiliter deficiant, Superiores peccatũ mortale incurrant, iuxta qualitatem defectus.

2. Deficientibus necessitatibus viâ communi, vel ex mendicatis, vel ex oblatis, aut laboritio acquisitis; nõ tantùm est permissum recurrere ad amicos spirituales, qui per viam pecuniæ illis prouideant; sed etiam præceptum iuxta illud: *Solicitam curam gerant:* In quo etiam Superiores peccatum mortale incurrere possunt, si grauis sit defectus vel negligentia.

3. Ita Superioribus prouisio illa incumbit in communi & pro communi vita, vt absque peccato etiam mortali secundùm qualitatem rei, nullus Frater particularis se solicitudinibus illis immiscere possit, nisi ei à Superiore legitimè fuerit commissum: Nec tamen Superiores illam curam indifferenter, aut independẽter committere possunt, vt à se illam velut excutiant: Quia ex vi Regulæ cura illa penes illos ita residet, vt de ea, & eius modis, ac medijs cõgruis illam curam administrandi in conscientia respondere debeant. Hoc enim inferunt verba: *Ministris tantùm & Custodes.*

4. Etiam obligantur ferre iudicium congruum de necessitatibus veris intra terminos paupertatis & charitatis, ac secundùm personarum indigentiam: Juxta verba illa: *Prout necessitatis viderint expedire.*

Conformitas Scripturæ.

POrrò hîc Textus ex substantia Euangelij, & exemplis Apostolicis sumitur quoad amicos spirituales: Nè enim humano subsidio necessaria illis deessent, mulieres quædam sequebantur illos, quæ in necessitatibus eis aderant, vbi necessaria aliundè non proueniebãt, aut pecuniâ mediante subuenire oportebat. Hinc Luc. 8. recensetur: *Maria Magdalene, Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & aliæ multæ quæ ministrabant Christo de facultatibus suis:* Quas & cùm crucifigeretur Christus adfuisse refert Matthæus c. 27. *Erant autem (ait) mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilea, ministrantes ei:* Ad amicos etiam spirituales pertinebant mulieres sorores, quæ Apostolos regiones varias in prædi-

Luc. 8. vers. 3.

Matth. 27. vers. 55.

prædicatione verbi Dei circumeuntes comitabantur, de quibus S. Paulus 1. ad Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas.* Vbi glossa S. Ambrosij: *Mulieres desiderio doctrinæ Dominicæ, & virtutum cupidæ, Apostolos sequebantur, & ministrabant illis sumptus & seruitia.* Hoc igitur modo proportionatè Regula S. Francisci conformiter ad Apostolorum exemplum, mãdat Ministris & Custodibus, vt quandò ex mendicatione, & oblatione, vel laboritio necessaria in specie, non supperunt, per amicos spirituales viâ pecuniæ procurari possint, nè alicui impossibilitati, vel periculo vitæ exponantur. Multas hic Quæstiones humana infirmitas, & anxietas congessit, quæ exponentur tum in ventilabro, tum in fundamento paupertatis infrà. Hæc autem sufficiant ad puram huius Capitis litteram.

1. Cor. 9. vers. 5.

CAPVT V.

De modo laborandi.

TEXTVS I.

Fratres illi quibus Dominus dedit gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ Orationis & Deuotionis spiritũ non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire.

SENSVS LITTERALIS EST.

FRatres exercitijs spiritualibus non occupati, secundùm gratiam sibi datam, vacent labori corporali, *fideliter* quidem respectu communitatis; *deuotè* autem respectu sui: Ita tamen vt Oratio, & Deuotio præferantur labori corporali. Et licet labor corporalis ad finem otij vitãdi primariò referatur; tamen labor spiritualis etiam supponitur. Vnde S. Bonauentura hîc: *Quia* (inquit) *quidam Fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter: Quidam verò corporaliter tantùm, omnibus dans Regulam generalem: vt vnusquisque gratiâ sibi datâ vtatur, dicens, Fratres quibus Dominus dedit gratiam laborandi*, &c. Et quidem hic Textus aliud Præceptũ non continet, nisi diuinum: Quo quisque tenetur otium vitare. Si enim Christo testante Matth. 12. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*, quantò magis de tempore perdito, siue in otio transacto. Eccli. 33. *Multa* sanè *mala docuit otiositas*, quæ & *puluinar diaboli* nuncupatur.

S. Bonau.

Matth. 12. vers. 36.

Eccl. 33. vers. 29.

Labor corporalis ad quid.

In hoc igitur Textu: Labor corporalis non præfertur spirituali: sed quia alternis vti delectabile est, neque semper arcum tendit Apollo: Regula monet, vt Fratres qui laboribus spiritualibus non intendũt, vel tempore quo non intendunt, secundùm gratiam & industriam quam habent labori alicui, vel honesto exercitio corporali vacent. Principaliter autem labores corporales ad otium virandum assumi docuit S. Pater in suo Testamento: *Et ego* (ait) *manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes Fratres volo quòd laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem: Et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad expellendam otiositatem.*

Præferendos autem labores spirituales corporalibus, satis apertè docet: Vbi *Spiritum Orationis & Deuotionis* vult ita omnibus præferri, vt cætera temporalia ei deseruiant. Vnde & Apostoli prætulerunt opus prædicationis, operibus charitatis, siue misericordiæ corporalis ad viduas: Act. 6. *Non est* (inquiunt) *æquum, nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Et septem Diaconis committentes labores corporales: *Nos autem* (inquiunt) *Orationi & Ministerio verbi instantes erimus.* Hæc est oeconomia Regulæ Fratrum Minorum, vt alij orationi verbi Dei, studio sapientiæ, & similibus exercitijs quæ pertinent ad spiritum vacẽt: Alij laboribus corporalibus impendantur: Vtrisque verò otiositas prohibetur, & labor ita commendatur, vt ei spiritus Orationis, & Deuotionis præferatur.

Labor spiritualis præferendus corporali.

Act. 6. vers. 2.

Vers. 4.

TEXTVS II.

De mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam: Et hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ Sectatores.

SENSVS LITTERALIS.

OCcasione vitandi otij per labores: S. Franciscus primum hunc modum prouidèdi Fratribus suis de necessarijs per laboritium instituit, nè gratis panem suum viderentur comedere; sed eleemosynas quas percipierent, suis laboribus compensarent. Sanè Spiritus sanctus hunc modum viuendi à principio canonizauerat Psal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit.* Et Apostolicæ vitæ sustentatio à Christo, laboribus acquirenda commendatur, & debita decernitur. *Sensus* itaque *litteralis est*: Nè labores vani & vacui sint: *De mercede laboris pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant*: Necessaria, inquam, corporis, in specie, nullatenùs tamen *denarios* vel *pecuniam*: Nec mercedem quidem laboris debitam aliquo contractu, aut debito ciuili vel politico, sed ex debito charitatis, per modum eleemosynæ promeritæ, vnde addit, *humiliter*, velut à libertate fidelium, *sicut decet seruos Dei, & sanctissimæ Paupertatis sectatores*, qui nimirùm in rebus temporalibus etiam donatis nullum ius sibi habere volunt.

Psal. 127. vers. 2.

OBLIGATIONES.

Perfectissimus modus viuendi in paupertate.

EX quibus colligitur: Perfectissimus modus in paupertate viuendi Regulæ Fratrum Minorum annexus. 1. Vt ex laboribus necessaria sibi acquirant: Vnde in testamẽto suo sanctissimus Pater: *Et quando* (ait) *non daretur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim.* Ergò primò de laboritio Frater Minor necessaria sibi conquirere debet: Quod si laboritium non suppeditet, tunc demùm ad mendicationem recurrendum est.

2. Pro laboris mercede nequaquam potest Frater Minor *pecuniam, vel denarios recipere*: Vnde si quando pro laboribus tam spiritualibus, quàm corporalibus denarij vel pecunia à fidelibus deponantur, vel alicui consignentur: Pecunia illa nec à Fratre, nec nomine alicuius Fratris recipitur; sed donantis purè remanet, donec in rem necessariam quæ pro mercede laboris recipi potest, dicta pecunia insumatur.

3. Res in mercedem laboris acquisitæ, non sunt Fratrum, sed meræ eleemosynæ respectu eorum absque aliquo iure in illis: Quamuis respectu secularium aliquod debitum naturalis compensationis importent: Vnde Fratres non possunt huiusmodi mercedes ciuiliter aut ex obligatione repetere, minùs pro illis iuridicè contestari.

4. Pro mercede laboris, non possunt recipi curiosa, pretiosa, aut superflua, sed tãtùm necessaria corporis, quæ ad victum, vestitum, habitationem, vel medicinas spectant. Hoc enim particulæ illæ indicant: *Corporis necessaria recipiant.*

APPENDIX.

Viuere ex labore corporali, an spirituali, vtrum expediat.

POrrò etsi in principio Capitis, & in Testamento videatur S. Fráciscus tantùm agere de labore corporali, & mercede inde proueniente: Tamen in hoc Textu 2. Simpliciter *Laboris mercedem* generaliter ponit: vt aduertatur: Fratres Minores non tantùm posse, aut debere viuere ex mercede laborum corporalium, sed maximè ex laborum spiritualium mercede, vt Concionum, Officiorum diuinorũ, Missarum, &c. Idq; ex decreto Christi. & exemplo Apostolico: Neque enim fuit Apostolis decretum viuere ex labore corporali; sed primò, & maximè ex laboribus spiritualibus, vt ex Conformitate Scripturæ Euangelicæ, & Apostolicæ statim manifestum fiet.

Conformitas Scripturæ.

ADuertendum itaque dupliciter Apostolos sibi necessaria comparasse: Primò ex spirituali labore: Vnde Christus Matth. 10. Cùm Apostolos ad prædicandum mittens, prohibuisset nè peram in via portarent: *Dignus* (ait) *est Operarius cibo suo.* Et Luc. 10. Instruuntur Discipuli, vt in mercedem laborum: *Comedant & bibant quæ apud illos sunt: Dignus est enim* (ait) *Operarius mercede sua.* Et 1. ad Corinth. 9. Mercedem laboribus spiritualibus Prædicationum, Orationum, Sacrificiorum deberi ostendens Apostolus: *Quis* (inquit) *militat stipendijs suis vnquã? Quis plantat vineã, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* &c. 1. Cor. 9. v. 7. *Nescitis quod qui in sacrario operãtur: quæ de sacrario sunt, edunt, & qui Altari deseruiunt, cum altari participant?* Et subijciens Decretum Christi: *Ita* (inquit) *& Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.*

Matth. 10. vers. 10. Lucæ 10. vers. 7. 1. Cor. 9. vers. 7. Vers. 13. Vers. 14.

Alter modus quo Apostoli comparauerunt sibi necessaria, fuit labor corporalis: In quo excelluit S. Paulus qui, etsi interdùm missa à fidelibus reciperet (vt refert 2. ad Corinth. 11. vbi indicat se cum egeret, accepisse necessaria à Macedonibus, & interdùm accepisse stipendium ab alijs Ecclesijs, nè grauaret eos quos nouiter conuertebat) Nihilominùs, cùm esset scenofactoriæ artis, in illa pro se & suis operabatur

2. Cor. 11. vers. 9.

batur. Actor.20. *Ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ: Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Et 1.ad Corinth.4. *Laboramus operantes manibus nostris.* Et 1. ad Thessal.2. *Memores estis Fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte & die operantes nè quem vestrum grauaremus.* Et generaliter Discipulos & Christianos exhortans 2. ad Thessal.3. *Quoniam* (inquit) *si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam, ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes: Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent,* &c. Ex quibus omnibus constat Apostolos & Discipulos, vtroque labore sibi necessaria acquisiuisse. Sic itaque & Fratribus Minoribus ex Regula iniunctum est, absque quidem speciali præcepto, ex natura tamen, & Christiano ac Religioso debito.

Actor.20. vers. 34.

2.Cor.4. vers. 12.

1.Thess.2. vers. 9.

2.Thess.3. vers.10.

COROLLARIVM DOCTRINALE
Ad Fratres Minores.

Modus antiquus acquirendi necessaria vitæ ex labore quali.

EX hoc Capite deducitur: Modum antiquum Ordinis Fratrum Minorum conquirendi sibi vitæ necessaria ex labore, & mercede laboris operum, & exercitiorum spiritualium, vt Concionum, Officiorum diuinorum, Missarum, Suffragiorum, Administrationum Sacramentorum, &c. Primarium à S. Francisco purè secundùm Regulam, ex Euangelica & Apostolica functione institutum. Ita enim de mercede laboris pro se, & suis Fratribus docentur necessaria recipere: Et vt diximus, decernente Christo: *Qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita &* (teste Paulo) *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.*

1 Cor.9. vers.13.

Vers.14.

Differentia inter stipendia data beneficiarijs, & data FF. Minoribus.

2. In hoc distingui Fratres Minores, à Clericis & alijs beneficiatis: Quòd Clerici & beneficiati ex istis Officijs spiritualibus de iustitia mercedem siue stipendium laboris exigant: Fratres autem Minores solâ æquitate gratitudinis naturalis, *humiliter sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ Sectatores* per modum eleemosynæ. Vnde ordinariè viâ eleemosynæ, per mendicationem & collectas ea quærunt, in locis vbi prædicant, & opera sua exercẽt.

FF. Minorũ eleemosyna, an pura eleemosyna.

Notandum etiam quòd Fratrum Minorũ mendicatio, non est mera mendicatio, & quod eis ostiatim datur, non est ex parte dantis *mera eleemosyna*, sed merces quædam Orationum, diuinorum Officiorum, Vigiliarum, Exercitationum spiritualium, quæ pro vtilitate populi, à Fratribus nocte & die multo labore fiunt: Quamuis, nullo iure; sed vt puram eleemosynam petant dictùm, quæ illis ex gratitudine naturali debentur, vt spiritualibus Operatijs. Non enim minori iure ista in stipendium exigi possent à Fratribus Minoribus, sicut à stipendiarijs vel beneficijs Ecclesiasticis gaudentibus exigerentur: sed Fratres Minores omnis iuris incapaces, per modum puræ eleemosynæ necessaria vitæ postulant, vt gratis seruientes, & consequenter gratitudinis filij, & consortes operum Christianæ pietatis.

Recollecti quare non recipiant Missas dicendas, & decantãdas pro vita necessarijs.

3. Quòd autem in Reformationibus (vt apud Patres Recollectos in principio) Missæ pro stipendio non celebrarentur, Officia magna, maximè Defunctorum, Anniuersaria, & alia publica communiter fuerint velut ablegata: Causa non fuit quasi ex istis non liceret necessaria vitæ secundùm Regulã acquirere: Sed 1. vt labores in cantu, & multiplicatione Officiorũ diminuerentur: Quia per ea spiritus orationis & deuotionis extinguebatur, & ob nimiã defatigationem corporis deperibat; cui tamen cętera tẽporis illa debebant deseruire. 2. Particularia onera Missarum non recipiebant: Quia cùm maiorem partẽ necessariorum, & ferè omnem ex oblatis liberaliter, vel ex mendicatis humiliter acciperent, de bono & æquo suas Missas, & Officia pro benefactoribus vniuersaliter Deo offerebant, vt ab omni-sciente Deo secundùm debitum iustitiæ, & æquitatis illis applicarentur, qui magis promeriti fuerant; Nè ob particularem eleemosynam alicuius particularis, maiores benefactorẽs fructibus Missarum particularium fraudarẽtur. 3. Quia, animaduertebant multiplicato ordine, tot interdùm Missas & Officia suscipi, quòd Fratres vix, & nè vix quidem ad illa persoluenda sufficerent, nec haberent quod ex debito charitatis interdùm sibi, suisque applicarent. 4. Quia pro annuis Missis & Officijs reperiebant eleemosynas annuas addictas, quæ sapiebant rẽdituum modos, & prouidentiam annuam in futurum, &c. Non fuit ergo ratio, quasi necessaria vitæ, ex vi Regulæ ex istis quæri non deberent, sed vt fatigatio nimia extinguens operationes spiritus interioris vitaretur, & vt piè & proportionatè benefactoribus satisfieret, ac impuritates aliquæ contra Regulam tollerentur, quæ ex similibus obrepserant.

A FF. Minoribus qua possint recipi pro labore.

4. Vnde etsi Regula Fratribus Minoribus indicat etiam ex istis laboribus necessaria vitæ recipere. Cauet tamen 1. Nè ex nimio grauamine; *Spiritus Orationis, & Deuotionis extinguatur.* 2. Vt tantùm necessaria corporis ex mercede ipsorum laborum

borum recipiantur: Vnde & thesaurizationes vitentur quæ posteà multorum superfluorum & pretiosorum sunt, & fuerunt semina: Si quid enim datur pro istis laboribus Missarum, & diuinorũ Officiorum, in sola verè necessaria impendi legitimè possunt. 3. Prohibet nè denarij, & pecunia in mercedem pro prædictis recipiantur, vel eleemosynæ perpetuæ quæ sapiunt modos reditnum, assignentur. Vnde si pro more sæcularium pecunia pro Missis, & diuinis Officijs, ac Exercitijs deponatur. Quamdiu deposita est, nullatenùs ad Fratres spectat, sed semper offerentium est: donec in necessaria expendatur, quæ necessaria sola pro mercede laboris à Fratribus recipi possunt vel intendi. 4. Etsi (vt sæpè dictum est) necessaria quæ recipiuntur, sint laborum merces & gratitudinis compensæ: à Fratribus tamen nihil in re temporali prætendere valentibus per modum puræ eleemosynæ recipi debent. Et ad hanc normam merces laborum qualiumcumque, & qualiscumque secundùm Regulam, & Euangelicam veritatem mensuranda est. Et à parte rei melius & regularius est Fratri Minori ex illis spiritualibus Officijs & laboribus necessaria vitæ requirere, & accipere, quàm sub titulo quietis spiritualis otio torpere. Vnde S. Bonauentura hîc: *Voluit* (inquit) *S. Franciscus summè Fratribus imponi exercitium quod perfectissimè excludit otium, quod summè nutrit deuotionis affectum, quod laudabiliori modo corpori necessaria subministrat.* Hoc autem præstant diuina Officia, & studium sapientiæ: Vnde idem: *Modus laudabilissimus corpori necessaria acquirendi, est predicationis, & doctrinæ laboribus exercere.*

Quis labor præstet ad vitæ necessaria procuranda.

S. Bonau.

CAPVT VI.

Quod Fratres nihil sibi approprient, & de eleëmosyna petenda, & de Fratribus infirmis.

TEXTVS I.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter: Nec oportet eos verecundari, &c.

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

IN hoc Textu, totam essentiam voti Euangelicæ paupertatis Fratrum Minorum addito præcepto, siue præcepti vim habente obseruandã proponit, cum omnibus suis conditionibus, terminis proprijs energicè expressis: quas singulas claritatis gratia recensentes simul Textus litteram exponemus.

RF. Minorum paupertatis qualitates.

1. Igitur qualitas siue conditio *paupertatis Fratrum Minorum est*: Quòd omnem iuris appropriationem siue in re, siue ad rem, siue ad eius vsumfructum, vel iuris vsum, tam in communi, quàm in particulari excludat. In hoc quod addit: *Nihil*, omnem rem, vel quasi rem, excludit. In hoc quod dicit *sibi approprient*, omnis iuris possessionem, actionem, vsumfructum, vel vsum iuris à Fratribus remouet: Et nè sub generali particula *Nihil*, aliquæ glossæ fierent, vniuersalem particulam distributiuè explicat: *Nec domum*, (inquit) *nec locum, nec aliquam rem.* In quibus verbis, *per Domum*: Omnis rei stabilis possessionem, vel in illam iuridicam actionem excludit, vt sunt domus, horti, agri, fundi, reditus stabiles, & perpetui, quæ in rebus stabilibus hypotecantur. *Per locum*, qui mutabilis est & vsum designat, excludit vsumfructum, vsum iuris, & temporarium quodcumque ius in re, ad rem, vel quasi rem, & rei emolumenta: Per illud: *Nec aliam rem*, excludit omnes res mobiles, siue sit vestis, siue cibus, siue potus, siue quæcumque res iuris vel dominij ciuilis capax.

2. Qualitas siue Conditio *paupertatis Fratrum Minorum est*: vt sit cõtenta simplici vsufacti rerum necessariarum: vnde subdit: *Sed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter*: in hoc ergo quòd comparat *peregrinis & aduenis*, excludit iterùm actus proprietatis, & possessionis: Verus enim aduena & peregrinus transiens, alieno colligitur tecto & hospitio, alienis vtitur rebus iuxta suam necessitatem. Quia verò nonnulli peregrini transeuntes reperiuntur vacare delitijs, congregare pecunias, sibi multa etiam superflua & curiosa acquirere: Non quibuslibet peregrinis, sed peregri-

peregrinis in paupertate & humilitate Domino famulantibus, siue pauperibus propter Deum voluntarijs, qui solis necessarijs sunt contenti. Fratres Minores comparantur. Et iterùm. Nè vt aliqui peregrini, putarentur vsum aliquem iuris habere: Ius omne excludit dum mandat: vt per modum eleemosynæ puræ necessaria quærãt. Vnde addit: *Vadant pro eleemosyna confidenter.* Et vt sanctam & strictam illam paupertatem exemplo heroico & manifesto demonstret, allegat in exemplum Christi paupertatem: *Nec oportet* (ait) *eos verecundari: Quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* q. d. paupertas Fratrum secũdùm paupertatem Christi mensuranda est: Quippe quæ tanta fuit: vt filius hominis non habuerit vbi caput reclinaret *Luc.*10. Etsi enim caput aliquandò reclinauit, in alieno reclinauit, vt in præsepio, vt super ceruicali in naui. *Marc.* 4. Finaliter autem super aliquo caput non reclinauit; sed *inclinato capite spiritum tradidit*: Fuit sanè Christus, vt per Psalmistam testatur *Aduena & peregrinus, mendicus & pauper, vermis & nõ homo & abiectio plebis*: Quippe qui (vt ait S. Bernardus) in triduo mendicauit, & sæpiùs in alienis mensis exceptus, etiam à Samaritana mendicando bibere petijt, qui & ad domum Zachæi se non inuitatus quasi eleemosynam petens inuitauit. De hac paupertate plenius *Fundamento 6. per totum.*

Paupertas Christi.

Ioan. 19. *vers.*30. *Psalm.*38. *vers.*13. *Psalm.*39. *ver* 18 & 21. *vers.*7.

OBLIGATIONES HVIVS TEXTVS.

OBligatio primaria & fundamentalis huius Textus est *Voti paupertatis* sub terminis *sine proprio*, obseruantia; cui per adiunctionem præcepti superaddita est proprietatum istius voti declaratio.

Peccata proprietatis in Fratre Minore.

1. Ergo: Obligatur Frater Minor omne ius in re, vel ad quamcumque rem, vel eius vsum à se ablegare. Vnde rem quamcumque iure defendere, iure repetere, iure eâ vti, eamque conseruare, peccatum proprietatis est in Fratre Minore.

2. De quacumque re iure disponere siue per Venditionem, Emptionem, Commutationẽ, Cõpensationem, Locationem, Conductionem, Emphyteusim, &c. prout actus iuridicos, vel contractus ciuiles dicunt; actus proprietatis sunt, & peccata mortalia.

Dixi (*prout actus iuridicos, & contractus ciuiles dicunt*) sunt enim aliqui æquiuoci actus eodem nomine expressi, qui non nisi fidelitatem naturalem absque obligatione ciuili, vel compensationem gratitudinis naturalis simpliciter tantùm continent: qui actus, remoto scandalo & omni impuritate, Fratribus Minoribus interdicti non sunt: Sic enim æquiuocè dicitur emere, qui tantùm informari de pretio postulat, & fideliter se modis licitis satisfactionem procuraturum promittit: Sic naturali gratitudine cõmutat, qui offert lanam quam habet, vt sibi in panno compensetur vel econtrà Et sic de similibus quæ nulli pauperi interdicuntur.

3. Prohibetur Fratri Minori recipere granum, & alia vt vendantur, vel ciuiliter in alia commutentur: Quia in hoc proprietatem istarum rerum sibi attribuunt, vt tamquam de rebus suis per contractus ciuiles, & actiones iuris disponant. Et hinc nata est illa disceptatio nimis nominalis expositorum in Regulam: Qui dicunt illa pecuniam vocari, & reputari communi dicto Iurisconsultorum, quæ pecuniâ appretiari possunt, & locum pecuniæ in contractibus subire, ita vt & terræ nascentia, & pecora, & quidquid Domini possident, in quantum pecuniæ vicem sortiri possunt, pecunia nuncupentur. Vnde est illud S. Augustini lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 12. *Dicitur pecunia vocabulo quidquid tẽporaliter possidetur.* Et lib. de doctrina Christiana: *Totum* (inquit) *quidquid homines in terra possident, omnia quorum Domini sunt, pecunia vocantur, sine ager, seruus* &c. Dicendum itaque *Pecuniam* vniuersali quidem nomine (quamuis imperfectè & analogicè) illa omnia dici, quæ in pecuniam numeratam conuerti, vel eius vices subire possunt, & dominium, ius & vsumfructum ac vsum iuris secum deferunt: Ideoque per primum Textum huius cap. 6. extra simplicem vsum facti, Fratribus Minoribus vt sunt contractuum ciuilium instrumenta prohiberi: Alia tamen est pecunia formalis & vsualis, quæ ex instituto ciuili immediatum est medium emptionis & venditionis, quæ in denarijs & nummis consistit. Hæc verò pecunia solùm formaliter, & in se cap. 4. Fratribus Minoribus prohibetur, vt ibi dictum est. Futilis itaque & vana tanti feruoris disceptatio, quæ non oritur, nisi quia Capitula non distinguuntur. *Pecunia* enim generaliter dicta prout in re quacumque dominium & proprietatem siue ius dicit, Fratribus Minoribus per hoc c. 6. prohibetur: Altera propriè dicta per cap. 4.

S. Aug. l. 7. de Ciu. c. 12.

Pecunia duplex.

TEXTVS II.

Hæc est Celsitudo altissimæ Paupertatis, quæ vos charissimos Fratres meos Heredes & Reges Regni Cœlorum instituit, &c.

SEN-

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

Paupertatis encomia. HIc Textus encomia ſanctiſſimæ, & altiſſimæ paupertatis continet, ad animandos Fratres ad eius amorem, & praxim. *Heredes* itaque *regni facit* eos, quibus Matth.19. pro renuntiatione omnium bonorum æterna vita repromittitur: *Lucæ 22. verſ. 29.* *Reges facit*, quia Luc.22. illis dictum eſt: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum:* Pauperes rebus factos, virtutibus ſublimari oſtendit, quibus *Centuplum* Matth.19. *repromiſit*, &c. Quæ omnia ſparſim in Euangelicis Textibus continentur: vnde concludit: Hanc eſſe portionem Fratrum Minorum, quæ deducit in terram viuentium: *Cui* (inquit) *totaliter inhærentes nihil aliud ſub cœlo habere velitis:* Vbi notanter Hugo de Dina: *Non dicit* (ait) *nihil habeatis, ſed nihil habere velitis, quia non paupertas, ſed paupertatis amor virtus eſt.* *Matth.19. verſ.29.*

TEXTVS III.

Et vbicumque ſunt Fratres, & ſe inuenerint, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſſitatem ſuam, &c.

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

HIc charitatem non qualemcumque, ſed verè Fraternam, vt ſymbolum huius Fraternitatis Apoſtolicæ commendat, iuxta illud Chriſti Joannis 13. *In hoc cognoſcent omnes quòd Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis.* Quam charitatem S. Franciſcus 1. *Fraternam* eſſe voluit & domeſticam, iuxta illud ad Rom. 12. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* 2. Vult eſſe *practicam & obſequioſam*, vt mutuis neceſſitatibus tamquã Fratres domeſtici ſubueniant, & eas ſibi inuicem communicent. 3. Vult eſſe *compaſſiuam & maternam: Quia* (ait) *ſi Mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem; quãtò diligentiùs debet quis diligere & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem?* Vbi alludit ad vnionẽ ſpiritus iuxta illud: *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* q.d. Ipſe mihi amore fraterno, & materno vnitus eſt. Et hæc continent ad diuinum præceptum charitatis ſanctam exhortationem. *Ioan. 13. verſ. 35.* *Rom. 12. verſ. 10.* *Reg. cap. 6.* *Matth. 12. verſ. 50.*

TEXTVS IV.

Si quis eorum in infirmitatem ceciderit: Alij Fratres debent illis ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

HIc Textus præceptum æquipollens continet: vt tempore infirmitatis Fratres ſani infirmis ſeruiant, & ſibi inuicem obſequia neceſſaria præſtent: Nec externis manibus omninò Fratres relinquãt. Ad quod quidem ſeruitium Fratres obligauit, memor illius Eccli.7. *Non te pigeat viſitare infirmos, ex his enim in dilectione firmaberis.* Et 1.ad Timoth.5. *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* *Eccli. 7. verſ 39.* *1.Tim.5. verſ. 8.*

CAPVT VII.

De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

TEXTVS I.

Si qui Fratrum inſtigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales: teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine mora.

SENSVS LITTERALIS.

SEnſus litteralis clariſſimus eſt. Regula enim Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Regimini etiam quoad animæ forum conformare ſe volens; ſuppoſuit ad Regimen conſcientiarum neceſſarium fore, vt aliqui

qui casus reseruati essent. De istis igitur littera sic disposuit. 1. Quòd si qui casus reseruati ponantur: Illi non alicuius particularis arbitrio, sed Capituli, saltem Prouincialis auctoritate reseruetur. Hoc enim indicant illa verba: *De quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales.* 2. Modum recursus implicitè supponit similiter à Capitulo Prouinciali declaratum: Eorum enim est determinare modum recurrendi, quorum est ordinare recursum. Aliter enim recurrendum pro peccatis publicis: Aliter pro occultis: Aliter pro foro interno, & sacramentali: Aliter pro foro fori, & externo: Aliquandò etiam ordinatur recursus personalis Fratris immediatè ad ipsum Ministrum, aliquando tantùm ad delegatum, etiam mediante Confessario, &c Substantia itaque præcepti Regulæ in hoc consistit: vt pro peccatorum reseruatorum absolutione, Fratres recurrant, eo modo, ordine, & dispositione quibus per Capitulũ Prouinciale fuerit ordinatum. Mandatur autem vt quantum fieri potest, recursus citò fiat, & sine mora, nè in peccatis Fratres sordescant. Et in his continetur obligatio huius præcepti.

Conformitas Scripturæ.

NOn est sanè peccatorum paritas in omnibus: Nec semper eadẽ facilitas in eorum absolutione seruanda: Sunt enim & peccata in Spiritum sanctum, quæ ob difficultatem remissionis dicuntur: *Non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro,* id est, difficulter remitti: Et in figura: Quædam dæmonia ita potestati Christi reseruata videbantur, vt ea discipuli nõ possent eijcere Luc. 8. Et 1. ad Corinth. 5. Incœstus Corinthij ita videbatur S. Paulo reseruatus, vt ipse solus potuerit ab illo Corinthium absoluere. 2. ad Corinth. 2. *Nam & ego* (inquit) *quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi* donaui.

Matth. 12. vers. 32.

2. Cor. 2. vers. 10.

TEXTVS II.

Ipsi verò Ministri si Presbyteri sint cum misericordia iniungant eis pœnitentiam: si verò Presbyteri non sint, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum melius videbitur expedire.

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

SEnsus litteralis etiam clarus est: Ex quo inferũt *S. Bonauentura* & *Hugo de Dina*: Ministros Prouinciales in Ordine Minorũ curam animarum habere, quippe quibus cõperit peccatorum absolutio personalis, *si animarum. Presbyteri sint*, aut commissio iurisdictionis & auctoritatis, *si Presbyteri non sint*, & cõsequenter capaces iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ esse debent. Vnde infertur laicos esse non posse Ministros Prouinciales, quos cõstat iurisdictionis spiritualis incapaces esse. Sanè S. Pater Franciscus Diaconus erat, & iurisdictionem spiritualem in suos Fratres administrabat, etsi per Sacerdotes, quorum (vt ait *S. Bonauentura*) in principio Ordinis raritas erat. Quæ litteralis expositio grauiter expensa fuit in Diffinitorio Capituli Generalis Romani anno 1625. cui vt Diffinitor Generalis nationis Belgicæ præsens intererã. Cùm enim quidam laici Pro.ae S. Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia, nitente pro illis quodam Andegauẽsi Archi-diacono, ex vi huius Textus Regulæ, votum actiuum & passiuum ad Ministeriatum prætenderent. Cùm causa examinanda à Sũmo Pontifice *Vrbano VIII.* ad Diffinitorium Generale remissum esset: Textu Regulæ maturè discusso resolutũ est: laicos ad Ministeriatum Prouincialem prætendere non posse: Quia ex vi Regulæ illi officio annexa est cura animarum, & iurisdictio spiritualis, etiam cum potestate illam delegãdi. Et resolutio à Summo Pontifice approbata est, & laicorum illorum præsumptio repulsam habuit post plures annos contentionis in curia Romana.

Ministri Prouinciales ex vi Regulæ habent curam animarum.

Laici an possint esse Prouinciales.

Aduertendum: In hoc quòd debeant recurrẽtes mittere ad Sacerdotes Ordinis: Regulæ & S. Francisci intentionem fuisse, vt Fratres extra Ordinẽ non confitetentur, nec sæculares confessarij, aut alij religiosi, ad confessiones Fratrũ admitterentur. Monentur autem Ministri, & eorum delegati, vt *cum misericordia iniungant eis pœnitentiam, & ab ira, & conturbatione abstineant.* In quo S. Pater clementiam Saluatoris imitatur, qui docuit *& suum perditam quærere, & proprijs humeris in ouile reportare*; & Petro suasit, vt peccanti *septuagies septies* offensam remitteret. Et quamuis tam motus quàm passiones naturales iræ sæpè in nostra potestate nõ sint: Quantum tamen fieri potest, primi motus comprimendi sunt, nè in aliquem actum prorumpant: Quia, vt dicit Regula, *In se, & in alijs impediunt charitatem.*

Confiteri aũ liceat extra Ordinem.

Lucæ 15. vers. 4.

Matth. 18. vers. 22.

CAPVT VIII.

De Electione Generalis Ministri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.

TEXTVS I.

Vniuersi Fratres, vnum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum, & seruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.

Sensus Litteralis; simul & obligationes.

HIc Textus plures obligationes continet. 1. Vt *vniuersi Fratres teneantur habere Generalem Ministrum.* Hic vtique est qui S.P. Francisco succedit. Neque enim, vt cap. 1. notatum est, in qualitate Fundatoris S. Franciscus successorem habet: sed quia ex Regula, Officio totius Ordinis Generalis functus fuit, in eo successore habere voluit, & in Regula expressit. 2. Vt ille vnicus sit, & non plures, qui vniuersis præsit: *vnum* (ait) *de Fratribus istius Religionis teneantur habere Generalem Ministrum.* Est enim Ordo Monarchicus. 3. Vt sit Caput homogeneum, hoc est, vt Generalis sit *vnus de Fratribus istius Religionis:* non autem sæcularis, non alterius instituti vel religionis, quantacumque eminentia præualeat. 4. Vt omnes ei teneantur firmiter obedire. Hoc est fundamentum totius fraternitatis; firma, nimirùm, ad vnum qui omnibus præsit, & sit eiusdem Ordinis, Obedientia, quæ repetitur ex primo Capite: *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire.* Additur autem qualitas in Generali totius Ordinis: *vt sit Minister, & seruus totius fraternitatis:* quia officium Generalis consistit magis vt Ordini seruiat, & onera portet, quàm vt in honore excellat.

Ministri Generalis qualitates.

Reg. cap. 1.

Conformitas Scripturæ.

VNum sanè cæteris Apostolis Petrum præfecit, pro quo etiam firmitatem à Patre postulauit, vt cæteros & auxilio iuuaret, & auctoritate protegeret. Lucæ 22. *Simon Simon* (inquit) *Satanas expetiuit vos vt cribaret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.* Hoc autem postulat regimen durabile, vt sit Monarchicum: vnde & Matth. 12. *Omne regnũ diuisum cõtra se desolabitur.* Et Ezech. 34. promittit Deus: *Suscitabo* (ait) *super eos Pastorem vnum, qui pascat eos.* Pulchritudinẽ autem regiminis vnius pulchrè describit Ecclesiasticus c. 50. *Circa illum* (ait) *corona Fratrum, quasi plantatio Cedri in monte Libano.*

Lucæ 22. vers. 31.

Matth. 12. vers. 25.

Ezech. 34. vers. 23.

Eccli. 50. vers. 13.

ADMONITIO CHARITATIVA.

EX his videant quâ sinceritate litteram Regulæ zelent, aut sequantur: qui titulo Congregationum, siue Reformationum in Ordine, sibi singulares Generales assumunt, nullâ seruatâ auctoritatis vel honoris dependentiâ, vel symbolo, aut signo respectiuo ad *vnum totius fraternitatis Ministrum Generalem.* Fatendum quidem est Ordine in varias familias & congregationes distributo, necessariũ fuisse vt quælibet immediatum Prælatum haberet, qui familiæ in plures Prouincias distributæ generali auctoritate præsideret, & inuigilaret: titulo quidem *Vicarij* vel *Commissarij*, aut restrictiuè vt talis familiæ Supremus Generalis, sub vno tamen totius fraternitatis Generali Ministro. Nihil enim Regulæ officit, si plures partiales Generales constituantur; modò aliquam dependentiam ad vnum de Fratribus istius Religionis, totius fraternitatis Generalem Ministrũ habeant. Verùm asserere quòd Regula S. Francisci quoad veritatẽ litteræ, præter vnum, alios plures Generales absolutos, independentes, & omni respectu segregatos, admittat, ficticium est contradicens Textui, & Regulæ puritati.

Regula litera an admittat plures Generales.

Nec hoc vnquam S. Sedes secundùm puritatem Regulæ fieri posse iudicauit. Quotquot enim Cõgregationes, & Reformationes (vt inter cæteras celeberrima fuit de familia, siue Obseruãtiæ Regularis) ante annum 1517. surrexerunt, etsi Vicarios Generales haberent, nunquam tamen independentiam omnimodam à Generali vnico Ministro Ordinis sibi vendicare præsumpserunt, nec S. Sedes permisit.

Quinimò anno 1517. sub *Leone X.* in Capitulo Generalissimo, quãdo familia Conuentualiũ sub Priuilegijs separatim viuere permissa fuit: Ita illi *Magister Generalis* assignatus est, vt tamen ad seruandam vnitatem Ordinis à *Generali Ministro totius*

frater-

fraternitatis (qui ex obseruantibus Regulam ad litteram assumptus erat, & declaratus S. Francisci Successor) deberet deinceps cõfirmari, & familia illa transeuntem per suos Conuentus Ministrũ Generalem, tamquam *Caput totius fraternitatis* deberet suscipere, & honorare. Ad quod videãtur Bullæ, & decreta tunc facta, vt est illa quæ incipit: *Ite & vos in vineã meam*: Item: *Omnipotens Deus*, &c. Item: *Licet alias*, &c. Item: *Celebrato nuper*, &c. Item: *Cum posteà*. Hinc cùm sub Conuentualibus Congregatio Patrum Capucinorũ posteà successerit: similiter S. Sedes instituit, vt Generalis illius sub nomine *Vicarij* præficeretur, & cõfirmationem à Magistro Generali Conuentualiũ acciperet: vt sic gradatim totus Ordo S. Francisci ad *vnum Generalem Ministrum totius fraternitatis* quendã respectum retineret: Nimirùm *Vicarius Generalis Capucinorum* à *Magistro Generali Conuentualium* confirmaretur, & *Magister Generalis Conuentualium* à *Generali Ministro totius Ordinis* cõfirmationem suam reciperet, & respectus quidam dependentiæ ad vnitatem à Regula institutam seruaretur, dum Generalis Minister totius Ordinis, siue fraternitatis in omnes aliquo respectu influeret. Scio hæc iam mutata esse, & Sũmorum Pontificũm auctoritate confirmationes illas omissas. Sed an secundùm puritatem litteræ? An secũdùm dispẽsatiuam potestatem? Judices solùm volo eos ipsos, qui hęc impetrarunt; imò, & cum reuerentia omni, Summos Pontifices qui concesserunt.

TEXTVS II.

Quo decedẽte electio successoris fiat à Ministris Prouincialibus, & Custodibus in Capitulo Pẽtecostes, in quo Prouinciales Ministri teneantur semper in simul conuenire, vbicumque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, &c.

SENSVS LITTERALIS.

HIc Textus prouidet de Ministri Generalis electione, nè contingat officium illud diu vacare, & Ordinẽ acephalum esse. Duo autem ordinat. 1. Vt prouisio Generalis Ministri quando contigerit vacare, siue pro mortem, siue per renũtiationem, siue propter inutilitatem, vt posteà ponit: fiat per electionem. 2. Vt electio illa Generalis Ministri fiat *à Ministris Prouincialibus & Custodibus in Capitulo Pentecostes*, id est, in Capitulo quod in Pentecoste à principio Ordinis consuetũm fuit celebrari, in exemplum & memoriam Congregationis, in qua Apostoli receperunt Spiritum sanctum: Idcircò iam Capitulum Generale vocatur *Capitulum Pentecostes*, non quia huic diei alligatum sit; sed quia tali die consueuit celebrari in talis solẽnitatis memoriam: modum itaque, tempus, & vocales instituit: loci verò assignationem ordinationi Ministrorum Generalium relinquit.

Quia verò occasione electionis de Capitulo Pentecostes mentionem fecerat: in quo non semper electio Ministri facienda erat, sed negotia Ordinis pertractanda, mandat illud aliquandò pro iudicio Ministri Generalis *in tribus annis, vel ad terminum maiorem, vel minorem* congregari: Et quandocumque, & quomodocumque congregetur, præcipit & obligat Ministros Prouinciales, vt simul in illo conueniant. De Custodibus autem mentionem facit, quos non videtur ex vi Regulæ obligare, nisi quando electio Ministri Generalis est facienda, vt iterùm sequenti Textu indicat.

Custodes an teneantur ad Capitula Generalia ire sicut Ministri.

TEXTVS III.

Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodũ, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & cõmunem vtilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.

SENSVS LITTERALIS.

EX hoc Textu patet officium Generalis Ministri ex vi Regulæ non esse perpetuum: Sicut enim (vt ex traditione constat) poterãt officio renuntiare, & de facto frequentissimè renuntiabant. Sic ex causa poterant ab eo absolui & amoueri. Hîc autẽ specialiter quando constaret communi iudicio, Generalem non esse sufficientem ad officium ritè in publicã vtilitatem administrandum, siue ob defectus corporales, siue alios: Præcipitur, vt statim deponatur, & alius vtilis & sufficiens eligatur. Hîc autem nomen *Custodis* Generali attribuitur: Hoc enim nomẽ omnibus Prælaturis Ordinis commune est, deriuatum à Custodia: Quia omnium Superiorum Ordinis munus est, gregem sibi commissum custodire: vnde & nomen *Guardiani* à *Guardia*, siue *Custodia* desumptum est.

TEXTVS IV.

Post Capitulum verò Pentecostes Ministri, & Custodes possunt singuli si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno semel Fratres suos ad Capitulum conuocare.

SENSVS LITTERALIS.

QVia in Capitulis Generalibus Pentecostes: quæ ad conseruationem & augmentum perfectionis Ordinis pertinebant, tractabantur, ideò vt illa Prouincijs & Custodijs meliùs innotescant, monentur Ministri Prouinciales, & Custodes, vt redeuntes ad suas Prouincias possint Capitula Prouincilia, & Custodialia celebrare. Relinquitur tamen tempus, & locus eorum iudicio: Quia causas possunt habere, vel celebrandi, vel differēdi: & de Capitulis Prouincialibus ad electiones Prouincialium in Regula non fuit prouisum. Hîc conformitas Scripturarum repetenda est, ex Textu 3. cap. 1.

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

TEXTVS I.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.

SENSVS LITTERALIS.

FF. Minores ad prædicādum deputati independenter ab Episcopis.

SVpponit S. Franciscus: Potestatem prędicandi in Fratribus Minoribus ex sua institutione, & natura Missionis, communicatam immediatè à Summo Pontifice, pro vniuerso orbe absque aliqua restrictione ad Episcopos vel inferiores Ecclesiæ Prælatos: Sic enim refert S. Bonauentura cap 3. vitæ: *Innocentium III.* in Approbatione primæ Regulæ non tantùm licentiam, sed omnibus Fratribus dedisse mandatum, vt vbique pœnitentiam prædicarent: *Approbauit* (inquit) *Regulam, & dedit de pœnitentia prædicanda mandatum: Et laicis Fratribus omnibus qui seruum Dei comitati fuerant, fecit coronas parunlas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent.* Cùm ergò ex vi status, & Ordinis Fratres ad prædicandam pœnitentiam, & Euangelium regni à Deo essent missi in vniuersum orbem: Nè particulares facultates, vel approbationes ab Episcopis impetrandæ eos ab opere tanto retardarent, Summus Pontifex ipsemet generalem facultatem, & approbationem dedit absque vlla limitatione: Quam in hac secunda Regula posteà sic vniuersaliter dandam Ministris Generalibus commisit, vt sequenti Textu dicetur. Et his consonant Bullæ Summorum Pontificum initio Ordinis Ecclesiam regentium. Vnde *Honorius III.* qui Regulam secundam approbauit, etiam ante illius per Bullam approbationem, ad vniuersos Archi-Episcopos, Episcopos, &c. scripsit, *vt Fratres Minores, ferendo semina verbi Apostolorum exemplo diuersus mansiones circumeuntes benigne reciperent, & ob reuerentiam diuinam, & S. Sedis se eis fauorabiles exhiberent:* Bulla incipit: *Pro dilectis, Datum Viterbij 4. Calend. Iunij Pontif. anno 4.* Aliam & ampliorem dedit *Gregor. IX. Honorij* successor ad omnes similiter Archi-Episcopos, & Episcopos, &c. Quæ incipit: *Quoniam abundauit iniquitas*, &c. in qua per Apostolica scripta mandat, vt *dilectos Fratres Minores*, &c. *Ad officium prædicandi, ad quod* (inquit) *sunt ex Professione sui Ordinis deputati, benignè recipi procurent, ac populos sibi commissos, vt ex ore ipsorum verbi Dei semen deuotè suscipiant, admoneant, & in suis necessitatibus personaliter assistant.* Addit: *Nec impediant, quin illi qui ad Prædicationes eorum accesserint, possint eis confiteri.* Bulla data est *Viterby 11. Calend. Iunij Pontif. anno 11.*

Honor. III.

Gregor. IX.

S. Bonau. c. 3. vitæ.

Suppositâ itaque immediatâ licentiâ à Summo Pontifice, absque recursu ad Episcopos Fratribus Minoribus pro vniuerso orbe in principio Ordinis concessâ, S. Franciscus pro reuerentia quam ad Episcopos semper haberi voluit, in hoc Textu 1. Fratres admonuit: *Nè in Episcopatu alicuius Episcopi prædicarent, quando ab Episcopo eis* positiuè & formaliter *foret contradictum.* Vnde S. Bonauentura: *Nè* (ait) *impedimentum possit esse verbi Dei expectatio licentiæ expressæ, vt ostendatur præsumpta licentia sufficere, his duntaxat, quorum Prædicatio est per Sedem Apostolicam & Prælatos approbata, loquitur negatiuè in principio dicens: Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius*, &c. Sup. *Hoc ideò* (ait) *dicitur: Quia*

Non prædicare contradicente Episcopo, quid significet.

Quia Fratribus sibi gradus licentia debet sufficere, quia præsumitur eum consentire, si non contradicat. Quæ postea latè deducit & probat.

TEXTVS II.

Et nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus & approbatus, & ab eo Officium Prædicationis sibi concessum.

SENSVS LITTERALIS.

Prædicatorũ examen, approbatio & institutio, ad quem pertineat.

NE contingeret ex generali illa Missione, & licentia Apostolica Fratres aliquos, minùs tum vitâ, tum doctrinâ idoneos, prædicationi verbi Dei se ingerere: *Examen, Approbatio, Institutio* siue *Missio* Fratris ad prædicãdum committitur, conceditur, & reseruatur Ministro Generali: Qui sub equipollenti præcepto tenetur sub peccato mortali vitam, mores, doctrinam prædicatoris examinare, & approbare, ac ei officium prædicationis committere: Ita vt nemo in Ordine possit officium prædicationis sub peccato mortali suscipere, nisi examen sicut & approbationem Generalis Ministri subeat, eique officium cõmittatur: Quod quidem examen sicut & approbatio, & institutio postea à Summis Pontificibus ob Ordinis dilatationem cõmissa sunt Ministris Prouincialibus, cum suo Diffinitorio in Capitulis Prouincialibus congregatis, qui in hoc, vt puritas Regulæ seruetur, vices Generalium subeunt, illius auctoritate sibi communicatâ, quam Generales restringere & limitare ex vi Regulæ possunt. Qualiter autem examina & approbationes Episcoporum in Ordinem subintrauerint, in Fundamento XI. amplè explicabitur.

TEXTVS III.

Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

SENSVS LITTERALIS.

Prædicationis qualitas. S. Bonau.

COmpendiosè energiam huius Textus secundùm omnes particulas perstrinxit S. Bonauentura: *Sint* (ait) *examinata*, id est, *non temerè, ac sine deliberatione prolata, non sint noua & suspecta: sint casta: Hæc* (ait) *Castitas excludit corruptionem falsitatis, & immixtionem non solum enormitatis, imò etiam omnis vanitatis, seu verbi risum prouocantis, seu fastum aut impetum prædicantis: excludit etiam corruptionem intentionis.* Vnde 2. ad Corinth. 2. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed in sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur: ex Deo* (inquit) contra falsitatem: *coram Deo*, per maturitatem, *in Christo*, per puritatis intentionem. Sint *ad vtilitatem* in malo vitando, *ad ædificationem* in bono faciendo: *Populi* dicitur, Nè tantùm præsumant, quòd pauperibus & simplicibus prædicare contemnant. *Annuntiando, eis vitia, & virtutes*, quantum ad vitam præsentem: *Pœnam & gloriam*, ad vitam futuram: Quod dicit; Nè prædicent seipsos: vt suam Philosophiam ostendant, & simbrias magnificent: *Cum breuitate sermonis.* Hæc breuitas excludit verborum ambages, & sententias inuolutas: verba etiam ardua super capacitatem audientium: *Infrà*: Ad litteram etiam studendum *breuitati*, quia prolixitas generando fastidium, auditores pluries retrahit ab auditu, &c.

2 Cor. 2. vers. 17.

CAPVT X.

De Admonitione & Correctione Fratrum.

TEXTVS I.

Fratres qui sunt Ministri & serui aliorum Fratrum, visitent & moneant Fratres suos, humiliter, & charitatiuè corrigãt eos, non præcipiẽtes eis aliquid, quod sit contra animam suam, & Regulam nostram.

SENSVS LITTERALIS.

Superiorum officia 4.

HIc Textus informat Superiores in Ordine de quatuor munijs, siue officijs, quæ sub præcepto teneantur impendere subditis suis, quæ etiam gradatim numerantur, nimirùm: *Visitare. Monere. Corrigere. Præciperè: Visitatio* Actum dicit vigilantiæ & cognitionis: vt scilicet, cognoscãt oues suas, & qualiter cum eis agatur, iuxta illud Euangelicum Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ.* De quo & superiùs dixerat: *Oues vocem eius audiunt, & propriàs oues vocat nominatim, & educit eas: & cùm proprias oues emiserit ante eas vadit, & vocem illius sequuntur*, &c. Itaque *visitare*: Nihil est aliud, quàm super grege sibi commisso, solerter vigilare, nè quid ei aduersi accidat: Nec tantùm indicat *visitationem publicam & iudicialem*; sed paternam *ac fraternam curam quam Superior adhibere tenetur. Monitio* visitationẽ sequitur, & dicit solicitam exhortationem, quâ fratres à malis auertuntur, & ad bona incitantur: Dicit etiam verbalem correptionem, pro ijs qui secretò peccauerunt, vel qui in imminenti periculo peccandi versantur. *Monitionem* sequitur *Correctio*, quæ non secuta per monitionem emenda, iuxta qualitatem delicti infligitur: Cui duas qualitates adscribit Regula, vt nimirùm: *Humiliter & charitatiuè* fiat: *Humilitas* autem excludit fastum, & austeritatem corrigentis: *Charitas* excludit vehementiam passionis, & animi acerbitatem, siue (vt ait Hugo de Dina) *Humilitas in verbis, Charitas in affectu cõmendatur.* His tribus additur officium *Directionis*, quod fit per *præcepta & prohibitiones* congruas, & legitimas intra terminos licitæ & vtilis fugæ, aut operationis: *Non præcipiendo eis* (inquit) *aliquid quod sit contra animã suam & Regulam nostram*: Illud verò censetur iuxta quatuor Magistros *contra animam*, non solùm quod peccatum est; sed etiam quod est incentiuum & proximum peccato: siue quidquid aliquo modo inducit, vel est occasio peccati: *Contra Regulam* verò dicitur, quod est contra vota & præcepta Regulæ, vel illis aliquo modo accessoria, vt sunt Ordinationes & Statuta ad illorum puriorem obseruantiam ordinata.

Ioan. 10. vers. 14.

Vers. 3.

Visitare quid.

Monere quid.

Corrigere quid.

Præcipere quid.

OBLIGATIONES TEXTVS I.

EX quibus patent obligationes Superiorum ad quas ex natura officij sub peccato mortali, & pœna damnationis æternæ tenentur, tamquam *rationem reddituri de animalibus sibi* commissis, si ex dictorum negligentia pereant.

Conformitas Scripturæ.

OMnia portò supradicta consonant Scripturis de bono Pastore Joan. 10. Luc. 15. Actor. 20. Vnde & 2. ad Timoth. 4. *Argue, obsecra, increpa*; Glossa: *Argue iuniores, obsecra seniores, increpa inquietos.* Et 1. ad Thessal. 5. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Nomine autem *Ministrorum & seruorum* vocantur omnes Superiores, vt aliàs explicauimus ex Luc. 22. & Matth. 20. *Qui vult inter vos maior fieri, sit vester Minister*, &c.

Ioan. 10. Lucæ 15. Actor. 20. 2. Tim. 4. vers. 2. 1 Thess 5. vers. 14.

Lucæ 22. vers. 26. Matth. 20. vers. 26.

TEXTVS II.

Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerint proprias voluntates: Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.

SENSVS LITTERALIS

Cum Conformitate S. Scripturæ.

FVndamentum obedientiæ non est aliud, quàm, *Abnegatio propria voluntatis*, quã in sua Professione facit Frater Minor: Hinc obedientiæ latitudo tanta est, vt obligetur præcepto Superioris sibi sub obedientia facto, in tanta latitudine, in quam licitè voluntas propria ferri potest: Licitè autem propria volũtas ferri potest, in omne quod non nocet animæ, & quod Regulæ conforme est. In ista itaque latitudine Frater Minor, sicut propriæ voluntati renuntiat, sic propter Deum, in tota ista latitudine suam voluntatem in manus Superiorum resignauit: Exemplo conformi illius, qui *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem Crucis.* Vnde & Discipulis pro forma Regulæ ponit Matth. 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* Et aliàs: Præcipiuntur: *Odire animas suas*, id est, proprias inclinationes, & voluntates.

FF. Minorum obedientia latitudo.

Philip. 2. vers. 8.

Matth. 16. vers. 24.

TEX-

TEXTVS III.

Et vbicumq; sunt Fratres qui scirẽt, & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere.

SENSVS LITTERALIS.

PRouidet in omnibus S. Pater, etiam casibus occultis. Cùm enim sæpè non obstantibus visitationibus, monitionibus, correctionibus, &c. possint aliqua tolerari, vel secretè ingruere, & serpere mala inter Fratres, quæ aliquos inficiant, & in Regulæ obseruatione spirituali, hoc est, reali, & secundùm spiritum, impediant, à quibus Fratres se expedire, vel quæ vitare non possunt; vnde semper in periculis trãsgressionis Regulæ versantur, quæ nec per visitationes aut monitiones, vt dictum est, tolluntur: Fratribus de remedio prouidere volens S. Pater: Non tantùm facultatem facit, sed etiam præceptum imponit talibus Fratribus sic periclitantibus, vt ad suos Ministros pro remedio recurrant, & recurrere debeant.

Fratres vt recurrant ad suos Ministros pro obseruatione Regulæ 5. requisita.

Quinque itaque *requiruntur* ad præceptum in hoc Textu: 1. Vt in loco sit aliquod impedimentum reale alicui Fratri, vel Fratribus nè possint ibidem seruare Regulam. Dico *reale*: non autem imaginatiũ, scrupulosum, vel quod ab apprehensione, & ratiocinatione Fratris dependeat. Hoc indicant verba (*scirent & cognoscerent.*)

2. Vt in Fratre respectu impedimenti vel incentiui mali vitandi, sit moralis aliqua impossibilitas, vel difficultas grauis; & periculum vel impedimẽtum non oriatur, ex eius negligentia: Hoc indicant verba, *se non posse.*

3. Vt recursus sit ordinatus, & ordinatè fiat. Vt *respectu personæ*; cùm enim, vt dictum est, nomine *Ministrorum* proportionatè intelligantur *Superiores:* si potest prouideri malo vel impedimẽto per Guardianum; non est opus recurrere ad Prouincialem, si per Prouincialem, non est opus recursu ad Generalem, &c.

4. Oportet aduertere *modum recursus*, vt nimirùm sit congruus, & honestus: vnde si potest subditus efficaciter & congruè, absque sui, vel tertij detrimento recurrere per litteras, non debet recurrere personaliter ad euitandos discursus. Deinde: Recursus debet fieri honestè cũ socio, & modis in religione vsitatis, & ordinatis.

5. Non semper debere fieri *ad mutationem loci*; sed vt Ministri prouideant, vel de amotione impedimenti, vel de modo & medio sufficienti, quo Frater Regulam obseruare possit.

Et ex dictis patent obligationes huius Textus: sicut enim obligantur Fratres sibi quærere per hunc recursum remedium ad obseruantiam Regulæ sub præcepto: sic Superiores tenentur cum illis concurrere, & illos non impedire, iuxta explicationes datas.

TEXTVS IV.

Ministri verò benignè, & charitatiuè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos: vt dicere possint eis, & facere sicut Domini seruis suis, nam ita debet esse: Quòd Ministri sint serui omnium Fratrum.

SENSVS LITTERALIS.

OBligationes Ministrorum in recipiẽdis Fratribus ad se iustè, & legitimè recurrẽtibus, hic Textus breuiter perstringit: nimirùm, vt *benignè*, & *charitatiuè* in corde *eos recipiant*: *& tantam familiaritatem habeant circa ipsos*, hoc est, tam familiares se ipsis exhibeant, vt omnia verba imperium resonantia fileant, & facta dominatum prætendentia deserant: *vt dicere possint eis & facere, sicut Domini seruis suis*: id est; Nè Superiores verbo aut facto prætendant fastum, qui possit repellere subditos à fiducia ad Ministros in necessitatibus recurrendi: Ita ferè *S. Bonauentura.* Notat tamen, per hoc verbum non debere dari subditis occasionẽ superbiendi propter humilitatem Ministrorum: nè sicut dicit Gregorius: *Dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas:* sed informari Ministros in rebus pertinentibus ad salutem animarum se debere exhibere, sicut verè sunt, *tamquam seruos*, sicut de se Christus dicebat Luc. 22. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat:* Quod benè explicat S. Paulus 1. ad Corinth. 3. *Quid igitur* (inquit) *est Apollo? Quid verò Paulus?* Respondet: *Ministri eius cui credidistis.* Infrà: *Omnia vestra sunt, sine Paulus, sine Apollo, sine Cephas, omnia vestra sunt* ad salutem. Benè Hugo de Dina: *Vtile* (inquit) *seruitium, doctrinæ lumen subministrare indoctis, medicinam infirmis, solatium innalidis, stultis verbera, vincula furiosis, pro quibus habent Domino respondere.*

Superior qualis debeat esse ad inferiorem.

Gregorius.

Lucæ 22. vers. 27.

1. Cor. 3. vers. 5.

Vers 22.

Hugo de Dina.

Con-

Conformitas Scripturæ.

Hic Textus desumitur ex exemplo Domini Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Sumitur & ex parabola Gallinæ infirmantis se super pullis suis. Sumitur & ex exemplo Apostolorum 2. ad Corinth. 4. *Non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum D.N. Nos autem servos vestros per Iesum.* Et cap. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror.* Interdùm etiam Christus increpauit Petrum duris verbis, & flagello facto ex funiculis eiecit vendentes ex tẽplo. Ioan. 2.

Matth. 11. vers. 28.

2. Cor. 4. vers. 5.

Et cap. 11. vers. 29.

Ioan. 2.

TEXTVS V.

Moneo verò & exhortor in Domino Iesu Christo, vt caueãt Fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & solicitudine huius sæculi, detractione, & murmuratione.

SENSVS LITTERALIS.

Regula monens & exhortans in hoc Textu Fratres, vt à certis peccatis caueant, instruit & informat Superiores, quibus vitijs eradicandis potissimùm ex Officio cauere debeant. Octo verò genera peccatorum recensет, quibus Status huius Ordinis destruitur, & ad ruinam tendit, nimirùm, *superbiam*, & *vanam gloriam*, quæ humilitatem huius Ordinis Matrem suffocantes, *Obedientiam Humilitatis filiam*, in vtero velut opprimunt: Deinde eradicandã docet: *Inuidiam*, quæ tollit *Charitatem ordinatam*, in qua consistit Ordinis decor: Demùm mandat cauere, ab *Auaritia*, *Cura*, & *solicitudine huius sæculi*, quæ destruũt *Paupertatem*; & subministrantes, sub titulo satisfaciẽdi necessitatibus corporis, *Abundantiam panis*, & *luxum*, perdunt *Castitatem*: Denique prohibet abstinere à *Detractione* & *Murmuratione*, quæ *Pacem* turbantes, quæ est Religionis fundamentum, inducunt Ordinem in horrendas confusiones. Sicut ergo exhortatur Fratres vt ab ijs caueant, sic Superiores incitat, vt super istis eradicandis inuigilent.

Quærit autem *S. Bonauentura*: Cur hæc quæ vt plurimùm peccata sunt mortalia, vel incentiua ad mortale, sub sola monitione S. Franciscus voluerit prohibere? Respondet: In his aliquando mortale, aliquando veniale tantùm peccatum committi: Cùm autem iure diuino illa quomodocumque prohibita sint, noluit iugum aggrauare: sed cùm essent status Ordinis destructiua ex se: Putauit sufficere si obligationem lege diuinâ in his cauendis præscriptam monitione suâ refricaret. In his sanè eradicandis tota doctrina Euangelica insudat, ideò inutiliter hic scripturæ annecterentur.

TEXTVS VI.

Et non curent nescientes litteras, litteras discere; sed attendant quòd super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare ad Deum puro corde, &c.

SENSVS LITTERALIS.

Sicut in Superiori Textu exhortatus est Fratres ad eradicanda, & vitanda vitia Religioni huic maximè aduersa: Ita in hoc Textu ostendit in quibus consistat totus scopus, tota medulla perfectionis huius Regulæ, & status Ordinis Minorum, vt & ad illam perfectionem Fratres adspirent, & Superiores informentur, qualiter omnia quæ in Regula eis committũtur, istum finem & scopum respiciant.

Primò itaque: Monet Fratres nescientes litteras, vt à nimia cura illas adipiscendi abstineant: Quod quidem primò, iuxta *Hugonem de Dina*, & alios, tangit laicos, nè nimirùm prętextu missionis vel doctrinæ spargendæ, inutiliter & cum sui, & aliorum turbatione, ad studia promoueri solicitent: *Non ergo* (ait Hugo) *S. Regula Cõditor litteratis, sed laicis, & illiteratis studium vetat, vt vnusquisque secundùm Apostolum: In qua vocatione vocatus est, in illa permaneat.* Addo tamen: Etiam nomine *litterarum*, hîc intelligi, profanas & vanas scientias, quæ inflant, non ædificant, quæ in intellectu hærent, & ad affectum excitandum & inflammandum non tendunt: Et hæ scientiæ Ordinem potius confundunt, quàm adiuuent. Vnde S. Pater tom. 3. Colloquio 15. interrogatus: *An sibi placeret: Quòd Fratres studio S. Scripturæ intenderent?* Respondit: *Mihi quidem placet, dum tamen Christi exemplo, qui magis orasse legitur, quàm legisse, orationis studium non omittant.* Et in Epistola ad S. Antonium Paduanum tom. 1. *Placet* (ait) *mihi, quòd Sacram Scripturam interpreteris, ita tamen, vt nec in te, neque in cæteris extinguatur S. Orationis Spiritus, iuxta Regulam*

Hugo de Dina.

1. Cor. 7. vers. 20.

Studium Franciscanum quale.

quam

quam profitemur. Studium ergo non vetuit, quod intellectum illuminat, inflammat affectum, reducit & vnit ad Deum. Talis fuit doctrina Seraphici Doctoris S Bonauenturæ istis titulis omnibus commendat & Cãcellarius Gerson: vanam ergò sciendi curiositatem, S.Pater à suo Ordine exulare voluit.

Porrò seclusâ mundanâ scientiâ, ad veram sapientiam suos erudit in hoc Textu S.Pater, sex gradus demonstrans, quibus ad supremum perfectionis apicem Frater Minor ex Regula tendere debet, & summo desiderio tenti: *Sed attendant* (ait) *quòd super omnia desiderare debent*, id est, tamquam finem omnium, quæ in Regula ponuntur, ad illa aspicere quæ enarrat 1. *Habere Spiritum Domini.* 2. *Sanctam Spiritus Domini operationem.* 3. *Orationem puri cordis.* 4. *Humilitatem & patientiam*, ab intus quidem, *in infirmitatibus*, & tentationibus tam spiritualibus, quàm corporalibus: A foris autem, in *persecutionibus* & tribulationibus externis. 5. *Dilectionem inimicorum.* 6. *Perseverantiam.* Hæc est vera scala totius perfectionis quæ nobis in Regula erecta est: vnde enim nobis tam larga *obedientia*, tam alta *paupertas*, tam perlucida *castitas*; nisi vt excluso spiritu mundi, spiritu carnis, spiritu proprio, perueniamus ad *spiritum Domini?* Vnde nuditas, ieiunia, austeritates corporales; nisi vt detur locus *operationi Spiritus?* Vnde sancta Officia, nisi vt plantetur in nobis *oratio puri cordis?* Denique nihil in hoc mundo habet Frater Minor, vt in *humilitate & patientia* omnibus subijciatur: ab omnibus dependet, vt etiam inimicos diligat: & retrò respicere prohibetur, vt in finem perseueret.

Perfectionis scala.

Conformitas Scripturæ.

HI porrò perfectionis gradus omnes desumpti sunt ex scriptura. 1. Enim de spiritu Domini, vt distinguatur contra spiritum carnis, mundi, vel proprium. Christus Joan. 3. *Quod natum* (inquit) *est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* De quo Domini spiritu latiùs cap. 14. 2. Totam actionem spiritus siue operationem, describit S.Paulus ad Rom. 8. vbi de oratione puri cordis. De humilitate & patientia, de dilectione inimicorum, de perseuerantia videri potest c. 1. Matth. Et alia ad hos gradus facientia passim in Euangelio, & Apostolicis scriptis occurrunt. Quæ referre & explicare non est huius loci.

Joan. 3. vers. 6.

CAPVT XI.

Quòd Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.

TEXTVS VNICVS.

Præcipio firmiter Fratribus vniuersis nè habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et nè ingrediantur Monasteria Monacharũ, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis: Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, nè hâc occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.

SENSVS LITTERALIS.

PVdicissimus castitatis amator Franciscus sub præcepto formali, tria remouet pericula, quæ castitatis professori communiter imminent, sub prætextu alicuius boni. *Primum: Suspecta consortia, vel consilia mulierum:* Suspecta sanè iuxta S.Bonauenturam consortia dicuntur, quæ ratione alicuius circumstantiæ nata sunt ingerere aliquam suspicionem immunditiæ vel carnalitatis. Vnde: *Suspectum* (ait) *consortium non est solùm mulieris suspecta; imò cum omni muliere vbi locus, tempus gestus, aspectus, & alia notabilia indicia suspicionem nõ excludunt.* Addit colloquia solitariè cum muliere prolongata, & cum eadem persona sine ratione euidenti frequentata, suspecta esse. Et tandem concludit: Omne illud suspectum existimari colloquium, non solùm quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcumque, sed quod potest huius rei scandalum, vel suspicionem probabiliter generare. Siue itaque sint consortia, siue sub colore consiliorum fiant, si talia suspicionem natá sint ingerere alicuius impuritatis, etsi abesset de facto omnis motus carnis, Fratri Minori sub peccato mortali prohibita sunt.

Suspectum consortium quid.

S.Bonau.

Dixi (*quæ nata sint suspicionem ingerere impuritatis*) si enim suspicio nascatur ex mera malitia, vel infirmitate opinātis, suspecta omninò dici non possunt

Secundum quod hoc præcepto formali prohibetur Est *ingressus in Monasteria Monacharum*, id est, ad interiora Monasteriorum, vbi absque pariete, vel crate intermedia possunt moniales conuenire. Cuius prohibitionis rationem reddens: Hugo de Dina: *Quia* (inquit) *tales personas diabolus magis impugnat, adeoq; maius est periculum maiusq; scandalum:* Qui putat etiam hoc Textu prohiberi ingressum ad solitarias, eò quòd videatur periculum maius: Verùm quia domus earum non sunt *Monasteria*: Hoc quidem Textu arbitror non prohiberi, sed per primam prohibitionem de *suspectu consortys vel consilys*: Quia scilicet nimia conuersatio solius cum sola suspicionē nata est generare, & de facto solitudo viri, & mulieris incentiuum est libidinis. Additur autem: *Nisi à Sede Apostolica concessa fuerit licētia specialis*: Quæ specialis non tām personā respicit, quàm rationem ingressus, qui datur in genere visitatoribus, confessarijs, medicis, &c. ratione vtilitatis, vel necessitatis spiritualis vel corporalis.

Hugo de Dina.

Ingressus ad solitarias, an & qualiter prohibeatur.

Tertium: Quod prohibetur est *Compaternitas virorū vel mulierum*, quia propter cognationem spiritualem, est seminarium familiaritatis amplioris, quæ non rarò solet ad amicitias sensuales terminari.

OBLIGATIONES.

EX his constat quantâ puritate S. Pater castitatis votum à suis obseruari voluerit, vt quæ ex natura rei sunt tantùm venialia, illa sub peccato mortali, ex circumstantijs prohibenda duxerit. Constat etiam, quàm circumspectè debeat Frater Minor in istis consilijs quæ generare possunt impuritatis suspicionem, ambulare: Non enim hîc ad euitandum peccatū sufficit, vel factum suum defendere vel innocentiam allegare, aut etiam probare: Sufficit enim quòd ex natura consortij, vel ex frequenter accidentibus, possit suspicio aliqua carnalis cōuersationis generari. Vnde Hugo de Dina: *Eò ipso quis* (ait) *se reddit suspectum, quò dissuasum sibi maximè à Prælatis non vitat consortium.* Et S. Hieronymus Ep. ad Nepotianum. *Cauete* (ait) *omnes suspiciones: Crebra enim munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos & degustatos cibos, blandasq; ac dulces litteras, atque munuscula sanctus amor non habet.*

Quam facile peccetur suspectis ex consortijs.

Hugo de Dina.

S. Hieron. Ep. ad Nepot.

Conformitas Scripturæ.

MAtth 5. *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Et vt omne periculum aut suspicionem excludat: *Si oculus tuus dexter*, &c. *si dextra manus*, &c. *scandalizat te, abscinde eam, & proyce abs te.* Tanta portò fuit discipulorum Christi abstractio ab inutili mulierum conuersatione vt, Joan. 4. videntes Christum cum Samaritana ad puteum miscere colloquia: mirarentur quòd cum muliere loqueretur.

Matth. 5. vers. 28.

Vers. 30.

Ioan. 4. vers. 27.

CAPVT XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios Infideles.

TEXTVS I.

Quicumque Fratrum diuinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petāt inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus: Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.

SENSVS LITTERALIS.

NVllus possit ire etiam titulo prædicationis, vel missionis ad infideles, quantumcumque diuinâ se inspiratione vrgeri prætendat, sine licentia sui Ministri Prouincialis: Et Ministri neminem mittere possint, nisi verè cognitus sit idoneus, vitâ vrique, doctrinâ, virtute, constantiâ in fide, & huiusmodi qualitatibus ad talem missionem necessarijs.

OBLIGATIONES.

PEccant igitur mortaliter, & ab obediētia apostatare conuincuntur, quicumque, quocumque prætextu absque licentia Prouincialium Ministrorū ad infideles vel hæreticos ire præsumunt, quantumuis idonei habeantur: Aliunde: Peccant mortaliter Ministri qui inidoneos mittunt.

Potestas ergo mittendi residet secundùm Regulam apud Ministros Prouinciales, quibus graue iugum imponitur, vt de idonei-

idoneitate priùs mittendorum non tantùm inquirant; sed plenam & absolutam, ac velut intuitiuam notitiam de eorum quos mittunt, idoneitate habeant. Per hæc tamen non excluditur potestas eminentior quæ est in Ministro Generali, & Summo Pontifice: sed regularis potestas designatur, regulariter obseruanda: quia ex natura rei Ministri Prouinciales melùs cognoscunt idoneitatem suppositorum. Vnde qui sine iudicio immediatorũ Prælatorum, Missiones huiusmodi attentant grauissimis periculis se, & Religionem exponunt. Et in hoc fine dubio fundatur hoc præceptum Regulæ, quòd potestatem illam Ministris assignauit. *Vnde duo hic.* Dubia resoluuntur: *Primũ est.* An Ministri Generales hanc mittendi potestatem non habeant? Ad quod respondetur: Illam quidem habere eminenter, cùm potestas Prouincialium in ipsis tamquam Superioribus eminenter cõtineatur: Illi tamen vti communiter non debere: Quia inferiorum perspectam notitiam non ita habent: *Alterum dubium:* An cognito idoneo teneatur Minister Prouincialis licentiam impertiri? *Respondetur negatiuè?* Ratio est: Quia eius discretioni relinquitur, cùm ex ipso Textu quantumuis idonei absque actuali illius licentia prohibeantur ire. Nec desunt aliquando motiua iusta, vt etiam idoneus Missioni, ob aliam Religionis vtilitatem, vel necessitatem retineatur. Culpandus tamen esset Superior, qui malitioso, & vitioso motiuo idoneum detineret.

Generali an non competat potestas mittendi ad infideles.

Prouincialis an mittere teneatur idoneos petentes ad infideles.

Conformitas Scripturæ.

MAtth. 10. Misit Christus Apostolos duodecim vt prædicarent filijs Israël, cum hac restrictione: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum nè intraueritis:* Nec ad gentes ire potuerũt, nisi nouâ obtenta Missione post resurrectionem. Et Marci 3. dicitur: *Vocauit ad se quos voluit, &c. vt mitteret eos prædicare.* Iterùm Marci 6. *Misit illos binos:* Et Luc. 10. *Designauit & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem Ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus.* Missionem autem hanc legitimam à Superiore, necessariam concludit S. Paulus: Ad Rom. 10. *Quomodò* (ait) *prædicabunt nisi mittantur?* Quæ ergo potestas fuit in Christo, in Petrum, & Apostolos primò deriuata fuit: deinde dilatatâ Ecclesiâ alijs Superioribus commissa est.

Matth. 10. vers. 5.

Marci 3. vers. 13.

Cap. 6. v. 7.

Lucæ 10. vers. 1.

Rom. 10. vers. 15.

TEXTVS II.

Ad hæc per Obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector huius fraternitatis: vt semper subditi, & subiecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & S. D. N. Iesu Christi Euangelium quod firmiter promisimus obseruemus.

SENSVS LITTERALIS.

HÆc est conclusio Regulæ, quæ ad Caput vnde sumpsit exordium redit: summatim itaque compendium Regulæ, quæ in *Obseruatione S. Euangelij in sancta paupertate & humilitate* consistit, repetens, ad principium *Obedientia ad Romanum Pontificem* Fratres remittit. Quem cùm personaliter aduerteret non posse ampliato per vniuersum orbem Ordine illi per se inuigilare, nè cuiusuis Episcopi, siue Antistitis curæ Ordo committeretur. Mandauit *per Obedientiam* vniuersitati Ministrorum; vt à Domino Papa peterent, seu impetrarent vnum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui eminenter *Gubernationi, Correctioni, & Protectioni* Ordinis in necessitate vacaret: Causam verò addit: Quia immediatè sub vniuersali Capite Ecclesiæ, Romano Pontifice (cui singularem obedientiam *totius Ordinis* nuncupauerat) voluit Ordinem remanere, & immediatè sub primo Hierarcha Ecclesiæ constitui. Vnde ex natura Institutionis Ordo immediatè Summo Pontifici singulariter est subiectus, Capitis vniuersalis influentiam accipiens per Cardinalẽ Protectorem, & Ordinis Prælatos, vt suprà docuimus, dum Ordinis gradum Hierarchicum independentem à lateralibus ostendimus.

Regressus ad Paragraphos Fundamenti 5.

DIgressi quidem longiùs sumus, vt litteralem sensum Regulæ ex suis Principijs desumptum omnium oculis subijceremus: Nunc ad Paragraphos redimus, qui ex illa litterali expositione non sine magna animæ vtilitate consequuntur, &

multas tricas velut manu obstetricante extricant.

§. III.

Regula Fratrum Minorum tantâ Christi prouidẽtiâ exornata est, vt humanitùs vltra tenorem litteræ nullâ dispensatione indigeat.

HIc Paragraphus Paradoxum fortè nonnullis videbitur, cùm tòt dispensationes à Summis Pontificibus constet à Fratribus expostulatas: Verùm vt fascinum à multorum oculis tollatur.

Dispensatio quid. Aduertendum 1. *Dispensationem* propriè dictam definiri: *Iuris siue legis alicuius, aliàs obligantis, relaxatio facta, cum causæ cognitione ab eo qui habet ius dispensandi.* Ex qua definitione constat, quòd in casibus in quibus ius vel lex non obligant, nõ censetur cadere dispensatio: sicut nec in casibus in ipsa lege à legislatore exceptis: *Explico:* Quia lex ieiunij Ecclesiastici non obligat ex ipsa declaratione Ecclesiæ Adolescentes ante 21. vel 22. ætatis annum nec senes post 60. Non censentur adolescentes, & senes huiusmodi dispẽsari: Quia *Dispensatio* est iuris, siue legis obligantis *Relaxatio*; constat autem legem ieiunij huiusmodi non obligare. *Similiter:* Regula Fratrum Minorum ita obligat eos nudis pedibus ambulare; vt tamen expressè excipiat eos *qui necessitate coguntur, vt possint portare calceamenta.* Ergo qui in necessitate calceamenta portat, non vtitur dispensatione proptiè dictâ, sed vtitur suo iure, quia Regula in tali casu illum non obligat, &c. Ergo vt in aliquo casu dispensari dicatur, debet censeri in tali casu legi obligatus.

Dispensandi causa duplex. Aduertendum 2. Causas rationabiles dispensationis in obligatione alicuius legis ad duas reuocari, nimirùm: Ad *necessitatem* vel *grauem vtilitatem* eius cum quo dispensatur, vel *in bonum Reipublicæ* siue *Communitatis.*

Aduertendum 3. Multa rigorosè in Regula Fratrum Minorum demandari sub præcepto, vel æquipollenti, quibus tamen semper additæ sunt aliquæ exceptiones in certis casibus, vt cap. 2. de Ieiunijs: *Tempore (lait) manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali*, &c. His sic prænotatis, pono Propositionem.

PROPOSITIO VNIVERSALIS.

Regula Fratrum Minorum ita expressè prouidit necessitatibus; imò & vtilitatibus vitæ ipsorum, vt non sit opus illis aliquâ dispensatione verâ, quæ relaxet obligationem iuris siue Regulæ.

An Regula FF. Minorum quandoq; egeat dispensatione. HÆc propositio sic declaratur per partium enumerationem cõpletam: Omnis *necessitas*, vel *grauis vtilitas*, ob quã cum Fratre Minore dispensandum esset in aliquo præcepto obligante: vel oriretur ratione *vestitus*, vel *victus*; vel *infirmitatis corporalis*, vel *egestatis*, siue, generaliter, alicuius *necessitatis corporalis*, vel *spiritualis*: Atqui per Regulã est omnibus istis abundè prouisum: Nulla ergo hic intercurrit ratio dispensationis. Cùm omnes casus sint per legem excepti. Sic verò per singula explico.

Non quoad vestitum. *Primò* de *vestitu*: Regula quidem Fratribus indixit ad corporis necessarium vestitum; *Duas tunicas, vnam cum Capucio, & alteram sine Capucio, cingulum, braccas, & sandalia.* Sub quibus, vt ex Christi Domini, & Apostolorum exemplo diximus in expositione litterali, comprehenduntur, ea quæ sunt honestatis, vt *chlamides, caligæ truncatæ*, &c. Nè autem occurreret aliqua necessitas, quæ siue ad corpus fouendum, siue ad defensandum contra frigora, & alias incommoditates dispensationem requireret: Prouidit cap. 4. mandans Ministris & Custodibus *vt solicitam curam gerant pro Fratribus induendis*, consideratis circumstantijs, *secundum loca, & tempora, & frigidas Regiones; sicut necessitatis viderint expedire:* Ergo secundùm Regulam potest Frater Minor ad suum vestimentũ Regulare addere de iudicio sui Superioris, quidquid necessitas personæ, loci, temporis requirit: Mandat enim Regula Superioribus, vt de istis prouideant. Quis ergo casus fingi potest, in quo opus sit dispensatione in vestitu Fratrum, cùm mandatum sit Superioribus, Fratribus prouidere in omn casu, in quo prouideri expedit iuxta præsentem necessitatem, vel grauem induendi Fratris vtilitatem. Vnde & expressè de calceamentis Regula c. 2. declarat: *Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta.* *Cap. 4. Regulæ.*

Nec quoad victum. 2. *Quoad victum*: vniuersaliter permititur Fratribus, nisi alio præcepto prohibeantur: *De omnibus cibis qui apponuntur eis, licere manducare:* Quia verò quæstio posset esse de præcepto abstinentiæ, vel ieiunij, generaliter declarat Regula: *Tempore*

pore manifestæ necessitatis non teneri Fratres sexuno corporali: Manifesta autem necessitas moraliter mensurãda est, vt etiam grauem vtilitatem includat, iuxta communem Doctorum sensum: Ergo per Regulam sufficienter in omni casu super victu Fratrum (seclusâ omni dispensatione) prouisum est.

Nec ob infirmitatem corporalem.

3. Quia pro *Dispensationibus in Austeritatibus alicuius Regulæ* frequentiùs prætenditur *corporalis infirmitas:* Tanta fuit huius Regulæ prouidentia, *vt cap.* 4. Omnem mandet solicitudinem Superioribus etiam per recursum ad amicos spirituales, vt illis iuxta rationem infirmitatis benè prouideatur. *Et cap.* 6. mãdat tantam charitatem exhiberi infirmis, vt etiam personaliter per Fratres illis seruiatur. *Et si quis* (ait) *eorum in infirmitatẽ ceciderit, alij Fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.* Quinimò qui equitationem *cap.* 3. suis Fratribus prohibuerat: Illam permittit infirmis, vel aliam necessitatem patientibus. *Et non debeant* (ait) *equitare, nisi manifestâ necessitate, vel infirmitate cogantur.*

Nec ob egestatem.

4. Quia præsumi potest *Dispensatio* postulanda ratione *egestatis*, maximè cùm Ordo altissimam paupertatem profiteatur, vltra singularem prouidentiam, quam omnibus huius Regulę professoribus Deus repromisit; Regula tres modos acquirendi vitæ necessaria prouidit. 1. *Per laboritium.* 2. *Per mendicationem humilem.* 3. *Per acceptationem liberaliter oblatorum.* Et quia plura debent conquiri per viam pecuniæ, quæ Fratribus interdicta erat, addit 4. *Modum per amicos spirituales*, quorum pecunijs res necessariæ alijs medijs deficientibus haberi possint. His sanè medijs omni egestati & necessitati absque dispensatione satisfieri posse, manifestum est: Ad quid igitur dispensatio?

Nec ob spiritualem necessitatem.

5. Quia de spirituali necessitate quæstio esse posset, Regula vniuersaliter prouidit, vt *vbicumque sunt Fratres qui sciunt, & cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere.* Qui locus etsi primariò de necessitatibus à loco dependentibus videantur intelligi; consequenter tamen, de omni spirituali necessitate intelligi debet, cui tenentur Ministri, quantum in ipsis est, subuenire & mederi, aliquo medio, & remedio competenti. Nec in his iterùm ergo requiritur dispensatio, cùm sit mandatum legis.

Nec alias de.

6. Huc referędæ sunt exceptiones quæ *ex natura legum, & iurium* sequuntur, vel ex *natura Ministerij* cui legitimè quis adiicitur. Ex. g. *Iure pols* vbi esset extrema vel grauis necessitas vitæ cõseruandæ, Frater Minor vti pecuniâ posset, non ex dispensatione primò data; Sed: Quia *lex naturæ præponenda est legi positiuæ*, & duabus legibus concurrentibus incompossibiliter præferenda est *lex diuina naturalis, legi diuinæ positiuæ, & lex naturæ, legi humanæ*, &c.

Dixi *(vel ex natura Ministerij)* Sic enim qui proficiscuntur ad infideles conuertendos, ex natura Ministerij possunt vestes sæculares, & pecuniæ vsum necessarium assumere, si aliter Ministerium exerceri non potest: Et hæ prouisiones necessariò intenduntur in facultate Generali: Quâ qui diuinâ inspiratione volunt ire ad infideles, obtentâ licentiâ à Prouincialibus ire possunt, & cõsequenter necessarijs ad dictam missionẽ omninò requisitis ex natura missionis absque alia dispensatione vti: Quia casus illi ex natura Ministerij à lege excepti censentur.

APPENDIX COROLLARIA.

EX his clarè *Infertur.* 1. Fratri Minori ex Regulæ suæ pura obseruantia, nullam necessariam esse dispensationem propriè dictam. *Ratio est:* Quia cùm fundamentum dispensationis propriæ dictæ, sit *Dispensati necessitas*, vel *grauis vtilitas*, & ex parte, legis obligatio supponatur relaxanda: Omnibus necessitatibus Regula, siue lex per exceptiones, & mitigationes rigoris, ita prouidit; vt in dictis necessitatibus legislatorem legem non obligare declarauerit, prout suprà explicatum est.

Quid de dispensationibus à Pontificibus, super Regulæ impetratis dicendum.

Infertur 2. Dispensationes, si quæ à S. Sede in præceptis Regulæ postulatæ sunt, vel inutiliter petitas, vel nullas & inutiliter concessas censeri. Ratio ex dictis clara est: Quia, cùm, vt dictum est, ad validam dispensationem requiratur necessitas, vel grauis vtilitas in dispensato: Vel talis necessitas, aut grauis vtilitas subesse supponitur: Istis autem necessitatibus omnibus per Regulam prouisum erat, adeoque frustrà, & inutiliter à S. Sede postulabatur, vel necessitas vera aut grauis vtilitas nõ suberat, & ideò dispensatio, etiam à sede Apostolica, nulla fuit, quia causa allegata (vt supponitur) fictitia erat. Quod succinctè ex dictis repeto: Omni veræ necessitati Fratrum prouisum est per exceptiones, & mitigationes in Regula expressas, vt suprà exemplificatum est: Ergo nulla supereſt cui prouideatur, ergo frustrà vel nulliter dispensatio petitur. Et vt exemplis manifestior est.

Primò. Feruntur aliquæ Bullæ passim quæ receptionem possessionum, bonorum temporalium, redituum permittunt: *Alia:* Quæ receptionem pecuniæ: *Alia:* Quæ concessionem Interularum, Staminearum,

Camisearum, &c. indulgent. *Aliæ:* Quæ in calceamentis vniuersaliter dispensant, &c. Quas omnes nullas esse sed subreptitias, & dolosè impetratas, sic apertè demonstro. Quoad *primas* quidem: Quis iudicij integri potest iudicare veram necessitatem huiusmodi *possessionum, redituum, pecuniarum*, &c. aliquando fuisse; Cùm irrefragabiliter constet inter veros obseruantes, & reformatos quatuor modis in Regula prouisis, superabundè semper necessitatibus Fratrum in victu, vestitu, habitatione, medicinis & alijs ad vitam seruandam indigẽtijs fuisse prouisum, nimirùm: De *labore acquisitis*, de *humiliter mendicatis*, de *liberaliter oblatis*, de *procuratis per amicos spirituales*. Imò addo: Meliùs & abundantiùs prouisum esse, quàm per *possessiones, reditus, pecuniarum receptiones*, &c. vt verorum Obseruantium vita communis & frugalis sat superque demõstrat, &c. Ergo fallaciter allegata est necessitas ad similes Bullas obtinendas. Quoad *secundas Bullas*: de *interularum, staminearum, camisearum* dispensatione: Certum quidem est aliquando & alicui, vel aliquibus Fratribus, ob aliquam causam, vel infirmitatem necessaria esse posse: vniuersaliter autem toti Ordini, vel Congregationi necessaria minimè esse. Si ergo necessaria aliquibus fuerint, iam prouiderat Regula, vt Frater tempore necessitatis vti possit; necessitatis iudicium ita committẽs Superiori, vt etiam præcipiat, vt indigenti prouideatur. Quid ergo opus fuit dispensatione maximè Apostolicâ? Cùm autẽ toti Ordini talia necessaria non esse manifestũ sit, consequẽter dispensationes pro toto Ordine impetratæ, subreptitiæ, & nullæ reputandæ sunt: Quod argumentũ concludit idem de calceamentis: Nam necessitatem patientibus Regula expresè prouidit; certum est autem quod omnes vniuersaliter non indigeant calceari.

Dispensationes illæ omnes reuocatæ.

Vnde infero 3. Judicio totius Ordinis dispensatorias illas Bullas Generales, à Capitulis Generalibus pro obreptitijs semper habitas & reiectas; Imò à posterioribus Pontificibus reuocatas: Hoc sufficienti titulo, *Quòd indiuiduis, & veris necessitatibus Fratrum sit sufficienter per Regulam prouisum.*

§. IV.

Quid Pontificum declarationes, Regulæ, & Ordini, contulerint?

Sancta quæque sæpe inficiuntur.

NIl tam sanctum quod serpente antiquo procurante nõ inficiatur: *Quoniã & creatura Dei in odium facta sunt, & in tentationẽ animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, & quamuis *Dominus hominem fecerit rectum, ipse tamen se infinitis miscuit quæstionibus:* Nemo itaque miretur, si Regula (quam Euangelicæ puritati & veritati conformem, & à Christo acceptam, ad litteram sine glossa obseruandam accepit S. Franciscus) suas passa fuerit quæstiones, & controuersas contentiones: Cùm & Euangelium ipsum & vniuersalis Scriptura, diuersas aduersasque passa sit, & patiatur interpretationes. Quemadmodum enim (vt benè aduertit Episcopus Siluensis 1. ad Corinth. 1. *Prædicatio Christi Crucifixi Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia fuit: Ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Dei virtus, & Dei sapientia.* Ita contigit Regulæ Fratrum Minorum quæ Christum *nudum, & Crucifixum* sequendum proponit: Illa quippe Regula à principio fuit *Iudæis*, id est, Fratribus taliter litteralibus *scandalum, Gentibus*, verò, id est, *Fratribus carnalibus* terram comedentibus *Stultitia*; solis verò *Fratribus Spiritu Dei vocatis* discretis, & spiritualibus *Dei virtus, & Dei sapientia.* Hinc tot à principio super Regulæ intellectu contentiones, quarum ratione ad S. Sedem, & Pontifices recurrendum fuit, pro Regulæ, etiam in clarissimis Textibus, interpretatione & declaratione: Tum vt horrendæ calumniæ, & detractiones maleuorum contra Regulam, & statum Fratrum Minorum sedarentur; Tum vt scrupulosorum Fratrum timoratis conscientijs satisfieret, & veritas Euangelica Regulæ manifestaretur: Tum vt retunderetur relaxatorum abominanda viuendi libertas, qui pro libitu sibi ex Regulæ falsificatis commentis & glossis, habenas intolerabiles laxabant. Vnde illa diuisio animorum: *Nonnulli* enim, omnes declarationes tamquam *Glossas*, & *Commenta* contra Regulam, & Fundatoris mentem ac intentionem ex scrupulo aspernabantur: *Alij*, vt *necessarias* ad communem pacem & quietem conscientiarum requirebant: Nec defuerunt qui declarationes omnes cassas & abolitas vellent, vt liberiùs liceret, cessantibus illis, suas relaxationes adstruere, & promouere: super quo Episcopus Siluensis de plãctu Ecclesiæ l. 2. art. 67. in principio: *Tempore* (inquit) *D. Papæ Ioannis XXII. anno Pontificatus eius 16. Quidam viri Belial Pseudo fratres Minores inimici Dei, & B. Francisci, Euangelij Christi, & Regulæ professi, & verè Ordinis sceleratissimi proditores & destructores, & in Ordine eorum, scilicet Fratrum Minorum, quidam eorum Prælati, quærentes quæ sua sunt, ponentes os in cœlum, ventribus gradientes super terram,*

Sapient. 14. vers. 11.

Eccles. 7. Vers. 30.

1. Cor. 1. vers. 23.

Declarationes Pontificiæ ad quid datæ.

Contra declarationes quantum à relaxatis fuerit oppositum.

Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ l. 2. art. 67.

non

non rectè cogitantes, sed malignissimè contra Sanctum Ordinem, & Regulam machinantes, procurarunt cum predicto Domino Papa, & quibusdã Cardinalibus declarationes omnes factas super Regulam à Sede Apostolica, maximè decretalem D. Nicolai totaliter revocari, &c. *Dicentes quòd contra voluntatem B. Francisci fuit, & contra suum Testamentum, aliquam declarationem super Regulam à Sede Apostolica impetrare: Et quòd declarationes erant Fratrum ligamina, & quòd sine declarationibus melius poterat Regula obseruari, & quòd declarationes erant impossibiles ad seruandum.* Quâ autem ratione & fine id præfati dicerent, & qualiter venenum sub lingua haberent, exprimit præfatus Episcopus: *Fingentes* (ait) *se pro zelo Regulæ, & testamenti hoc dicere, cùm tamen tacitè & subdolè ipsam per huiusmodi reuocationem declarationum intenderent destruere, sicut apparet in eorum declaratione, imò potiùs destructione nefandissimi, & falsissima, & carnalissima quam fecerunt super Regula antedicta.* Historiam porrò nefandam latè prosequitur dictus Episcopus, quàm paucis ad compendium reduco.

Idem.

Gerardus namque *Odonis* ex Aquitania oriundus, in locum *Michaelis Cesenatis*, procurante Ioanne XXII. Generalis Ordinis electus, statim à principio sui regiminis adinuenerat, tres nefandas glossas in Regulæ præcipua præcepta, quarum approbationem cùm se impetrare non posse arbitraretur, nisi declarationibus Pontificum maximè *Nicolai III.* suppressis, declarationes omnes aboleri sub zeli prætextu desiderabat.

Tres maligna glossa in præcipua Regulæ præcepta.

Prima autem *glossa*, quam intrudere vt sensum litteralem Regulæ satagebant, erat ad Textum illum cap. 4. Regulæ: *Precipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam: Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per amicos spirituales*, &c. Ex quibus hunc sensum commentabantur: Non licere vllo modo Fratribus recipere pecuniam per se, aut interpositã personam: Nisi pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: Ita vt sit sensus: *Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis possint recipere pecuniam, & denarios per interpositam personam*, &c.

Secunda glossa erat super illo verbo *infirmorum*: sub quo intelligebant omnem infirmitatem, nedùm corporalẽ, sed etiam spiritualem, dicentes, *Quod pro omni necessitate corporali*, quæ secundùm eos vocatur *infirmitas: licebat in Ordine recipere pecuniam per interpositam personam.*

Tertia glossa fuit super cap. 10. ad il.ª verba: *Et vbicumque sunt Fratres, qui scirẽt & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere; Ministri verò benignè, & charitatiuè eos recipiant, & tantã familiaritatem habeant circa ipsos, vt dicere possint eis & facere, sicut Domini seruis suis?* Ex quo inferebant: potuisse Ministros cum omnibus *qui non possent Regulam obseruare, & adeos recurrerent*, dispensare in præceptis omnibus Regulæ.

Sic perfidi illi Regulæ interpretes putabant, abolitis declarationibus, totam Regulam, & Statum Fratrum Minorum tribus illis machinis euertere, iamque eò processerant, vt non tantùm *glossas illas*, vt *litterales interpretationes* inter se concluserant, sed etiam approbãdas S. Sedi præsentassent, de quibus Aluarus Episcopus Siluensis suprà historicam narrationem prosequitur, prout ipse vidit.

Aluarus Pelagius.

Quatuordecim (inquit) *sigilla Ministrorum, partim voluntariorum, partim timidorum (quorum aliquos ad contrarium de eo quod agebatur diu & efficaciter cõfortaui, & eos reuocare non potui, quia à Fratre Gerardi Generali Ministro tũ minis & iniurijs arctabantur) Anniione tempore predicti D. Papæ Ioannis XXII. & tẽpore meo, cum sigillo predicti Generalis Ministri F. Gerardi de Aquitania (qui fuit auctor, & principalis glossator, trium glossarum extortarum predictarum Regulam destruentium) in vna chartula pependerunt, & eam dictus Generalis cum quibusdam de predicto Ministro, predicto Ioanni Papæ præsentauit assistentibus multis Cardinalibus.* Et prosequens D. Papæ responsionem, & laudabilem venenatæ præsentationis, ac propositionum repulsam. *Dominus autem Papa predictus Dei Vicarius* (ait) *lumine claritatis Spiritus sancti infusus, iustus Iudex, veritatis zelatorum suorum predecessorum Regulam declarantium sequens vestigia*, &c. *Dixit Generali predicto Fratri Gerardo* (qui tres prædictas glossas sceleratissimas anathemate perpetuo ferendas confecerat, credens placere ipsi Papæ *Ioanni*, & à quo Capellum rubeum expectabat) *in illorum præsentia Ministrorum: Intellectus iste* (inquit) *quẽ in duobus predictis Capitulis Regula das, extortus est, & contra Regulam: Et nõ credimus quod de mille Fratribus, vnus de Ordine tecum in intellectu huiusmodi concordaret. Cardinales etiam Domino Papa assistentes, glossas predictas predicti Gerardi contra Regulam dicentes, & ipsum concorditer deridebant, cognoscentes de qua radice pestifera fabricata erant.* Et subiungit Episcopus Siluensis: *Dixit mihi tunc quidam Cardinalis: Verè* (ait) *hodie nobiscum, cùm essemus cum Papa, fuit*

Glossa illa explosa à Papa Ioan. XXII.

Sanctus

Sanctus Franciscus ad defendendam Regulam suam. Sed nec hic stetit malitia. *Postquam enim praedictus Minister Generalis, & alij Ministri contra sacram Regulam coniurantes, sui pessimi conatus non habuerunt effectum, proposuerunt, malitia malitiam adiungentes, quòd postquam declarationes non poterant facere revocari, nec suas glossas authenticari: De declaratione D. Clementis exitus de Paradiso, certos articulos procurarent auferri: sed in hoc succubuere etiam coràm Christi vicario, & eius RR.mis DD. Cardinalibus, manu Altissimi eos B. Fracisci meritis repellente.* Hæc ille. Sic contrarijs causis humanæ mentes febricitant, *alijs* indiscreto zèlo, *alijs* scrupuloso flegmate, *alijs* veternosi serpentis veneno laborantibus: Omnibus autem vel in puritatem, vel in veritatem Euangelicæ, & Apostolicæ Regulæ impingentibus: Quibus aliter subueniri non potuit; nisi supremi Ecclesiæ Pastoris, & medici medijs remedijsque, quæ per decreta publica, & authenticas declarationes adhiberi debuerunt: Quia verò nec ipsæ declarationes à calumnijs, & varijs contendentium iudicijs liberæ fuerunt: Dignum duxi, quæ de declarationibus Pontificum integritate, à Sanctis, & probis Patribus in hanc horam Ordini tradita sunt, paucis propositionibus recensêre, vt separetur pretiosum à vili, excutiatur palea à grano, & veritas superstitionem, & falsitatem demonstret: Nec dissamentur Patres antiqui, qui arctas, & paternas semitas tenuerunt. Dirigantur autem illi qui Regulæ decorem, & rigorem sequi anhelant. Sic igitur.

Nec declarationes, in quoquam lasa.

PROPOSITIO I.

Non fuit contra intentionem S. Francisci indubijs, vel controuersijs circa Regulæ suæ obseruantiam orientibus, petere declarationem à Summis Pontificibus.

An declarationes Regulæ in dubijs à Papa petere, sit contra mentem S. Fracisci. Aluarus lib. 2. de planctu Ecclesiæ c. 67.

RAtio clara est: Quia ex natura Instituti & Regulæ, dubiorum & controuersiarum suborientium resolutio pertinet ad Regulæ confirmatorem & approbatorem: Et vt benè notat Episcopus Siluensis lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. *Cùm Regula Fratrum Minorum sit medulla Euangelij secundùm B. Franciscum, & de eo sit tracta: Ad quem pertinet Euangelij declaratio, ad eum pertinet Euangelica Regula elucidatio:* Indubitatum autem est, Scripturæ totius, ac Euangelij in dubijs vel obscuris elucidationem, ad S. Sedem, seu Christi Vicarium, & Ecclesiam pertinere. Vnde & S. Pater, etsi Regulam cœlitùs Christo dictante accepisset, eamque ex nube lucida Christus coràm multitudine Ministrorum, vt a se dictatam confirmasset: voluit tamen etiam ab *Honorio III.* per Bullam confirmari. Illam per hoc Ecclesiæ sanctæ declarationi, & iudicio submittens.

Vnde & in coronide ipsius Regulæ mãdat omnibus Ministris: *vt petant à Domino Papa vnum de S. Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector huius fraternitatis, vt semper subditi & subiecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & S. Euangelium Domini nostri Iesu Christi quod firmiter promisimus, obseruemus.* Ex quo sequitur necessariò: si nomine Papæ Protector gubernat, protegat, corrigat hanc fraternitatem, ad hoc vt S. Euangelium purè obseruet. Ergo illius est dubia resoluere, controuersias sedare, obseruantiam puram Euangelij demonstrare, & ad illius obseruantiam Fratres dirigere. *Reg. cap. 12.*

Hanc porrò suam intentionem S. Franciscus declarauit Collat. 20. vbi præfagiens controuersias, & lites orituras aliquando circa Regulæ obseruantiam, non vult Fratres aliò recursum habere, quàm ad S. Matrem Romanã Ecclesiam, quam *Matrem omnium Ecclesiarum & Dominam omnium Religionum* appellat, eique Fratres suos specialiter commendat: *Cuius* (ait) *potentia virgâ percellantur malenoti, & filij Dei in eius S. sedi quantum detuleris, & confisus fueris, aeterna salutis augmentum vbique plenâ gaudeant libertate.* Et ostendês protectionem illam Regulæ puritatem maximè intendere: *Non* (ait) *erit ipsâ protegente in Ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis: Paupertatis nostra ipsâ S. Ecclesia amulabitur gloriam, & humilitatis praconia per superbia nubilum obfuscare non sinet: Charitatis & pacis vincula in nobis seruabit illasa: censurâ strictissimâ percutiens dissidentes: Euangelicæ puritatis obseruantia sacra, continuè in eius aspectu florebit, nec odorem vitæ, vel ad horam elabi patietur.* Hæc S. Franciscus futurorum præsagus, ostendens per Pontificum Summorum vigilantè clementiam suam Regulam sartam-tectam, & integram cõseruandam: Quod non potuit fieri nisi per recursum ad illos, & eorum declarationes, & SS Ordinatiõnes. Ex quo apparet quàm malitiosè aliqui omnes declarationes Põtificum voluerint ab Ordine ablegare, sub prætextu: Quòd S. Pater in testamento suo prohiberet: *Nè Fratres auderent petere aliquam litteram in curia Romana, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione corporum suorum.* Hæc enim prohibitio *Coll. 20.* *S. Francisc.*

non

non afficit, nisi litteras curiæ Romanæ, quæ postularentur contra puritatem Regulæ, & Status; siue quæ Ius aliquod contestatum saperent, vt dicetur latiùs in expositione Testamenti. Litteras enim Status, & Regulæ conseruatiuas plures à S. Sede postulatas, & datas viuente adhuc S. Francisco, ostendemus, nè materias hîc confundamus.

PROPOSITIO II.

Necessariæ fuerunt Declarationes Pontificum ad conseruandam integritatem Status, & Regulæ Fratrum Minorum.

1. Cor. 11. vers. 19.

RAtio clara est Quia si dicente S. Paulo 1. Corinth. 11. *Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiãt:* Oportet sanè & aliquos esse. & præesse qui hæreses, & scissuras dissipent: *Iudices vtique controuersiarum*, & probatæ fidei, ac doctrinæ assertores. Sicut igitur & Euangelium suas passum est scissuras, & opiniones. Sic & Euangelij filia Regula Fratrum Minorum infinitis quæstionibus ab Angelis Satanæ se transfigurantibus in Angelos lucis, suscitatis scissuras grauissimas passa est: Quibus non potuit prouideri, nisi Summorum Pontificum infallibili auctoritate, & sapientia, quâ vt Soles totam Ecclesiam illustrant, ac vt Christi Vicarij, & Judices controuersiarum difficultates quæ Status Ecclesiasticos concernunt, dissipant. Hinc statim à morte S. Francisci ad *Gregorium IX.* & *Innocentium IV.* Fratres recurrerunt. Qui nonnullos articulos declararunt. Et succrescentibus nouis Controuersijs ad *Gregorium X. Nicolaum III. Clementem V. Ioannem XXII.* pro veritate decidenda, & conseruanda integritate Regulæ totus Ordo recursum habuit: Et vsque ad hæc tempora Declarationibus, Definitionibus, Decretis & Ordinationibus Summorum Pontificum Regula subsistit: Quarum *aliquæ* super puritate Regulæ, *Aliquæ* pro communi pace Ordinis, *Aliæ* pro cuiuslibet Congregationis directione prodeunt. Ex quibus hoc vnum colligitur absque S. Sedis Gubernatione, Protectione, & Correctione, ac Controuersiarum discretione & dissipatione, Regulam & Ordinem Fratrum Minorum non potuisse subsistere.

Declarationum Papalium necessitas.

PROPOSITIO III.

Multas Bullas & resolutiones à summis Põtificibus postulatas fuisse: solas autẽ illas probari quæ, super veris & fundamentalibus Regulæ articulis, & quæstionibus ab illis dependentibus, seu modis vota & præcepta purè obseruandi, postulata sunt: Solasq; illas inter Declarationes debere reputari.

In Regula FF. Minorum tria considerãda.

ADuertendum: Tria potissimùm in Regula Fratrum Minorum reperiri. Nimirùm: 1. *Vota essentialia.* 2. *Præcepta formalia, æquipollentia, & vim præcepti habentia.* 3. *Modi congrui*, quibus tum vota, tum præcepta purè iuxta Euangelium, & intentionem S. Patris obseruanda sunt. Cæterùm alia sunt *quædam Accessoria*, quæ Ministeria potiùs extra Ordinem concernunt, vt sunt *Prædicationes*, *Confessiones*, & alia id genus: Sunt & *Cæremonialia*, & omnia alia communiter omni Statui Religioso, & Ecclesiastico competentia.

Declarationes Papales quæ reputanda.

Dicendum itaque sola *Decreta Summorum Pontificum* quæ tria illa ad Regulæ puram obseruantiam pertinentia concernunt, reputari inter *Declarationes Regulæ*. Vnde quæ de figura habituum, de repetitionibus, de figura calceamentorum, de sandalijs cum talis, vel absque talis, de calepodiorum vsu, de barbis, de præcedẽtijs & infinitis similibus super quibus inuerecundè, & irreuerenter Fratres S. Sedi molesti fuerũt: & à S. Sede impetrata sunt, pro impertinentibus ad Regulam habenda sunt. *Similiter:* Nec decreta quæ singulares congregationes pro seipsis, & suo regimine obtinuerunt, inter Declarationes computari debent.

Dixi, verò (ad Regulæ puram obseruantiam pertinẽtia.) Quia quæ à Pontificibus indulta sunt, ad aliquam administrationem vel condecentiam, siue quæ Priuilegiũ aliquod sapiunt. Illa etsi Regulæ puncta tangere videantur; quia tamen Regulæ puritatem, vt in se est, non concernunt, Declarationes Regulæ dici non possunt, sed vel dispensationes, vel relaxationes sunt, vel vt suo loco dicemus prouisiones Apostolicæ in communem Ecclesiæ vtilitatem, ad congrua Ministeria ordinatæ.

PROPOSITIO IV.

Duæ sunt primariæ Declarationes Regulæ, vniuersaliter toti Ordini datæ, quæ vim perpetuam obtinent, quarum obseruantia puritatem Regulæ adstruit, & conseruat, quibus cæteri conformari debent.

Declarationes quæ in vigore & sequenda.

PLures Declarationes iuxta exigentiam difficultatum, quæ oriebantur super obseruãtijs præceptorum Regulæ à Summis Pontificibus emanarunt. Et *Prima* quidem à *Gregor. IX.* quæ incipit: *Quæ eleganti, data Anagniæ 4. Kalend. Octob. Pontif. anno 4. Altera* fuit *Innocentij IV.* Quæ incipit, *Ordinem vestrum, data Lug-*

dum 18. *Kal. Decembris Pontif. an.* 3. Tertia fuit *Gregor. X.* quæ incipit: *Voluntaria paupertati. Data Lugduni nonis Nouemb. Pontif. anno* 3.

Verum: Quia plures casus, quæstiones, & difficultates successu temporis emerserant, quibus priores declarationes satisfacere nequibant. Duæ principales Declarationes Pontificum prodierunt, & Iuri Communi insertæ sunt.

Nicolaus III. quantum laborauerit in edenda sua Declaratione.

Prima Nicolai III. in qua vniuersas quæstiones ad Regulæ puritatẽ pertinentes, ex pastorali prouidentia assumpsit enucleandas: Tanto quidem zelo, tantâ vigilantiâ, tantâ maturitate, vt videretur omnem curam, & solicitudinem totius Ecclesiæ ad tempus remisisse, vt huic vnico declarandæ Regulæ Fratrum Minorum negotio, postpositis omnibus vacaret in Castro Suriano. Duobus namque mensibus à publicis Ecclesiæ negotijs totaliter se subtraxit, & (vt ipse fatetur) ex collationibus frequentibus cum ipsis S. Francisci Socijs super Regula, & sancta ipsius S. Francisci intentione frequentiùs habitis. Et ex notitia rerum Ordinis in Protectoris officio, ac in suprema Apostolici culminis dignitate acquisita, tam de pia intentione Beati Confessoris, quàm de his quæ Regulam ipsam concernunt Declarationi Regulæ tanto tẽpore incubuit. Adhibuerat autem Religiosissimos ac Doctissimos Ordinis Patres secum: Inter quos fuit,

Gualteri Brugensis laus.

magnus ille *Gualterus*, à Brugis, Flandrorum celeberrimo Emporio, & natiuitatis loco, *Brugensis* dictus, qui posteà inuitus ab eodem Pontifice ob merita ad Episcopatum Pictauiensem euectus fuit, cuius sanctitas tanta erat, vt super caput celebrantis Spiritus sanctus in forma candidissimæ columbæ, frequenter visus fuerit. Sic itaque elaborata prodijt Declaratio illa, quæ inter Extrauagantes incipit: *Exijt qui seminat seminare semen suum*, & inter Decretales communes relata est *in* 6. In qua (vt ipsemet testatur) omnia etiam quæ per suos Prædecessores priùs approbata & declarata fuerant, cum cæteris omnibus Regulam ipsam contingentibus maturitate plenâ discussit. Et nè aliquid minùs examinatum & deliberatum irreperet: Illam priusquam promulgaretur, doctissimis viris *Petro Peregrosso S. R. E. Vice-cancellario*, nec non *Comiti Glusiano de Casate Auditori S. Palatij* Cardinalibus mox futuris, ac Benedicto *Caietano*, qui posteà ad Pontificatum electus *Bonifacius VIII.* vocatus est, discutiendam dedit. Quam Decretalem tantâ claritate & veritate nitì censuit, vt in ea interpretationes, aut glossas fieri, sub Excommunicationis pœna prohibuerit.

Altera Declaratio est *Clementis V.* in Concilio Generali Viennensi edita, quæ incipit *Exiuit de Paradiso*, quæ etiam inter Clementinas *Titulo de verborum significationibus* lib. 6. eminet. Cui edendæ occasionem dedit grauissimum illud schisma in ordine, inter *Spirituales Fratres* Regulæ puritatem æmulantes, & Fratres communitatis, à quibus se spirituales Fratres subtraxerant, prætextu quòd ipsi Regulam non obseruarent, & quod in eorum societate, alij puritatis obseruantiæ Regulæ suæ amantes: seruare illam non permitterentur, eò quòd ab illis persecutiones grauissimas paterentur. Cœpit porrò schisma illud inualescere ad *annum* 1307. & increscentibus scandalis resoluit *Clemens V.* 1. Patres aliquos graues, & Religione ac doctrinâ eminentes conuocare, à quibus edisceret causam huius dissensionis, & an Quærimoniæ delatæ de Irregulari vita Fratrum communitatis verè essent? Conuocati autem sunt *Raymundus Gaudefridi sacræ Theologiæ Doctor, Ordinis totius aliquando Generalis*, cum alijs octo adiunctis socijs, vt constat ex litteris *Clementis V.* ad Generalem *Datis Auenione* 18. *Kal. Maij Pontif. anno* 5. sed altercationibus magis sæuientibus, ac scriptis ex vtraque parte multiplicatis (*F. Vbertino de Casali* Communitatem accusante de viginti quinque transgressionibus contra Regulam, & alijs decem contra *Nicolai III.* Declarationem: Alijs econtrà de calumnia protestantibus.) Tandem totâ Cõtrouersiâ auditis partibus, coram Cardinalibus in Concilio Viennensi maturè examinatâ prodijt *Declaratio* illa quæ incipit: *Exiuit de Paradiso*: In qua confirmatis ijs quæ in Declaratione *Nicolai III.* declarata & decreta erant: Alia quæ in quæstionem iterùm euocabantur, & ad Regulam & eius puram obseruãtiam pertinebant discussa, declarata, & concluſa Apostolicâ auctoritate fuerunt. Et in tertia sessione eiusdem Concilij coram toto Patrum consessu lecta est, & publicata insignis illa Constitutio, cum mandato illam obseruandi. Dies erat S. Joannis ante Portam Latinam pridie nonas Maij Pontif. ann. 7. Porrò has duas Declarationes præcisè Regulæ puritatẽ tam in se, quàm in modis obseruantiam illius concernentibus intendere, omni prudenti oculo manifestum est. Ad cuius clariorem demonstrationem Synopsim Methodicam vtriusque hic damus,

Declarationis Clem. V. edita causa.

SYNOP-

SYNOPSIS

Declarationis Nicolai III. quæ incipit: Exijt qui seminat, *in Regulam Fratrum Minorum.*

Finis declarationis Nicolai III.

Nicolaus III. vbi per modũ Proœmij & Prologi excellentiam, & eminentiam Regulæ Fratrum Minorum à diuina origine, & conformitate ad vitã Christi & Apostolorũ extulit, & sigillatam à Christo in carne, & spiritu *S.P. Francisci* probauit, ac aduersarios illius zizania superseminantes, & caninis latratibus eam lacerantes censoriâ virga percussit: finem huius decretalis quem intendit aperiens: *Visum est* (inquit) *nobis: Mordacibus huiusmodi mordendi vias præcludere: Aliqua quæ in ipsa Regula videri poterãt dubia declarare: Nõnulla per prædecessores nostros declarata pleniori claritate differre: In aliquibus etiã Regulã ipsam cõtingentibus, puritati eorumdem cõsistentiæ prouidere:* Hic est finis, & scopus realis & purissimus, quem exequi proponit tribus principijs non minùs puris, & veritati consonis: Nimirùm: *Ex scientia* quàm à socijs *B. Francisci* de eius intentione accepit: *Ex experientia* rerum Ordinis, quam in officio Protectoris acquisiuit: *Ex certitudine*, quam in Apostolica dignitate constitutus ex maturitate examinis habere potuit: Ex quibus infallibilitas Declarationis coalescit.

Porrò vt propositum adimpleat, quindecim articulis rem totam concludit, quorum tredecim in ijs quæ Regulam concernunt, impendit; decimum quartum, & decimum quintum ad stabiliendam contra omnes nequitias hanc Decretalem addidit.

Primus itaque *articulus est*: De obseruantia Euangelici consilij, & præcepti. In quo antequam ad quæstionem, *An Fratres ad omnia Euangelica consilia & præcepta ex vi voti, & Regulæ* (quod est Euangelium D. N. Iesu Christi obseruare) *teneantur?* accedat, multa iuris dogmata proponit, & tandem resoluit: Quod ex professione Regulæ *Fratres ad ea tantum Euangelica obseruãda consilia sint adstricti, quæ in ipsa Regula præparatoriè, seu sub verbis æquipollentibus, exprimũtur: Et eo modo quo exprimuntur.* Vt, scilicet, teneãtur ad eorum obseruantiam, *quæ in eadem Regula ipsis sub verbis obligatorijs inducuntur: Alia autem quæ sub verbis monitorijs & instructorijs*, &c. *continentur, eatenùs magis eos conducere de bono & æquo prosequi, quò imitatores tanti Patris effecti Christi semitas arctiùs elegerũt.*

Secundus articulus est: De obseruantia paupertatis, & abdicatione proprietatis: Super quo 1. Docet iuxta *Textum cap. 6. Regulæ* Paupertatem, & abdicationem omnium rerum in Fratre Minore debere intelligi: tam in communi, quàm in particulari. 2. Docet hanc abdicationem propter Deum esse meritoriã, & sanctam. *Quam* (inquit) *Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quamq; primi Fundatores militantis Ecclesiæ pronè ab ipso hauserant, in alios deriuarunt.* Vbi & refutat argumentum: *De loculis* quos Judas habuit. 3. Refutat eos qui dicunt per hanc paupertatem, siue abdicationem omnium rerum Fratres se discrimini vitæ exponere: ostendens sufficienter eis ex promisso Christi prouisum, ex oblatis liberaliter; mendicatis humiliter, acquisitis per laboritium, & in extrema necessitate Ius Poli ipsis restare, &c. 4. Refutat argumenta ex iure ciuili desumpta, ostendens distinctionem inter *dominium, proprietatem, possessionem, vsum fructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum*, quem vltimum ostendit solùm competere Fratribus, ac licitum esse, ac sufficere, &c.

Tertius articulus: Quæstionem mouet: *Ad quem pertineat dominium rerum Fratribus pro solo vsu facti concessarum?* Et respondet: Pertinere ad Dominos qui simplicem vsum concesserunt: Et in casu quo illud dominium à se abdicassent, nè videantur carere Domino, recipit omnes res quarum vsum facti Fratribus licet habere, in Dominium Ecclesiæ & S. Sedis, tamquam Patris communis pauperum, specialiter autem *oratoria, & loca Deo consecrata* S. Sedi reseruat.

Quartus articulus agit de *eleemosynis pecuniarijs*. Et 1. confirmat, & in suo rigore vult remanere præceptum quartum Regulæ: *Nè Fratres vllo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.* 2. Docet super recursu ad amicos spirituales (quando per pecuniam necessitatibus veris, præteritis, præsentibus, vel certò imminentibus esset prouidendum.) vt caueant Fratres à stricto mutuo, nè videantur in rem aliquam ius habere: Declarat tamen Fratres posse naturali fidelitate se obligare ad procurandam solutionem rei necessariæ per amicos, si eleemosynæ de facto paratæ non sint. Et nè ratione interuentionis pecuniæ quæ ab amicis in rerum necessariarum acquisitionem impenditur, scrupulus moueatur, docet pecuniam illam quamcumque remanere in dominio dantis, donec in rem Fratribus necessariam sit impẽsa, per quascumque, & quotascumque manus tranieat, quas non Fratribus, sed Dominis vult famulari, & ab eo substitutas intelligi, absque vllo respectu ad Fratres. Vnde etsi vltra

duni 18. *Kal. Decembris Pontif. an.* 3. Tertia fuit *Gregor. X.* quæ incipit: *Voluntaria paupertati. Data Lugduni nonis Nouemb. Pontif. anno* 3.

Verum: Quia plures casus, quæstiones, & difficultates successu temporis emerserant, quibus priores declarationes satisfacere nequibant. Duæ principales Declarationes Pontificum prodierunt, & Iuri Communi insertæ sunt.

Nicolaus III. quantum laborauerit in edenda sua Declaratione.

Prima Nicolai III. in qua vniuersas quæstiones ad Regulæ puritatẽ pertinentes, ex pastorali prouidentia assumpsit enucleandas: Tanto quidem zelo, tantâ vigilantiâ, tantâ maturitate, vt videretur omnem curam, & solicitudinem totius Ecclesiæ ad tempus remisisse, vt huic vnico declarandæ Regulæ Fratrum Minorum negotio, postpositis omnibus vacaret in Castro Suriano. Duobus namque mensibus à publicis Ecclesiæ negotijs totaliter se subtraxit, & (vt ipse fatetur) ex collationibus frequentibus cum ipsis S. Francisci Socijs super Regula, & sancta ipsius S. Francisci intentione frequentiùs habitis. Et ex notitia rerum Ordinis in Protectoris officio, ac in suprema Apostolici culminis dignitate acquisita, tam de pia intentione Beati Confessoris, quàm de his quæ Regulam ipsam concernunt Declarationi Regulæ tanto tẽpore incubuit. Adhibuerat autem Religiosissimos ac Doctissimos Ordinis Patres secum: Inter quos fuit,

Gualteri Brugensis laus.

magnus ille *Gualterus*, à Brugis, Flandrorum celeberrimo Emporio, & natiuitatis loco, *Brugensis* dictus, qui posteà inuitus ab eodem Pontifice ob merita ad Episcopatum Pictauiensem euectus fuit, cuius sanctitas tanta erat, vt super caput celebrantis Spiritus sanctus in forma candidissimæ columbæ, frequenter visus fuerit. Sic itaque elaborata prodijt Declaratio illa, quæ inter Extrauagantes incipit: *Exijt qui seminat seminare semen suum*, & inter Decretales communes relata est *in 6.* In qua (vt ipsemet testatur) omnia etiam quæ per suos Prædecessores priùs approbata & declarata fuerant, cum cæteris omnibus Regulam ipsam contingentibus maturitate plenâ discussit. Et nè aliquid minùs examinatum & deliberatum irreperet: Illam priusquam promulgaretur, doctissimis viris *Petro Peregrosso S.R.E. Vice-cancellario*, nec non *Comiti Glusiano de Casate Auditori S. Palatij* Cardinalibus mox futuris, ac Benedicto *Caietano*, qui posteà ad Pontificatum electus *Bonifacius VIII.* vocatus est, discutiendam dedit. Quam Decretalem tantâ claritate & veritate nitì censuit, vt in ea interpretationes, aut glossas fieri, sub Excommunicationis pœna prohibuerit.

Altera Declaratio est *Clementis V.* in Concilio Generali Viennensi edita, quæ incipit *Exiui de Paradiso*, quæ etiam inter Clementinas *Titulo de verborum significationibus* lib. 6. eminet. Cui edendæ occasionem dedit grauissimum illud schisma in ordine, inter *spirituales Fratres* Regulæ puritatem æmulantes, & Fratres communitatis, à quibus se spirituales Fratres subtraxerant, prætextu quòd ipsi Regulam non obseruarent, & quod in eorum societate, alij puritatis obseruantiæ Regulæ suæ amantes: seruare illam non permitterentur, eò quòd ab illis persecutiones grauissimas paterentur. Cœpit porrò schisma illud inualescere ad *annum* 1307. & increscentibus scandalis resoluit *Clemens V.* 1. Patres aliquos graues, & Religione ac doctrinâ eminentes conuocare, à quibus ediscceret causam huius dissensionis, & an Quærimoniæ delatæ de Irregulari vita Fratrum communitatis veræ essent? Conuocati autem sunt *Raymundus Gaudefridi sacræ Theologiæ Doctor, Ordinis totius aliquando Generalis*, cum alijs octo adiunctis socijs, vt constat ex litteris *Clementis V.* ad Generalem *Datis Auenione* 18. *Kal. Maij Pontif. anno* 5. sed altercationibus magis sæuientibus, ac scriptis ex vtraque parte multiplicatis (*F. Vbertino de Casali* Communitatem accusante de viginti quinque transgressionibus contra Regulam, & alijs decem contra *Nicolai III.* Declarationem: Alijs econtrà de calumnia protestantibus.) Tandem totâ Cõtrouersiâ auditis partibus, coram Cardinalibus in Concilio Viennensi maturè examinatâ prodijt *Declaratio* illa quæ incipit: *Exiui de Paradiso*: In qua confirmatis ijs quæ in Declaratione *Nicolai III.* declarata & decreta erant: Alia quæ in quæstionem iterùm euocabantur, & ad Regulam & eius puram obseruãtiam pertinebant discussa, declarata, & conclusa Apostolicâ auctoritate fuerunt. Et in tertia sessione eiusdem Concilij coram toto Patrum consessu lecta est, & publicata insignis illa Constitutio, cum mandato illam obseruandi. Dies erat S. Joannis ante Portam Latinam pridie nonas Maij Pontif. ann. 7. Porrò has duas Declarationes præcisè Regulæ puritatẽ tam in se, quàm in modis obseruantiam illius concernentibus intendere, omni prudenti oculo manifestum est. Ad cuius clariorem demonstrationem Synopsim Methodicam vtriusque hic damus,

Declarationis Clem. V. edita causa.

SYNOP-

SYNOPSIS

Declarationis Nicolai III. quæ incipit: Exijt qui seminat, *in Regulam Fratrum Minorum.*

Finis declarationis Nicolai III.

NIcolaus III. vbi per modũ Proœmij & Prologi excellentiam, & eminentiam Regulæ Fratrum Minorum à diuina origine, & conformitate ad vitã Christi & Apostolorũ extulit, & sigillatam à Christo in carne, & spiritu *S. P. Francisci* probauit, ac aduersarios illius zizania superseminantes, & caninis latratibus eam lacerantes censoriâ virgâ percussit: finem huius decretalis quem intendit aperiens: *Visum est* (inquit) *nobis: Mordacibus huiusmodi mordendi vias præcludere: Aliqua quæ in ipsa Regula videri poterãt dubia declarare. Nonulla per prædecessores nostros declarata plenioris claritate differere: In aliquibus etiã Regulã ipsam cõtingentibus, puritatis earumdem cõscientiæ prouidere:* Hic est finis, & scopus realis & purissimus, quem exequi proponit tribus principijs non minùs puris, & veritati consonis: Nimirùm: *Ex scientia* quàm à socijs *B. Francisci* de eius intentione accepit: *Ex experientia* rerum Ordinis, quam in officio Protectoris acquisiuit: *Ex certitudine*, quam in Apostolica dignitate constitutus ex maturitate examinis habere potuit: Ex quibus infallibilitas Declarationis coaluit.

Porrò vt propositum adimpleat, quindecim articulis rem totam concluſit, quorum tredecim in ijs quæ Regulam concernunt, impendit; decimum quartum, & decimum quintum ad stabiliendam contra omnes nequitias hanc Decretalem addidit.

Primus itaque *articulus est*: De obseruantia Euangelici consilij, & præcepti. In quo antequam ad quæstionem, *An Fratres ad omnia Euangelica consilia & præcepta ex vi voti, & Regulæ* (quod est Euangelium D. N. Iesu Christi obseruare) *teneantur?* accedat, multa iuris dogmata proponit, & tandem resoluit: Quod ex professione Regulæ *Fratres ad ea tantum Euangelica obseruãda consilia sint adstricti, quæ in ipsa Regula præparatorie, seu sub verbis æquipollentibus, exprimũtur: Et eo modo quo exprimuntur.* Vt, scilicet, teneãtur ad eorum obseruantiam, *quæ in eadem Regula ipsis sub verbis obligatorijs indicuntur: Alia autem quæ sub verbis monitorijs & instructorijs*, &c. *continentur, eatenùs magis eos condecere de bono & æquo prosequi, quò imitatores tanti Patris effecti Christi semitas arctiùs elegerũt.*

Secundus articulus est: De obseruantia paupertatis, & abdicatione proprietatis: Super quo 1. Docet iuxta *Textum cap. 6. Regulæ* Paupertatem, & abdicationem omnium rerum in Fratre Minore debere intelligi: tam in communi, quàm in particulari. 2. Docet hanc abdicationem propter Deum esse meritoriã, & sanctam, *Quam* (inquit) *Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quamq; primi Fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso hauserant, in alios derivarunt.* Vbi & refutat argumentum: *De loculis* quos Judas habuit. 3. Refutat eos qui dicunt per hanc paupertatem, siue abdicationem omnium rerum Fratres se discrimini vitæ exponere: ostendens sufficienter eis ex promisso Christi prouisum, ex oblatis liberaliter, mendicãtis humiliter, acquisitis per laboritium, & in extrema necessitate Ius Poli ipsis restare, &c. 4. Refutat argumenta ex iure ciuili desumpta, ostendens distinctionem inter *dominium, proprietatem, possessionem, vsum fructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum*, quem vltimum ostendit solùm competere Fratribus, ac licitum esse, ac sufficere, &c.

Tertius articulus: Quæstionem mouet: *Ad quem pertineat dominium rerum Fratribus pro solo vsu facti concessarum?* Et respondet: Pertinere ad Dominos qui simplicem vsum concesserunt: Et in casu quo illud dominium à se abdicassent, nè videantur carere Domino, recipit omnes res quarum vsum facti Fratribus licet habere, in Dominium Ecclesiæ & S. Sedis, tamquam Patris communis pauperum, specialiter autem *oratoria, & loca Deo consecrata* S. Sedi reseruat.

Quartus articulus agit de *eleemosynis pecuniarijs*. Et 1. confirmat, & in suo rigore vult remanere præceptum quartum Regulæ: *Nè Fratres vllo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.* 2. Docet super recursu ad amicos spirituales (quando per pecuniam necessitatibus veris, præteritis, præsentibus, vel certò imminentibus esset prouidendum.) vt caueant Fratres à stricto mutuo, nè videantur in rem aliquam ius habere: Declarat tamen Fratres posse naturali fidelitate se obligare ad procurandam solutionem rei necessariæ per amicos, si eleemosynæ de facto paratæ non sint. Et nè ratione interuentionis pecuniæ quæ ab amicis in rerum necessariarum acquisitionem impenditur, scrupulus moueatur, docet pecuniam illam quamcumque remanere in dominio dantis, donec in rem Fratribus necessariam sit impẽsa, per quascumque, & quotascumque manus transeat, quas non Fratribus, sed Dominis vult famulari, & ab eo substitutas intelligi, absque vllo respectu ad Fratres. Vnde etsi vltra

neceſſitatem comparatam aliqua pecunia ſuperfluat, vult ad Dominum, & eius diſpoſitionem reuerti. Permittit autem abſque aliquo præiudicio paupertatis, vel colore iuris: Perſonas depoſitarias poſſe à Fratribus nominari, vel præſentari Dominis vel ſubſtitutis, ſi ipſi rogent, & ad hoc Fratres vigeantur, &c.

Quintus articulus agit: *De ijs quæ relinquuntur Fratribus teſtamento:* Quæ ſi per ſe ſimplici vſui facti Fratribus non conueniant: aut modus aliquis Regulæ Fratrum contrarius exprimatur: Declarat non poſſe à Fratribus acceptari: ſi tamen legans exprimat modum aliquem qui Regulæ puritati non aduerſetur, poſſe à Fratribus recipi: In caſu autem quo nullum modum legans expreſſiſſet, debere intelligi licito modo relictum: *ita vt nec legans meritò, nec Fratres effectu relicti fraudentur.* Etſi autem Fratres in huiuſmodi legata nullum ius habeant: nè tamen teſtatorum pia voluntas fraudetur, vult Pontifex, vt per Prælatos aut Magiſtratus ſæculares, tamquam Patres pauperum (abſque eo quod Fratres interueniant) executio promoueatur.

Sextus articulus agit, *De commutatione rerum mobilium:* Et reſoluit. Quòd cùm res omnes quibus Fratres Minores vtuntur, ad dominium Eccleſiæ pertineant, ſi *Res* pro *Re* commutetur, auctoritate Apoſtolicâ iuxta Miniſtrorum diſpoſitionem fiat: ſi autem *Res mobilis* debeat pretio ſiue pecunia vendi, cùm Fratribus per ſe, vel per interpoſitam perſonam pecuniam recipere non liceat, mandat fieri per procuratorem à S. Sede, vel Cardinali Protectore deputatum, per quos debet talis pecunia in res Fratribus licitas expendi. Diſponit etiam de largitione rerum vilium & parùm valentium, vt Fratres à ſcrupulis eximat.

Septimus articulus agit: *De veſtimentis Fratrum.* Ortâ inter Fratres difficultate de pluralitate tunicarum: Declarat Pontifex iuxta Regulam: *Extra caſum neceſſitatis duas ſufficere:* In caſu neceſſitatis & penſatis circumſtantijs, pertinere ad Miniſtros de plurib⁹, & neceſſarijs prouidere, *ſecundùm loca, tempora, & frigidas Regiones prout neceſſitatis viderint expedire.* Et quia Regula videtur prouiſionem tam pro neceſſitatibus infirmorum, quam pro Fratribus induendis ad ſolos Miniſtros, & Cuſtodes arctare: Declarat Pontifex hanc prouiſionem poſſe abſque aliqua Regulæ impuritate *alys in ſubſidium* à Miniſtris & Cuſtodibus committi.

Octauus articulus agit: *De modo laborandi:* Et docet Fratres diuinis officijs, & ſpiritualibus operibus intendentes, & occupatos, non teneri ad opera manualia: ſed omnibus ſufficere; ſi otioſi non viuant.

Nonus articulus agit, *De prædicatoribus:* Et duas quæſtiones mouet: *Primam;* Qualiter obſeruari debeat illa prohibitio: *Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum?* Et reſpondet debere intelligi ad litteram: *Niſi per Sedem Apoſtolicam pro vtilitate populi Chriſtiani ſit conceſſum vel ordinatum aliud, vel in poſterùm concedatur. Alteram: ſi à ſolo Miniſtro Generali debeant prædicatores admitti?* Et reſpondet: Ampliato iam Ordine, poſſe admitti à Prouincialibus Miniſtris cum diffinitoribus in Capitulis Prouincialibus. Quam tamen poteſtatem Miniſtri Generales ſuſpendere, & arctare valeant, adeoque poteſtas hæc eſt commiſſaria.

Decimus articulus agit, *De modo recipiendi Fratres ad Ordinem:* Et expenſo ſtatu Ordinis: Docet poteſtatem recipiendi nouitios eſſe penes Miniſtrum Generalem & Prouincialem, & Miniſtrũ Generalem poſſe coarctare Prouincialis auctoritatem: Monet tamen Vicarios Prouinciales, abſque ſpeciali commiſſione ex vi Vicariæ non poſſe recipere nouitios: Et Miniſtros Prouinciales debere cauere, nè poteſtatem ſuam paſsim committant, & indiſcretè: Et vt habeatur magna ratio recipiendorum.

Undecimus articulus agit, *De mittendo Cuſtode Cuſtodum ad Capitulum Generale.* Et determinat ad euitandum cõfuſionem multitudinis: vt in Prouincijs quæ habent plures Cuſtodes, vnus tantùm eligatur, qui nomine omnium vadat, &c.

Duodecimus articulus agit, *De ingreſſu & acceſſu ad Monaſteria monialium:* Et inquirit de quibus monialibus intelligatur? Reſpondet autem generaliter: *De quarumlibet Cœnobijs Monialium debere intelligi.* Et *nomine Monaſterij, prohibere clauſtrum, domos, & officinas interiores,* &c.

Decimus tertius articulus, mouet quæſtionem: *An ad teſtamentum S. Franciſci obligentur?* Et reſpondet: Ex ſe, ſepoſitis præceptis ex Regula repetitis non obligari, &c.

Et hi articuli ſunt qui Regulæ vota & præcepta tangunt, & puritatem litteræ, ac intentionem S. Patris *Franciſci* in eorum obſeruatione complectuntur, quibus ad firmitatem ſuæ Declarationis duos alios articulos Pontifex ſuperaddit.

Decimus quartus itaque *articulus,* concludit ſuam Declarationem in poſterum dumtaxat obſeruandam: Quia prædeceſſorum Pontificum *Gregorij IX. Innocentij IV. Gregorij X.* Declarationes in ſua reſũpſit, & doctrinam illarum clariùs expoſuit.

Decimus

Decimus quintus articulus, firmitatem & auctoritatem, ac publicationem Declarationis continet cum prohibitione, nè quis illam commentetur, aut in eam gloſſas, ſub cenſuris & pœnis, mittat.

SYNOPSIS.

Declarationis Clementis V. quæ incipit: Exiui de Paradiſo, *&c. in Regulam Fratrum Minorum.*

CLemens V. ſimiliter eminentiam Regulæ Fratrum Minorum pro Prologo explicans, ſcribit ſe ob quæſtiones de nouo à timoratis conſcientijs ſuſcitatas, ſuam hanc Declarationem, conſultis pluribus Archi-epiſcopis, Epiſcopis, & in Theologia Magiſtris, ſaluis tamē prędeceſſorum ſuorum Declarationibus, edidiſſe, quæ duodecim Capita complectitur.

Caput primum. 1. Iterùm mouet ſæpè ſæpiùs declaratam quæſtionem: *An Fratres Minores ad obſeruantiam conſiliorum & præceptorum Euangelicorum ex vi ſuæ Profeſſionis teneantur.* Reſponſio eadem eſt quæ *Nicolai III.* 2. Oſtendit & enumerat quæ ſint, quæ in Regula æquipolleant præceptis.

Caput ſecundum. Quærit, *An liceat Fratribus recipere aliquid de bonis ingrediētium Ordinem?* Et reſpondet: *Miniſtros & Fratres omnes ex Regula debere cautè ab inductionibus, & ſuaſionibus ad ſibi dandum, & à conſilijs præſtandis circa diſtributionem bonorum abſtinere:* Si tamen ingredientes liberè, & ſponte per modum puræ eleëmoſynæ dare velint, ſicut cæteris pauperibus, ſuppoſitâ neceſſitate, licere accipere; Cauendum tamen nè ex receptorum quantitate notabili, præſumi poſſit ſiniſter oculus contra ipſos.

Caput tertium. Agit *de Fratrum veſtimentis, & eorum vilitate:* Et reſoluit prout *Nicolaus III.* Ex Regula extra caſum neceſſitatis tantùm concedi duas tunicas; Vilitatem verò iuxta conſuetudinem Regionis in colore, & pretio panni attendi debere monet, iudicium relinquens cōſcientijs Superiorum; quorum etiam iudicio neceſſitatem calceamentorum remittit, *De Ieiunijs*, reſoluit Fratres non tantùm teneri ad ieiunia Regulæ, ſed etiam ad ieiunia Eccleſiæ.

Caput quartum. Agens de Obſeruatione præcepti: *Non recipiendi pecuniam*, confirmat omnia quæ à *Nicolao III.* declarata fuerunt, tam in recurſu ad amicos, quàm in modis: Docet autem ſub neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis in Regula ſubintelligi *omnes ſimiles neceſſitates.* Prohibet autem ſpecialiter omnes, *Queſtus pecuniarum*, & *Receptionem oblationum pecuniarum* in Eccleſijs vel alibi, ſicut & cippos & truncos, tamquam contra Regulæ præceptum militantes.

Caput quintum. Iterùm confirmat, *Expropriationem Fratrum* iuxta Regulam, debere intelligi tam *in Communi*, quàm *in Particulari*, & modos aliquos Regulæ contrarios exprimit, & condemnat.

Caput ſextum. Oſtendit per Regulam prohiberi, *Acceptationem, hereditatem & redituum*, & quidquid modum rēditus ſapit.

Caput ſeptimum. Prohibet, *Aſſiſtentiam in curijs, & litibus* tamquam ſpeciem mali habentem. *Similiter:* Ne Fratres acceptent *Teſtamentorum executiones:* Quia ex illis *aſſiſtentijs in curijs.* & Teſtamentorum executionibus quædam ſemper adminiſtratio pecuniarum, & iuris politici in rebus ſuſpicio interuenire ſolet, ſaltem apud ſimplices.

Caput octauum. Prohibet, *Habere hortos ſuperfluos, & vineas ad culturam*, & vt ex eis terræ naſcentia pretio diſtrahantur.

Caput nonum. Prohibet, *Granaria, Cellaria*, & *Proviſiones* in futurum, extra caſus neceſſitatis: *Neceſſitatis* autem *modum* cōmittit Miniſtrorum & Cuſtodum, reſpectiuè iudicio, cum conſilio & aſſenſu Guardiani, & diſcretorum Conuentus.

Caput decimū. Prohibet *Ædificia ſumptuoſa, & exceſſiua in multitudine & magnitudine*, conſiderato Fratrum inhabitantium numero. Similiter: *Vaſa aut paramenta Eccleſiaſtica ſuperflua*, aut nimis *pretioſa* tamquam paupertati promiſſæ contraria. Reſoluit etiam in equorum, & ſimilium oblationibus ſeruanda omnia quæ in pecuniarijs eleemoſynis voluit *Nicolaus III.* obſeruari, nè in Regulam impingatur.

Caput undecimum. Reſoluit: *Fratres Minores teneri ad arctos vſus*, qui in Regula eorum continentur, & ſub obligationis modo quo continentur. Ad alios autem uſus, tantùm iuxta temperantiæ, & frugalitatis modos.

Caput duodecimum. Agit, *De electione Miniſtrorum Prouincialium.* ſupplēs quod in Regula expreſſum non fuit.

EPILOGVS.

EX quibus omnibus has duas Declarationes in caſibus particularibus velut prouiſiones prodiiſſe conſtat: quæ in quātum ad Regulæ præcepta obſeruanda, vel explicanda datæ ſunt, pro ſerenitate conſcientiæ recipiendæ ſunt: Altera tamen ſuperuenit *Ioannis XXII.* quæ incipit: *Quorundam exigit: Data Auinione nono Octobris Pontif. anno 2.* & quæ in ius commune

relata est: Quæ per omnia confirmatiua est *Declarationum Nicolai III. & Clementis V.* In hoc autem singulariter consistit: Vt iterùm suscitatas quæstiones, super vestimentis Fratrum, & eorum vilitate, ac figura, sopiat, & contra turpes, strictos, & difformes habitus, formam & vilitatem habitus veri Ordinis determinat: Et quidem obseruari præcipit illam, quæ in constitutionibus Ordinis à Patribus præfixa est. Hæc verò declaratio inter veras declarationes Regulæ computanda est, & vt talis in *firmamento totius Orainis* 4. *parte post declarationem Clementis V.* reponitur. De cæteris prouisionibus suo loco dicetur.

§. V.

Regula S. Francisci per singula Capita à paleis, & inutilibus quæstionibus, ac controuersijs expurgatur.

Euangelij Christi quot Aduersarij.

Sicut teste Apostolo ad *Coloss.* 2. Euangelium Christi multa passum est à tribus personarum generibus, nimirùm: *Philosophis*, siue mundanam sapientiam professis: *Iudæis* nouiter conuersis, litteram Judaicam æmulantibus: Et *superstitiosis*, humanitatem simulantibus, & Angelorum Religionem nouam suscitantibus: Sic & (vt nuper diximus) Euangelij filia, Regula S. Francisci à tribus Fratrum generibus plurima fuit passa, & tribus plagis inflictis vulnerata.

Regula S. Francisci quot Aduersarij & quales.

1. *Sapientes mundi.*

Primi igitur fuerunt: Huius *mundi sapientes*, qui sensu carnis, & scientiæ huius sæculi Regulæ præcepta metiri volentes *euanuerunt in cogitationibus suis*, & sub prætextu discretionis, priuilegia, concessiones, interpretationes Regulam relaxantes, dolosè obtinuerunt à Summis Pontificibus: Ita vt inter tanta zizania, vix verum triticum discerni posset. Et hæc itaque *prima* Ordinis *Plaga* fuit: *Priuilegiorum relaxantium impetratio.*

2. *Scrupulosi.*

Secundi fuerunt *Fratres scrupulosi*, qui nimis Iudaicè, litteræ Regulæ inhærentes, Regulam de se claram infinitis dubijs intricauerunt, ita vt plenitudinem intentionis Legislatoris non sine confusione tollerent, & controuersijs Ordinem replerent. Et hæc est *secunda Plaga* Ordinis, *Inordinata* scilicet *scrupulositas.*

3. *Superstitiosi.*

Tertij fuerunt *superstitiosi*: Qui suos instinctus sequentes, venena amoris, & iudicij proprij sub Titulis austeritatum, & apparentis cuiusdam deuotionis, per Ordinem in hunc vsque diem diffuderũt, suam iustitiam, & præcepta ac doctrinas hominum præferentes sinceritati Regulæ, & Euangelicæ doctrinæ.

Separandi tamen ab illis *Fratres timorata conscientia*, qui in dubijs grauioribus Regulæ obseruantiam, & puritatem verè tangentibus, reuerenter & in spiritu cognoscendæ veritatis, sua dubia etiam ad S. Sedem proposuerunt, & eorum resolutionibus humiliter, & obedientiæ ac charitatis spiritu acquieuerunt. Vnde resolutiones à Summis Pontificibus datas, cum debita reuerentia suscipiens, de dubijs Regulam ipsam concernentibus, & eorum probatis resolutionibus, hîc non intendo agere, sicut nec de ijs quæ in declarationibus eorum continentur: sed tantùm de ijs, quæ vel à sapientibus mundi, & carnis, malè proposita & impetrata sunt, vel quæ à superstitiosis ficta, adhuc modò Ordinem conturbant.

Vt ergo oculi plurimorum aperiantur, sicut sensum purè litteralem Regulæ superiùs prosecutus sum, sic hîc paleas per singula Capita excutere volui, & tribus illis plagis mederi.

§. VI.

Ventilabrum Palearum, & zizaniorum quæ in Regulam Fratrum Minorum irrepserunt.

QVod igitur in Scripturis sanctis conseruandis actum est, id ipsum accommodè in puritate Regulæ *S. Francisci* tuèda contigisse Diuinâ Prouidèntiâ cernimus: Quemadmodum enim ventilabrum palearum, & malorum granorum quæ in Scripturis sanctis diabolico instinctu insperſa sunt, tribus partibus constat: *Ipsâ* scilicet, *litterâ Scriptura sanctæ: Traditione firmâ & innariabili à principio & Declaratione Summorum Pontificum Canonicè sibi inuicem succedentium, ac Diffinitione sacrorum Conciliorum:* Ita ventilabrum ad excutienda zizania, & mala semina, nec non paleas à Regula Fratrum Minorum, tribus partibus conficietur, nimirùm: *Ipsâ Regula litterâ*, cui interponere glossas prohibitum est: *Traditione firmâ & certâ* in corpore Ordinis receptâ à principio: *Declaratione Summorum Pontificum*, ac *Definitionibus & Decretis Capitulorum Generalium* legitimè congregatorum. Quidquid igitur aut *Litteræ Regulæ* contrariatur, siue ab ea declinat: Aut à *Traditione Sanctorum Patrum* certa in corpore Ordinis recepta deuiat: Aut à *Declarationibus Pontificum* deflectit: Aut *Capitulorum Generalium*

neralium totius Ordinis legitimè congregatorum definitionibus aduerſatur: Id omninò tamquam adulterinum excutiendum, & velut palea, lolium & zizania à puro tritico ſequeſtrandum eſt. Quod paucis præſtare conabimur.

AD CAPVT I.

CApite 1. Nil ſingulare occurrit, niſi quòd à timoratis conſcientijs propoſita, à Summis Pontificibus reſoluta & declarata ſunt: Vt de obligationibus ad conſilia Euangelica, & alia Euangelij dogmata, quæ in Regula expreſsè poſita non ſunt: De qua quæſtione & reſolutione iam in ſuperioribus frequenter actum eſt.

AD CAPVT II.

HIc litterales ſcrupuloſi, ſuperſtitioſi, & ſapientes mundi totum Caput iſtud fumis & ſomnijs ſuis inficere conati ſunt.

Et 1. Quidem: *Caparonem Nouitiorum* ſunt aggreſſi, formas & figuras ſuis imaginationibus fingentes. 2. Venerunt ad *Capucia*, volentes ea *aly* quadrata, *alij* pyramidalia, *aly* rotunda, *aly* diſputantes de *mozeta & collario* circa ſcapulas ſe extendente, & ante pectus, & retrò dependente. 3. *Tunicarum figuram*, longitudinem, latitudinem, Caputij ad tunicam affluitionem, exagitauerunt. 5. *Repetitationes* pictas, fictas, & artificioſas inuenérunt. 5. *Pluralitatem tunicarum* vel reſpuerunt, vel multiplicauerunt. 6. *Chlamydes*, galeros, duplicia Capucia in ius, & litigium citarunt. 7. Nè quid deeſſet, braccas, calepodia, ſandalia, aſpergattas in forum adduxerũt, & vt calcaneo præcauerent, *alij* talos, *alij* ligaturas, *aly* calcaria appoſuerunt. Tandem actum eſt *de Barbis & Capillatura*. Sapientes autem mundi ad Priuilegia Pontificum pro *Camiſijs lineis*, ſtamineis, ſubuculis, ſoccis, ſolutaribus, calceis recurrerunt vniuerſalem neceſſitatem fingentes. Quod autem piæ aures horrere debérét: *Aly* vt ſua phantaſmata tuerentur: Chriſti, SS. Apoſtolorum, S. Franciſci imitationem in iſtis ſe zelari non ſine ſacrilegio aſſerunt. Super quibus malis inuerecundè S. Sedes turbata eſt, & ſchiſmata in Ordine nata ſunt, quorum reliquiæ apud nonnullos adhuc perſeuerãt. Et quæ verè meretentur ventilabrum iuſti Iudicis, qui paleas igni inextinguibili tradat: Nos humanis medijs contenti ventilabra ex enumeratis partibus ſuprà componemus, & vt veritati ſimul & charitati conſulamus, paucis paleas, lolia, & zizania excutere conabimur: Intendentes dumtaxat vt Regulæ puritas & ſimplicitas manifeſtiùs appareat.

VENTILABRVM I.

De Caparone Nouitiorum.

CAparonis Nouitiorum formam & figuram, nec Regula, nec Traditio vlla certa & continuata expreſſit, nec Pontifices declarauerunt: Paleæ ergo ſunt quidquid humana opinio circa illum effingit: Standum autem eſt Prouinciarum & Cõgregationum determinationi. *Caparonis Nouitiorum forma, vnde de ſumẽda.*

Prima pars ventilabri ex Textu Regulæ conſtat: ſolùm enim de eo in Textu Regulæ dicitur: Quòd inter pannos probationis, eis concedatur Capparo vſque ad cingulum. Super quo: Alij figuram Cappæ vtrimque ad cingulum dependentis: Alij Petias panni aſſignarunt à quatuor partibus Caputij, & quidem ante vel retrò, aut ſaltem antè ad cingulum dependentes ſtatuerunt: Et in Congregatione Generali Segobiæ ad annum 1621. celebrata (cui interfueram) omnibus ſententijs libratis poſt riſus, & argumenta multa nil aliud concludi potuit, quàm omnia paleas & inuentiones genij humani eſſe: Nihil ergo ſtatui poſſe, quàm vnamquamque Regiònem, & Prouinciam ſuis conſuetudinibus ſtare debere, modò tantùm *Habitus Nouitiorum* diſtingueretur ab *Habitu Profeſſorum*. Et hoc quidem Textui Regulæ conforme eſt: *Niſi* (inquit) *vſquè Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur*. Igitur ſucceſſu temporis, iuxta circumſtantias varias, viſum eſt de Caparone Nouitiorum varia in Ordine determinare. Quid igitur in re non in ſe determinata diſputandum eſt?

VENTILABRVM II.

De Caputio Profeſſorum.

NEc Regula vel à longè mentionem vllam fecit, de forma Caputij Profeſſorum, ſed tantùm vni tunicæ exteriori ſcilicet (qui eſt habitus Regularis & Ordinis, & Fratrem Minorem demonſtrat) Caputium adiunxit. *Habeant* (ait) *vnam tunicam cum Caputio*. Nec traditio certa, & communiter recepta aliquid de forma Caputij à principio Ordinis inſtituta conſtãter tradidit: Ergo ſtandum eſt vel Pontificum decretis, vel Capitulorum Generalium ſtatutis, ac Ordinis receptæ, & viuatæ conſuetudini. Quod amplius eſt, vanum eſt, vel à malo eſt, ſolium vel zizania. *Caputium Profeſſorum quale.*

Ex Chronicis autem & hiſtorijs deprehenditur

henditur: S. Franciſcum Caputium quadrum portaſſe, quod ex vno quadri cono in modicum cacumen deſinebat: Quod magnificentiùs ampliare volens F. Elias eius Vicarius, dum Seraphicus Pater ad Soldanum profectus eſſet, exaltato velut cornu in pyramidis figurâ perduxit: quod cùm & amplitudine ſuâ, & altitudine capiti onus importabile cauſaret; illudque S. Pater cum ampliato habitu priùs condemnaſſet: Nihilominus qui illud Caputium velut pro ornamento geſtabant, ad ſcapulas dimiſerunt, & vel Paſtoritio more promiſſo, & prolixo Capillitio, vel almutijs, capitegijs, ſiue capellis capite operto incedentes, non iam illis Caputium ad tegimen capitis, ſed velut ad ornamentum ſeruiebat: ſicque quidquid erat de Caputij forma, vel figura non ſine confuſione in hominũ opiniones ſtatim defuncto Sanctiſſimo Patriarchâ abiuit: Quibuſdam quadrum retinentibu: Alijs pyramidale erectum ſupra caput: Alijs ad dorſum, & ſcapulas protenſum geſtantibus: Alijs (vt dictum eſt) nudo capite, & promiſſo capillitio incedentibus: Alijs almutia, & alia capitis tegumenta fingentibus.

Caputiorum varietas

De Caputij forma quid ſtatutum ſit tempore S. Bonau.

Hinc Ordo ad confuſiones euitandas prouidere ſibi debuit de forma, vel figura Caputij, de quæ tempore *S. Bonauenturæ* in Congregatione Generali Narbonenſi decreta fuit, & ſucceſſu temporis introducta. Conceptus autem Patrum ille fuit: vt pyramidalis illa figura à ſcapulis vſque ad cingulum deſcendens, quia in conſuetudinem abierat, remaneret, ad amouenda autem almutia, & bireta ſiue capellas, ſupra Caputij collare, rotũdum capitis operimentum per modum capitegij produceretur, & collare rotundum quod circa ſcapulas, èx replicatione Caputij iſtius nimis ampliati reſultabat, orbiculariter permitteretur vſque ad conum iuncturæ humerorum depẽdere, & circa collum per modum mozetæ nuditatem colli tegere: Sic enim & nuditati colli conſulebatur, & per prædicta piâ diſſimulatione introductis relaxationibus ſiue humanis inuẽtionibus obuiabatur. Ita igitur abuſibus prouiſum eſt, & modus ille Caputij, quem Ordo à tempore *S. Bonauenturæ* paſſim geſſit, introductus eſt; quamuis penes aliquos ſemper reliquiæ aliarum inuentionum remanſerint: donec iterùm natis poſteà quæſtionibus nouis à *Ioanne XXII.* Habitus quem modo Ordo gerit, confirmatus eſt per cap. *Quorumdam exigit*; & per decreta Capitulorum Generalium, alia conſtituta ſunt, contra *inſolites, curtos, ſtrictos, & difformes habitus*, qui introducebantur. Et ex illo tempore Caputium illud, ſicut & habitus adiunctus declaratus eſt auctoritate Apoſtolicâ, *verus & Regularis habitus S. Franciſci.* Conſule illam decretalem.

Vnde igitur tot vſque ad hæc tempora diſputationes? Paleæ ſunt, loliа & zizania, ſemina contentionum. Veritatem loquar viſis & examinatis omnibus.

Exurrexerat itaque circa annum 1495. vir beatæ memoriæ F. Joannes de Guadalupe, qui ſtrictioris vitæ, & reformationis zelo, de licentia *Alexandri VI.* quoſdam Conuentus in vnam Cuſtodiam vniuerat ſub ſtrictiſſima paupertate, & *Titulo S. Euangelij*, cuius obſeruantiam rigoroſam zelabat. His itaque permiſſum eſt, ſiue ad diſtinctionẽ aliorum, ſiue in ſignum ſtrictiſſimæ obſeruantiæ Caputium quadrum tantiſper ex reſultatione coni in quadro acuminatum reſumere; Vnde Fratres iſtius particularis reformationis à diuerſis obſeruantijs diuerſa nomina ſortiti ſunt: Et quidam ab obſeruantia fundamentali Regulæ, quæ *Euangelio* innitur ab aliquibus *Fratres de S. Euangelio*; A nuditate pedum quia abſque ſcandalijs incedebant, *Fratres Diſcalceati*: A quadro & tantiſper acuminato Caputio, *Fratres de Caputio* dicti ſunt. Porrò cùm in iſtis Caputijs nihil ſingularis perfectionis ſubeſſe agnoſcerent: In Capitulo Generaliſſimo ſub *Leone X.* anno 1517. Romæ celebrato ad humilem, & charitatiuam vnionem totius Ordinis cooperantes, acuminatum Caputium ſimul & nomen reliquerunt: Non tamen veram reformationem quam ſuo nomine Reformatorum Diſcalceatorum per totam Hiſpaniam multiplicauerũt, & vſque in hunc diem multiplicant; vnde & in Recollectorum domos per Orbem vniuerſum deriuata eſt.

Fratres de S. Euangelio

Fratres Diſcalceati.

Fratres de Caputio.

Recollecti vnde.

Poſt triginta verò annos ad annum ſcilicet 1525. Venerabilis ſeruus Dei Matthæus Baſcius acuminatum iterum Caputium aſſumpſit, quod & poſteà reuocante licentiam datam Pontifice, dimiſit, & ad Obſeruantes redijt. Cùm tamen ipſe Baſcius Congregationi, quæ poſteà Capucinorum dicta eſt, occaſionem dediſſet, *Clemens VII.* per Bullam quæ incipit: *Religionis zelus* datam anno 1528. 3. Julij Fratribus Ludouico, & Raphẽli de Foſſembruno directam conceſſit, dictæ Congregationi Caputium quadratum gerere & barbam nutrire: Non alio quidem motiuo vel titulo, quàm quia Eremiticam vitam ducere intendebant. Clara ſunt verba Bullæ: *Deſiderantibus vobis* (ait Pontifex) *pro animarum veſtrarum ſalute ac Dei gloria vitam Eremitarum ducere, & quantum humana poteſt fragilitas, Regulam B. Franciſci obſeruare, &c. Supplicationibus veſtris inclinati auctoritate Apoſtolicâ, &c. Vt habitum cum Caputio quadrato geſtare, & barbam*

Capucini vnde, & quomodo inceperint.

bam deferre, & ad Eremitica loca quæcumque cum confessu Dominorum vos conferre & habitare possitis, &c. concedimus, &c.

Res quidem hæc pia fuit & cùm à Summo Pontifice approbata esset, laudabiliter à Patribus illis, sicut & à B. Joanne de Guadalupe priùs, Caputium quadratum cum ædificatione portari potuit. Verùm quod ad conformitatem cum Eremitis piè indultum erat, procurante fine dubio pacis & vnitatis hoste, vanitati & cõtentionibus semen subministrauit. Pro Caputio enim quadrato Pyramidale ad quemdam fastum assumptum est. Et quia quadratum absque Mozeta aliquantulùm ad formam Caputij quod *S. Franciscus* gestauit, accedebat, etsi iam enormiter ratione Pyramidis excederet: Illud qualecumque Caputium prædicatum est esse, siue fuisse *S. Francisci*, Capucinoq; Caputio & habitu à *S. P. Francisco* ordinato gaudere, adeoque illos (cõtemptis alijs omnibus etiam Reformatissimis tam Patribus Discalceatis, quàm Recollectis) solos veros filios *S. Francisci* successores esse &c Quinimò si qui fortè illud Caputij acumen æmulati sint, aut æmulentur: Prohibitiones Apostolicæ à Capucinis contra eos postulatæ, & impetratæ reperiuntur. Quæ quidẽ contra fraternam charitatem militarent; si illud quod gerunt *S. Francisci*, & *Ordinis* Caputiũ esset: Nam eo ipso quo Caputium Ordinis esse probaretur, à quolibet qui Regulam profitetur, iure communi portari posset, & deberet. Alia porrò non afferunt testimonia ad probationẽ huiusmodi Caputij, quasi fuerit *S. Francisci*, nisi figuras artis pictoriæ vel statuariæ, vbique vsque ad mulierculæ libellum precarium requisitas, nullâ habitâ ratione ipsius Ordinis relaxatorum qui similia Caputia, & habitus inuenerunt & gesserunt, aut fictionis pictorum aut temporum, quibus huiusmodi picturæ sunt factæ, in quibus omnibus excessit Bouerius in suis Annalibus. Sanè Patrum Capucinorum Congregationi nihil derogare intendo: Regularem illorũ Habitum, qualem Pontifices illis assignarunt, vt pium & religiosum honoro: Sed quòd illum tot quæstionum & cõtentionum seminarium, periclitante in omnibus, & veritate & charitate, faciant: sanis mentibus intolerabile est, & non nisi rius & cõtemptus causant, vt etiam impius aliquis in publico Parisiensi Parlamento ausus fuisse dicatur (assumpto irreuerenter verbo S. Scripturæ) honorabili Patri improperare: *Nolite* (aiebat) *extollere in altum cornu vestrum*, &c.

Capucinorum Caputium, & habitus an S. Francisci.

Nota.

Psalm. 74. vers. 6.

VENTILABRVM III.

De vestimento Fratrum Minorum.

Vestimenta hominis ad quid.

IVre naturæ etiam Deo prouidente Adamo post peccatum, certum est vestimenta homini concessa. 1. Ad nuditatem operiendam. 2. Ad quamdam honestatem corpori conciliandam. 3. Ad fomentum corporis in calore naturali, & necessario. 4. Ad propulsandas iniurias aëris & circũstantium contrariorum. 5. Mundani homines etiam successu temporis vsi sunt ad fastum, &c. Vnde excessus in materia, forma, figura &c.

S. Francisci prouidentia circa vestimenta Fratrum. Eorum qualitas & quantitas.

Porrò omnibus prouidit S. Pater in Regula. 1. Voluit suos Fratres indui saltem vnâ tunicâ cum caputio, ad nuditatem scilicet tegendam. 2. Ad honestatem corpori conciliandam. Addidit cingulum, & braccas. Cingulum nè habitus inhonestè defluerent, sed per illud corpori adhærerent: Braccas vt castitati prouideret, & lumborum præcinctioni, de qua monet Euangelista. 3. Propter communem infirmitatem permisit secundam tunicam, vt fomento necessario corporis prouideret. 4. Ad hoc ipsum primariò permisit vt repetiarentur, vt patet ex testamento, vbi scribit se, & suos Fratres primos *contentos fuisse vnâ tunicâ intus, & foris repetiatâ*: Ad quid enim illa repetiatio intùs, nisi vt corpus foueret, & vt vna tunica sic repetiata cum caputio Fratri ad corporis fomentum sufficere posset? 5 Vt iniurijs aëris & contrariorum circumstantium, iuxta conditiones loci, & temporis rationabiliter prouideretur, sicut in hoc 2. capite permisit necessitatem patientibus vti calceamentis; sic in 4. cap. Regulæ: Solicitudinem particularem mandat Ministris, & Custodibus de Fratribus induendis: *secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, prout necessitati viderint expedire.* 6. Nè ad mundanas curiositates, pretiositates, & superfluitates declinarent: Mandauit: *Vt vilibus induerentur*; Et ad hoc secundariò permisit repetiationem ad vilificandum interdùm pannum nimis apparentem. 7. Indirectè indicauit vilitatem habitus in colore isto terreo & cinereo (qualem perhibetur habuisse Christum in tunica sua Inconsutili, prout etiam modò Treuiris videntibus ostenditur) simul & asperitatem & ruditatem: Cùm monet; *nè indicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos.* Manifestè indicans Fratres fuisse asperis vestimentis ex tunc vsos, & consequenter vti debere: Similiter omni colore vestimenta carere debere:

Vestimentorum repetiatio commendatur.

Curiositas, pretiositas, &c. inhibetur.

Vilitas & asperitas indicitur.

Terreus enim ille & cinereus habitus, in vsu loquendi humano, non censetur coloratus: Color enim in æstimatione hominum est, vel in purè albo, vel in nigro, ex quibus alij colores medij, rubeus, flauus, cæruleus, viridis nascuntur: quod autem terreum planè, & cinereum est, inter colorata non reputatur. Et hæc sunt quæ de vestimentis ex Regulæ littera deſumi possunt.

Habitus longitudo & latitudo

Traditione verò sequentia innotuerũt. 1. Vt exterior tunica cui assignatur Caputium, debitæ & honestæ longitudinis, & latitudinis esset: Longitudinis quidem vt supremam partem pedis attingeret, & aliquo modo operiret, ad terram tamen cingulo simpliciter cincta non defluereret. Latitudo corporis crassitiei commodè deseruiret, quam æstimarunt communiter ad 14 palmos ad minus, ad 16. palmos ad summum antiquissima Ordinis statuta: Manicæ autem à cubito ad scapulas latiores, a cubito ad manus illius latitudinis forent, vt vtramque manum iunctam liberè contineret, ita vt intrare, & exire sine aliqua difficultate possent: Longitudo autem ad extremas iuncturas digitorum protenderetur. Et hanc fuisse formam habitus S. Francisci tradit Petrus Rodolphius ex legenda antiqua & Angelo Clareno, vt Annales ad annum 1208. referunt. Et hæc est forma habitus ab Ordine toto approbata, & demandata à Ioanne XXII. *Quorumdam exigit:* contra curtos, strictos, inusitatos & squalidos ac nouitatis plenos.

Caputij assutura.

2. Traditione innotuit: Caputium ita habitui debuisse coniungi, vt & nuditati & honestati prouisum esset: Et quidem, Antiquitus assutum fuisse, antequam Collare siue Mozetta adderetur, certum est ex natura rei: Postea etiam vsque ad nostra tempora religiosè seruatus ab aliquibus, & ego in Nouitiatu ab antiquissimo Fratre didici: quamuis communiter Fratres Mozetta nuditati prouidente assuturam reliquerint, quam Fratres Recollecti ad maiorem conformitatem antiquæ Traditionis resumpserunt. Et quidem hanc assuturam Caputij, cum externa tunica suadent religiosa honestas & decentia.

Braccarum qualitas.

3. De Braccarum materia traditio manifesta est, fuisse ex materia linea, & figuræ à Braccis sæcularium distinctæ: vt perfectè lumbos præcingerent; vnde etsi prætextu fomenti necessarij, permissæ sint aliquando Braccæ formæ sæcularis: Antiquitas tamen Ordinis ad castitatis Religiosæ custodiam dum ad Ordinem veni, etiam cum istis longioribus, Braccas strictas, quales modò omnes Reformati gestãt, adhibebat, quæ fuerunt testimonium Antiquitatis, & Religiosæ castitatis.

Sandalia.

4. Traditio probauit exemplo Apostolorum: vt ad plantam pedis conseruandam sandalijs Fratres vterentur, ita vt tamen pes nullo operimento operiretur.

Caligæ truncatæ.

5. Commune iudicium antiquorum Patrum permisit caligas truncatas vsque ad genua, quas quatuor Magistri docent: *Inter calceamenta non debere reputari.* Permissæ autem fuerunt duabus rationibus. 1. Vt nuditati maximè iter agentium, aut eorum qui ad labores tunicas succingere debent prouideretur. Inhonestum enim sanè est, & contra castitatem, Tibias discoopertas interdùm vsque ad genua habitu præcincto, siue eleuato gerere: Nam vt ex Platone & antiquis Philosophis refert S. Bonauentura: *Duæ quidem corporis summitates non sunt velanda, nec assuefieri debemus mollities Capitis & Pedum.* Cæterùm, aliarum partium nuditas honestati, communi hominum sensu repugnat. 2 Caligæ truncatæ permittuntur ob necessitatem ad frigus propulsandum, & in hoc sensu minoris dispensationis dicitur, requiritur tamen nonnulla causa vt domi portentur.

S. Bonau.

Chlamydes.

6 *S. P. Francisci* & primos Patres Chlamydibus vsos esse traditio etiam inuariata ostendit, cùm etiam S. Patrem Chlamydem gestasse, & pauperi elargitum esse legatur. Cur ergo de Chlamyde Regula nullam mentionem fecit? Ratio est: Quia est habitus tantùm aut honestatis, pro ijs qui inter homines versantur, aut necessitatis ad propulsandas iniurias aëris. Quo loco habendi sunt antiquorum Galeri, qui non gestabãtur nisi ad propulsandos aut æstus aut pluuias & nimbos. Vidi & ego apud antiquos: Chlamydes tantùm aliquot asseruatas, & Galeros pro iter agentibus. Alibi etiam Chlamydes longiores singulis cellis assignatas pro necessario operimento in hieme contra frigus.

Galeri.

PALEÆ.

Palea igitur sunt: Quæ de curtis, strictis, & inusitatis tunicis sub titulo maioris obseruantiæ Regulæ feruntur: *Palea* sunt: Quæ ad vnam tunicam ex Regula Fratres obligare volunt: *Palea* sunt: Quæ de repetitionibus externis pictis, & fictis hactenùs adinuenta sunt, potiùs ad quamdam vilitatis prædicationem, quàm ad humilitatem; Nam vt benè S. Hieronymus: *Vilis tunica contemptum seculi quidem probat, ita dumtaxat nè animus tumeat, nè habitus fermòque dissentiant,* &c. *Palea* sunt: Quæ de calepodijs, sandalijs sine talis, & id genus nugis disputantur: *Palea* sunt: Quæ de Galeris, vel duplicibus Caputijs altercationes faciunt. Denique: Qui super his glomantur, aut contentio-

tentiones suscitat, non modò non *S. Francisci* sectatores sunt, sed adulterini filij sunt, & ipsius Regulæ dissipatores.

AD CAPVT III.

VERTICILLVM I.

De Diuino Officio.

SEraphicus Pater simpliciter Clericis imposuit, vt *facerent Diuinum Officium secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio*, idque, *ex quo* siue quando *Breuiaria habere possent*, quibus & consequenter Breuiariorum vsus permittebatur. Psalterium excepit (quod tunc inter Cardinales solitum erat legi, ex quadam Gallicana vetustissima versione, vel secundùm alios ex versione 70. Interpretum) vt nimirùm communi editione vulgatâ, quâ Ecclesia vniuersalis vtebatur, contenti essent, & se conformarent.

Laicis verò numerum certum Orationum Dominicarum per septem horas distributum assignauit.

His Textibus nil clarius, nil simplicius dici poterat: Et qui Officium Diuinum *secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ* dicendum mandauerat: Omnia vno verbo complexus erat; *Ordo* enim *Romanæ Ecclesiæ*, & substantiam, & ritus, & cæremonias, & rubricas, & kalendarium &c. complectebatur: Quinimò & verbum *faciant*, obligationem indicabat eandem, quam *Ecclesia* siue *Ordo Romanus* suis Clericis proportionaliter imposuit. *Ordo Romanæ Ecclesiæ* etiam obseruanda in Missarum celebratione determinat; Et specialiter *Pius V.* in Bulla quæ incipit: *Quo primùm tempore*, &c. præfixa Missali reformato: *In virtute* (ait) *obedientiæ præcipimus, vt cæteris omnibus rationibus, & ritibus, vt aliis Missalibus vt posterum penitus omissis, ac planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum ac normam, quæ per hoc Missale nunc tradatur, decantent, ac legant: Neque in Missa celebrationem alias cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant.* Quod præceptum acceptatum est, & impositum in Statutis Generalibus Barchinonensibus Segobiæ recognitis c. 2. *de Diuino Officio.*

Vnde ergo tot circa hunc Textum quæstiones? Et quidem sapientes huius mundi: Hîc omnes disputationes intruserunt, quæ à Canonistis super horis Canonicis inuentæ sunt: De Missali, de substantia, de ritibus, de cæremonijs, commentarios fecerunt. Scrupulosi: De Cantu, de Lectione absque nota, de Choro, de Organis, de Ornamentis Ecclesiasticis, sub titulo maioris pietatis vel paupertatis infinitas quæstiones mouerunt. Superstitiosi: Deuotiones singulares, vel Solemnitates extraordinarias adinuenerunt.

PALEÆ.

DIco ego: Quidquid contra, præter, vel extra *Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ* in his homines comminiscuntur *Palea* vel *lolia* sunt: quidquid contra simplicitatem Textus commenti sunt, *vana* & *ventosa* sunt.

Ratio sumenda est, ex ipsa natura termini *secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ*. Ordo autem S. Romanæ Ecclesiæ sanctus est, examinatus est, præcisus est, completus est: sancti Spiritus assistentiam in sui dispositione habuit, Mysteriorum dispensatio in eo facta est, &c. Quid igitur humana sapientia tentat illum suis fœcibus inspergere, & tricis suis inuoluere? Quid ibi scrupulosè aut superstitiosè de Cantu? Cantus Ecclesiasticus Cantui Angelico consonat, & ab Angelis descendit: Monetque Spiritus sanctus: *Laudate Deum in Tympano & Choro, in Chordis & Organo, in Cymbalis benesonantibus, in Cymbalis iubilationis.* Hæc omnia à principio Ordinis non modò vsurpata, sed etiam præcepta sunt. Præclara totius huius obseruationis monumenta habentur in Epistola Bac Venerabilis fratris Dei Joannis de Parma Ministri Generalis ad Ministrum Tusciæ; In qua Chorum, Cantum, & solemnitates in *Ordine Romano* contentas obseruari mandat, ita vt non immutetur, nec peregrini modi ab alijs Ecclesijs, vel Ordinibus vsurpati introducantur: prout & *Concilium Tridentinum* Cantus fractos, lasciuos, & mundanos etiam in Organis prohibet.

Cantus Officij diuini.

Psal. 150. vers. 4.

Quòd si in minoribus Conuentibus, & extra populum solitarijs lectio plana sine Cantu ob exiguum numerum Fratrum concessa sit, non ideò Cantus, & aliæ solemnitates ab Ordine proscriptæ sunt: Et si Reformati, Capucini & alij Cantum non vsurpent, id concessum est, vt mentali Orationi feruentiùs vacarent, quippe qui non publica Officia, sed lugubres gemitus, velut columbæ in suis solitudinibus elegerunt. Vnde & *Clemens VIII.* singulariter pro Recollectis aliquãdo sanxit, vbi quando Conuentus Maiores in ciuitatibus & oppidis reformandos susciperent: Officium diuinum cum notis & alijs solemnitatibus Ritualis Romani obseruarent, vt deuotioni populi consuleretur.

Ornamenta Ecclesiæ FF. Minorum qualia.

Quod verò pertinet ad Ornamenta Ecclesiastica semper Ordo voluit, vt sancta paupertas in Ornamentis eluceret: Non illa quæ nitorem, & aliquam dignitatem ad officij decentiam ac sacrorum Mysteriorum eminentiam ex rituali requisitam excludit: sed illam quæ fastum, & pompam illustrium Ecclesiarum æmulatur, & excessiuam pretiositatem, curiositatem vel superfluitatem sequitur.

VENTILABRVM II.

De Ieiunijs.

NEc in ieiunijs, etsi clarè, & manifestè sint in Textu Regulæ proposita, defuere disputationes: Specialiter circa cibos quadragesimales, & abstinentiam à lacticinijs, ad quorum abstinentiam per vniuersum orbem Fratres Minores in ieiunijs Regulæ nonnulli obligare voluerunt, & varia pro suo captu circa obligationes ieiuniorum commentati sunt. Quibus simpliciter respondendum est: substantiam, modum, & obligationem ieiunij in Regula præscripti: debere mensurari, iuxta ea quæ à Matre Ecclesia sunt demandata & præscripta, & seruandos modos in Regionibus & Diœcesibus communiter receptos & vsurpatos, quibus Fratres rationabiliter & proportionatè se accommodant.

Quid censendum de ieiunijs, & abstinentijs FF. Minorum.

PALEÆ.

VNde quidquid de lacticinijs, ouis, & alijs modis in quæstionem reuocatur, quod à supradictis declinat, *Palea* sunt & verba inutilia.

AD CAPVT IV.

VENTILABRVM.

QVot ferè verba in hoc Capite, tot quæstiones motæ sunt: Sic de nomine *Pecunia* & *Denariorum*, sic de verbo *Recipere*, sic de terminis *per se, vel interpositam personam*. De significatione recursus ad amicos, &c. Quæ omnia cùm sat superque ex littera, & communi Traditione, nec non Pontificum Declarationibus apud Expositores sint ventilata, ad illorum ventilabra remitto. Hîc tamen monendum velim Lectorem de quadam pessima glossa litterali Odonis, & eius sequacium: quâ inferebât Fratres posse recipere pecuniam pro Fratribus infirmis tam spirituali quàm corporali infirmitate. De qua hoc Fundamento §. 4. quæ condemnata est.

Pecunia nullo modo recipienda.

Glossa vitanda circa hoc.

AD CAPVT V.

VENTILABRVM.

HIc scrupulosi disputarunt, An Fratres Minores ad labores corporales siue manuales obligarentur. Quibus respondendum est vno verbo: Teneri tantùm vitare otium labore honesto, & occupatione legitimâ: de quibus corporis necessaria recipere possunt, præter denarios & pecuniam. Quod amplius quæritur & disputatur, *Palea* est, *Iolium* est. Dicit quidem S. Pater in suo testamento se *manibus suis laborasse*, neminem tamen ad laborem manualem adstringere voluit: sed tantum *ad laboritium quod pertinet ad honestatem*, idque *propter exemplum, & ad expellendam otiositatem*.

An FF. Minores teneãtur ad labores manuales.

AD CAPVT VI.

VENTILABRVM.

MOuerunt hîc quidam quæstionem super obligatione mendicationis ostiariæ, quasi illa ex vi Regulæ obligaret multisque paleis rem inuoluerunt: Quibus dicendum est: Regulam nô specificasse ostiariam mendicationem, sed simpliciter mendicationem: Illam tamen ostiariam mendicationem exemplo suo S. Patrem commendasse potissimum quando laboris merces, vel etiam liberalis oblatio necessariorum cessaret. Sic enim in Testamento: *Et quando (ait) non daretur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim.*

An FF. Minores teneãtur ad mendicationem ostiariam.

AD CAPVT VII.

VENTILABRVM.

OCcurrebat hîc Iolium superbiæ quo ex eo quòd S. Pater hîc dixerit: *Ministri verò si Presbyteri sint cum misericordia iniungant eis pœnitentiam: si verò Presbyteri non sint, mittant eos ad alios Sacerdotes Ordinis*: Ex quo aliqui Fratres laici quæstiones mouerunt asserêtes laicos Minores capaces Ministeriatus Prouincialis. Sed Iolium illud eradicauimus totaliter in expositione ad 2. Textum huius cap. hoc Fundamento 5.

AD CAPVT VIII.

VENTILABRVM.

ET hoc Caput à Paleis liberum non fuit propter multiplicationem Superiorum,

riorum, qui velut Generales præsidebant Congregationibus quibusdam separatis: Primò quidem sub titulo, *Vicariorum*, & *Commissariorum* Generalium, vt in Reformatione Obseruantiæ: Demùm Conuentuales sub nomine *Magistri Generalis*, nõ *Ministri* Superiorem acceperunt. Verùm & Paleas illas excussimus suprà in hoc Fũdamento 5. ad hoc Caput. Patres tandem Capucini, qui obtinuerant à Summo Pontifice Titulum *Generalis Vicary*, demùm obtinuerunt Titulum *Generalis* absque tamen adiuncto *Ministri*. Neque enim S. Sedes vmquam voluit derogare Regulæ à Christo dictatæ, quæ Vniuersitati huius Fraternitatis *vnicum Ministrum Generalem* præfecit: qualem declarauit *Leo X.* vnicum sub Titulo *Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci*, nimirùm, Ministrum Generalem Regularis Obseruantiæ. quem solum hoc Titulo debere nominari decreuit. Qui Titulus post longam litis contestationem coram SS. Congregatione Cardinalium à Conuentualibus institutam, re dio examinatâ, auctoritate Apostolicâ cõfirmatus est pro solo Ministro Generali Obseruantiæ anno 1631. 22. Martij, signante C. Episcopo Portuensi Card. Pio. Et T. Tegrimio Episcopo Assisiensi Secretario.

An plures Ministri Generales in Ordine S. Francisci.

AD CAVT IX.

DIuersæ quæstiones etiam in hoc Capite motæ sunt, quæ puritatem Textus infecerunt, ob varias Conciliorum, & Pontificum Constitutiones, quæ in commune Ecclesiæ bonum, & in communem operationum pacem iuxta circumstantias rerum, & temporum emanauerunt, quas suo loco examinabimus, & suo pondere expendemus.

VENTILABRVM.

ALia sunt quæ ex Textu huius Capitis 9. de Prædicatoribus dictante Christo, & approbante Ecclesia ex vi Regulæ Fratri Minori competunt: Alia quæ disponente Matre Ecclesiâ, circa suos filios Fratres Minores, vel aucta, vel diminuta sunt. Non misceantur itaque imprudenter, quæ ex Regula Fratri Minori aduenium, cum ijs quæ ex obedientia ad Matrem Ecclesiam Frater Minor, iuxta varias eius dispositiones participat. Vtrumque enim germen est à Dei sapientia, sed absque paleis, & impuritate ad inuicem misceri non possunt.

AD CAPVT X.

VENTILABRVM.

HIc euentilanda erat propudiosa propositio facta *Ioanni XXII.* à P. Giraldo Odonis Generali Ministro cum nõnullis Prouincialibus circa Textus 3 & 4. quibus volebant factam potestatem Ministro Generali dispensandi cum Fratribus ad eos recurrentibus, pro eo quòd non possent Regulam obseruare, in omnibus præceptis, & obligationibus Regulæ: Sed huius rei seriem, & propositionis anathema posuimus suprà hoc Fundamento §. 4. &c. ad quem locum non sine vtilitate Lector recurret.

AD CAPVT XI.

VENTILABRVM.

MVlta iterùm hîc à Scriptoribus congeruntur quæ confusionem parũt: Disputant enim largè & latè de accessu ad Monasteria Monialium, de distinctione Officinarum & locorum, &c. Quibus dicendum est: Præter compaternitates, ex vi & litteta Regulæ, duo tantùm prohiberi, nimirùm: suspecta consortia & cõsilia mulierum: Et ingressus in Monasteria Monacharum. Per *posterius* itaque solus prohibetur ingressus in *Monasteria Monacharum*; Et nomine Monacharum intelligũtur vniuersaliter Moniales cuiuscumque Ordinis sint, vel conditionis. Per *prius*: Prohibetur omne cõsortium quod suspicioné ingerere potest: Vnde simplex accessus ad Moniales, sicut & ad quascumque mulieres, si suspicionem ingerat, prohibitus est Fratri Minori ratione suspicionis, & non aliter vi Regulæ. Si quid igitur vel Summi Pontifices, vel Constitutiones Ordinis circa ista disposuerint, non ex vi Regulæ simpliciter, sed ex alijs motiuis disposita sunt, & seruari debent.

Monacha quæ sint.

AD CAPVT XII.

MVlta hîc disputantur super obligatione Ministrorum Prouincialium ad mittendos Fratres postulantes ire ad infideles: Aliquibus asserentibus, ex vi Regulæ Prouinciales non teneri simpliciter ad eos mittendos, & præceptum Regulæ tantum tangere volentes ire, vt petant licentiam à suis Ministris Prouincialibus; Ita vt ire non possint nisi missi: Ex parte autem Prouincialium Regulam tantùm obligare, vt si mittant non nisi idoneos mittant: quod non tantùm ex Regula, sed

ex ipsis visceribus rei nascitur, & ex Iure diuino vt inidonei non mittantur. Aliquibus asserentibus è contrà Ministros teneri omnes postulantes (si sint idonei) mittere.

VENTILABRVM I.

CVm iudicium idoneitatis sit commissum Patribus Prouincialibus, quæ quidem idoneitas plurimas circumstantias requirit, tam ex parte mittendi, quàm ex parte Religionis, & locorum ac personarum, à quibus, & ad quos, postulantes mittendi sunt: Inutiles sunt disputationes quæ mouentur. Tantùm ergo duo certissima sunt, primum: Inidoneos non posse, minùs debere, mitti: Alterum est: si quis iudicetur mittendus: Constare debere Ministro de idoneitate personæ, & conditionibus ac circumstantijs Missionis. Cætera paleæ sunt.

VENTILABRVM II.

NEc minoris inutilitatis sunt quæstiones: Quæ de Protectoris Potestate disputantur. Ex vi enim Regulæ tantùm imponitur Ministris, vt Protector vnus postuletur: Nec eius Potestas, ex vi Regulæ in aliquo determinatur. Cùm ergo Protector, Corrector & Gubernator Cardinalis à S. Sedis delegatione & institutione dependeat: Eius Potestas à Summo Pontifice & S. Sede dependet, quæ ideò ampliari & restringi potest. Nec ampliatio aut restrictio in se aliquo modo Regulam concernit, nisi ad finem, sed tota in substantia, ac modo spectat ad Summum Pontificem, & S. Sedem.

TITVLVS VI.

FVNDAMENTVM VI.

ORDINIS FRATRVM MINORVM:

Altissima Paupertas.

Comparata

SARDIO *sexto Fundamento Apostolico.*

Sardij qualitas.

SARDIVS lapis (iuxta Doctorem irrefragabilem Alexandrum de Ales in cap. 21. Apoc.) primò cùm scinditur vnius tantùm coloris est, nimirum *sanguinei*, & signat Martyrum perfectam constantiam: *Alij* addunt, *Sardium* feris terrorem incutere. In sexto itaque Fundamento Apostolico *Sardius* collocatur: Quòd sanguine suo Apostoli fidem confirmarunt, & Barbaris ac feris gentibus se terribiles exhibuerunt.

Comparata Apostolis.

Item FF. Minorũ Paupertati.

Non sine causa *Altissima Paupertas* Fratrum Minorum *Sardio* comparatur: Hoc enim ipso quò Frater Minor omnia pro Christo dereliquit, solùm sanguinem, quem pro illo profundat, reseruauit, nec ab illo quippiam aliud exigi potest, & si modicum scindatur, totus sanguineus est. Vnde & S. Pater Franciscus *Collat.* 8. necessitatem quam Frater ex Paupertate contrahit *Martyrio* comparat: *Si* (inquit) *propter inopiam & Paupertatem, Frater corporis necessitates suas in sanitate, & infirmitate habere non potest*, &c. *Hæc necessitas sibi à Domino pro Martyrio imputatur.* Super quo deuotissimè pariter, & elegantissimè

Paupertas Martyrio comparatur.

S. Ber-

S.Bernardus ſerm.1.in feſto omnium Sanctorum: *Quid* (ait) *mirabilius, aut quod Martyrium grauius, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algêre, paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic legitimè certauerit, mundum abijciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ſemetipſo triumphans, & crucifigens prurientem.* Et concludens de pari corona pauperis Euangelici, & Martyris: *Denique* (inquit) *propterea pauperibus pariter, & Martyribus regnum Cœlorum promittitur: Quia paupertate quidem emitur: ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur:* Hæc ille. Qui ſimili phraſi ſerm.30.in Cant. *Genus* (inquit) *quoddam Martyrij eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, quod maximè fit Paupertatis auſteritate.*

S. Bern. ſerm.1.in feſto omn. SS.

Idem ſer. 30.in Cāt.

Sed nec deeſt illi ſecunda *Sardij* proprietas quæ eſt terrorem horroremque feris incutere: Nil enim maiorem horrorem, terroremque ferinis illis mundanorum animis incutit: quàm penurioſa Paupertas, quæ in ſcripturis Iob 36. comparatur *funibus, & vinculis.* Et Iſaiæ 48. *Camino ardenti.* Threnorum 3. *Abſynthio & felli.*

Iob 36. verſ.8. Iſai. 48. verſ.10. Thren.3. verſ.19.

§. I.

Altiſſimæ Paupertatis Fratrum Minorum realis explicatio.

VT veritas Altiſſimæ Paupertatis quæ mundanum exuperat ſenſum, è fumis humanarum cogitationum educatur, & omnium oculis ſubijciatur: pauca hic notanda ſunt.

Ius triplex. *Primò* triplex Ius in humanis rebus ſucceſſiuè à prima creatione vſque ad hæc tempora reperiri, nimirùm: *Ius naturale & vniuerſale*, quod & *diuinum* ab Auctore ſiue legiſlatore dici poteſt: Quia à Deo in prima naturæ inſtitutione proceſſit.

Alterum eſt: *Ius Gentium*, quod ſtatim poſt diuiſionem gentium à turri Babel, in vniuerſas terras communi inſtinctu vſurpatum eſt.

Tertium eſt: *Ius Ciuile*, quod coëuntibus hominibus in politiam, & ciuilitatem placito Principum, ſiue Principatuum, & conſenſu populorum indictum eſt.

Ex Iure triplici tria oriuntur. Ex quibus Iuribus tria homini eueniũt, nimirùm: *Dominium* quoddam, *Poteſtas* vtendi, & *Solatium* aliquod homini ex eorum vſu proueniens.

Quæ omnia in quolibet Iure exemplificari poſſunt.

Geneſ.1. verſ. 28. In *Iure* quidem *naturali diuino*: Sic enim Deus *cap.* 1. *Geneſeos*, ſexto die homine condito inſtituit ante peccatum: *Creſcite* (ait) *& multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* En *Dominium:* De *Poteſtate* autem *vſus: Ecce* (ait) *dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna*, &c. *Vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens.* Ex quibus ſequitur quoddam *ſolatium* homini proueniens, tam ratione *Dominij* quàm *vtilitatis* quæ illi ex *poteſtate* vſus, & ex ipſo vſu accedit. Quod iterùm *Dominium* & *Poteſtas* vſus, ac ipſum *ſolatium* poſt peccatum homini confirmatur *Geneſ.9.* poſt diluuium, ampliato vſu eſcarum ad omne quod viuit. Et hoc *Dominium*, *Poteſtas* vtendi, & *ſolatium* ex vſu procedens commune fuit omni homini, ita vt quilibet, quolibet vti poſſet inter limites honeſti.

Simili modo *Ius Gentium*: Nè ex Diuiſione naſceretur confuſio cum ad illam & diſtincta ſedium, & habitationum occupatio, ædificatio domorum, munitio, poſſeſſiones etiam diſtinctæ neceſſariæ eſſent, & in perſonis diuerſa miniſteria, & ſubiectiones requirerentur. (Vnde & fœdera, & ſeruitutes, & bella &c.) opus ſanè fuit, vt ſubintraret *Meum & Tuum:* Vnde *Dominia* ſingularia, & *Ius* vtendi, & *Solatium* ex vſu particulari iuxtà placitum hominum acceſſit.

Quæ iterùm poſteà Nationibus in politiam & ciuilitatem conuenientibus, legibus & tabulis magis deducta, & perfecta fuerunt,

fuerunt. Ita vt in eo iure sit aduertere in omnibus quoddam genus *Dominij, Potestatem* vtendi, & *Solatium* vsus, vt dictum est.

Notandum 2. Etsi *Ius Gentium, & Ius Ciuile, Ius Naturale* vniuersale ad communem vtilitatem multitudinis diuersimodè contraxerint, & modificauerint in Dominio, & Potestate vtendi: Remansisse tamen quoddam *Ius Naturæ* vnicuique ad propriam vitam conseruandam, & defendendam maximè in casu necessitatis, in rerum vsu necessario. Sic animantibus remansit Ius escarum & cibi: Auis enim Iure diuino naturali quærit, & comedit granum suum, & vniuersaliter de Deo naturæ Auctore dicitur Psalm. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et homines passim in terris necdum Dominio Ciuili occupatis, possunt vtilitates suas quærere, & ferè vagæ primò occupantis Iure naturali sunt. Quibus prænotatis, sic describenda venit *Altissima Paupertas* Fratrum Minorum.

Ius naturæ ad conseruandam vitam omnibus commune.

Psal. 146. vers. 9.

Descriptio Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum.

Paupertas FF. Minorum descriptio.

ALtissima Paupertas Fratrum Minorum, *est: Abdicatio omnis iuris, & proprietatis, tam ad rem, quàm in re, & illius vsu, saluo solo vsu facti simplici ex Iure diuino, naturali omni homini competenti; intra terminos Euangelicæ & Apostolicæ præscriptionis sibi in Regula factæ.* Hæc porrò descriptio sic explicatur.

Omnis Iuris & proprietatis abdicatio quid importet.

Dixi itaque *(Altissima Paupertas est Abdicatio omnis iuris, & proprietatis)* siue fiat per renuntiationem formalem, siue per relictionem, siue perfectam à se alienationem, ita vt res, vel quasi res ad personam cui competebat, vel quouis modo secundùm omnes differentias temporis, competere poterat, nullo modo amplius competere possit: Hinc qui *Altissimam Paupertatem* Fratrum Minorum vouerunt, nec ad res quas possederunt priùs, nec ad illas quas immediatè possidebant, nec ad futuras aliquas successiones, vel acquisitiones vllatenùs respicere possunt, quouis imaginabili iure: Vnde nec in dispositione bonorum, aliqua sibi à parentibus, vel heredibus suo tempore præstanda reseruare possunt, nequidem titulo futuræ eleëmosynæ: sed si dum adhuc possident, eleëmosynas Conuentibus relinquant præstandas, intelligitur donatio iam ante Professionem facta, pro sola præsenti, præterita, vel realiter imminenti necessitate: Non autem per modũ prouisionis in futurum, quæ repugnat statui Fratrum Minorum: Ideò additum est: *Omnis Iuris ad rem, vel in re, vel illius vsu*, vt omnis fallacia vel dolus excludatur.

Simplicem vsum facti, an quis abdicare possit. Nicol. III. in Decret. art. 2.

Dixi *(saluo vsu facti simplici ex Iure diuino naturali homini competenti.)* Talem enim vsum simplicem nullus homo à se abdicare potest, quia sine tali vsu humana vita consistere non potest. Vnde *Nicolaus III.* in decretali, *Exyt qui seminat* art. 2. *Nec quisquam* (ait) *ex his insurgat, quòd taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes tamquam homicida sui, vel tentatores Dei, vitandi discrimini se committant: Sic enim seipsos committunt diuinæ prouidentiæ, vt viam non contemnant prouisionis humanæ, quin vel de his quæ offeruntur liberaliter, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ conquiruntur per laboritium sustententur, qui triplex modus prouidetur in Regula expressis*, &c. Et addit vniuersalem vsum iuris naturæ. *Et quidem vbi hæc cuncta deficerent, sicut nec cæteris, sic nec Fratribus Iure Poli, in extrema necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi naturæ, via omnibus extremæ necessitate detentis concessa, præcluditur.* Quæ quidem verba Pontificis benè perpendenda sunt, & clariùs explicanda:

Simplex vsus facti quid importet.

Dixi itaque (*saluo vsu facti simplici ex Iure diuino naturali hominis competenti.*) Pro cuius interpretatione repetenda sunt quæ suprà notauimus: Diuisione nimirum Gentium facta, & Ciuili Jure inualescente, etsi Ius naturale variè restrictum, & modificatum fuerit, & *Meum, & Tuum* introductum: Remansisse tamen vnicuique homini Ius naturale ad vitæ conseruationem necessarium, quod est *Ius vtendi rebus*, quæ vel necdum Dominio Politico occupatæ sunt, vel quamuis iam occupatæ essent, Petro tamen (ex. gr.) ad conseruationem vitæ necessariæ sunt. Vnde Jure naturæ, licet Petro fame pereunti, sibi accipere etiam Iure Ciuili alienum, quia Ius naturale conseruandæ vitæ præualet, & derogat omni Iuri humano, eò quòd diuinum & vniuersale sit, & sic in cæteris grauioribus, & ineuitabilibus necessitatibus alienum ciuiliter, Iure naturæ necessitatem patienti cedit in vsum ad conseruationem naturæ.

F. Minor renuntiat omni Iuri Ciuili, & omni Iuri vsus.

Dico ergo 1. Fratrem Minorem voto Altissimæ Paupertatis renuntiasse omni Iuri Ciuili, in, & ad quamcumque rem; Imò & omni Iuri vsus, ita vt nullâ re ciuiliter vtatur, sed dumtaxat naturali Iure sibi relicto ad conseruationem vitæ, & honesta suæ Professionis exercitia.

Imò etiam Iuri naturali quoad dominium.

Dico 2. Fratrem Minorem voto Altissimæ Paupertatis cessisse etiam quoad Dominium Iuri naturali homini vniuersaliter competenti, vnde quacumque re vtitur Frater Minor, etsi Iure diuino naturali vtetur,

retur, ita eâ vtitur, vt Dominium non sibi vsurpet, sed simplicè vsum: *Exphco* Frater Minor piscem ex communi fluuio accepit, & illo pascitur, similiter feram vel auem cõmuni omnium venatione, vel aucupio: Illorum sanè Dominus non est, sed Dominium Deo relinquens, simpliciter vtitur tamquam re Dei, & ad Deum pertinente: Et exemplificari potest: In auiculis, & animantibus, quibus in prima creatione non Dominium in res; sed tantùm vsus in cibum datus est, idcircò quæ comedunt Creatoris sunt, & simplici vsu ad solatium naturæ vtuntur. Ita & Frater Minor. Vnde non licet Fratri Minori vendere auẽ, vel piscem à se legitimè captum, & (vt explicat *Nicolaus III.*) *Non licet habere hortos superfluos, vt hortalitia diuendantur vel emuliter distrahantur*; etsi illa nullius sint, nisi Dei: quia simplex vsus eis permissus est.

Nicol. III.

Remoto fido simplici vsu facto.

Dico 3. Fratrem Minorem in ijs quæ non transeunt in Dominium, vel Ius Ciuile, ex conditione naturæ censeri, sibi reseruare simpliciter vsum facti, nisi singulariter à se abdicauerit: vnde licet sibi quouis tempore habitationis vsum accipere in deserta terra, quæ nullius est. Licet sibi parare vestem ex lana vel pellibus animalis vagi, & nullius Domini: Licet sibi cibum parare ex fera volatili, piscibus qui in Ius Ciuile alicuius necdum peruenerunt: Licet in agro necdum possesso sibi colligere fructus, &c. Quomodò & Christus coactus dare tributum, Petrum ad mare misit, vt caperet piscem, in cuius ore stater inuentus est.

Dixi (*nisi singulariter à se abdicauerit vsum huiusmodi.*) Abdicauit autem vsum diuitem prouisionis nimiæ in futurum, vsum vestis pretiosæ, calceamentorum extra necessitatem, &c. Vt posteà dicetur.

Dico 4. In ijs quæ in Dominium & Ius Ciuile transierunt Frater Minor censetur retinere sibi simplicem facti vsum (intra terminos Regulæ suæ, & liciti) si nimirùm necessitas vrgeat, & Dominus permittat, vel per oblationem liberalem, vel in mercedem laboritij, vel in eleëmosynam piam: Et in extrema necessitate retinuit vsum rei Iure Poli omnibus concessum. Vnde Frater Minor re aliquâ vtens, simplici facti vsu vtitur ex beneplacito Domini, in rebus quidem quæ Ciuilem Dominum habent, ex concessione Domini Ciuilis: In rebus autem quæ Dominum Ciuilem non habent, ex concessione vniuersali Dei naturæ auctoris.

F. Minor à se abdicat omnem possessionem vsum.

Dico 5. Fratrem Minorem abdicasse à se omnem receptionem, & vsum pecuniæ: Quia pecunia res planè ciuilis est, & ciuiliter inuenta, quoddam Ius politicum secum vehit, in quantum formaliter pecunia est. Vnde etsi rebus pecuniâ emptis licitè vtatur, formalem tamen vsum pecuniæ abdicauit: Et si in necessitate ineuitabili vbi aliter necessaria vitæ non potest conquirere, videatur pecuniâ vti: Ille tamen vsus pecuniæ respectu Fratris Minoris est, & reputari debet magis materialis, quàm politicus: Ita vt censeatur materialiter dare id quod pecunia reputatur, tamquam symbolum necessarium quo necessitati suæ consulat, idque Iure Poli, quia aliter necessaria conquirere non potest.

Rerum Fratribus concessarum quoad vsũ, Dominium penes quos sit.

Dico 6. Quæstionem quæ communiter apud Summos Pontifices mota est: Cuius Dominij forent res Fratrum Minorum vsibus concessæ: Ratione cuius tot emerserunt difficultates; ex dictis facilè resolui. *Respondetur* enim clarè: Aut res illa quæ datur Fratribus transiuerat in Ius Ciuile, & Politicum alicuius, & donans, concedens, vel quouis modo largiens intendit Dominium sibi reseruare: Et tunc remanet, quamdiu non reuocatur, in Dominio donantis, &c. donec consumpta sit: Aut donans Dominium à se ablegare totaliter intendit, & tunc sicut Jure cautum fuerit, redit vel in Rempublicam, vel si data sit aliquo titulo Ecclesiastico, in Episcopos, aut Ecclesiam Romanam: Aut absolutè, si Deo in Pauperibus oblata, Dominium redit ad Deum, cui res oblata est. Nec obstat: Pontifices Romanos res hùiusmodi in vsum Fratrum Minorum datas, in Ius Romanæ Ecclesiæ accepisse: Id enim fecerunt tamquam Vicarij Christi, & Patres pauperum, & Administratores Dei, ad euitandas confusiones. Verè enim abdicato Ciuili Dominio & Iure, (cùm Dominij, & Iuris Ciuilis ob Altissimam Paupertatem incapax sit Frater Minor) in vniuersale Dei Dominium res sic pro Deo oblatæ cedunt, & quemadmodùm terræ nascentia æqualiter data in cibum homini, & volucribus cæterisque animantibus, Dei Creatoris erant, & post diuisionem, & Iurium Institutionem in hominibus, granum quod auis comedit, Dei remanserit: Sic sublato Dominio Politico, Fratris Minoris cibus Dei est, & ei nudus vsus cedit.

Paupertas FF. Minorum reducit ad statum Innocentia.

Paupertas enim Altissima Fratrum Minorum reducit hominem ad Innocentiæ statum quoad rerum vsum: In statu enim Innocẽtiæ nullum fuisset Dominium, nullum Ius propriè dictum: sed vnusquisque cibo communi ex præscripto Dei vsus simpliciter fuisset, iuxta temperamentum naturæ, vnusquisque terrã Domini coluisset absque speciali Iure, vel Dominio: Quod & post peccatum obseruatum est, donec diuisio gentium aduenit.

Addidi verò amplius in descriptione *(intra terminos Euangelicæ & Apostolicæ præscriptionis, sibi in Regula factæ.)* Ex omnibus enim supradictis quæ ad naturam Altissimæ Paupertatis spectãt, aliquã à Christo, & in Euangelio præscripta, & ab Apostolis practicata in Regula sunt expressa, quæ etiam Paupertatem aliàs Altissimam ad vsum penuriosum arctant. 1. In vestimentis quoad numerum tunicarum, & earum vilitatem, ac calceamentorũ extra casum necessitatis exentiam. 2. In ciborum singularitate, & temperantia, dum monentur Fratres nõ iudicare eos qui vestibus coloratis, & cibis delicatis vtuntur. 3. In modestia itinerantium dum prohibentur extra casum infirmitatis, vel necessitatis equitare. 4. In pecuniarum vsu, dum eis omnis receptio & vsus interdicitur. 5. In cuiuslibet necessitatis subsidio & prouisione, dum sub infirmorũ necessitatibus & Fratribus induendis pro recursu ad amicos spirituales omnis necessitas expressa, ad iudiciũ Ministrorum & Custodum remittitur, vt prouisio illa & subsidium *secundùm loca, & tẽpora, & frigidas Regiones, prout necessitati viderint expedire* regulantur. Quinimò & cap 5 de laboritio, ita merces recipienda mensuratur, vt *pro se, & suis Fratribus tantùm corporis necessaria recipiant seclusis denarys & pecuniâ.* Quæ omnia Altitudinem Paupertatis Fratrũ Minorum ex præscripto Regulæ circumstant, & velut limites Paupertatis Apostolicæ exornant.

§. II.

Altissimæ Paupertatis, Fratrum Minorum Excellentia, & Dignitas.

CErtum est omnem Religionem approbatam includere solemne votum Paupertatis. Et vt benè *Innocentius III.* cap. *Cùm ad Monasterium, de Statu Monachorum: Abdicatio Paupertatis, sicut & Custodia Castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere.* Quid ergo amplius dignitatis habet Paupertas Franciscana, vt *Altissimæ* titulum obtineat, & *Celsitudinis* nomen sibi arroget, quasi omni cæterarum Religionum Paupertati principaretur.

Paupertatis FF. Minorum altitudo.

Hunc sanè Titulum sibi S. Franciscus non vsurpauit, sed Christus Regulæ Fratrũ Minorum Dictator primus Paupertati in Regula expressæ inscripsit, quem emphaticè S. Franciscus Christo dictãte Fratribus suis enuntiauit, vt de tituli veritate, & congruentia dubitare sit nefas: Cùm enim Christi nomine mãdasset Fratribus, vt: *Nihil sibi appropriarent, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes irent pro eleemosyna confidenter.* Et Christi exemplo illos in hoc solidasset: *Quia* (inquit) *Dominus se fecit pauperem in hoc mundo.* Qualitatẽ huius Paupertatis extollere volẽs: *Hæc est* (inquit) *Celsitudo Altissima Paupertatis, quæ vos charissimos Fratres meos heredes & Reges regni cælorum instituit.* &c. *Reg. cap. 6.*

In quo autem ista *Celsitudo*, & *Altitudo* cõstitistat ex S. Hieronymo contra Vigilantium colligere licet. Cùm enim Vigilantius præferret ijs qui sua vendunt, & dant Pauperibus. Illos, qui vtũtur rebus suis, & paulatim Pauperibus benè faciũt: S. Hieronymus antè omnia tres gradus distinxit: *Primus*, qui & perfectissimus; Eorum qui cum Apostolis omnia relinquunt, vel vendunt, ac Pauperibus distribuunt, nil sibi retinentes, sed nudi nudum Christum sequentes. *Secundus gradus:* Eorum, qui quidem proprietatem bonorum relinquunt, ea tamen in commune conferunt, sibi & alijs distribuenda: *Tertius* Eorum, Qui sibi sua bona & possessiones retinent, vt secundùm Deũ eis vtantur. & pro sua deuotione pauperibus distribuãnt. Sic tandem Vigilantio respondet: *Quod autem* (inquit) *Vigilantius asserit eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionũ pauperibus diuidunt, quàm illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiũtur: Non à me es, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & veni sequere me.* Et addit: *Ad eum* (ait) *loquitur Dominus qui vult perfectus esse, qui cum Apostolis Patrem, naviculam, & rete dimittit.* Et conferens relatos gradus inter se, concludit: *Ille* (ait) *quem, tu laudas secundus & tertius gradus est, quẽ & nos recipimus, dum nos sciamus prima secundis, & tertijs præferenda:* Vnde idẽ scribens ad Demetriadem, & Celsitudinem primi gradus Paupertatis extollens: *Apostolici* (ait) *fastigij, perfectæq; virtutis est, omnia vendere & pauperibus distribuere, & sic leuem, & expeditum cum Christo ad cælestia subleuari.* Hæc Hieron. *Paupertatis tres gradus.* *S. Hieron. ad Vigilant.* *Idem ad Demetr.*

Ista igitur est, *Celsitudo Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum*, vltra quam non datur ascensus: Aliæ porrò Religiones *secundum gradum* Paupertatis tenent: Quia etsi in singulari quoad propriã personam omni proprietati renuntient: In communi tamen bona, & possessiones Religio habet, quæ singulis pro necessitate distribuuntur. Et hæc Religiosorum in cõmuni bonorum possessione, siue administratione viuentium Paupertas, vt notat *Episcopus Siluensis, lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 56.* Fundamentum sumpsit à vita communi

muni fidelium in Judæa initio naſcentis Eccleſiæ. de qua Act.2. *Omnes etiam* (ait) *qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia.* Et c.4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed illis erant omnia communia.* Et ibidem *verſu* 34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos: Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant antè pedes Apoſtolorum; diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.*

Act.2. verſ.44

Et cap.4. verſ.32.

Verſ 34.

Paupertas communis Religioſa.

Super hac primorum Chriſtianorum cõmuni vita, Paupertatem ſuam Religionum Fundatores fundauerunt, tamquam ſuper muro iam ædificato, cui ſuperædificauerunt propugnacula illa argentea Obedientiæ, & Caſtitatis, quibus appenſa eſt omnis armatura fortium ad debellandum humani generis iuratum hoſtem, ex quibus Eccleſia apparuit tamquam Caſtrorum acies ordinata. Hunc itaque Paupertatis modum ſecuti ſunt: Vt nimirùm: Aggregatis ſiue ex benefactorum liberalitate, & oblationibus, ſiue ex ingredientium renuntiatione, & communicatione bonis in communi, ſectatores ſuos ab omni peculio, proprietate, affectu ac ſolicitudine ad bona temporalia, ſolemni voto emiſſo abſtraherent, & vt ſingulis ex bonis communibus neceſſaria vitæ adminiſtrarentur. Hunc communis vitæ modum, qui tam ob ampliatam in omnes gentes Eccleſiam vniuerſo Chriſtianorum cœtui impoſſibilis erat, primi Regularium Congregationum Inſtitutores reſumpſerunt, & variis Regulis exornauerunt. Quæ etſi ſancta & immaculata ab huius mundi cupiditatibus foret, multùm tamen ab Apoſtolicæ Paupertatis Excellentia & ſupremo faſtigio illius qui pro nobis egenus factus

Paupertatis communis ab Apoſtolica differentia.

eſt, differebat. *Primò* namque. Communitas illa primorum Chriſtianorum, non tam ſua dimittebat, quàm in communem diſtributionem a ſe ablegando conferebat; Apoſtoli verò omnia vendebant, & pauperibus diſtribuebant, aut ſaltem relinquebãt nil ſibi retinentes. 2. Qui ad iſtam communitatem primam venicbant pro commodiori vita pecuniam bonis conflatam, ſiue pretium bonorum ad pedes Apoſtolorum adferebãt, vt ex ea vnicuique prout opus erat, prouideretur; Vnde & pecuniæ vſu, & miniſterio communiter neceſſaria quærebantur: Apoſtolis verò, omnis denariorũ & pecuniæ vſus prohibitus erat, quibus vtique argentum & aurum ſiue æs in zonis nequidem deferre licebat. Vnde bene notant Patres: Pecunias ex diuenditis agris conflatas, deportatas fuiſſe, & velut depoſitas ad pedes Apoſtolorũ. Vbi Gloſſa: *Deſtituendum* (ait) *probat, quod tangere* Gloſſa. *denitat, & calcandum docet aurum, quod ſubdit greſſibus Apoſtolorum.* Ad pedes vtique Apoſtolorum, nõ ad manus ponebantur: Quia nec Ius aliquod in illas accipiebant, nec manualem & immediatam diſtributionem, ſed tantùm curam, vt per Miniſterium aliquorum vnicuique de neceſſarijs prouideretur. Vnde & Miniſtris negligentibus, ſubſtituti ſunt (Act.6.) ſeptem Diaconi, qui congruæ diſtributionis curam gererẽt. 3. Qui communitati fidelium iungebãtur in nullo rerum vſu arctabantur, ſed tam in veſtimentis, quàm in alijs commodè eis prouidebatur: Apoſtolis verò & duplicitas veſtimentorum, & vſus calceamentorum interdictus erat, &c. Act.6.

Igitur: Primi Fundatores Religionũ, vt ab omni proprietate ſectatores ſuos elõngatos, in paupertate fundarẽt, vitam illam communem primorũ Chriſtianorum elegerunt, & politam ſuis Regulis præſcripſerunt: Sanctus autem *Pauperum Patriarcha Franciſcus, vir Seraphicus*, altiora petens, Altiſſimam paupertatem quæ in Chriſto, & Apoſtolis prętulſerat, ſibi delegit, & tam in cõmuni, quàm in particulari vouendam Fratribus ſuis dedit. Cuius Paupertatis dignitatem, & excellentiam expendens Collat. 5. vocat: *Virtutum Reginam, quæ in Rege Regum, & Regina Matre ipſius præſtãter effulſit.* Et quam indigitat: *Specialem viam ſalutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, cuius fructus eſt multiplex, ſed occultus. Hac tandem* (inquit) *eſt Euangelici agri theſaurus, pro quo emendo vẽdenda ſunt omnia, & quæ vendi non poſſunt, illius cõparatione ſpernenda.* Et iterùm: *Oratione pro obtinenda Paupertate:* volens demonſtrare Paupertatis huius Altiſſimæ Chriſtũ Ieſum fuiſſe primarium Prototypon, & velut mẽſuram primam: *Hac eſt* (inquit) *pro tanto Regina virtutum, pro quanto Dominus Ieſus relictis Angelorum ſedibus deſcẽdit ad terras, vt ipſam poſſet charitate perpetuâ deſponſare, & omnes perfectionis filios in ipſa, & ex ipſa, & per ipſam producere: Qua tibi* (Domine Ieſu) *cum tanta fidelitate adhæſit, quod & in Matris vtero ſuũ inchoauit obſequium, dum corpus animatum habuiſti minimum: ſed & orientem ex vtero in præſepio ſancto recepit, & conuerſantem in mũdo ſic omnibus te priuauit, vt capitis reclinatorio faceret te carere,* &c. Quæ omnia deuotiſſimè proſequitur de extrema Paupertate Chriſti vſque ad finem vitæ. Et tandem concludit: *A te peto hoc priuilegio conſignari, exopto hoc theſauro ditari: Poſtulo vt mihi, & meis in æternum ſit proprium (pauperrime Ieſu.) Propter nomen tuum nihil poſſe ſub cælo poſſidere, & alienis rebus ſemper, cum vſus penuria, dum vitat caro miſera ſuſtentari. Amen.*

Paupertatis FF. Minorum excellentia. S. Pater Collat. 5.

Elegantissimè pariter & verissimè *S. Bonauentura cap. 6. Reg.* exponens illa verba *Hæc est celsitudo* altissimæ *Paupertatis. Quare* (ait) Altissimæ? *Nisi quia à mundo remotissima, & per cõsequens cœlorum regno summè vicina; illis etiã vitæ æterna, vt est possibile similissima, vbi nihil terrenum est, proprium vel commune.* Et prosequitur: Quæ vos charissimos Fratres meos heredes & Reges regni cœlorum instituit: *Ideò* (ait) Heredes, *quiã omnia dimittentibus pro regno cœlorum, promittitur gloria æterna: Ideò* Reges, *quia solutione factã plenariã pro re emenda &c. sunt tanquam domini regni cœlorum, quia cuncta dederũt propter Deum quamuis nondum sint in eius possessione.* Pauperes rebus fecit, &c. *Ad hoc enim ordinatur paupertas ista, vt resoluto per eam prohibente, virtutum sanctitas augeatur.* Hæc sit portio vestra quæ perducit in terram viuentium: *Eò ipso quòd in terra morientium nihil quærunt.* Cui dilectissimi Fratres totaliter inhærẽtes: *Vt omnia quæ in vsũ Fratrum sunt, hanc prædicent Paupertatem.* Nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi habere velitis: *Ipse enim ita pauper extitit, quòd nihil habuit, quo posset illum diabolus spoliare.* Hæc S. Bonau. Superfluum credo vlteriùs Paupertatis Regulæ Fratrum Minorũ super alias Regulas elogia attexere; cùm & Pontificum summorum Decreta plus satis illam confirment, & Illustrium Virorum qui S. Patriarchæ conuixerunt testimonia, illius excellẽtiam mundo notam fecerint, ac excitatæ quæstiones de illa Sanctissima Paupertate etiã in controuerso iudicio, in illius fauorem decisæ fuerint, de quibus alias suo loco latiùs. Vide & ea quæ suprà ex Jacobo de Vitriaco Cardinale sunt relata, qui & narrans accuratiùs vitam Fratrum Minorum in Hist. Occid. c. 32. *Ipsi autem* (ait) *Christi pauperes, neque sacculũ in via portant, neque peram, neque panem, neque æs sine pecuniam in zonis suis, non possidentes aurum, neque argentum, nec calceamenta in pedibus habentes: Nulli enim Fratri huius Ordinis licet aliquid possidere. Non habent Monasteria, nec Ecclesias, non agros vel vineas, vel animalia: Non domos vel alias possessiones, neque vbi caput reclinent: Non vtuntur pellibus neque lineis, sed tantummodò tunicis laneis capuciatis, non cappis, vel pallys, vel cucullis, neque aliis prorsùs indumentis, &c.* Infrà: *Ipsi enim funiculum cum tunica venientibus ad se largientes, quod reliquum est, superna procurationi relinquunt.* Hæc ille.

S. Bonau. c. 6. Reg.

Ca d. Vitria. hist. Occid. c. 32.

§. III.

Quæstiones contra Paupertatem Fratrum Minorum excitatæ, & euulsæ.

POrrò variæ quæstiones contra hanc Altissimam Paupertatem, suggerente communi omnis boni hoste Satana, excitatæ sunt. *Cõtra Paupertatem FF. Minorum oppositiones. Prima.*

1. Ab ijs qui hanc arctam Abdicationem omnis Iuris tam in communi, quàm in speciali, *Venenosis* (inquit *Nicol. III. cap. Exyt qui seminat*) *obtrectationibus insensata astutia depranare conantes, illam illicitam, inobseruabilem & discriminosam, caninis latratibus persuadere volunt.* *Nicol. III. PP.*

2. Nec Christum, nec Apostolos, illam docuisse, minùs practicasse probare tentarunt. *Secunda.*

3. Ex loculis quos Judas habuit (vt prætexunt pro Christo, & Apostolis) totaliter illam putant excluſam. *Tertia.*

4. Quia excitati grauissimâ quæstione de vsu simplici à Dominio sepatãdo, *Ioannes XXII. in Extrau.* AD CONDITOREM CANONVM, saltem in vsu cõsumptibilibus, Paupertatem Fratrum Minorum, Dominium non excludere concluſit, adeoque Fratribus Minoribus illarum rerum Dominium competere, velut decreto Apostolico sanciuit: Vnde contra Altissimam Paupertate conclamatũ esse, etiam in hanc vique horam nonnulli commentati sunt. Quibus etsi ex dictis satis videatur satisfactum, breuiter tamen obiecta eluimus. *Quarta. Ioan XXII. Extrau. ad Condit. Canon.*

Tribus itaque primis Quæstionibus declaratiuè & velut diffinitiuè respondit *Nicolaus III.* in Decretali sua *Exyt qui seminat*, vbi respondens ijs qui huic Altissimæ Paupertati in abdicatione omnis Iuris tam in speciali, quàm in cõmuni, mordacibus & venenosis nimis sermonibus obsistebant: Sic loquitur: *Nè* (ait) *Fratrum eorumdem perfectionis claritas, talium impetitis sermonibus laceretur: Dicimus: Quod Abdicatio proprietatis huiusmodi omnis rerum tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta.* En Responsio ad primam quæstionẽ. Si enim dicta *Abnegatio* est meritoria, & sancta, ergo non tantùm obseruabilis; sed etiam obseruanda, & non discriminosa: Quod enim aut impossibile, aut discriminosum est, non potest nec debet dici meritorium, & sanctum. Et procedens vlteriùs: *Quam* (inquit) *& Christus viam perfectionis ostẽdens, verbo docuit, & exẽplo firmauit: Quamque primi Fundatores militantis Ecclesiæ, prout* *Responsio ad 1. oppositionem.* *Nicol. III. decret Exyt qui sem.* *Responsio ad 2.*

prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos in eos deriuarunt. En Responsio ad Quæst. 2. Nimirùm: Christum & Apostolos hanc Abdicationem Proprietatis omnimodæ tam in speciali, quàm in communi docuisse, & obseruasse, & ab ipsis in Fratres Minores deriuatã esse. Et 3. Quæstionis Resolutionem assumens de loculis:

Responsio ad 3. *Nec his (inquit) quisquam putet obsistere, quod interdum dicatur Christus loculos habuisse: Nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret.* Et applicans hãc doctrinam: *Sic (ait) infirmorum personam (Christus accepit in loculis, sic in omnibus aliis infirma humanæ carnis assumens (prout Euangelica testatur historia) nõ tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quòd in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus, &c.*

Quæ tres Resolutiones solidissimæ se inuicem inuoluunt: secunda enim est probatio Primæ. & Tertia reseluit aduersariorum Achillem in sua oppositione: Duo itaque Syllogismi ex his eruuntur.

Primus Negatiuus: Illa Paupertas non potest dici inobseruabilis, & discriminosa, quam Christus docuit, & exemplo firmauit & quam Apostoli Fundatores Ecclesiæ ab ipso fonte Christo hauserunt, & per doctrinæ suæ, & vitæ alueos deriuarunt: Atqui. Paupertas Altissima Regulæ S. Fráciscí est talis Ergo non potest dici Paupertas illa inobseruabilis, & discriminosa.

Secundus Syllogismus affirmatiuus: Illa est Paupertas sancta & meritoria, quã Christus verbo docuit. & exemplo firmauit. &c. Atqui: Talis est Paupertas Altissima Regulæ S. Francisci; ergo illa est sancta & meritoria. Horum porrò Syllogismorum sufficit probasse minorem, quæ tres continet partes: Quarum 1. est: Christum hanc Altissimam Paupertatem docuisse. 2. Exemplo firmasse siue obseruasse. 3. Apostolos à Christo illam hausisse, & doctrinã pariter & vitã illam tradidisse.

Christum Paupertatem altissimam docuit. Matth 19. vers. 21. Sic itaque breuiter ex Scriptura ipsa, & Patrum Interpretatione. 1. *Pars* ostenditur: De doctrina enim Christi nihil est familiarius. Matth. 19. *Si vis (ait) perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me.* In quibus verbis Abdicationem omnium rerum, tam in particulari, quàm in communi indicari, patet ex illis verbis, *vende omnia, & da Pauperibus:* Qui enim omnia *vendit*, iam Dominium à se abdicauit, Qui *dedit* Pauperibus, se Iuris vsu, & omni Iure spoliauit: Alioquin si in communi Ius aliquod vtẽdi reseruatum fuisset, non oportuisset vendere, aut Pauperibus dare; sed in commune Ius conferre, vt de illis cum communi multitudine, donans sustentari potuisset. Summam autem illam Abdicationem cõfirmant verba sequentia, & totus discursus cum Adolescente illo habitus: *Veni, ait, sequere me.* q.d. Cùm vendideris, & pauperibus dederis, tunc demùm omnibus denudatus, venire & sequi me poteris. Vnde Adolescente contristato intulit Christus: *Quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum.* Vers. 23. Sanè qui diuitias in communi possident, diuites verè sunt, & in diuitijs suis aliquo modo confidunt, eò quòd non audeant se illis spoliare, nè fortè deficiant, aut si virtute omnem affectum, & fiduciam in rebus transitorijs superarunt: Remanet tamen semper leges concupiscentiæ in rebus quas in communi retinent.

Iterùm: Doctrinam eandem dat Christus Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Lucæ 14. vers. 33. Certè non renuntiat omnibus omninò, qui in communi expendẽda reseruat: Cùm & Matth. 16. amplius requirat Christus: *Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum.* Matth. 16. vers. 24. Vbi Gregor. Fortasse (ait) laboriosum non est homini relinquere sua, sed valdè laboriosum est homini relinquere semetipsum. Qui ergo ad sui sequelam perfectam voluit vt homo relinqueret semetipsum; Quomodò permitteret illi bonorum proprioru̇m in communi detentionem. Ille autem qui dimittit sua in proprio, & reseruat in communi; non tam renuntiat rebus, aut res ipsas relinquit; sed tantùm mutat modum habendi; quod enim in particulari habebat, vel habere poterat, iam sublato modo habendi in particulari, retinet id in communi. Qui sanè modus etsi ad perfectionem viam sternat; ad sublimiorem tamen gradum nondùm ascendit. Hanc porrò omnimodam abdicationem tam in communi, quàm in particulari energicè ostendunt verba Christi Matth. 6. vbi loquens Apostolis: *Nolite (ait) vobis thesaurizare thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furãtur: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur: Vbi enim thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Matth 6. vers. 19. Certè thesaurus etiam in communi habitus, etsi absque vlla proprietate, in terra habetur, illum erugo & tinea demolitur, illum fures effodiunt, & furantur; Soli ergo illi thesaurum in cœlo perfectè habent, qui

omni rei temporali in particulari,& communi renuntiauerunt. Et hi sunt qui Apostolicam vitam purè sequuntur,ad quos sermo Christi in monte dirigebatur.

Christus Paupertatem Altissimam exemplo firmauit.

Hanc porrò Altissimam Paupertatem (vt 2. Pars asserit) Christum secutum fuisse,qui *cœpit* prius *facere* & *docere*,conuincunt verba eius Matth 8.& Luc.9. vbi volenti se sequi dixit: *Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet:* Minus ergo possidebat Christus in hac vita mortali, quam vulpes,aut volucres, qui nec proprietariè habuit vbi caput reclinaret. Vnde Hierem. 14. de illo: *Quare* (ait) *quasi colonus futurus es in terra,& quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus,vt fortis,qui non potest saluare?* Quæ omnia summam Paupertatem designant eius qui solum vsum facti in rebus alienis accepit. Certè Christus(teste S.Anselmo libro de Sacramentis.) *Ita Pauper fuit, vt veniens in mundum non suâ,sed alienâ domo nasceretur, natus propter inopiam loci, in præsepio bruterum animalium poneretur, & viuens in mundo non haberet vbi caput reclinaret, nec moriens vt nuditatem suam tegeret,nec mortuum vbi inuolueretur, nec sepulchrum aut locum vbi corpus mortuum locaretur.* Quæ omnia in Euangelio exprimuntur.

Matth.8. vers. 20. Lucæ 9. vers. 54.

Hierem 14. vers. 8.

S.Anselm.

Eandem Apostoli secuti sunt.

Sed & pro 3. *Parte* Apostolos doctrinam Christi, & vestigia in hac summa rerum abdicatione sectatos fuisse, & in Ecclesiam deriuasse manifestissimè ostendit verba Petri ad Christum Matth. 19. nomine totius Collegij Apostolici prolata: *Ecce* (ait) *nos reliquimus omnia,& secuti sumus te,quid ergo erit nobis?* Si ergo aliqua in communi retinuit, quomodò omnia reliquit? si aliqua retinuit in communi, quomodò secutus est Christum qui non habuit vbi caput reclinaret? Denique:Quâ fronte mercedem pro abdicatione omnium postulat, si adhuc aliqua reseruauit? Vnde benè Gregor. hom 5. in Euangelia: *Multum* (inquit) *reliquit,qui nihil sibi retinuit: Multum dimisit qui cum re possessa concupiscentiys renuntiauit; A sequentibus ergo tanta dimissa sunt,quàm à non sequentibus concupisci potuerunt.* Hęc Gregor.Sed & necessarium eis rerum vsum præscribēs Christus Matth. 10. *Nolite* (inquit) *possidere aurum,neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas habeatis, neque calceamenta, neque virgam.*&c Et statim ostendens alieno ipsos subsidio sustentandos: *Dignus est enim* (ait) *operarius cibo suo,*&c.Quæ recapitulans S.Hieron. l.2.cōtra Iouinianum: *Nunquid* (ait) *omnibus præceptum est, nè duas tunicas habeant, nè cibos in pera, nè æs in zona, calceamenta in pedibus,vt vendant vniuersa quæ habēt & dent Pauperibus,*&c. Quæ omnia Christum practicasse in semetipso ostendit Epistolâ ad Eustochium: *Discipuli sine calceamentorum onere,& vinculis pellium ad prædicationem nouæ Euangelij destinantur. Et milites vestimentis Iesu sorte diuisis,caligas non diuiserunt, quia caligas non habebat quas tollerent, nec enim habere poterat Dominus,quod prohibuerat seruo.* Hæc ille.

Matth 19. vers. 27.

Greg.hom. 5 in Euang.

Matth.10. vers. 9.

S.Hieron. l.2. contra Iouin.

Tertia resolutio de loculis etiam firmissima est: Christus enim & Apostoli dupliciter cōsiderari possunt 1. In ijs quæ personā propriam spectant Quomodò Christus fuit totius imaginabilis, & intelligibilis perfectionis Prototypon & Exemplar: Cuius perfectionis sectatores primarij fuerunt Apostoli: Quæ obligatio sequendi Christum, in actionibus perfectis exprimitur: Præparatiuè quidem in renuntiatione omnium bonorum,& eorum omnimoda abdicatione, etiam per vēditionem & distributionem in pauperes: Perfectiuè autem: In abnegatione sui ipsius,& sequela Christi: Vnde abdicationi omnimodę semper subiungitur *Veni,& sequere me:* Ita vt in illis: *Venire & sequi Christum*,abdicatio perficiatur. Et in hac consideratione nec Christus,nec Apostoli loculos habuerunt, vt benè explicat Pontifex *Nicolaus III. Secundo* considerari possunt Christus & Apostoli, vt Ecclesiæ Prælati & Rectores,& hoc modo debuerunt Ecclesiæ præesse secundùm vnuscuiusque conditionem Etin hac consideratione Christus & Apostoli loculos habere posse in communi constituerunt, vt ex ijs, imperfectis & infirmis necessaria subministrarentur,vt postea declarabimus.

Christus & Apostoli quomodò loculos non habuerunt.

Ex his porrò graues ortæ sunt disceptationes. tum ratione Dominij & Juris in loculos illos,tum ratione vsus,& fructus ex illis prouenientibus: vnde irreconciliabiles illæ quæstiones initio quidem à *Guilhelmo de S.Amore,Giraldo de Abbatis-Villa, Desiderio Longobardo* contra Altissimam Paupertatem motæ: Postea autem sub Ioanne XXII. de modis Dominij & Iuris resuscitatæ, super quibus Decreta illa *Ad Conditorem Canonum.*& *Cum inter nonnullos.*&c. prodierunt,quæ vsque in hodiernam diem facta sunt multis lapides scandali,& petræ offensionis: Quorum historiam in Fundamento persecutionum perpessarum latiùs quidem trademus infrà: Hîc tamen argumenta euellenda sunt,vt simul veritas Altissimæ Paupertatis Christi & Apostolorum, hereditariè in Fratres Minores deriuata manifestior appareat.

Fundamen.

Argu-

Argumenta ex Scripturis sacris desumpta, quibus nonnulli conati sunt Dominium, vel Iuris vsum in rebus temporalibus Christo, & Apostolis attribuere.

Argumenta Scriptura contra Paupertatem Christi & Apostolorum.

ET 1. quidem coacerũãt omnes Scripturas in quibus Christus Rex & Dominus appellatur, & regnaturus super terram describitur. *Rex* vtique *Regum & Dominus dominantium*, quorum catalogum texere superfluum esset. Quo quidem Dominio vsus videtur Matth. 21. vbi mittens Discipulos ad quærendam asinam & pullum pro suo in Ierusalem ingressu: *Si quis vobis aliquid* (ait) *dixerit: Dicite: Quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* Similiter Matth. 17. Cùm Petrum misit in mare, vt inuento stratere in ore piscis solueret didragma, ad euitandum scandalum.

Apocal. 19. vers. 16.

Matth. 21. vers. 1.

Matth 17. vers. 26.

2. Ad particularia descendentes: 1. allegant: Quòd Christus vestimenta habuit, quæ sua reputauit. Vnde Matth. 17. *Vestimenta eius facta sunt alba*, &c. Ioan. 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* &c. Et de calceamentis Ioannes Baptista Matth. 3. *Cuius* (inquit) *non sum dignus calceamenta portare*, vel vt aliàs, *corrigiam calceamentorum soluere.* Et de cibo Ioan. 13. *Qui manducat mecum panem, leuabit calcaneum suum contra me.*

Matth. 17. vers. 2. Ioan. 13. vers. 4.

Matth 3. vers. 11.

Ioan 13. vers. 13.

3. Probare nituntur Christum, & Apostolos habuisse Dominium in loculos, quia pro se illos expendebant, & per se sibi necessaria cõparabant, ac egenis eleëmosinas faciebant. Vnde Ioan. 4. scribitur, quòd Christo iuxta puteum relicto, Discipuli eius in Ciuitatem Samariæ iuerant, vt *sibi cibos emerent.* Deinde Lucæ 9. dum Christus in deserto dixisset discipulis, vt turbæ famelicæ, quæ erat quinque millium virorum prouiderẽt: *Vos* (ait) *date illis manducare.* Responderunt: *Non sunt nobis plus quàm quinque panes, nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.* Ergo loculos proprios habebant ex quibus poterant escas emere ad satiandam multitudinem. Iterùm Ioan. 12. Judas mulieri alabastrum vnguenti frangenti super corpus Christi indignatus: *Quare* (inquit) *vnguentum istud non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis.* Infert Euangelista: *Dixit autẽ hoc: Non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Ergo loculi quos portabat Iudas, non erant pro egenis, sed pro Apostolis & Discipulis: Vnde & Ioan. 13. Cùm dixisset Christus Iudæ: *Quod facis, fac citiùs:* Putauerunt Apostoli: *Quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea quæ nobis opus sunt ad diem festum, aut egenis, vt aliquid daret.* Denique: Cum Apostolis dispensatũ fuisse in primo præcepto de nil habendo innuitur Lucæ 22. vbi Christus interrogat Discipulos: *Quando* (ait) *misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Respondentibus autem illis quòd, *Nihil:* subiungit Christus: *Sed nunc* (ait) *qui habet sacculum tollat, similiter & peram, & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ex quibus verbis colligitur: A tempore Passionis Apostolos potuisse habere proprium in sacculo & pera designatum, potuisse etiam vendere vestimenta sua, & emere gladium, quæ proprietatem Iuris dicunt. Tandem vniuersaliter 1. ad Timoth. 6 dicit Apostolus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Ergo Apostoli saltem habuerunt Ius in alimenta & vestimenta.

Ioan. 4.

Lucæ 9. vers. 13.

Ioan. 12. vers. 5.

Ioan. 13. vers. 27.

Lucæ 22. vers. 35.

1. Tim. 6. vers. 8.

4. Tandem obijcitur: Quòd Ioannes XXII. his & similibus permotus, decreuerit in suis decretis, ad *Conditorem Canonum*, & *Cùm inter nonnullos*: Dominium non posse separari ab vsu, saltem in vsu consumptibilibus: Et generaliter: Renuntiauerit Dominio, & Iuri quæ in bona quibus vtuntur Fratres Minores sibi S. Sedes assumpserat, & voluerit illa ad Ordinem pertinere.

Responsio ad Argumenta.

QVia autem omnia quæ allegata sunt humanas sapiunt inuentiones, secundùm apices Iuris Ciuilis directas, & instructas, ac in æquiuocis laborant, hîc aliqua prænotanda sunt.

Regnum Christi aliud temporale aliud spirituale.

Notandum itaque 1. Duplex *Regnum Christi* assignari posse, nimirùm: *Temporale*, & *Terrenum*, quod habet in creaturas omnes vniuersaliter, sine *quò: Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo:* Aliud est: *Spirituale* & *æternum*, cuius (vt ait Scriptura Dan. 7.) *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur.* Et vtrumque quidem competijsse Christo ratione Diuini suppositi extra dubium est.

Pfalm. 23. vers. 1.

Daniel 7. vers. 14.

Ius ad in re vel ad rem, aliud Naturale, aliud Ciuile.

Notandum 2. *Ius* in re vel ad rem: Aliud esse *naturale*, quod omni creaturæ iuxta conditionem naturæ suæ competit: De quo *S. Clemens* Romanus Pontifex Ep. 4. ad Iacobum & Condiscipulos Hierosolymis habitantes: *Communis* (ait) *vsus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc, dixit suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio.* Infrà: *Et sicut non potest*

Clement Rom. Ep. 4. ad Iac.

poteſt diuidi aër, neque ſplendor ſolis, ita nec reliqua quæ communiter omnibus data ſunt ad viuendum, diuidi non debere, ſed habenda, eſſe communia. Aliud eſt *Ius Ciuile*, quo diuiſa ſunt Dominia, Proprietates, Poſſeſſiones, Iura &c. de quibus ſuprà.

Haberi aliquid dicitur tripliciter.

Notandum 3. Aliquid trifariam in hac materia dici haberi. 1. Per *vſum ſimplicem facti* abſque alio Titulo Iuris Ciuilis. Ita ſerui ſiue mancipia, ſicut & filij-familiàs, dicuntur habere ea quibus vtuntur: Similiter & Religioſi: Illa enim omnia quæ iſti habent ſunt Dominorum, Parentum, ſiue Monaſteriorum, & omni Juris proprietate carent. 2. Aliquid haberi dicitur *Iure meri Miniſterij, Adminiſtrationis, & Diſpenſationis*, Dominio & proprietate apud Dominum verum principalem remanente, cuius poteſtate, & nomine res adminiſtrantur, cuſtodiuntur, & diſpenſantur: quomodò Epiſcopi, & Prælati dicuntur habere res Eccleſiæ. 3. Aliquid haberi dicitur quoad *verũ Dominium:* quod aut *Iuris diuini eſt*, ſiue naturalis: quomodò bona Leuitarum, & bona Eccleſiæ data, dicuntur bona Dei, & patrimonium Chriſti: Aut *Iuris Ciuilis:* Iuxta quod Domino competit Actio in Iudicio ad rem repetendam; Ipſi autem liberum eſt de illa diſponere prout vult. Et hoc Dominium plures partes habet, quæ ſunt: Ius proprietatis, poſſeſſionis, Ius vſus, vſus fructus &c.

Poſſidere, emere, mutare & huiuſmodi duplicitèr ſumuntur.

Notandum 4. *Poſſidere, Emere, Mutare* & id genus dupliciter ſumi. 1. *Strictè* vt ſunt actiones eius qui habet, vel acquirit Jus ad rem, vel alteri Ius ſuum cedit. 2. Lato vocabulo, & æquiuocè, vt ſignificant tantùm modos ſimplicis acquiſitionis, vſus vel diſpoſitionis rei abſque vllo Iure. Quomodò ſeruus dicitur poſſidere domum quam inhabitat de facultate Domini ſui, in quam tamen nullũ Ius habet. Sic ſeruus dicitur emere, quia rem per pecuniam Domini ſui Domino acquirit, ſiue quia de pretio pacíſcitur, &c. Quæ vocabula æquiuoca ſunt. His ſic prænotatis.

Chriſtus regnum terrenum à ſe abdicauit.

Ad prima argumẽta ex Scriptura ſumpta de regno Chriſti dico: Chriſtum Dominum etſi ratione ſuppoſiti verbi verè Rex eſſet, etiam terum temporalium & terrenatum, vtique Rex totius creaturæ: Terrenum tamen, & temporale regnum eò ipsò quoad eius exercitium omnnò à ſe abdicaſſe, quò: *Semetipſum exinaniuit formam ſeruis accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, &c. Philip. 2. verſ. 7.

Quippe qui *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*, &c. Verſ. 8. Quam reſolutionem Chriſtus ipſe Pilato dedit Ioan. 18. *Regnum* (ait) *meum non eſt de hoc mundo: ſi regnum meum eſſet de hoc mundo, Miniſtri mei vtique decertarẽt, vt non traderer Iudæis, nũc autem regnum meum non eſt hinc.* Ioan 18. verſ. 36. In quibus verbis notandum eſt Chriſtum nõ negare ſe Regem: Pilato enim inferenti, *Ergo Rex es tu?* Reſpondit clarè: *Tu dicis, quia Rex ſum ego, ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Verſ. 37.

Negare autem ſe temporale, & terrenum regnum adminiſtrare temporali & terreno Dominio, quod indicat totus diſcurſus: *Regnum* (ait) *meum non eſt de hoc mundo:* Quod dupliciter intelligi debet, vel *materialiter*, vt ſignificet, non eſt de rebus temporalibus huius mundi, vel *cauſaliter*, id eſt non teneo illud ab hoc mũdo: Præclarè S. Auguſtinus ſuper Ioannis caput 18. exponens illa verba: *Audite* (ait) *Iudæi & Gentes, audite circumciſi, audite præputium, audite omnia regna terrena: Non impedio dominationem veſtram in hoc mundo: Quia regnum meum non eſt de hoc mundo, nolite timere metu vaniſſimo quo Herodes ille maior expauit, & tot Infantes occidit, metuendo potiùs, quàm imitando crudelior: Regnum* (ait) *meum non eſt de hoc mundo. Quid vultis amplius? venite ad regnum quod non eſt de hoc mundo, venite credendò*, &c. Infrà ad illa verba: *Nunc autem regnum meum non eſt hinc: Non ait, Non eſt hîc, ſed non eſt hinc: Hîc enim eſt regnum eius vſque ad finem ſæculi, habens inter ſe commixta Zizania; ſed tantùm non eſt hinc: Quia peregrinatur in hoc mundo.* Hæc S. Auguſtinus. Chriſtus igitur vt homo Rex fuit, cuius pedibus omnia Pater ſubiecit: Regnum porrò temporale quoad exercitium penitùs à ſe abdicauit: Regno ſpirituali contentus ſecundùm quod Rex in æternum manet, & manebit: Vt *in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Philip. 2. verſ. 10. Pulchrè autem adnotat *Hugo de S. Victore in Prologo* ſui, *Cõment. ſuper Hierarchia Apoſtolica.* Omnem Poteſtatem Regiam, omnemque Superioritatem à Chriſto Deo, & homine velut hominibus communicari. *Ipſe* (ait) *omnium Conditor, cuius ineffabilis Maieſtas & indeficiens virtus, potens erat ſolus gubernare, quæ creauerat ſolus: Voluit rerum à ſe creatarum participes habere, & cooperatores; non vt ille eorum Miniſterio iuuaretur; ſed vt ipſi poteſtatis eius conſortio ſublimes efficerentur. Dominus ergo ſolus, & princeps omnium, Dominationes & Principatus ſub ſe eſſe conſtituit in Miniſterio perficiendo, quod vniuerſitatis ordo depoſcebat, vt opera eius complerentur per ordines & diſpoſitiones*, &c. Hæc Hugo. quo ſenſu ad Epheſ. 1. dicitur Chriſtus *conſtitutus ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem,* Hugo à S. Victore in Prolog. Epheſ. 1. verſ. 21.

Chriſtus quomodò Rex.

S. Aug. in Ioan. c. 18.

nem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

Quod autem allegant quasi dominio temporali vsus sit Matth. 21. Cùm Asinam & Pullum sibi adduci mandauit: *Quia Dominus his opus habet:* Clarum est, hic nullum Dominium indicari; sed tantùm simplicem vsum facti, ad vnicum actum ingressus solemnioris in Ciuitatem Hierusalem: Vnde hic indicatur potius actus *Obedientiæ*, quàm *Dominij*; quia sicut creaturæ etiam inanimes sibi in oportunis parebant, sic & homines verbo eius in dimissione Asinæ obediebant. Nec aliquid in hac re vrget, imò contrarium probat, quod allegatur *de solutione tributi* per staterem in ore piscis inuentum: Nam vt ipse benè Petro dicit: *Reges gentium non petunt tributum à filijs*, ergo cùm ipse Filius Regis Regum esset, ad solutionem tributi non tenebatur: Ad vitandum tamen scandalum soluit: Non sua pecuniâ, aut aliquo titulo Ciuili ad se pertinente: sed per staterem in ore piscis inuentum, qui cùm nullius esset de Iure Ciuili; sed tamquam deperditus & derelictus, Iure vniuersali naturæ vsus est illo, & permisit in manus Gabellariorum dimitti.

Matth. 21. vers. 3.

Matth. 17. vers. 24.

Ad Argumenta 2. proposita etiam clarissima est Responsio: Pronomina enim *Sua*, *Mea*, non semper possessionem ciuilem, sed quemlibet vsum etiam simplicissimum; imò interdùm, nudam aliquam applicationem, relationem, aut vtilitatem significant. Sic enim dicuntur *vestimenta Christi*, non quia possidebat; sed quia ijs vtebatur. Sic dicuntur *Caligæ Petri*, quia Petrus vtebatur, quandò etiam si quis alienâ veste vtitur, quamdiu vtitur, *sua*, non per proprietatem, sed per vsum siue applicationem, *dicitur*: Alioqui omnis Religiosus in speciali diceretur proprietarius, quia cuilibet applicata *vestis sua* dicitur. Sed risu digna audi: Marci vltim. de Angelo dicitur: Quòd *vestimentum eius erat album sicut nix*: Et, Magi de stella loquentes vocant, *Stellam eius*, id est Christi, &c. Et Ioan. 19. dicitur: *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*: Et Paulus ad Coloss. vlt. dicit: *Memores estote vinculorum meorum.* Quis verò dicat: Vestimenta fuisse Angeli, stellam & Crucem fuisse possessiuè Christi, &c. Sanè iuxta applicationem sermonis illa interponenda sunt: *Vestimenta* enim *Angeli* dicuntur, quia in ijs apparebat; *Stella Christi*, quia Christum indicabat, *Crux Christi*, quia in illa patiebatur, Sicut & *vincula Pauli*, quia illis torquebatur.

Matth. vlt. vers; Matth. 2. vers. 2. Ioan 19. vers 25. Coloss vlt. vers. 18.

Ad argumenta 3. proposita de loculis. Resp. Christum & Apostolos nunquam loculos habuisse in dominium & proprietatem, aut Ius Ciuile; sed tantùm in meram dispensationem, & administrationem pro necessitatibus suæ Comitiuæ, in qua Ecclesiæ fundamenta iaciebantur, & forma Ecclesiæ dabatur. Ita expressè Chrysost. hom. 71. super illud Joan. 13. *Aut egenis aliquid daret: Qualiter* (inquit) *non peram, non virgam, non aes subens deferre, marsupium habebat?* Et respondet: *Ad inopum ministerium, vt intelligas quanta tibi inopum, & miserorum hac, etiam parte cura impendeat: Multa enim ad nostram dispensans doctrinam hæc agebat.* Vnde & 12. quæst. 1. *Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiastica pecunia forma est instituta*: Quam formam explicans Prosper l. de vita Contemplatiua: *Scientes* (ait) *Viri Sancti nihil aliud esse omnes res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vsus suos vt proprias, sed vt commendatas pauperibus eroganerunt.* Quæ vt plene intelligantur: In primis notandum est nusquam in Scriptura dici Christum loculos habuisse, sed tantùm in Christi sequela siue Comitiua fuisse loculos, in quibus reseruabantur quæ mittebantur, siue offerebantur, quorum conseruationem & administrationem habebat Judas: Vnde dicitur Iudas *loculos habuisse*, Item *loculos portasse.*

An & quæ Iuris Christus aut Apostoli habuerint.

Chrysost. hom. 71. super Ioan. 13.

Prosper libro de vita Contemplatiua.

Notandum 2. In Christi Comitiua fuisse diuersæ considerationis personas: Primarij enim fuerunt Apostoli, deinde 72. Discipuli, 3. Discipuli alij qui audiebant Doctrinam eius, & ideò se iungebant eius consortio de quibus Ioan. 6. *Ex hoc multi Discipulorum eius, abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.* 4. Mulieres multæ de Galilæa quæ ministrabant ei. Cùm igitur istis omnibus prouidendum esset; partim mulieres per se contribuebant, partim aliqui in sustentationem necessariam communem aliqua conferebant, siue in specie, siue etiam in pecunia: Quæ omnia communiter asseruabantur congruè distribuenda. Et hi *loculi* dicebantur. Et ad tria deseruiebât. 1. Ad communem sustentationem totius Comitiuæ. 2. Ad eroganda egenis. 3. In casu necessitatis, etiam pro Christo, & Apostolis.

Comitiua Christi quibus constabat.

Ioan. 6. vers. 67.

Loculi ad quid deseruiebant.

Notandum 3. Christum & Apostolos primarios ad loculos non recurrisse, nisi fortè in causa summæ necessitatis. Hæc omnia probari possunt. 1. Quia à se pecuniæ non tantùm proprietatem: Sed etiam vsum omninò abdicauerunt. Vnde S. Hieronymus super illud Matth. 17. de tributo notat Dominum fuisse tantæ pau-

Christus nec Apostoli recurrerunt ad loculos nisi in summa necessitate.

portatis, vt vnde tributa pro se & Apostolo solueret non haberet: *Quòd si quis* (inquit) *obijcere voluerit, quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus* (ait) *res pauperum in vsus suos conuertere nefas putauit* Hæc ille. Quòd si interdùm legantur Discipuli in Ciuitatem abijsse vt cibum emerent, vt Ioan. 4 ex hoc nihil conuincitur: Poterant enim cum Apostolis & primis Discipulis esse alij, qui necdum cuncta abnegauerant, quorum ministerio cibi emebantur. Et quamuis fortè ad loculos pecuniarios Iudæ tunc recurrerent, necessitas cogebat, quia in Ciuitates Samaritanorum non recipiebantur, minùs mendicare poterant.

S. Hier. super Matth. 17.

Ex loculis igitur inferri nõ potest Christum aut Apostolos Dominium aliquod aut Proprietatem, aut Iuris Ciuilem vsum habuisse, sed ad informandam futuram Ecclesiam formam aliquam communi cœtui qualiter egentibus prouideri posset, exhibuisse. Quæ forma statim à principio post Ascensionem, & Spiritus sancti Missionem vsurpata est in Iudæa; cùm omnes adferrent pecunias ex diuenditis agris ad pedes Apostolorum, vt necessitatibus omnium prouideretur; vbi Apostolos nudam administrationem habuisse constat, quam & statim septem Diaconis dimiserunt, vt verbo Dei quietiùs vacarent. Quod verò allegabatur Dominum in priori rigore de non portanda pera & pecunia, dispensasse cum Apostolis Lucæ 22. dum ait: *Nunc autem qui habet sacculum tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Breuiter dicendum est hanc dispensationem non fuisse, nisi declarationem, qualiter in extrema necessitate se gerere possent, tempore nimirùm persecutionis: Vnde Beda & Glossa ordinaria: *Non enim eadem* (aiunt) *viuendi Regula tempore persecutionis, quæ pacis tempore Discipulos informat: Missis quippe Discipulis ad prædicandum, nè quid tollerent in via præcepit, ordinans, scilicet, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant: Instante verò mortis articulo, & totâ illâ gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam temporis Regulam decreuit, permittens vt tollant victui necessaria, donec sopitâ persecutorum insaniâ, tempus Euangelizandi redeat. In hoc quoque datur nobis exemplum, iustâ nonnunquam causâ existente, quædam de nostri rigoris proposito sine culpa intermitti,* &c. Et in his & similibus dicitur Christus condescendisse infirmis, & infirma nostra assumpsisse, vt nobis in huiusmodi casibus & consilio, & auxilio, & solatio esset: Qui extra necessitatis angustias; imò & in angustijs nos ad Perfectionem semper vocabat.

Lucæ 22. vers. 36. *An à Christo dispensatum, de non portanda pera.*

Beda.

Glossa Ord.

Ad Decreta *Ioannis XXII.* quarto loco allegata, longior aliquis discursus requireretur, qui hoc loco rædium pareret, & quia Historicus est illum ad Titulum & Fundamentum aliud remittendum putauimus: Vbi §. 3. *Persecutiones contra Altissimam Paupertatem Fratrum Minorum diuersis temporibus excitatas* expendemus: Hoc tamen loco dissimulandum non est: *Ioannem XXII.* cùm Ordini propitius esset, edidisse vnam Extrauag: quæ incipit: *Quorumdam exigit,* & habetur *Tit. de verborum significatione cap. 1. in 6* in qua multo præconio approbat Decretalem *Nicolai III. Exyt qui seminat,* & Decretalem *Clementis V.* quæ incipit, *Exiui de Paradiso:* In quibus omnia quæ de Paupertate Christi & Apostolorum, ac Fratrum Minorum controuersa erant, declarantur, & definiuntur; De quibus sic loquitur: Idem *Ioannes XXII. Nos* (ait) *post Prædecessorum nostrorum & præsertim Fœl: Recor: Nicolai III. & p.m. Clementis V. Romanorum Pontificum super intellectu, & obseruantia Regulæ Ordinis Fratrum Minorum, Declarationes salubriter editas, solidas quidem & claras, & lucidas, multaq; maturitate digestas, nostras Domino fauente indubias ipsorum Prædecessorum Declarationibus Declarationes adiungimus,* &c. Qui nihilominùs posteà contra Ordinem exacerbatus: Illas Declarationes *Nicolai III.* & *Clementis V.* partim reuocauit, partim in aduersum sensum explicare conatus est in Extrau. Ad *Conditorem Canonum,* & *Cùm inter nonnullos* Sublatis siue suspensis priùs per aliam Decretalem quæ incipit: *Quia nonnunquam.* Excommunicationibus latis a *Nicolao III.* contra Glossantes Decretalem *Exyt qui seminat:* Quæ omnia videri possunt toto Tit. 14. de Verborum significationibus.

Fundam. 10.

Ioan. XXII.

Vt igitur paucis respondeamus: Dicendum est 1. *Ioannem XXII.* in suis Decretalibus Ad *Conditorem Canonum:* & *Cùm inter nonnullos:* & *Quia quorumdam mentes,* multùm subtiliter, & Philosophicè, ac secundùm apices, & terminos Iuris Ciuilis, & Imperatorum, rationes Dominij, Iuris, vsus Iuris, &c. examinasse & ad eosdẽ terminos Declarationes *Nicolai III.* & *Clementis V.* accommodare voluisse: Ideò non mirum si intra limites Iuris Ciuilis. 1. Docuerit vsum simplicem facti à Dominio, & vsu Iuris nõ potuisse separari. 2. Rerum quibus Fratres vtuntur Dominiũ, quod Summi Põtifices Prædecessores in se, & Romanæ Ecclesiæ Dominium receperant, à se & S. Sede abdicasse, & consequenter Syndicos, & Procuratores nomine Romanæ Ecclesiæ constitutos destituisse. 3. Docuisse Christum & Apostolos in loculis vsum Iuris habuisse: Illa enim omnia ex principijs & angustijs

Citra Paupertatem FF Minorum quid egerit Ioannes XXII.

Iuris

Iuris Ciuilis inferuntur; quæ tamen se sequi noluisse *Nicolaus III.* cap. *Exijt qui seminat* protestatus est: Verùm considerato Theologicè Jure Primario, naturali diuino, quod attenderunt Prædecessores Pontifices maximè *Nicolaus III.* & *Clemens V.* reperiuntur sanctè & solidè omnia declarasse. Vnde subsequentes Pontifices restitutis illorum *Declarationibus* in perpetuum à Fratribus Minoribus illibatè obseruandis, *Decretalibus* alijs sæpedictis *à Ioanne XXII.* in contrarium editis derogarunt: Vt autem omnia distinctiùs intelligantur, pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Decretales Ioan XXII. contra Paupertatem editæ sunt reuocatæ.

Decretalibus Ioannis XXII. Ad Conditorem Canonum, & cæteris super Paupertate Fratrum Minorum editis, sequentes Pontifices, & Concilia derogarunt, aut *explicitè*, aut *æquiualenter* seu *implicitè*: *Explicitè* quidem derogarunt *Paulus IV.* in Constitut. quæ incipit: *Ex Clementis Sedis*, &c. *Data Romæ apud S. Marcum die* 3. *Iulij* 1555. *Pontif. anno* 1. in qua cùm absolutè declarasset: Omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres Minores vti possunt, Dominium & Proprietatem omnimodè, & nullo medio ad Romanam Ecclesiam spectare: & Syndicos ad eatum administrationem constituisset contra *Constitutionem Ioann. XXII. Ad Condstorem Canonum* Eidem Constitutioni & alijs ad eandem materiam pertinẽtibus absolutè derogat, his verbis: *Non obstante* (ait) *Extrauagante, Ad Conditorem Canonum Ioan. XXII. cum alijs Extrauagantibus, eandem materiam predicta Extrauagantis tangentibus seu cõcernentibus.* Qui etiam ijsdem Extrauagantibus derogatum fuisse testatur in eadem Bulla per *Martinum V. Eugenium IV. Nicolaum V. & Sixtum IV.* Eandem derogationem dictæ Extrauagantis cum cæteris resumit *Gregor. XIII.* apud Confectum *Bulla VI. Implicitè* autem illi derogarunt, quotquot post illum: Omnia quæ ad vsum Fratrum Minorum pertinent, in quibus donantes Ius aliquod sibi non reseruarunt in Dominium, & Proprietatem Romanæ Ecclesiæ absolutè resumpserunt; vt *Alexander VI.* in Bulla quæ incipit: *Vberes fructus. Data Romæ* 10. *Iuly* 1494. *Pontif. an.* 2. cõfirmans litteras suorum prædecessorum: qui concessit Minoribus; vt *vsum bonorum dictis* (inquit) *Fratribus, & eorum Ordini quouis modo licito relictorum, proprietate seu dominio apud Romanam Ecclesiam remanẽte, percipere & habere possent.* Similiter: *Implicitè* derogarunt dictis Extrauagantibus: Pontifices qui post Joannem XXII. voluerunt & declarauerunt Fratres Minores debere simpliciter obsequare Declarationes *Nicolas III.* & *Clementis V.* vt nouissimè *Vrbanus VIII.* in Bulla quæ incipit: *Sacro-sanctum Apostolatus ministerium, Data Romæ apud S. Mariam Maiorem* 1. *Octob.* 1629. Huic etiam abrogationi confert: Quòd in Capitulis Generalibus communiter protestatio fiat de duabus illis Declarationibus *Nicolai III.* & *Clementis V.* vt dictum est, obseruandis. Sic in *Capitulo Toletano* 1606. in *Romano* 1612. In *Toletano* 1633 & alijs, quorum Acta à Summis Pontificibus sunt per breuia Apostolica approbata.

PROPOSITIO II.

Terminus controuersorum in illis Decretalibus æquiuocatio ostenditur.

QVæstiones exagitatæ in Extrauagantibus supradictis *Ioan. XXII.* laborãt in terminis æquiuocis, adeoque nihil contra Declarationes Præcessorum concludunt. *Ex. gr.* In verbo *Habere*: Quod æquiuocum est, Ad *Possessionem, vsum Iuris, & simplicem facti vsum* Imò & *simplicem administrationem*, vt in prænotatis exemplificatum est: Vnde Christum & Apostolos habuisse loculos, vt vult *Ioannes XXII.* extra controuersiam est: Si pro *Habere* intelligatur simplex administratio, quam gerebãt respectu Comitiuæ, & egenorum, vel etiã ipsorum, pro necessitatibus suis: Quamuis rarissimè ad loculos recursum habuerint Apostoli, qui leguntur & defectu panis vellicasse, & comedisse spicas in Sabbatho, quin & Christus *Matth.* 21. cùm post solemnitatẽ ingressus in Hierusalem abijsset foras, manè rediens *esuisse* legitur, & ad ficulneam recurrisse, cui maledixit. Quî enim passi sunt tantam famem & inediam, si pro suo libitu loculos habebant, ad quos recurrerent. *Item:* particulæ; *vsus Iuris* æquiuocationem continent, ad *Ius Ciuile*, & *Ius vniuersale naturæ*, si enim *Ioan. XXII. vsum Iuris Ciuilis* velit cõpetere Fratri Minori; Certum est Fratres Minores in praxi contrarium obseruasse, nec *Iure Ciuili* sibi quippiã arrogasse, quippe qui alienis vtuntur, vt serui Dominorum panem comedẽtes. Et hoc quidem quod vrgetur, quasi in vsu-consumptibilibus, *vsus* a Dominio separari non posset, perspicuè fictitium est; cùm famulus esca Domini vescatur & inuitatu ad conuiuium cibos non suos, sed inuitantium consumant. Si quid itaque Iuris Fratres Minores in vsu suo habeant, illud vel alienum est, vtpote Dominorum, quorum licentiâ res ipsorum consumunt, vel Iure vniuersali naturæ fruuntur, vtentes rebus suprem Domini: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis cornorum inuocantibus eum:* Qui *vestit fœnum quod*

Matth. 12. vers. 1.

Matth. 21. vers. 18.

Psal. 146. vers 9. Lucæ 12. vers. 28.

quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, meliùs quàm *Salomon* seruos suos. Vnde lusus quidam subtilis est in verbis æquiuocis dum quæritur: An *iustè*, An *iniustè* Frater Minor rebus sibi concessis vtatur? & infert: Si enim Frater Minor *iustè* vtitur, ergo *vsum Iuris* habet, &c. Clara est enim vocis abusio: Illis enim rebus *iustè* quis vtitur, quando nullius iniuriâ, siue quando legitimè vtitur: vtitur ergo Frater Minor veste aut cibo, vel absque Iure, ex indulgentia & beneplacito Domini, vel Iure vniuersali creaturæ, in ijs quæ Dominum non habent, & vniuersaliter iustè vtitur, vt iustum & fas idem significat. Vndè sit

PROPOSITIO III.

Rerum quibus F. Minores vtuntur Dominium ad quos spectet.

RES quibus Fratres Minores vtuntur, aut earum Dominium donantes retinuerunt, aut retinent, aut Ecclesia Romana in Dominium, & Proprietatem suam illas recepit, aut Jure aliquo & dispositione Ciuili in Magistratus & dispositionem politicam transierunt: Quod si nulli Dominium reseruatum est, redeunt illa bona ad Ius naturale, quod fuit ante diuisionem tamquam Deo consecrata, & Creatori reddita: si itaque alicui Dominio Politico, Ecclesiastico, vel Ciuili res quibus vtuntur Fratres Minores subiectæ remanêt, *titulo legitimæ facultatis & indulgentiæ* Fratres Minores illis vtûtur: si nullius *Dominij Politici* sint, ad primatiam rerum communitatem reuertendum, vt Dei sunt, & vniuersali Jure illis pro necessitate naturæ vtûtur, cui (vti diximus aliàs) Frater Minor renuntiare non potest.

Petes: Cur ergo Pontifices in Dominium ac Proprietatem Sedis Apostolicæ res illas receperunt in quas donantes vel concedentes Dominium vel Ius non retinuerunt? *Resp.* Prouidè factum esse, ad euitandam confusionem. 1. Quia cùm res pro amore Dei sic Fratribus Minoribus traditæ sint Deo consecratæ, & Fratres Dominij & Iuris Politici incapaces sint, nè confusio oriretur, Ecclesia Mater earum Dominium suscepit, & eas primò quidem per Cardinalem Protectorem, & Episcopos administrari voluit, demùm Syndicos, & Oeconomos institui ordinauit. 2. Quia vbi Ecclesia abdicasset earum Dominium, cùm ad Ius Dei commune reducerentur, reputata fuissent primò occupantis, vt igitur saluaretur pia donantium intentio, quâ Deo pro necessitate Fratrum consecratæ erant. Res illas in suum Dominium Ecclesia recepit, nè ab alijs inuaderentur. *Res* itaque dicuntur *Fratrum Minorum*, quia Deo in necessitates Fratrum Minorum consecratæ sunt, vt *vsum facti* in illis habeant, saltem Iure Poli, quo vt quondam dicebat Apostolus Corinthijs Epist. 1. c. 3. *Omnia* (inquiens) *vestra sunt, sine Paulus, sine Cephas, sine Apollo, sine mundus, sine vita, sine mors, sine præsentia, sine futura: Omnia enim vestra sunt. Vos autem Christi, Christus autem Dei:* q.d. Omnia in vestram vtilitatem & obsequium salutis ordinata sunt. Et hæc sufficiant. Qualiter autem Dominium rerum remanens apud donantes vel alios, non sit inutile, patebit ex Parapho sequenti. 1. Cor. 3. vers. 22.

§. IV.

Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum vtilitas.

Paupertatis vtilitas tripliciter consideratur.

VTilitates Paupertatis tripliciter considerari possunt. 1. Respectu ipsius Fratris Minoris: 2. Respectu eorum qui Fratribus Minoribus necessaria subministrant. 3. Respectu mercedis quæ siue Pauperibus, siue Pauperum benefactoribus, ex illarum rerum cessione, vel vsu aduenit.

Paupertatis vtilitas quoad Fratres.

Et quidem: Quoad ipsos Pauperes Fratres hunc velut Codicem quidam Anonymus Fratribus Paupertatem Euangelicam sectantibus texuit. Et quidem 1. *Paupertatis* penuriâ purgantur à crimine. 2. *Paupertatis* erubescentiâ humiliantur in corpore. 3. *Paupertatis* parsimoniâ castificantur in carne. 4. Ipsius deuotâ gratitudine conciliantur ad proximum. 5. *Paupertatis* qualitate configurantur ad Christum. 6. *Paupertatis* Celsitudine sursùm aguntur ad Deum. De primo S. Gregor. homil. de Lazaro & diuite: *Mala* (ait) *Lazari purgauit ignis inopia, & bona diuitis remuneranit fœlicitas transeuntis vitæ: Illum Paupertas afflixit & terfit: illum abundantia remuneranit & repulit.* Et Chrysost. hom. 2. in Epistolam ad Hebræos de omnibus vniuersaliter: *Christianus in Paupertate constitutus excludit à se superbiæ typum: Non erit arrogans, sed patiens, abstemperans, pudicus, & mitis.* Amplissimè Anonymus ille in firmamêto trium Ordinum: *Paupertas* (ait) *est fœlicitudinum depositio: Curæ vitæ pratereuntis priuatio: Itineratio sine impedimento: Tristitiæ alleuiatio: Fides Mandatorum: Fundamenta Pacis: Mundiciæ semita:* Et subdit: *Pauper veligiosus est totius mundi Dominus: Deo curam sui credens & committens: Per fidem omnes possidens seruos: Non loquetur aut dicet homini nisi coactus de necessitate sua: Venientia verò suscipiet, quasi de manu Domini ad extremam necessitatem.* Quæ omnia quàm vera sint verus Frater Minor experitur, cui iactanti cogita-

S. Gregor. hom. de Laz. & diuit.

D. Chrysost. hom. 2. in Ep. ad Heb.

Anonymus in firmam. 3. Ord.

cogitatum suum in Domino, horum omnium nihil deest, sed in illo cuncta complentur.

Paupertatis vtilitas quoad benefactores.

Quod verò attinet ad vtilitatem eorum quorum bonis Frater Minor perfruitur: siue benefactor Dominium in se retineat, siue illud in Deum totaliter refundat, plumam sanè vtilitatem, & messis plenos manipulos reportat. Vnde *Nicolaus III.* Extrau. *Exyt qui seminat art.* 2. vbi refutans, quòd *Cimilis prouidentia in humanis* (ait) *rebus humanè constituit, videlicet, non posse vsum vel vsum fructum à Dominio separari; Nè Dominium Dominis redderetur inutile*: Sic loquitur: *Retentio namque* (inquit) *Dominij, cum concessione vsus facta pauperibus, non est infructuosa Domino, cùm sit meritoria ad æterna, &c. Qua tanto sibi censetur vtilior, quanto commutat temporalia pro æternis.* Hæc ille. Nó abs re: Si enim Matth.10. Christo attestante Matth.10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aqua frigida tantùm, in nomine Discipuli, non perdet mercedem suam*, quomodò inutiles erunt eleëmosynæ, quas Domini profundût in vsum & vtilitatem Fratrum Minorum, qui & Apostolicum inter Discipulos gradum hæreditarunt.

Matth.10. vers.42.

Vtilitas sanè Dominis magna; quando eorum bona consumuntur, restituenda in Æternitate, cùm per bonorum suorum consumptionem, consumantur & eorum peccatá: cùm in sinu pauperum sua bona abscondunt, vt clament continuè ad Dominum: Eleganter Chrysost. homil.33.ad Populum Antiochenum: *Ex his quæ hic erogas illic repetitio mutuũ, & fœnus, & debitũ: Nam chirographa Deus tibi facit: Ait enim: Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Rursùm: etiam ad maiorem firmitatem, & plenã securitatem: *Deus arrhabonẽ tibi dedit, & vadis, & hæc cum Deus sit: Quam arrhabonem? Præsentis vitæ sensibilia, spiritualia futurorũ primordia.* Hæc Chrysost Qui & plura eadem homiliâ accumulat. Alia non minoris elegantiæ ab alijs referuntur, quæ pertranseo nè longior fiam. Vnum solùm ex Oraculis S. Patris lubet addere, Oraculo 4. *Thesaurus* (ait) *beatifica paupertas adeò excellens est & diuinus, quod nos indigni sumus in vasis nostris illum possidere: Hæc enim est illa virtus per quam terrena & transitoria cuncta calcantur, per quam obices omnes tolluntur è medio, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur: Hæc est quæ animam in terris positam, facit cum Angelis in cœlo conuersari: Hæc est quæ Christum in Cruce sociat, cum Christo in tumulo absconditur, cum Christo de Sepulchro resurgit, & Christum comitatur in cœlum: Hæc est quæ dotem agilitatis super cœlos volandi animabus ipsam amantibus, etiam in hac vita concedit, cum vera humilitatis & charitatis alas se amantibus impetrat.*

Prou 19. vers.17.

S. Chrysost. homil 33. ad Pop. Ant.

Paupertatis laus.

S. Francisc. Orac.4.

§. V.

Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum Triumphus.

Paupertatis Franciscana triumphus.

HÆc est Franciscanæ Religionis gloria, Paupertate omnia vincere. Paupertate de Seipsis, de Mundo, de Diabolo triumphare: ita vt quod de Chaldæo exercitu Israelitas subiugante, aliquandò dixit Abacuc, meliori augurio de Ordine Frãciscano verificatũ sit: *Ipse* (ait) *de Regibus triũphabit, & Tyranni ridiculi erunt: Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Quia: *Si fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia, nec virtus altius ire potest*: Paupertate quidem, concupiscentia carnis sternitur, concupiscentia oculorum ruit, superbia vitæ conculcatur: *Arma* enim *militiæ* huius, *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollẽtem se aduersùs scientiam Dei*: Quæ in duodecim Apostolis de vniuerso Orbe triumphantibus admirans S. Chrysost. homil.46. super Matthæum: Totum triumphum attribuit Euangelicæ Paupertati: Sic portò describit: *Si* (ait) *duodecim homines orbem terrarum connexerunt, excogita quanta est nostra malitia, cùm sanis existentes, eos qui erant non possumus corrigere, quos decem millibus mundi oportebat sufficere, & esse fermentum*: Et modum quo mundum conuerterũt exquirens subdit: *Sed signa* (inquit) *habebant?* Respondet: *Sed non signa eos mirabiles fecerunt: Multi enim, etiam dæmones proyciẽtes, quia iniquitates operati sunt, non satis mirabiles, sed puniti fuerunt.* Et prosequitur: *Sed quid, inquam est, quod eos magnos ostendit?* Et cõcludit: *Pecuniarum* (inquit) *contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vita huius negotijs ereptio: Quia si hoc non habuissent, etiamsi decem millia mortuorum suscitassent, non solùm nullis profecissent, sed & seductores æstimati essent.* Hæc ille: Qui & homil.vlt. in Matthæum: *Paupertas* (ait) *Regina est, non subiecta, sed inuicta, Portus tranquillus, Palestra & Gymnasium Philosophiæ.* Quibus consonat Damascenus lib. 3. cùm dicit: *Euangelium diuinæ cognitionis prædicatum, non in bellis & carneis exercitibus aduersaries deuincens; sed pauci, nudi, pauperes, & illiterati, verberati, & mortificati, Crucifixum mortuum prædicantes, sapientibus, & insipientibus prænaluerunt.*

2.Cor.10. vers.4.

S. Chrysost. hom.46. super Matth.

Idem hom. vltim. in Matth.

Damascen. lib.3.

S. Franciſcus quomodo Paupertate triumphauerit.

§. Hoc Paupertatis ſigno S. Franciſcus mundum, carnem, diabolum deuicit in hora tranſitus *Qui enim à principio Religionis* (teſte S Bonau. c. 7. vitæ) *tunicâ, cordulâ & femoralibus dines iis contentus fuerat, horâ tranſitus adueniente, vt* (eodem teſte cap. 14) *veritatis exemplo monſtraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam grani qua omnem languorem concluſit: ſuper nudam humum ſe totum in feruore ſpiritus nudatum proſtrauit, quatenus horâ illâ extremâ in qua poterat adhuc hoſtis traſci, nudus luctaretur cum nudo &c. Gaudet ex hoc vir ſanctus, & iubilat pra lætitia cordis, quoniam fidem tenuiſſe Domina Paupertatis vſque in finem ſe vidit, palmaſq; leuans ad cœlum (chriſtum ſuum magnificat, pro eo quòd exoneratus ab omnibus, liber euaſit ad ipſum.* Infrà: *Voluit certè per omnia (chriſto Crucifixo eſſe conformis, qui pauper & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio conuerſionis ſua nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vita nudus voluit de mundo exire: Fratribuſq; ſibi aſſiſtentibus in obedientia charitatis iniunxit, vt cùm viderent eum iam eſſe defunctum, per tam longum ſpatium nudum ſuper humum iacere permitterent, quòd vnius milliarij tractum ſuauiter quis perficere poſſet.*

S. Bonau. c. 7. vitæ.

Idem c. 14.

Sub hoc vexillo Paupertatis voluit Fratres ſuos militare, cuius virtute in omnes mundi plagas penetrarunt, & Apoſtolicâ ac Euangelicâ paupertate fœcundo velut vtero nati, in omnem terram Chriſtum Crucifixum annuntiantes diſperſi ſunt: Hoc vtique ſolo ſanctæ Paupertatis viatico; *Iacta* (aiebat ſingulis quos ad prædicandum mittebat) *cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Vnde S. Bonauentura cap. 4. vitæ eius, cauſam referens cur à principio Fratres Minores (vt ait) quotidianis ſuccreſcentes profectibus, vſque ad fines Orbis terræ celeriter peruenerint: *Faciebat namque* (inquit) *S. Paupertas, quã ſolam deferebant pro ſumptibus, ipſos ad omnem Obedientiam promptos, robuſtos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilq; timebant amittere, ſecuri erant vbique, nullo pauore ſuſſĕſi, nullâ curâ diſtracti, tamquam qui abſque mentis turbatione vluebant, & ſine ſollicitudine diem craſtinum & ſerotinum hoſpitium expectabant.* Hæc S. Bonau. Qui &, ibidem, refert Saracenum paupertate Fratris pecuniâ recipere nolentis victum, ſe illi ad omnia neceſſaria miniſtranda paratum obtuliſſe, quamdiu facultatum ſibi aliquid ſupereſſet. Virtutem verò ſpiritus Paupertatis, ad omnem victoriam declarat factum S. Franciſci, de quo Marianus cap. 13. §. 1. Cùm enim S Pater aliquando cum Fratre Maſſæo Romam pergeret, tantiſper digreſſus in templo quodam apud Deum inſtitit, vt ſibi & ſuis ſanctæ Paupertatis amorem inſpiraret, idque tanto feruore, vt ex facie ignis micare videretur. Mirabile dictu! Hoc diuino ardore incitatus Fratrem Maſſæum ad ſe vocãs. & eum complexatus: Tantus fuit Franciſco æſtus interior, vt anhelitu ſolo per oris hiatum erumpẽte, multis Maſſæum cubitis in ſublime eiaculatus ſit: In quo alcenſu is poſteà ſæpiùs enarrauit tanta ſe dulcedine delibutum, quantam antea nunquam in ſua vita guſtaſſet: Hunc porrò motum à virtute Paupertatis prouenſſe teſtantur verba quæ S. Pater ſubiunxit: *Hæc* (ait) *eſt virtus de cœlo in nos influens, qua nos ita inſtituit & informat, vt terrena cuncta vltrò conculcemus, quaque obices omnes è medio tollat, quo humana mens, cum Domino Deo ſuo liberrimè atque expeditiſſimè coniungatur.* Infrà: *Hæc eſt qua dotem agilitatis ſuper cœlum volandi animabus ipſam amantibus etiam in hac vita concedit,* &c. *Eamus proinde* (ait) *Romam rogatum Apoſtolos ſanctiſſimos, vt hanc gratiam nobis impetrent à Domino Ieſu (chriſto*, quod & factum & impetratum fuiſſe ibidem narratur.

Pſalm. 54. verſ. 23.

Totius verò Triumphi Paupertatis Altiſſimæ medullam complexus eſt Chriſtus Matth. 19. Cùm Petro pro omnibus profitenti: Quòd omnia reliquiſſent, vt eum ſequerentur, reſpondit: *Amen dico vobis quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* En triumphales ſedes iudicantium ipſis ob Paupertatem aſſignatæ. Vnde S. Bernardus in Pſal. Qui habitat: *Fœlix* (ait) *Paupertas voluntariè relinquentium omnia, & ſequentium te Domine Ieſu: Fœlix plane qua tam ſecuros, & tam glorioſos facit, in illo ſingulari fulgore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine iudiciorum.* Et alibi diſtribuẽs qualitatem Triumphi ſanctæ Paupertatis: *Pro pudore* (ait) *ſit honor Iudiciaria poteſtatis: Pro labore refrigerium placidiſſima ſeſſionis: Hæc enim eſt qua caſtigat, purgat, humiliat, & exaltat.*

Matth. 19. verſ. 29.

S. Bern. in Pſal. qui habitat.

TITVLVS VII.

FVNDAMENTVM VII.

ORDINIS ET REGVLÆ FRATRVM MINORVM.

Euangelica & Transcendentalis Obedientia

Comparata

CHRYSOLITHO *septimo Apostolico Fundamento.*

CHRYSOLITHVM describunt Interpretes Apocalypsis: *Lapidem pretiosum, auri speciem præferentem*, qui etiam ardentes scintillas diffundat, & suâ virtute nocturnos timores repellat: Porrò cum aureo colore similitudinem quandam marini coloris ei appingunt, ob quam rationem, nomine *Tharsis* apud Hebræos appellari dicunt ex Hieronymo super Danielem ad illa verba cap. 10. *Et corpus eius Chrysolithus.* Designatam autem volunt Charitatem probatissimam, & auream Apostolorum, quâ, Obediẽtiam Spiritus sequentes, in vniuerso Orbe scintillas sacræ Doctrinæ diffuderunt, nocturnos Principum tenebrarum huius mundi timores pellentes, & marinos quasi vortices conculcantes. *Chrysolithi qualitas.*

Obedientia sanè Fratrum Minorum *Auri* non tantùm speciem, sed & virtutem possidet, quia à charitate procedit, & in charitatem resoluitur, de quibus Petrus Epist. 1. cap. 1. *Animas vestras castigantes in Obedientia charitatis. Ardentes scintillas* diffundit, dum ob amorem Dei omnia difficilia superat; *Nocturnos timores* repellit, dum omni iudicio proprio abrenuntiat; *Marinos fluctus* præ se fert, dum cum Petro obediente, etiam calcatis fluctibus omnis humanæ considerationis, omnibus se exponit. De quibus pono sequentes Paragraphos. *Chrysolithus Obedientia cõparatur FF. Minorum.* 1. Pet. c. 1. vers. 22.

§. I.

Obedientiæ Fratrum Minorum Explicatio.

Obedientia quid. Climacus Abbas.

CLimacus Abbas Montis-Sinay definire volens Obedientiam: *Obedientia* (ait) *est anima propria cõsummata abnegatio, per corpus manifeste monstrata:* Siue: *Perfecta corporis abnegatio per animam ex voluntate feruenter ostensa.* Dico ego conformiter ad Euangelium: *Obedientia Fratris Minoris est abnegatio omnimoda suiipsius, ob sequelam Christi:* Fundatur hæc descriptio in illo Euangelico Matthæi 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.* Quid enim est *Abnegare semetipsum?* nisi abnegare proprium iudicium, proprium sensum, propriam voluntatem? Quid est *tollere Crucem suam?* Nisi nulli difficultati, nulli labori, nulli periculo cedere, ad alienam voluntatem explendam? Quid est *sequi Christum?* Nisi, *Hoc* *Obedientia Fratris Minoris quid.* Matth. 16. vers. 24.

Philip 2. vers 5. *Hoc ipsum sentire, quod & in Christo Iesu?* Et quod fuit illud sentire in Christo Iesu?

Vers. 7. Vers. 8. nisi: *Quòd semetipsum exinaniuit*, nisi quòd, *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis:* Hoc est Exemplar *Obedientiæ* Fratrum Minorum: Qui (testante Sancto Patre) *propter Deum abnegauerũt proprias voluntates*: Ergo Obedientia Fratris Minoris fundamentaliter consistit in abnegatione omnimoda propriæ volũtatis, facta in manus Superiorũ propter Deum *Omnimoda* (inquam) quia in licitis, & honestis nil penitùs sibi reseruauit: *Propria* quidem *voluntatis*, quia alienæ se in omnibus subijcit, ita vt quæcumque Frater Minor agit, de beneplacito, & voluntate Regulæ suæ, & Superiorum agere censeatur, paratus ad alia quæcumque si Superiores mãdent: Dicitur autem *propter Deum*, quia *Obediẽtia* Fratrum Minorum vnicum motiuum est Diuina voluntas, per Superiores aut Regulam explicitè aut implicitè cognita. Et hęc Obedientia Euangelica, quam Christus docuit & suo exemplo firmauit, est fundamentum totius Religionis, & Ordinis Fratrum Minorum. Hac enim de causa, dicuntur in Regula Fratres: *Finito anno Probationis recipi ad Obedientiam: Obediẽtia* enim vota omnia dirigit, vnde & Regula ex Præceptis tã formalibus, quàm æquipollentibus, siue etiam vim Præcepti habentibus, tota coalescit. quæ sunt Obedientiæ rami, & velut effectus. Consistit

Obedientia in quibus consistat. porrò Obedientia 1. *In omnibus quæ promiserunt Domino obseruare*, nimirùm, in Obseruantia Regulæ & vitæ iuxta illud c. 1. *Promittentes vitam istam semper, & Regulam obseruare.* 2. In ijs quæ ad prædicta quouis modo spectant. 3. In omnibus quæ eis non contradicunt, siue *quæ non sunt contraria animæ & Regulæ*. Quorum omnis transgressio iuxta qualitatem vnius cuiusque expendi debet.

Obedientia FF. Minorum quanta. Ex quibus omnibus patet *Obedientiam* Fratrum Minorum esse *Amplissimam, Generalissimam, & Perfectissimam: Amplissimam* quidem; quia intra terminos liciti, & honesti nullis concluditur limitibus: *Generalissimam* verò; quia ad omne bonum extenditur: *Perfectissimam*, eò quòd motiuo summo Charitatis sit commissa: Hoc sanè sensu S. Pater Franciscus, in rationibus propter quas eius Ordo, & Fratres dati sunt Ecclesiæ, hanc secundã ponit: *Vt* (ait) *essent testes, & imitatores excellentissimæ, & perfectissimæ Obedientiæ Christi; quæ non solùm Deo Patri suo obediens factus est pro nobis vsque ad mortem crucis; sed sibi etiam longè inferioribus*, &c. & exemplificat de Parentibus, Principibus malis, & Sacerdotibus, ac Scribis & Pharisæis populum regentibus. Vnde infert: *Perfectissimus* (ait) *ac Euangelicus obediendi modus & gradus est, obedire propter Deum talibus & alijs, non solùm in his quæ quis promisit ex Regula obseruare; sed etiam in omnibus quæ non sunt contraria animæ, & Regulæ suæ, sine alia limitatione vel repressione facultatis, aut inquisitionis, vel obedientiæ Regularium Prælatorum suorum.* Et hæc est *Obedientia* quã vocant Patres *Obedientiam Perfectionis*, vt distinguitur contra *Obedientiam necessitatis*, quæ coarctatur terminis Regulæ suæ, de qua Sanctus Bernard. lib de Præcepto & Dispensatione cap. 8. *Nihil* (inquit) *mihi Prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea nec augeat sine meæ voluntatis, nec minuat sine certa necessitate.* Et cap. 7. *Is qui profitetur spondet quidem Obedientiam, sed determinatè secundùm Regulam.* Et hæc est Obedientia communis cunctis Religionibus: *Obedientia* autem Fratrum Minorum *Transcendẽtalis* est, & simpliciter voluntati, & nutui Superiorum subijcitur in omni possibili, honesto & licito: Et hæc est quam B. Laurentius Justinianus l. de Ligno Vitæ tract. de Obedientia vocat *spontaneum & rationale propriæ voluntatis sacrificium* De quo etiam D. Greg lib. 35 Moral. c. 10. ad illud 1 Reg 15. *Melior est Obedientia quam victimæ. Quia* (ait) *per victimas aliena caro, per Obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Quàm elegantissimè describit S Bernardus sup. cap 9 *Perfecta Obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs Professionis, largiore voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisq; animi, modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* Hæc S. Bern. sed de his latiùs infrà.

Obedientia alia perfectionis, alia necessitatis.

Bern lib de Præcept. & Disp c. 8.

Idem c. 7.

B. Laurent. Iustin. l. de Ligno Vitæ Tract. de Obed.

S. Greger. l. 35. Moral. c. 10.

S. Bernard. sup. c. 9.

§. II.

Obedientiæ Fratrum Minorum Perfectiones, & Proprietates.

EX dictis superiori Paragrapho sublimitas quidem Obedientiæ Euangelicæ Fratrum Minorum in genere suppositæ est; sed eam modò per gradus, perfectiones, & proprietates accipe. Sanè S. Bernard. perfectiones Obedientiæ per actus exprimere volens, septé qualitatibus actus perfectæ Obedientiæ exornat. 1. Vt qui obtemperat, obtemperet *Libenter*, id est spontaneè, & relignatâ voluntate, quippe qui alienam voluntatem, suam facit. 2. Vt, *Simpliciter*, secluso, nimirùm, omni proprio iudicio & rationis disceptatione,

Obedientia perfecta septem qualitates. S. Bernard.

3. Vt

3. Vt *Hilariter*, non vtique aut tristitiâ, aut necessitate, 4. *Velociter*, absque remota, & tergiuersatione. 5. *Viriliter*, cum magnanimitate, & animi fortitudine aspera quæque superando exemplo illius: *Qui factus est Obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* 6. *Humiliter*, absque aliquo fumo vanitatis vel superbiæ. 7. *Indefinenter*, vsque ad coronam gloriæ, quæ perseuerantibus, & vincentibus tantùm datur. Has perfectiones in Euangelica Obedictia Fratrum Minorũ eminentiori modo contineri docuit S. Bernardinus Senensis in Tract. de Obedientia Fratrum Minorum a. 1. c. 1. Qui quatuor in excellentissimo gradu illi attribuit proprietates: Nimirùm; Quòd Obedientia Euangelica Fratrũ Minorum: sit in summo *Abdicatiua* siue *separatiua*: In summo *vnitiua*: In summo *præseruatiua*: In summo *promotiua*. Et quidem 1. in summo *Abdicatiua* siue *separatiua*: Quia cùm nulli rei creatæ adhæreamus, nisi voluntate adhæreamus: nihilq; nobis sit carius, intimius, & magis propria libertate, & facultate vsus illius, quippe quæ naturaliter magis diligitur, aut quâ priuari affectui naturali durius nihil est: Consequenter, Qui propriæ libertati renũtiauit, & in abdicatione omnimoda, propriæ voluntati propter Deum cessit, eminenter omnibus cessit, ab omnibus abstractus est, & pariter à nulla re lædi potest. Hanc Obedientiæ excellẽtiam Fratres Minores vouẽt, de quibus in Regula dicitur: *Fratres verò qui sunt subditi, recordẽtur quod propter Deum abneganerint proprias voluntates.* Sublatâ autẽ propria voluntate propter Deum, omnis affectus creatus sublatus est. Vnde S. Gregor. in illud 1. Reg. 15. *Melior est Obedientia, quàm victima: Obedientia* (inquit) *victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro: Per Obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Hinc Psalmista: *Voluntariè* (ait) *sacrificabo tibi.*

Philip. 2. vers. 8.

Obedientia FF Minorum 4. proprietates.

Abdicatiua.

Regula c. 10.

S. Gregor. in 1. Reg. 15.

Psalm. 53. vers. 8.

2. In summo *Obedientia* Euãgelica Fratrum Minorum *Vnitiua* est: Non enim in sola volũtatis abdicatione Obedientia Fratrum Minorum cõsistit, sed in ipsius intra subordinatas Superiorum manus integra resignatione probatur: Vnde in Textu Regulæ: *Firmiter* (ait) *præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserũt Domino obseruare*, &c. vbi nomine *Ministrorũ* intelliguntur omnes Superiores ordinatâ subordinatione Fratribus inuigilantes, nimirùm, *Guadiani, Custodes, Prouinciales* sub *vno Ministro Generali*, qui omnes nomen *Ministri* in Regula sortiũtur. De qua summa vnione S. Bernardinus: *Per hãc* (inquit) *vniuntur omnes Professores estus fortissimâ & indissolubili connexione, tamquam membra sub vno capite: Vnde sine ea non potest esse in aliquo sublimitas, & singularis vnitas, gregis & capitis sui, & sta nec optimum genus regiminis. Illud est enim in quo est Dominium Regale, & Monarchicum: Vniuntur etiam per hanc diuersæ, & diuersorum voluntates ad vnam scilicet voluntatem Superioris*, &c. *Per hanc omnes se aspiciunt tamquam Fratres, secundum propheticum verbum, vnius moris in domo, quia per hanc quasi sensibiliter dicũt se filios vnius Patris: Per hanc omnis Religio fit vnum corpus, vnus Spiritus, seu vna voluntas, & vna fraternitas*, &c. Et expendens omnia in Religione Minorum: *Proinde Religio* (inquit) *illa quæ summè est vna, vnum habet Generale Caput super omnes, omnibus præsidens ordinariè, & immediatè: Sicut enim Apostoli tenebantur obedire Christo, & post mortẽ eius Petro, sic omnes Minores vni Generali Ministro.* Et ex Regula volẽs inferre vnitatem ad inuicem, quâ sub Præcepto Obedientiæ Fratres tenentur sibi inuicem deseruire, etiam in infirmitatibus vsque ad mortem: *Et ideò* (inquit) *in Regula præcipitur: Quòd omnes sic familiariter se debeant habere ad inuicẽ, ac si omnes essent de eodem speciali Collegio, & Conuentu.* Et referens fructum qui ex hac vnione voluntatum in capite, & membris profluit. *Vnde* (ait) *in hac Schola, potest in plenitudine effundi illa iucunditas Spiritus sancti: Ecce quam bonũ, & quàm iucũdum habitare Fratres in vnũ: sicut vnguentum in capite quod decendit in barbã barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Ex hoc* vtique, *quod omnes voluntates propter Deum abnegantur, & in vnam Superioris Dei locũ tenentis vniũtur, sub vna obedientia: Inde vnitas indiuisa fraternitatis, inde gratia spiritus, & iucunda vnionis.*

Cap. 10.

S. Bernardinus.

Psal. 132. vers. 1.

3. In summo *Obedientia* Fratrũ Minorum *Præseruatiua* est. Liberatur enim Frater Minor à temporalibus per *Paupertatẽ*. A sensuali cõcupiscentia per *Castitatem*: Ab omni mali incentiuo præseruatur per *Obedientiam*. Benè enim dixit quidã: *Cesset propria voluntas & Infernus non erit.* Vnde 1. Pet. 1. *Animas* (inquit) *vestras castificantes in Obedientia charitatis.* Amorosa enim Obedientia, qua Dei solius voluntati per hominem sibi insinuatæ innititur, iã ab omni propriæ voluntatis inquinamento libera est. Vnde Prou. 29. *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit*, siue, vt Eccles. 8. *Qui custodit Præceptum non experietur quicquam mali.*

Præseruatiua.

Bern. serm. 3. in Pasch.

1. Petr. 1. vers. 22.

Prou. 29. vers. 27.

Eccles. 8. Vers. 5.

4. In summo *Obedientia* Fratrum Minorum *Omnis boni promotiua* est. Quid enim restat Fratri Minori, qui cum voluntate propria omnibus rebus creatis renuntiauit, nisi vt recto gradu ad Deum Summũ Bonum continuo affectu, Obedientiæ alis euolet, & cum Psalmista dicat. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ.* Item: *Tenuisti manum dexteram meam, & in vo-*

Promotiua omnis boni.

Psalm. 72. vers. 25.

Vers. 24.

in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Vnde & S Bernardinus cõparat Obedientiam Fratrum Minorum *Scalæ Iacob* quam super terram erectam vidit cuius cacumen cœlos tangebat, per quam Angeli continuè ascendebant & descendebant, & cui innixus erat Dominus: Quid enim Iacob à domo paterna extorris, & in monte super lapide capiti suppositio dormiens: nisi pugilem siue luctatorē Fratrem Minorem designat: Qui relictis omnibus mundanis rebus & curis, benè obdormire describitur. Nam vt Glossa: *Caput ponit in lapide, qui Christo inhæret mente.* Et secundùm S. Augustinum: *In itinere dormire, est in via huius sæculi ab impedimento sæcularium actionum quiescere. Scalæ* porrò duo latera possunt intelligi, aut *Paupertas voluntaria & Continentia*; aut si mauis *Abnegationes duæ*, Proprij, scilicet, Iudicij, & propriæ Voluntatis. Quatuor verò innuuntur in hac *scala* mysteria.

Obedientia FF. Minorum similis Scalæ Iacob. Genes. 28. vers. 12.

Glossa.

Augustin.

Primum Mysterium, est recta Intentionis, in scala super terram erecta designatum: Qui enim scalam Obedientiæ Euangelicæ ascendere gestiunt, ab omni terrenæ consolationis vel vtilitatis aspectu deputatum oculum habere debent, & intentione purissimâ super omnia terrena erigi.

Vtilitas scalæ 4. mysteria.

Secundum, Cœlestis Conuersationis: Nam *scala* cacumen cœlum tangere debet, iuxta illud Pauli: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Conuersatio enim Religiosæ Obedientiæ tota cælestis est. Vnde est veri Obedientis transitus à cella in cœlum est, & à morte in Paradisum absque Purgatorio, vt Historiæ Sanctorum probant, nihil enim purgandum habet, qui proprio iudicio & propria voluntate caret.

Philip. 3. vers. 20.

Tertium, Angelicæ promptitudinis: Angeli namque continuè ascendunt & descendũt per scalam: Obedientia enim moras nescit, nutum mandantis sequitur, ascendit vt Obedientiam impletam renũtiet, descendit vt Obedientiã impleat. Via ergo Obedientiæ Angelica est, qualis à Dauide Psal. 102. describitur: *Benedicite* (ait) *Domino omnes Angeli eius.* Quorum Obedientiam describẽs addit: *Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonũ eius.* En tibi totius Obedientiæ Fratrum Minorum breuissima, sed energica Paraphrasis in sua Obedientia. Frater Minor enim *Angelus* est, qui missus est, & à mittentis nutu dependet: In Obedientia sua *Potens virtute est*, quia quidquid agit in virtute Dei eiusq; potentia agit. Nam vt benè Cassiodorus: *Potentes illi dicendi sunt, qui verbo Domini parère contenderunt.* Vnde subditur: *Facientes verbum eius: Quia* (vt inquit idem) *verbum Domini est voluntas eius, & nutus obsequentes, cum Deum inuenerint ibi veritatẽ voluntatis eius agnoscunt.* Et sequitur: *Ad audiendam vocem sermonem eius.* Ita enim verus Obediens voluntatẽ Dei facit, vt continuè audiat, quasi in Superiore loquẽtem Deum, paratus vtique *omni momento operari, vel cessare, sta operari vnum, vt & mutato verbo ad aliud se disponat.* Vnde S. Hieron. *Ad audiendam vocem sermonem eius: Explẽtes* (ait) *loco quæ fuerit locutus.* Et Hugo Card. *Ita enim sunt parati Angeli ad faciẽdam diuinã voluntatem, quòd eam statim faciunt, dum quod ei placet, intelligũt.* Vnde antonomasticè dicũtur: *Virtutes eius Ministri facientes voluntatem eius.* Quia Obedientiæ virtus est mandatum, & voluntas præcipientis.

Psalm. 102. vers. 20.

Frater Minor in Obedientia Angelus.

Cassiodorus.

Hugo Card.

Quartum, diuinæ assistentiæ & benedictionis. Vnde visus est Dominus *scalæ* superiùs innixus, quasi benedicens & ascendentes expectans, paratus eos amplecti. Sic enim obedientẽ amplexatur Deus, vt & coronet: Vnde & de Obediẽtiæ exemplari Christo, qui *factus est obediens vsque ad mortem* dicitur: *Propter hoc & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Et in persona Obedientis loquens Dauid: *Adhæsit* (inquit) *anima mea post te: me suscepit dextera tua.* q.d. Quia adhæsi in omnibus voluntati tuæ, dextera tua amplexata est me.

Philip. 2. vers. 8.

Psalm. 62. vers. 9.

In hoc igitur *Scala* emblemate agnosce Obientiæ Minoriticæ proprietates omnes. *Primo* enim Frater Minor velut mundo & sensibus obdormiens, lapidi Christo capite incumbit, in quo *fortitudo Obedientiæ* indicatur, quæ omnium creaturarum obtita, soli virtuti Christi ad mortem vsque Obedientis innititur. 2. *Rectitudo & Intentionis puritas*, in *scala* ad cœlum pertingentis rectitudine demõstratur. 3 *Spontanea promptitudo, hilaritas, velocitas, continuata perseuerantia*, in Angelis ascendentibus & descendentibus significantur. 4. *Corona Obedientiæ* in Deo *scalæ* innixo declaratur.

Obedientiam hanc eminentissimam varijs locis descripsit S. Pater Franciscus. Vnde in Admonitione ad Fratres quæ habetur Tomo 1. Opusc. cap. 3. Exponens illud: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Sic loquitur: *Ille homo renuntiat omnibus quæ possidet, & perdit corpus suum qui seipsum totum præbet ad Obedientiam in manibus sui Prælati, & quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat, quòd non sit contra voluntatem eius (dum bonum sit quod facit) vera Obedientia est. Et quando subditus viderit meliora, & vtiliora animæ suæ, quàm ea quæ sunus Prælatus præcipit, suam voluntatem sacrificat Domino: Quæ autem sunt Prælati opera studeat adimplere: Nam hæc est charitatiua Obedientia, quia Deo & proximo sacrificium seipsum facit.* Et de promptitudine, & puri-

Obedientiam qualẽ describerit S. Franciscus.

& puritate Obedientiæ *Collat.* 4. quæ habetur Tom. 3. *Fratres* (inquit) *charissimi, verbum primò præceptum implete, nec expectetis iterari quod dicitur vobis. Nihil etiã impossibilitatis causemini, sine iudicetis, esse in Præcepto: quia etsi supra vires ego vobis mandarem sancta Obedientia viribus non carebit. Nec considerare debetis quis vel qualis sit, qui vobis faciendа præcipit, sed solùm quòd sit Prælatus.* Et de seipso exemplificans: *Inter alia* (inquit) *qua dignanter diuina mihi pietas concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter Nouitio vnius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo Fratri.* Cuius rationem subdit: *Subditus Prælatum suum non hominem considerare debet; sed illum pro cuius amore est subiectus. Quantò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas Obedientis placet.* Similia habet in Appendice Opuscul. *serm.* 5. Explicans illud: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam*, q.d. *Quòd ille omnia relinquit, qui propria renuntiat voluntati, & ille animam suam perdendo salvat, qui illius à se abdicat Dominium, & totum quod est, Prælati subijcit imperio:* Infrà: *Summa Obedientia est illa in qua nihil sùum caro cognoscit aut sanguis*, &c. Vnde in Exemplis *Tom.* 3. *Exemplo* 1. Veri Obedientis figuram proponens: *Tolle* (inquit) *corpus exanime, & vbi placuerit pone; Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum; Quòd si statuatur in Cathedra, non alta, sed ima respiciet, si collocetur in purpura, duplo pallescet: Hic* (ait) *est verus Obediens, qui cur moueatur non disputat, vbi locetur non curat, vbi transmutetur non instat, erectus ad officium solitam tenet humilitatem, plùs honoratus plùs se reputat indignum.* Hæc ille. Quod in praxim aliquando redigere volens: Inobedientem quendam Fratrem omnibus vestibus iussit spoliari, & in altam conjici foueam, & humari. Cui cùm Fratres ad S. Viri monitum terram superinjicerent, & solum caput inhumandum remaneret, accessit pius Pater, & ait: *Esnè mortuus Frater: Esnè mortuus?* Ille Frater inobedientiæ pœnitens: *Ita Pater* (inquit) *sum iam mortuus. Surge* (inquit ille) *si mortuus es: Sicut nec homo mortuus in aliquo cõtradicit, ita Prælato tuo obedito; mortuos non viuos ego meos volo Sectatores.* Ita refertur *Colloq.* 40. *To.* 3. *Opusc.*

Perfectum autem obedientem sic sub similitudine describebat Exemplo 2. sup. *Vidi* (inquit) *multoties cœcum quendam, qui non habebat nisi caniculam pro duce itineris sui: Caniculam quocumque ducebat, sequebatur, ad illius ductum ambulabat, via vel itineris, huius vel illius rationem non flagitabat à duce; si præibat per petrosa, sequebatur; si per plateas, & plana, comitabatur; si ad templum ducebat, orabat; si domos introibat, eleemosynas petebat; ita vt omnia pro caniculæ ducentis voluntate faceret, nec aliquo sine illius ductu pergeret. Talis esse debet verus, & perfectus obediens. Ad obediendum cœcum esse expedit: oculos scilicet in obsequium Prælati claudere, vt de præceptis non velit, nec valeat discernere, sed quod præcipitur humiliter, & prompte complere: Quocumque Prælati præceptum vel valitas præcedit, se in. Inuia & petrosa pro Obedientia merito hilariter contemnere, ac si per plana ambularet pergere: Non Præcepti difficultatem, sed præcipientis auctoritatem, & Obedientiæ meritum decet, & debet verus Obediens, in omnibus considerare.*

§. III.

Obedientiæ Fratrum Minorum Limites.

Obedientia triplex.

TRiplicem Patres sancti distinxerunt Obedientiam in Religioso Statu. Aliam vocauerunt *Necessitatis*: Aliam *Perfectionis*. Tertiam: *Charitatis*: De quibus S. Bernardinus feria 5. post Resurrectionem serm 62 ar. 3. c. 3.

Obedientia necessitatis.

Necessitatis Obedientiam designant: In ijs quibus se Religiosus ex vi voti, Regulæ, vel Status adjunxit: De qua S. Bernardus lib. de Præcepto, & Dispensatione cap. 7. *Is qui profitetur. Spondet quidem Obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundùm Regulam: Proinde si professo secundùm Regulam Abbas meus mihi aliquid imponere tentauerit, quod non sit secundùm Regulam, aut etiam quod non sit secundùm illa Instituta* (v.g. *Basilij, Augustini, Pachomij*) *quenam mihi quæso in hac re necessitas obsequendi? Solùm enim id à me exigi posse arbitror, quod promisi.* Vocatur itaque *Obedientia necessitatis*, quia suppositâ Regulâ, & Statu, Religiosus non potest sine culpa renuere, vel etiam pœnis adigi potest.

S. Bern l de Præcepto & Disp. c. 7.

Obedientia perfectionis.

Alia est, *Obedientia perfectionis*: Quæ respicit omnia quæ ad Statum Perfectionis acquirendum conducunt: ita vt quæcumque Prælatus proposuerit, quæ ad perfectionem acquirendam conducant, etsi illa sub voto, Regula, aut legibus Religionis specialis non contineantur: Illis Religiosus tamen vult parêre. De hac S. Bernardus: *Perfecta* (ait) *Obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs Professionis, largiori voluntate fertur in altitudinẽ charitatis, & ad omne quod iniungitur spontanea*, &c. *in infinitam libertatem extenditur.*

S. Bernard.

Obedientia Charitatis.

Tertia *Obedientia* est *Charitatis*: Iuxta quam ad charitatem seruandam pares paribus obediunt, & vnus Religiosus alteri. Ex.gr. Sanus infirmo seruit. Imò quandoque Superior inferioribus ministrat exemplo Christi, qui in medio Discipulorum se sæpè habuit, sicut qui ministrat: Quam etiam legem imitandam suis Discipulis proposuit.

Notant etiam Patres in hac materia duplices terminos, siue *limites* considerari posse: *Alij* sunt *Præseruatiui* à malo, siue à peccato, & hi extrinseci, & priuatiui sunt, nihilque aliud dicunt, quàm Obedientiam non extendi ad malum, siue terminari bono, & honesto. *Alij* sunt *Positiui*: Qui bonum cui obediri debet ad certum gradum, & mensuram iuxta Regulam, & vota vniuscuiusque coarctant. His maturè consideratis pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Obedientia FF. Minorum non artatur.

OBedientia Fratrum Minorum non coarctatur, *Obedientiâ necessitatis*, sed suâ naturâ extenditur ad omnem *Obedientiam Euãgelicæ Perfectionis*. Ratio est: Quia Frater Minor promittit simpliciter Regulam, siue Sanctum Euangelium Domini nostri obseruare, ergo & in ijs quæ in Euangelio ad Perfectionem pertinent, obedire: Quamuis enim quæ in Regula Fratrum continentur, non omnia Præcepta sint, sed plura ex Euangelio, & sicut in Euangelio sub verbis monitorijs, exhortatorijs, & consultorijs proponuntur, quæ idcircò per se non obligant: Illa tamen à Prælatis in casu sub Præcepto iniungi possunt, & consequenter illis sub Præcepto Obedientiæ positis, Fratres iuxta qualitatem Obedientiæ, & Præcepti obedire tenebuntur. Quod manifestè ex verbis, & Textu Regulæ declaratur: *Unde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Cùm dicit *omnibus*, nihil excludit vel excipit; cùm dicit, *quæ promiserunt Domino obseruare*, omnia quæ in Regula & Euangelio continentur iuxta suam qualitatem, determinat; Cùm addit etiam, *Ea quæ non sunt contraria animæ & Regulæ*, omnia ad Perfectionem spectantia denotat: Neque enim quæ ad veram Perfectionem Euangelicam spectant, dici possunt *contraria animæ, vel Regulæ*, quæ ex Euangelio tota sumpta est, & Euangelium virtute continet. Nec audiendi sunt qui subtiliter fortè connectere præsumunt: *Quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ*, quasi denotent; Illa quæ promiserunt Domino obseruare, non esse cõtraria Regulæ & animæ. Imperfectissima enim additio foret, cùm constet Religiosum non posse promittere Deo, contraria animæ, vel contraria Regulæ: Duo enim obiecta ponit, quæ Fratribus Prælati per Obedientiam præcipere possunt: *Priora: Ea quæ promiserunt Domino obseruare: Posteriora: Quæ non sunt contraria animæ & Regulæ.* Qualia sunt omnia quæ pertinent ad salutem & Perfectionem Euangelicam. Vnde nè ansa daretur proprij iudicij subditis, additur: *Fratres verò qui sunt subditi recordentur quòd propter Deum abneganerunt proprias voluntates*, & consequenter propria iudicia, quæ sunt incentiua propriarum voluntatum. Nec ex his datur libertas Prælatis ad præcipienda indiscreta, & fatua, ac facultatem Obedientium excedentia: Illa enim cùm deuient à Regula Euangelicæ Perfectionis, & à verò & salutari bono degenerant. Adeoque contraria animæ æstimantur.

Regula c.10.

PROPOSITIO II.

Obedientia FF. Minorum extenditur ad ea quæ sunt Heroica Charitatis.

OBedientia Fratrum Minorum extenditur ad ea quæ sunt Heroicæ Charitatis. Exemplificat S. Bernardinus sup. in ijs quæ 6. cap. continentur: *Et vbicumque sunt Fratres, & se inuenerint, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem*, &c. *Et si quis eorum in infirmitatem reciderit, alij Fratres debent illi seruire sicut vellent sibi seruiri.* In quibus verbis cùm vtatur nomine *seruitij*, vult S. Pater, ostendere obsequia Charitatis, quæ sibi inuicem præstant Fratres in necessitatibus, & infirmitatibus, esse opera Obedientiæ mutuæ: sic enim loquitur cap. 5. Primæ Regulæ *Per charitatem Spiritus* (inquit) *voluntariè seruiant, & Obediant inuicem.* Et subdit: *Hæc est vera, & sancta Obedientia Domini nostri Iesu Christi.* Super quo S. Bernardinus: *Obedientia enim mutua, mutua dilectionis, est signum atque effectus Spiritus Charitatis.*

Regula c.6.

S. Bernardinus.

Ad hanc *Charitatis Obedientiam* refertur *Obedientia Humilitatis*, quam suis inferioribus ex Regula tenẽtur Superiores exhibere subditis, & ratione cuius *Ministri* vocãtur, & *Serui*. Vnde eodem capite, cùm permissum esset Fratribus, vt vbicumque essent, & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, deberent, & possent ad suos Ministros recurrere, statim iniungitur Ministris: *Vt benignè & charitatiuè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa illos, vt dicere possint eis, & facere sicut Domini seruis suis: Nam* (inquit) *ita debet esse,*

Obedientia Humilitatis.

Regula c.10.

esse, quòd Ministri sint servi omnium Fratrum. Hæc est *Obedientia Charitatis*, quæ humilitati cóiuncta est: qua Superior subijcit se, & velut Obedientiam præstat inferiori, vt charitatis officium ei exhibeat, & animam eius saluet, exemplo Christi, *Qui semetipsum exinanuit formam serui accipiens*, vt nos saluos faceret. Vnde Catena græca: *Hæc est Christi Obedientia, qua Parẽtibus licet sibi inferioribus Obedientiam præstat.* Et vt benè S. Ambrosius: *Non infirmitatis, sed pietatis est ista subiectio.* Opera tandem heroica Charitatis in Regula referuntur: Præcipiuntur enim Fratres: *Inimicos diligere. pro persequentibus & calumniantibus orare.* Vnde & in Regula 1. cap. 16. *Et omnes Fratres recordentur, quòd dederunt se, & reliquerunt sua corpora Domino nostro Iesu Christo. & pro eius amore debent se exponere inimicis tam visibilibus, quàm invisibilibus, quia dicit Dominus: Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.*

Philip. 2. vers. 7.

Catena græca.

S. Ambros.

PROPOSITIO III.

Obedientia FF. Minorum ab vllis limitibus arctetur.

OBedientia Fratrum Minorum nullis limitibus intra limites boni, & salutaris, siue perfectionis, siue charitatis coarctatur, sed in infinitum se extẽdit. Constat ex duabus primis propositionibus: Omne enim quod spectat ad salutem, perfectionem, & charitatem; potest Prælatus oportunè præcipere, & tenetur Frater Minor obedire: quippe qui obseruare Euangelium repromisit, & Euangelicæ Charitati & perfectioni, se subiecit: Et hæc est Obedientia, de qua S. Bernardus sup. *Quæ legem nescit, terminis non coarctatur, sed in infinitam libertatem extenditur:* Huc facit quòd (vt §. Superiori ex S. Bernardino deductum est) Obedientia Fratris Minoris sit: In summo *Abdicatiua* siue *Separatiua:* In summo *Vnitiua:* In summo *Promotiua:* In summo *Præseruatiua.*

S. Bern. sup.

PROPOSITIO IV.

Obedientia FF. Minorum terminatur limitibus extrinsecis priuatiuis.

Qui sunt tres.

OBedientia Fratrum Minorum solis limitibus extrinsecis priuatiuis, mali siue peccati terminatur: Ijs, nimirùm; *Quæ sunt contraria animæ suæ & Regulæ:* Contraria autem animæ tribus limitibus exprimuntur à S. Bernardino quorum *primus* est *Manifestum peccatum. 2. Manifestum periculum peccati. 3. Manifestum contagium.*

1. Manifestum peccatum.

Primus igitur *limes Obedientiæ* Franciscanæ est, *Manifestum peccatum:* Nam vt benè S. Bernardus Ep. ad Adamum Monachum. *Generaliter* (ait) *de huiusmodi sententia est: Declinantes autem in obligationes addicet Dominus cum operantibus iniquitatem: Ac nè fortè quis Abbatum etiam in malo obedientiam, ab hoc maledicto liberam esse contendat, audi alibi apertius: Filius non portabit iniquitatem Patris, nec Pater Filij.* Et subdit: *Ex his ergo liquidè apparet mala imperantibus, non esse parendum præsertim dum prauis obtemperans imperijs, in quo homini videris obediens, Deo planè, qui omne quod perperam agitur interdicit, inobedientẽ te exhibes,* &c. Quæ latè prosequitur. Et nè quis de Præcepto Superioris, aut eius auctoritate cui subijcitur, sibi ablandiatur. Idem in eadem Epistola: *Quomodò* (inquit) *Abbatis iussio, vel Papæ permissio, licitum facere valuit, quod purum* (sicut irrefragabiliter est) *malum fuit: Cùm superiùs allegatum sit, pura mala sicut nunquam iustè iubere, sic nec iustè fieri posse.* Hæc S. Bernardus. Qui in anteriorib. distinxerat de bonis & malis: *Quædam* (dixerat) *sunt pura bona: Quædam sunt pura mala, & in his nullam debemus hominibus Obedientiam, quoniam nec illâ* (id est, pura bona) *vitanda sunt cùm prohibentur, nec ista etiam* (id est, pura mala) *cum iubentur committenda.* Subdit: *Porrò inter hæc sunt media quædam, quæ pro modo, loco & tempore, vel personæ, & mala possunt esse, & bona. Et in his lex posita est Obedientiæ tamquam in ligno scientiæ boni & mali.* Itaque pura mala sicut manifesta mala, sunt manifesta peccata, in quibus non licet obedire: Aliud est: Quando manifesta non sunt, sed quæ præcipiuntur ex circumstantijs modi, loci, temporis, personæ, bona esse, aut benè fieri possunt; In illis enim Obedientiæ parendum est, & Prælati iudicium præferendum. Vnde S. Gregor. l. 2. c. 4. in lib. Reg. *Vera* (ait) *Obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec Præcepta discernit: Quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire* &c. Clarissimè S. Bernardus l. de Præcepto & Dispens. cap. 12. *Siue Deus, siue homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reuerentiâ deferendum.* (Exceptionem vnicam ponit) *vbi tamen* (ait) *Deo contraria non præcipit homo.* Et nè hâc exceptione Obediẽtiæ promptitudinẽ diminuat vbi malum manifestum non est, subdit: *Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamẽ certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Hæc S. Bernardus. Optimè super his monet Fratres suos S. P. Franciscus *sermone* 5. in Appendice Opusculorum: *Quidam* (inquit) *sunt subditi propriæ sensus errore decepti, qui quodcumque Superioris Præceptum quod indomita voluntate repugnat,*

S. Bern. Ep. ad Adamũ Monachum.

Idem ibid.

S. Greg. l. 2. c. 4. in lib. Reg.

Bern. lib. de Præcept. & Disp. c. 12.

S. Francisc.

repugnat, statim Regulæ & animæ indicant esse contrarium: Perfecta Obedientia est illa, quâ Religiosus facere omittit, quod sibi melius & consultius videtur, vt quod minùs rectum & consonum indicat, compleat propter Superioris Præceptum. In quo magnum acquirit meritum, dum propria valedicit opinioni, non suæ, sed alienæ obtemperans voluntati. Hæc S. Pater. Qui & in Admonitionibus Fratrum *cap.* 3 *Tomo* 1. *Opusc.* eadem ferè habet, superaddens hanc in Obedientia sanctam ad Prælatum mala præcipientem reuerentiam: *Si vero* (ait) *Prælatus præcipiat aliquid subdito contra animam suam, licèt ei non obediat, tamen ipsum* (id est, Prælatum) *non dimittat. Et si in aliquibus persecutionem inde sustineat, magis eum diligat propter Dominum. Nam qui potiùs velit persecutionem sustinere, quàm a suis Fratribus separari, verè permanet in perfectæ Obedientia, quia posuit animam suam pro Fratribus suis.* Et grauiter condemnans propria iudicia. *Sunt enim multi* (ait) *Religiosi, qui sub specie videndi meliora, quàm quæ sui Prælati præcipiunt, aspiciunt retrò, & ad vomitum propria voluntatis redeunt. Hi* (ait) *homicida sunt, & propter mala sua multas perdere animas faciunt.* Hæc ibi:

Idem.

2. Limes manifestum periculum peccati. Eccli. 3. vers. 27.

Secundus Limes Obedientiæ Franciscanæ est: *Manifestum periculum peccati*: Sicut enim peccatum, sic & periculum peccati à Deo prohibetur, iuxta illud Eccli. 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Si igitur Prælatus suo subdito aliquid præciperet in quo manifestum periculum peccati immineret, subditus obedire non posset, æquiparantur enim peccatum, & peccati manifestum periculum. Vnde sententia *S. Bernardini*, & *Quatuor Magistrorum* est: Quòd Prælato præcipienti alicui Fratri audire mulierum Confessiones: Si Frater tantam fragilitatem carnis in se expertus esset, vt meritò & iustè sibi de peccato metueret, non teneretur obedire. Et idem *S. Bernardinus* sentit: Merè idiotâ & ignorantem qui verè suæ ignorantiæ conscius sit, non teneri ex Obedientia Confessiones audire. Quæ quidem debent intelligi, vbi verè est manifestum periculum, & verus periculi instantis timor, non autem ex scrupuloso & speculatiuo timore. Vbi enim aliter Prælatus omninò iudicaret, Frater subditus obedire teneretur, quem Obedientem obedientia sancta præseruaret. Vnde in Vitis Patrum: Cùm missus fuisset Frater quidam ab Abbate in vicum, vt deferret necessaria, & ingressus esset domum vbi erat puella tola, & traheretur ab ea ad peccatum, ait Deo: *Domine propter orationes Patris qui misit me, salua me in hac hora:* quo dicto, subitò inuentus est ad ripam fluminis iuxta Monasterium & reuersus est ad Patrem sine macula. Sic obedientibus in periculis adest Deus.

Obedientia insigne exemplum.

Tertius Limes Obedientiæ Franciscanæ est: *Manifestum contagium, & impuritas* quæ corruptionem aliquam puritati Euangelicæ perfectionis inducere solet. Et in hoc casu potest perfectus Euãgelij Sectator Obedientiam declinare. Textus est clarus in Regula Fratrum Minorum c. 10. Vbi postquam S. Pater Obediẽtiam inuasit *in omnibus quæ non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ*: Contagiũ manifestum excludere volens: *Et vbicumque* (ait) *sunt Fratres, qui scirẽt & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere* &c. Quẽ locum Expositores interpretantur de impotentia seruandi spiritualiter Regulam ratione manifesti contagij: Et exemplificat *S. Bernardinus in Epistola Missa ad Vltramontanos*, cùm esset Vicarius Generalis videlicet: *Quando loco* (ait) *esset aut eva proprietas, seu cura animarum, baptizando, seu alia Parochialia agendo: Vel si morentur Fratres, in loco contra voluntatem Domini loci: vel quando propter penuriam rerum necessariarum, oporteret facere congregationes, & quæstus inhonestos contra puritatem Regulæ, & vsum Generalem Ordinis: vel propter inhonestam societatẽ, seu importabilem Fratribus, præsertim rudibus & infirmis: vel propter similia*, &c. Quæ omnia etsi in Fratre particulari non inducant per se peccatum, aut peccati periculum, Cõtagionem tamen secum ferunt, à qua declinare possunt: Debere tamen esse contagium manifestum indicant verba, *scirent & cognoscerent.* Videantur dicta super illum Textum in Expositione litterali.

3. Limes manifestum contagium, & impuritas.

S. Bernardinus.

COROLLARIVM.

Obedientia FF. Minorum quantitas.

EX dictis constat, Obedientiam Fratrum Minorum ex Regula, & voto esse, *Amplissimam, Generalissimam & Perfectissimam: Amplissimam* vtique, quia nullo clauditur termino intra limites honesti & boni, nullo etiam circumcingitur loco: *Generalissimam*, quia nullus Frater ab illa excipitur, & in subordinatione ad omnes Superiores vsque ad S. Sedem, & in Cathedra Ecclesiæ legitimè sedẽtem; Imò & vacante Sede ad Ecclesiam extenditur, & in illa omnes etiam Superiores comprehenduntur. *Perfectissimam*: Quia omnem suiipsius, & propriæ voluntatis abnegationem propter Deum, vsque ad perditionem animæ propter illum complectitur, & in sequela Christi absorbetur in Charitate, quæ nunquam excidit, & euacuatur. De aliorum Regularium Obedientia comparationem facere nolo, ipsi seipsos, & suam Obedientiam

dientiam in seipsis metiantur: *Omne secundùm mensuram Regula* (vt ait Apostolus 2. Corinth. 10.) *Qua singulis mensus est Deus: ne quis in immensum glorietur.*

2 Cor. 10. vers. 13.

§. IV.

Obedientiæ Fratrum Minorum vtilitas & suauitas.

VTilitates pariter, & suauitates Obedientiæ perstrinxit Christus Matth. 11. *Venite* (ait) *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos: Tollite Iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quæ est enim via qua itur ad Christum? nisi Obedientia, quâ Filius Dei de cœlo descendit & humiliauit seipsum factus Patri obediens vsque ad mortem: Quod illud *Iugum* suauet nisi Crux illa qua factus est obediens vsque ad mortem Crucis: Per hanc *viam* homo à labore & onere ad refectionem, A *Iugo* ad requiem tendit: sub hoc *Iugo* cum lenitate suauitatem verus Obediens experitur. Benè *S. Bernardinus* d. Christiana Perfectione Euangelicæ Obedientiæ serm. 13. tomo 3. duodecim vtilitates pariter, & suauitates *Obedientiæ Franciscanæ* enumerat: quarum quatuor *Incipientes*: Quatuor *Proficientes*: Quatuor *Perfectos* concernunt, quas breuitatis gratiâ ad tres reducemus: Primas vtriusque quaterni assumẽtes. *Prima* ergo *vtilitas* simul & *suauitas* est *Exemplationis*, siue potius *Assimilationis*, qua verus obediens Christo primario Exemplari assimilatur: Vnde 1. Petr. 1. dicitur: *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam, in reuelationem Iesu Christi, quasi filij Obedientiæ.* Per Obedientiam enim fit quis Filius Christi, & ei assimilatur. Tota namque Christi vita, vna Obedientia fuit. Descendit namque de cœlo, *non vt faceret voluntatem suam, sed voluntatem Patris sui, qui misit illum*, Ioan. 6. Et Ioan. 4. *Meus* (ait) *cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Et ex hoc mundo transiens: Matth. 26. *Non sicut* (ait) *ego volo, sed sicut tu:* Super quo S. Bernardus: *Mementote* (inquit) *Fratres, Christus nè perderet Obedientiam, perdidit vitam: Et in signum quòd obediendo mandata Patris mortem sustinuit, inclinato capite tradidit spiritum.* Hæc est Imago hominis cælestis, quam sibi imitandam assumit Obediens: cui per omnia assimilatur, cùm alienæ voluntati propter Christum se tradens, alienâ voluntate viuit, alienâ voluntate operatur, alienâ voluntate patitur, aliena voluntate moritur:

Matth. 11. vers. 28.

S. Bernardinus.

Obedientia FF. Minorum.

1. *Vtilitas & suauitas est Assimilationis.*

1. Petr. 1. vers. 13.

Ioan. 6. vers. 38. & 4. c. v. 34.

Matth. 26. vers. 39.

S. Bernard.

Juxta Apostolum: *Hoc in se sentiens quod & in Christo Iesu.* Quantam verò suauitatem etiam in medijs angustijs percipiat, hoc ipsum de Christo testatur S. Paulus Hebr. 12. *Qui* (inquit) *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* Crux enim Obedientiæ coniunctã habet spiritus vnctionem: Nam teste Eccli. cap. 23. *Nil dulcius, quam respicere in mandatis Domini:* Et Psalmista Domino confitetur: *Quia, secundùm multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Philip. 2. vers. 5.

Hebr. 12. vers. 2.

Eccli. 23. vers. 37.

Psalm. 93. vers. 19.

Secunda vtilitas pariter & *suauitas* est *Sublenatio*, quâ verus Obediens adiuuatur, spiritu impellẽte, dilectione promouente, humilitate dirigente: Vnde S. Bernardus: *Credentibus nihil impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus gratia fert auxilium, & obedientiæ deuotio leuit imperium.*

2. *Vtilitas est Sublenatio.*

S. Bernard.

Tertia vtilitas pariter & *suauitas* est: *Promissio*, qua vtique Deus vero obedienti omnia velut secura, & fausta vsque ad cælestem gloriam repromisit: Dixerat olim Sapiens Eccli. 3. *Filij Sapientiæ, Ecclesia Institutũ, & natio illorum Obedientia, & dilectio:* Ad illos porrò dirigens Sermonem, idem S. Bernardinus c. 39. & Obedientiam postulans, Obedientiæ fructus elegantissimè refert: *Obaudite* (ait) *me diuini fructus, & quasi rosa plãtata super riuos aquarum fructificate: Quasi Libanus odorem suauitatis habete; Florete florem quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus eius*, &c. quæ postea cõcludit: Per Obedientiam creaturarum ad Dominum. Sic enim, & Beatissimo P. N. Francisco vero obedienti, creaturæ omnes obediebant, & ad nutum ei deseruientes, viro Dei condescendebant ad solatium, vt refert *S. Bonauentura* toto cap. 5. 6. & 8 vitæ eius. Cuius obedientiæ virtutes coãceruatim referens, quidam Pater Senior apud Ruffinum lib. 3. vitæ Sanctorum Patrum: *Obedientia* (ait) *salus est omnium fidelium: Obedientia genitrix est omnium virtutum: Obedientia regni cœlorum inuentrix est: Obedientia cœlos aperiens, homines à terra eleuat: Obedientia cohabitatrix Angelorum est: Obedientia Sanctorum omnium cibus est: Ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.*

3. *Vtilitas est Promissio.*

Eccli. 3. vers. 1.

S. Bernardinus sup. cap. 39.

Ruff. l. 3. vitæ SS. PP. Obedientiæ laus.

Et alius apud Episcopum Siluensem 1. 2. de planctu Ecclesiæ art. 69. Obediẽtiam vocat: *Scalam cœli, extirpatricem superbiæ, filiam humilitatis, singularem Dei cultricem, exterminatricem casus, filiam primogenitam fidei, Matrem Castitatis, pacificatricem Fratrum & Prælatorum, mortuam in corpore, & anima, nutricem vitæ, reductre-*

Episcopus Silu. l. 2. de planct. Eccl.

cem Protoplastorum, & propaginis eorum, in Paradisum cœlestem.

Obedientia quam securè moriatur.

Io. in. Clim. Grad. 4.

Vnde & Theodorus Studita serm. 13. *Obedientia* (inquit) *mortis securitatem parit:* Cuius rationem reddens Ioannes Climacus Gradu 4. *Quia* (inquit) *qui piè animam suam obediendo mortificauerit securus præomnibus rationē reddet.* Infrà: *Quis enim subiectus est atque alterius paret imperio &c. hic iam mortem vt somnium, imò verò & vitam quotidie intrepidus expectat: certissimè sciens obitus tempore, suipsius non à se, sed à superiore siue Patre, rationem esse requirendam.*

Vnde verus Frater Minor securè moritur, quia tota vita eius Obedientia est: Primum enim quod in Regula signatur, est *Euangelium Christi obseruare viuendo in Obedientia:* Primum quo in Fratrem assumitur, est, *Recipi ad Obedientiam:* Vltimum quo vita eius concluditur: Est: *Subditum & subiectum esse S. Romanæ Ecclesiæ, stabilem in fide Catholica, Paupertatem & Humilitatem, & sanctum Domini nostri Iesu Christi Euangelium* (quod est Obedientiæ vnicum compendium) *quod firmiter promisit obseruare.*

§. V.

Obedientiæ Euangelicæ Fratrum Minorum Triumphus.

Prou 21. vers. 28.

PRouerb. 21. *Vir Obediens* (ait Salomon) *loquetur victoriam:* Cur autem? rationem reddit S. Gregorius: *Dum enim* (ait) *aliena voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.* Vnde & Prou. 16.

S. Gregor.

Prou. 16. vers. 32.

Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium: Multi vrbes & Regna sibi subiugaûerunt qui ad hunc Triumphum nobilem non peruenerunt. Sanctus Pater Franciscus huius Triumphi Obedientiæ Franciscanæ phalāgas ordinatè velut Castrorum acies describens: In prima acie ponit sanctā *Simplicitatem*, comitem *Sapientiæ:* In secūda, sanctam *Humilitatem* comitem *Paupertatis:* In tertia, sanctā *Obedientiam* comitem *Charitatis. Regina* (ait) *Sapientia, Dominus te saluet, cum tua sorore sancta Humilitate: Domina sancta Charitas Dominus te saluet cum tua sorore S. Obedientia.* Et Triumphum recensens: *Sancta* (ait) *Sapientia confundit Satanam, & omnes malitias eius: Sancta Simplicitas omnem sapientiam huius mundi, & sapientiam corporis: Sancta Paupertas confundit Cupiditatem, & Auaritiam, & curas huius sæculi: Sancta Humilitas confundit Superbiam, & omnes homines qui sunt in mundo, similiter & omnia quæ in mundo sunt: Sancta Charitas confundit omnes diabolicas, & carnales tentationes, & omnes carnales timores, Sancta Obedientia confundit omnes corporales & carnales voluntates, & habet mortificatum corpus suum ad Obedientiam spiritus, & ad Obedientiam Fratris sui, & est subditus & suppositus omnibus hominibus, qui sunt in mundo: & non tantùm solis hominibus, sed etiam omnibus bestijs & feris, vt possint facere de eo quicquid voluerint, quantum fuerit eis datum desuper à Domino.* Vide *Tom. 1. Opusc. Tit. de Virtutibus quibus decorata fuit S. Virgo, & quibus debet esse decorata sancta Anima.* Hæ sunt certè Phalanges Franciscanæ: Neque enim Frater Minor alijs armis pugnat, nisi Simplicitate, & Sapientiâ Dei, quibus carnem expugnat; Humilitate & Paupertate quibus concupiscentiam oculorum & superbiā vitæ deturbat: Omnis autem triumphus coronis Obedientiæ, & Charitatis debetur: Quia Obedientia omnes voluntates mortificat, crucifigit, ac Deo subijcit: Charitas autem eleuat, extollit, & in Deum transformat.

Obedientiæ Triumphus.

S. Francis-cus.

Fratris Minorum arma.

Triumphum quidem *Obedientiæ* disertis verbis explicat Isaias c. 58. *Si auerteris* (ait) *à Sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem.* En insignis Obedientiæ paraphrasis, quâ homo ab omni volūtate, facto, vel sermone proprio, velut feriatur, & quiescit, vt Deo in omnibus pareat. Audi iam Triumphum & Triumphi præmia: *Tunc* (ait) *delectaberis super Domino:* En suauitas supernæ delectationis: *Et sustollam te super altitudines terræ,* En honor supernæ Exaltationis: *Et cibabo te hæreditate Iacob Patris tui.* En gloria supernæ Beatitudinis. Et nè aliquod dubium in his suboriatur: *Os enim Domini locutum est:* En firmitas diuinæ Promissionis. Certè quidam S. Pater (vt est apud Ruffinum l. 3) cùm quatuor Ordines Sanctorum in cœlo sibi reuelati essent: Nimirùm: *Ordo hominum infirmorum est Deo gratias agentium:* 2. *Ordo Hospitalitatem sectantium* & instanter eis ministrantium. 3. *Ordo in solitudine conuersantium,* & homines non videntium. 4. *Ordo eorum qui se Superioribus submittunt* propter Deum: Vidit hunc solum Ordinem inter alios torque aureâ & coronâ decoratum, maiori cæteris gloriâ excellere. Cùm autem ab Angelo requireret huius singularis gloriæ causam: Responsum accepit: *Quia* (inquit) *qui Hospitalitatem sectantur secundùm propriam voluntatem idipsum faciunt, similiter, & qui in Eremo se relegant, arbitrio suo de sæculo recesserunt. Hic autem Ordo, quia se ad*

Isaiæ 58. vers. 13.

Obedientia paraphrasis.

Sanctorum in cœlo quatuor Ordines.

se ad Obediendum dedit, omnes suas voluntates abijciens ad Dei, & ad sussonem Superioris, propterea & maiorem alijs gloriam habet.

TITVLVS VIII.

FVNDAMENTVM VIII.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Purissima Castitas.

Comparata

BERYLLO *octauo Fundamento Apostolico.*

Beryllí qualitas.

BERYLLVM lapidem pretiosum coloris aquei perlucidi describunt, cui radius solis refractus rubicundum quendam decorem immittit: Fulgere autem nòn asserunt, nisi in sexangulatem formam poliendo figuretur. Repercussione eius (aiunt) splendorem acui, tenentisque manum adurere: Siue (vt *Alexander Alensis in Apocal. cap.* 21.) *Beryllus lapis*, positus in foramine sexangulari lucet, quasi nubes sole percussa, & manum tenentis calefacit caliditate suâ. Castitatis sanè symbolum purissimè splendentis in *Beryllo* agnosco. In Charitate enim Apostoli excelluerunt, & velut aquæ Christallinæ purissimæ cælestis gratiæ Christi radios recipientes, rubicundum Charitatis splendorem emiserunt: Nec mysterio vacat, *Beryllum* sexangularem benè politum fulgere augustiùs: Senarius enim numerus inter perfectos numeros computatur: Nec Castitas fulget nisi mentem totam cum quinque sensibus externis possideat, & velut Seraphim sex alis decoretur, & duabus faciem, id est, Cognitiuas Potentias, duabus pedes, id est, Appetitiuas velet, duabus verò alis perfectæ Charitatis volet.

Apostoli comparantur.

Hanc Castitatem in *Beryllo* lapide expressam, Ordo Fratrum Minorum æmulatur, quippe qui limpidissimæ puritatis assertor, in suis Fratribus veluti sexangulari formâ politus, mirum in modum à sole Iustitiæ illustratus, Castitate charitate formatâ mundo præfulget, vt sequentia docebunt.

Item Castitati FF. Minorum.

§. I.

Castitatis purissimæ Fratrum Minorum explicatio.

S. Francisci Castitas.

VIrginitatis purissimus Sectator *S. P. Franciscus*, quem *B. Leo* aliquando in monte excelso vidit pulcherrimis lilijs, & vernantibus rosis circumdatum, manu quidem dextera candidissimum lilium, sinistrâ odoriferum rosarum fasciculum gestantem, quibus (reuelante Deo) eius perpetua Virginitas & Castissima mês significabatur: tantâ Castitatis virtutem æmulatione est prosecutus, vt illam inuin-

gens Fratribus ſuis, abſque omni maculæ ſuſpicione puriſſimam eſſe voluerit, & grauiſſimis Præceptis muniuerit. Nec mirum.

S. Bonau. in vita. *Illum enim* (teſte S. Bonauenturâ c. 1. vitæ) *Deus in Benedictionibus dulcedinis ſuæ præuenerat, vt & de præſentis vita periculis eriperet, & cæleſtis gratiæ donis affluenter impleret.* Et in hoc quidem potiſſimè: *Et enim* (eodem teſte) *cum inter vanos fuiſſet hominum filios enutritus in vanis, inter laſciuos iuuenes quamuis effuſus ad gaudia, nequaquam poſt carnis petulantiam abijt.* De quo & *B. Leo* qui ei à Secretis Conſcientiæ fuit, teſtatum reliquit: *Tantæ pudicitiæ, & caſtitatis totò & integro vitæ decurſu fuiſſe, vt non modo petulantias & ſpurcitias omnes carnis ſuperarit, ſed & inhoneſta quæque aut impudica verba abhorruerit:* Dignus effectus, vt in eius pudiciſſima, & virginali carne Chriſtus Paſſionis ſuæ ſacra Stigmata imprimeret. Et poſt mortem Caro eius, *quæ* (vt ait S. Bonauenturâ)

C. 15. vita. *priùs tam ex infirmitate, quàm ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio renitescens, illius ſecundæ ſtolæ pulchritudinem prætenderet; Et membra adeò mollia & palpabilia ſe præberent palpantibus, vt conuerſa viderētur in teneritudinem pueritalis ætatis, & quibuſdam cernerentur euidentibus ſignis Innocentiæ decorata.*

Virgineæ itaque Puritatis amator, Caſtitatem quam in ſe diuinâ dignatione ſeruauerat, in Fratres ſuos deriuare contendens, Puriſſimam illis Caſtitatem iniunxit, quam vouerent, & Præceptis purioribus illam muniuit, nè eius pulchritudo fumo etiam extrinſeco inficeretur: Vnde quamuis omnis Religio Caſtitatem vouerat, quæ non tantùm actus tactuſque venereos, & libidinoſos, ſed etiam cogitationes & internas declarationes, ſicut & aſpectus prohibet, iuxta illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo:* Nihilominùs Sanctus Pater aliqua ad puritatem Caſtitatis Franciſcanæ addidit, quibus non tantùm malum; ſed etiam quicquid ſpeciem, vel ſuſpicionem aliquam mali ingerere poſſet à ſuis Fratribus ſub Præcepto ad peccatum mortale obligante remoueret: Vt innocentia puritatis, verè (iuxta verbum Apoſtoli 1. *ad Corinth. 7.*) Fratres non tantùm ſancti eſſent corpore & ſpiritu, ſed etiam externo odore, & morum decore. Vnde *S. Bonauentura in cap. 1. Reg. Etſi Caſtitas ipſa Religioſorum gradus non habeat: Multi tamen ſunt gradus eius honeſtatem inuiolabiliter obſeruandi.* Addidit itaque Sanctus Pater tria Præcepta Caſtitati Fratrum Minorum. 1. *Nè haberent ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum.* 2. *Nè ingrederentur Monaſteria Monacharum.* 3. *Nè fierent Compatres virorum vel mulierum.* Sanè conſortium, vel conſilium cum muliere habere non tantùm exſe malum non eſt, ſed etiam benè beatéque haberi poteſt, ad vtilitatem, & ſalutem, ac perfectionem vtriuſque: Quia tamen interdùm ex circumſtantijs loci, temporis, perſonarum, actionum, in conſortijs, & conſilijs quamuis ſanctis oriri poſſent ſuſpiciones: Voluit Sanctus Pater tantam ſuis Fratribus imponere circumſpectionem, vt & ipſi obligarentur omnem occaſionem ſuſpicionis cuiuſcumque declinare: Nec excuſationes malitiæ eorum qui ſuſpicionibus facilè tanguntur, excuſare eos voluit puriſſimus Euangelij Aſſertor: Sciebat enim tantam eſſe puritatem Euangelicæ, & Apoſtolicæ Caſtitatis: Sciebat etiam quod Ioan. 4. de Chriſto Diſcipuli mirarentur, quia *cum muliere Samaritana loqueretur.* Quod indicat tam excellentem Caſtitatis Euangelicæ perfectionem, vt etiam ſolitaria colloquia cùm mulieribus illam dedeceant. De his tribus Præceptis latiùs diximus in Expoſitione Interali & genuina Regulæ Titulo & Fundamento 5. §. 2. vnum tamen hic ex Hugone de Dina noto: Suſpectum haberi in Fratre quocumque conſortium, quando à Superiore monente diſſuaſum eſt: Notanda illius verba: *Eo ipſò* (ait) *quis reddit ſe ſuſpectum, quò diſſuaſum ſibi maximè à Prælatis non vitat conſortium: Negligit enim Obedientiam, & honeſtatem voluptas.* Hæc ille.

Ioan. 4. verſ. 27.

Nota. Hugo de Dina.

§. II.

Encomia & perfectiones Caſtitatis Fratrum Minorum.

Matth 5. verſ. 28.

Caſtitatis votum quòd plus obliget F. Minorem, ac alium Religioſum.

DE Nazaræis aliquando diſſerens Hieremias Thren. 4. *Candidiores* (ait) *Nazarei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores.* Hæc ſunt Encomia, & perfectiones Caſtitatis verorum Fratrum Minorum: Nec enim à Nazaræis differunt, qui non tantùm mundo, carni, dæmoni, ſed etiam omni concupiſcentiæ carnis, & oculorum, ac ſuperbiæ vitæ, Altiſſimâ Paupertate, Tranſcendentali Obedientiâ, ac Puriſſima Caſtitate valedixerunt, votis ſupremis ſe Deo conſecrantes: Speciali verò Titulo à Caſtitate Fratres Minores *Nazarei* dicuntur: Paſſim enim in ſcriptura, *Caſtitas* pro *Sanctitate* ponitur, nec *Sanctus* dicitur, niſi qui mundus, & *caſtus eſt.* Vnde ad Hebr. 12. vbi Apoſtolus fideles exhor-

Thren. 4. verſ. 7.

FF. Minores Nazaræis ſimiles.

Specialiter propter Caſtitatem.

S. Franciſcus quid plus alijs præceperit quoad Caſtitatem.

Heb. 12. vers. 14. exhortatur: *Pacem* (ait) *sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: Pro *Sanctimonia* Græcus ponit ἁγιασμὸν quod *Castitatem* designat.

1. Ioan 3. vers. 3. Et 1. Ioan. 3. illa verba: *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est*: Sic legit *S. Thomas* ex *S. Augustino tract. 4. in Epist. 1. Ioannis. Et omnis* (ait) *qui habet hanc spem in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est.*

S. Thom. ex S. August. tract. 4. in Ep. 1. Ioan.

Castitatis quatuor encomia sunt, vt nimirùm sit, *Candidissima*: *Purissima* siue *Nitidissima*: *Rubicundissima*: *Pulcherrima.*

Castitatis quatuor encomia.

1. Quod sit candidissima. Et quidem *Candidissima*, quæ vtique nullam mixtionem patitur, sed omnibus mundanis delectationibus nuntium remiserit, vt soli Deo adhæreret: vnde & benè *Candidior niue* dicitur, quippe quæ ab omni materia caloris libidinosi libera, ab omni terrena fæce expurgata niuis candorem superet: Vnde exaticus ille S. Francisci Discipulus B. Ægidius commendans Purissimam Ordinis Castitatem: *Pra cunctis* (aiebat) *virtutibus mihi charissima Castitas est*: Cumque alius requireret: An Castitate potior non esset Charitas? Puritatem Castitatis indicans: *Et quidnam est* (ait) *Charitate castius & purius?* Quærenti autem Fratri, de qua Castitate loqueretur? *Castitatem* (ait) *dico, quâ sensus omnes diuinæ gratiæ custodiuntur.* Hæc est Regulæ Franciscanæ *Purissima castitas*, quæ vtique à terrenis omnibus abstracta, & per altissimam paupertatem, & vitæ austeritatem ab omni carnis incentiuo vendicata, sensus omnes & potentias in diuinæ gratiæ custodiam transmittit: vnde S. Augustinus serm. 249. de Tempore: *Castitas enim Angelica est vita: Castitas cum humilitate, Spiritus sancti merebitur habitationem, quam expellit immunditia libidinis.*

S. Ægidius.

Castitas an potior aliis virtutibus.

S. August. serm 249. de Temp.

2. Quod sit nitidissima. Sed & *Nitidissima est.* Teste enim D. Ægidio, est *Speculum nitidissimum quod per sólum halitum obscuratur*, ideò ab omni consilio, & consortio quantumuis sanctæ mulieris, si vel modicum suspicionem natum esset generare, conuersationem Fratrum Regula abstraxit; nè vel halitu mulieris inficeretur. Quæ Castitas benè *Lactis* nitiditati comparatur. Castitas enim Franciscana velut *Lactea* est, omnibus se charitatis officijs vitâ, doctrinâ instar lactis communicans, & nihilominùs ab omni infectione, & contagio se conseruans; *Lacteam* enim *viam* quæ sereno cœlo apparet, Fratres deambulant, *quorum Eloquia, Eloquia Casta*, sicut & vita charitate plena describitur.

3. Quod sit rubicundissima. Sed & purissimo *Candori*, vt in *Ebore antiquo*, rubor quidem respondet, vt *Rubicundissima* illa Castitas appareat Martyrio (*iuxta S. Augustinum serm.* 250. *de Tempore*) non absimilis: eâ phrasi qua *Dilectus candidus* simul & *rubicundus* est: siue; Quia (vt quidam dicit.) *Quemadmodùm Ebur diuturnitate temporis rubicundum efficitur, ita Castitas diu seruata, martyrij ruborem imitatur, & velut suo sanguine rubescit*: *Nam* (vt Sanctus Augustinus suprà) *Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia Castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.* Siue igitur tamquam candidissimo & durissimo *Ebori* Castitati Franciscanæ ruborem Martyrij tribuas in Fratribus suis, quos constat publicis velut certaminibus expositos: Hoc vnum tamen ab illa nemo auferendum credat: *Sanctum*, scilicet, *Pudoris immaculati ruborem*, Pudici animi & Pudicitiæ ornamentum, quem *S. Bonauentura* in *Collatione de verecundia*, vocat; *Sororem continentiæ, indicium columbinæ simplicitatis, testem innocentiæ, lampadem pudicæ mentis iugiter lucentem, expugnatricem malorum, propugnatricem Puritatis.* Hanc sibi assumit cum nomine *Minorum*, Franciscana Religio, quam omnibus in humilitate, & simplicitate exhibere contendit verus Minor. Hæc est de qua *Tertullianus titulo de velandis Virginibus*: *Cum omnes* (ait) *templum Dei simus, illato in nos, & consecrato Spiritui sancto: Eius Templi Ædituus, & Antistes Pudicitia est, qua nihil immundum nec profanum inferri sinat, nè Deus ille qui inhabitat, inquinatam Sedem offensus relinquat.*

S. Augustin. jup.

S. Bonau. Collat. de verecundia.

Tertullianus.

Nec deest Castitati Fratrum Minorum *Pulchritudo* ordinata de qua Sapient. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Hæc enim illa est, *quam imitantur, & quæ in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorũ certaminum præmium vincens.* Omnis enim gloria Fratris Minoris ad hoc dirigitur, vt Castitatem insinuet, pro qua militant omnia quæ in Regula illi obseruanda præscribuntur, vt sequens §. declarabit.

4. Quod sit pulcherrima. Sapient. 4. vers. 1.

§. III.

Omnia quæ in Regula Fratrum Minorum continentur pro Castitate militant.

Castitatis FF. Minor promotiua.

HÆc ab enumeratione partium probanda sunt. Et quidem (1. *capite*)

sunt omnia quæ in Regula ponuntur.

1. *Castitas Euangelica.*

Castitas non omnis, sed Euangelica vouenda præscribitur: Regula enim Fratrum Minorum dicitur: *Sanctum Domini Euangelium obseruare*, &c. *viuendo in Castitate.* Castitas ergo Fratrum Minorum illa est quæ in Euangelio describitur, ad quam collimare debent, velut Eunuchi qui se castrant propter regnum Dei, vt in carne viuentes, non secundùm carnem viuant; sed sint sancti mente & corpore.

2. *Vilitas vestis & abstinentia ciborum &c.*

In (2. *cap.*) iterùm, vilis eis tunica cum chorda, & femoralibus præscribitur, nuditas pedum iniungitur, mollia vestimenta & colorata, cibi denique delicati prohibentur: Vt quid? Vtique, Quia mollities & vanitas vestium, & deliciæ ciborum, ac corporis cura & solicitudo, incentiua sunt libidinis, & luxuriæ incitamenta. Vnde Apostolus 1. Timoth. 5. *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Et Ezechiel 16. *Hæc est iniquitas Sodomæ Sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia:* Superbia vtique in vestimentis, siue mollitiem, siue vanitatem sapiat: Nam (vt benè Sanctus Bernardus serm. 9. ad Sororem) *mollia vestimenta dicuntur, quæ mollem faciunt animum.* Sequitur *saturitas panis* & *abundantia.* Contra itaque hæc omnia Castitas Franciscana munitur c. 2. Reg. Quòd vilis & simplex tunica pro vestimento determinatur, Cingulum sacci præfigitur, quo ad Pœnitentiam, & austeritatem Frater Minor animetur, sola femoralia pro lineis conceduntur, vt lumbos præcingere tamquam Discipuli Christi moneantur; A cibis delicatis abstinere debere dicuntur: *Sine Cerere*, namque *& Bacchо friget Venus:* Nuditas tandem pedum imperatur, nè calor corporis, foueat æstum libidinis. Benè *S. Bonau.* in *Tract. de Vitijs & eorum remedijs*, cap. *de Remedijs luxuriæ: Hostem suum amat qui carnem suam fouet deliciis, vltra necessitatem debita sustentationis.* Vnde in vita S. Patris cap. 5. *Vestis S. Franciscus horrebat mollitiem; Si quando verò in data sibi tunica lenitatem sentiret chordulis eam contexebat*, &c. Et rationem reddens: *Experientiâ enim certâ didicerat Dæmones asperitate terreri: delitiosis autem & mollibus magis ad tentandum animari.*

1 Tim 5. vers. 6.

Ezech. 16. vers. 49.

S Bernard.

S. Bonau. de vitijs & Remed.

3. *Oratio & Ieunia.*

In (3. *cap.*) Ad Orationem adiungit Ieiunia multa, & ab equitatione Frater Minor arcetur. Et quidem, *Oratione* Castitas impetratur, Oratione Carnis tentationes vincuntur (Sapient. 8. *Et vt scirem quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det*, &c. *ad Dominum, & dixi ex totis præcordijs meis*, &c. Et subiungit Orationem pijssimam toto cap. 9. Et *Tob.* 6. Dæmon Asmodæus, qui luxuriæ præsidet, Oratione vincitur. Ieiunio etiam Caro domatur. Vnde & illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè forte cum alijs prædicauero ipse reprobus efficiar.* Cui Castigationi deseruit fatigatio pedes ambulantis, cui negatur equitatio, aut vehiculum ad solatium Carnis.

Sapient. 8. vers. 21.

1. Cor. 9. vers. 27.

4. *Abdicatio omnis pecuniæ.*

In (4. *cap.*) Ab omni pecuniæ receptione Frater Minor omninò elongatur, quæ est ærarium libidinis, & omnis voluptatis: absque enim pecunia, nec genus, nec forma, nec voluptas: sed dicente Poëta: *Et genus & formam Regina pecunia dant:* Pecuniaque deficiente omnia quæ libidinem excitant aut fouent, desinere necessum est.

5. *Labor.*

In (5. *capite.*) Regula Franciscana Otium debellat, labore & exercitio fideli, & deuoto, saluo sanctæ orationis & deuotionis studio. Et in Testamento: *Omnes Fratres vult laborare de laborerio quod pertinet ad honestatem: Propter* (ait) *bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem:* Cur autem tanta Sancti Patris solicitudo vitandi otij per labores, nisi: Quia, *Otia si tollas periere cupidinis artes: Multam enim malitiam docuit otiositas*: Et vt refert *S. Bonauent.* sup. Sanctus Pater otium docebat summoperè fugiendum exemplo demonstrans, rebellem carnem & pigram, disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domandam.

Eccli. 33. vers. 29.

6. *Expropriatio & seruitium infirmorum.*

Nec (*caput 6.*) à Castitatis propugnandæ exercitio vacat; Cùm Fratrem Minorem omni re expropriet, & in altissima paupertate fundet, & ad mendicationem ostiariam reducat: Imò & tædiosum seruiendi infirmis ministerium illi indicat. In quibus Caro verè ab omni delectatione ablactatur.

7. *Reseruatio casuum.*

Septimum caput: Dum de casuum reseruatione agit, etiam horrorem carnalium peccatorum (quæ ordinariè in Religionibus reseruantur) incutit, & consulit fugam.

8. *Capitula.*

Octauum caput: Cùm Ordinis Monatcham, & Proceres congregatos describat, sine dubio Castitatis decor in illis eminens, sanas pro Castitate tuenda leges, & decreta dabit.

9. *Prædicatio.*

Nonum caput: Prædicatores Euangelij constituens, singulariter vt sint *Examinata, & Casta eorum Eloquia* prouidet, & dum virtutum, & vitiorum denuntiationem præscribit, virtutum Putissimam Castitatem Prædicatoribus annuntiandam committit.

10. *Correctiones &c.*

Decimum caput: In Correctionibus per Ministros faciendis pro Castitate, quæ est Religionis præcipua Margarita, illos solicitos fuisse manifestum est: Et eò quidem specialiùs quò non potentibus Regulam spiritualiter obseruare propter aliquod

quod in loco impedimentum, præcipiatur ad Ministros recursus: Inter impedimenta verò à *Sancto Bernardino* specialiter ponitur; *Si in loco aliquod periculum Castitati immineret*, & exemplificat per *inhonestam societatem*. *Pro Castitate* autem singulariter militant *Spiritus Domini*, & *sancta eius Operatio*; sicut & *Oratio puri Cordis*, quæ in hoc capite decimo præscribuntur.

11. Consortiorum & consiliorum suspectorum prohibitio.

Undecimum caput: Totum est in impedimentis Castitatis remouendis, dum suspecta consortia & consilia mulierum, ingressus ad Monasteria Monacharum, omnisque Compaternitas prohibetur.

12. Euangelij ad infideles deportatio.

Nec *duodecimum caput* amplificandæ Castitati deest; Quum confirmat, Euangelij ad infideles deportatio, quam comitatur Pudicitia, & in fine Promissionis ac voti de Obseruatione Euangelij renouatio, in se complectitur iteratum votum Castitatis. Sic Virgo S. Franciscus Castitati se suosque dicauit, vt cum quadraginta quatuor millibus, & cùm infinita multitudine sequerentur Agnum quocumque iret.

§. IV.

Expurgatio quarumdam palearum contra puritatem Castitatis.

NOn defuerunt qui sub titulo procurationis salutis proximorum, mulierum conuersationem suaderent, Consilij, Instructionis, Directionis spiritualis, Confessionalium vtilitatem, & messis magnæ vbertatem extollentes. Quòd si quis fortè pericula, & suspiciones allegaret: Omnia conantur excusare prætextu: Quod si scandalum oriri videatur, acceptum, vt dicunt, non datum est, passiuum non actiuum. Et sicut non putant compaternitatem, vel filiationem ex Baptismi collatione ortam iustè prohiberi posse, eò quòd sacramentalis Ministerij actio sit; ita de filiatione confessionalium sibi ablandiuntur, & vtilitatem animarum asserunt periculis præferendam.

Mulierum consortium fugiendum.

S. Francisc.

Vno porrò Ventilabro S.P.N. Franciscr paleas illas excutio. Sic verò loquitur in prima Regula sibi à Spiritu sancto inspirata. *Omnes* (inquit) *Fratres vbicumque sunt & vadunt, caueant sibi à malo visu, & frequentia mulierum. Et nullus cum eis consilietur solus: Sacerdos honestè loquatur cum eis dando pœnitentiam, vel aliud spirituale consilium. Et nulla penitus mulier, ab aliquo Fratre recipiatur ad Obedientiam, sed dando sibi consilium spirituale, vbi voluerit agat pœnitentiam.* Et Collat. 6. *Frivolum profectò est quodcumque mulieris colloquium, exceptâ sola Confessione, vel instructione brevissimâ, iuxta quod sibi vtilis expedit, & congruit honestati. Quæ sunt quæso cum muliere, Religioso tractanda negotia, nisi cum Cinilam Pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium, Religiosi petitione deposcit?* Et nè quis de sua fortitudine vel securitate præsumat, subdit: *Ex nimiâ securitate minùs cauetur hostis, & diabolus si de suo capillum potest habere in homine, citò excrescere facit in trabem.* Hæc S. Franciscus. Collat. 6.

Ex quibus deducitur primò: *Administrationem Baptismi in casu necessitatis, vel ordinatæ charitatis non esse prohibitam Fratri Minori ex Regula, etsi Compaternitatem, & filiationem spiritualem inducat.* Ratio est: Quia in his casibus inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriri non potest: Illa autem tantùm Compaternitas prohibetur, quæ potest esse occasio scandali, vt notat *S. Bonauentura*: Vnde Hugo de Dina in cap. 11. Regulæ: *Possunt quidem* (ait) *puerum periclitantem baptizare, saltem vbi deest alia persona quæ possit, aut velit hoc facere, tunc enim iustè nec inter Fratres, nec inter homines scandalum esse potest, quod Regula prætendit. Charitatis etiam Præceptum, quo proximum diligentes, tenemur maximè in re tam spirituali & necessaria subuenire, nec intendit sanctus, nec potest irritare: Necessitas etiam (vt Canon loquitur) non habet legem: Quæ autem maior necessitas, quàm animam proximi a damnationis æternæ periculo liberare? Vbi autem non cogit necessitas, non est nostri Officij baptizare. Ergo vbi necessitas vel iusta ratio postulat, Frater Minor baptizare potest.* Compaternitas ex administratione Baptismi licita Fratri Minori. Hugo de Dina in cap. 11. Reg.

Dicendum 2. *Licitum & laudabile esse ac debitæ Charitatis, Fratri Minori mulierum confessiones audire, illis pœnitentias iniungere, monita & consilia salutis dare, modo fiat intra terminos iusti & honesti, ita vt absit omnis ratio suspicionis prauæ vel scandali*: Colligitur ex verbis Sancti Patris suprà allegatis. Et cùm ad hoc Fratres Minores dati sint mundo, & in vniuersum orbem missi, vt prædicent pœnitentiam, & proximorum promoueant salutem: Certè sicut ad Prædicationem tenentur ex vi vocationis, si à Prælatis mittantur: Sic & ad Confessiones audiendas, & salutaria consilia danda, si ad hoc idonei iudicentur, approbentur, & legitimè instituantur. Quemadò liceat F. Minori, conuersari cum mulieribus in ordine ad Confessiones, & salutia consilia.

Dixi (*intra terminos iusti & honesti*;

ita vt absit omnis ratio *suspicionis prauæ, & scandali.)* Terminos verò iusti & honestatis expressit Sanctus Pater supra. 1. Vt colloquium vel consilium cum muliere non sit solitarium, siue solius cum sola in loco sequestro; sed fiat in patenti, vt vel de facto videantur ab aliquo, vel ex loci communiter patentis constitutione videri possint: Et hoc est quod dicit: *Et nullus cum eis consiliatur solus.* 2. Vt sit de materia salutari, pertinente ad animæ salutem, vt pro Confessione Sacramentali, vel Instructione spirituali: *Dando* (inquit) *Pœnitentiam, vel aliud Spirituale consilium.* Item: *Quæ sunt quæso* (ait) *cum muliere Religioso tractanda negotia, nisi cùm sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium, Religiosâ petitione deposcit?* 3. Vt breuiter & honestè fiat, quod iuxta rationem materiæ, & circumstantias loci, temporis, personarum expendi debet: *Frivolum profectò est* (inquit) *quodcumque mulieris colloquium, exceptâ solâ Confessione, vel Instructione breuissimâ, iuxta quod salutis expedit, & congruit honestati.* Et quidem Patres sancti toti sunt in resecandis illis superfluis & longis colloquijs cum mulieribus, etiam sub titulo Instructionis, vel Consilij salutaris. Vnde Joannes Climacus *de Castitate* 15. *gradu: Quidam* (ait) *Monachi plerumque degentes cum fœmina, ex hoc in concupiscentia omninò non impugnantur, nec in tentationem inducuntur cogitationum, qua ex re beatificauerunt seipsos miserabiles: ignorantes, quia vbi maior interitus, ibi opus minoris custodia non existit: Nam propterea hostis callidus eos tunc non impugnat, vt fiduciam, & libertatem cum mulieribus conuersandi accipientes, turpiùs corruant.* Et ibidem pericula subijciens: *Quidam* (ait) *Patrum expertus dolum dæmonis narrauit: Quoniam, plerumque dæmon fornicationis perfectè se subtrahit; & summam religiositatem, reuerentiam, & honestatem Monacho, & secundùm tempus lachrymarum fontem permittit & ingerit: Quum verò eos suggesserit, cùm mulieribus familiariter loqui, & residere, & admonere eas ad Castitatis honestatem, & continentiam, & memoriam mortis, & æterni iudicij* (nota sancta colquia) *vt propter sermonem & fictam religiositatem præoccurrant lupo miserabiles vt Pastori, & de cætero consuetudine, & familiaritate contractâ, tunc lapsum & ruinam miserrimus ipse sustineat.* Hæc Climachus: Consuetudinem porrò prauam describit distinctissimè S. Abbas Nilus: *Fuge* (ait) *confabulationes mulierum si castus esse volueris, & nè tribunas eis fiduciam aliquando audere in tuis conspectibus comparere.* Et modos fœmineos explicans: *Religionem in initijs* (ait) *aut habent, aut simulant, postea audebunt omnia procaciter. Primâ confabulatione obtutum habent deorsùm, loquuntur mitiùs, & compatiendo lachrymas fundunt, habitum præferunt honestatis, ingemiscunt amariter, lesciscantur de pudicitia, & cum deuotione auscultant. Secundò: Iusti & vidisti? & pusillo innuunt. Rursùm tertio, & incedunt procaciter. Subrisisti; & illa profusè risêre: Exornantur deinde, & euidenter se ostendunt, &c. Verba loquuntur quibus passio emollitur, & loquelam student seductionis, vt auditum permulceant, & in omnibus his animam tuam impugnant. Hæc efficiuntur tibi hami inescantes ad mortem, & velut nebula multimoda trahens in perditionem.* Et exhortans ad fugam: *Non te* (ait) *decipiant verbis cum modestia abstinentes: abscensum namque in eis est venenum bestiarum nequissimarum.* Hæc ille.

Colloquia longa cum mulieribus Patres damnant.

Ioan. Clim.

S. Nilus.

Dicendum 3. Prohibitum à S. Francisco in prima Regula: Nè sub titulo Instructionis spiritualis, aut directionis vitæ, aut confessionalium Fratres recipiant aliquam mulierem ad Obedientiam, aut velut obedientiam. Sic verò loquitur cap. 12. *Et nulla* (inquit) *penitùs mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam: sed dando sibi consilium Spirituale, vbi voluerit, agat Pœnitentiam.* Quod etsi in secunda Regula non sit expressum, sub nomine tamen *suspecti consortij & consilij*, & quasi *Paternitatis* est prohibitum: Illa enim generant nimiam adhæsionem, quæ est vt plurimùm ruina Castitatis. Vnde Auctor Regulæ Monachorum ad Paulam & Eustochium apud Hieronymum cap. 20. *Argumenta* (ait) *sunt diaboli, & mortua æterna indicia, filiationes, & maternitates, quibus vocabulis sub velamine spiritus inter se vtuntur mares & fœmina.* Cuius rationem dederat ibidem: *Sanctior* (ait) *mulier vltra quàm dici liceat, si viro adhæreat, quantumcumque spiritualis, instinctu naturæ inclinatur ad nefas, si in viro virtus deficiat.* Et vt *S. Bernardus serm. 98. ad Sororem: Sæpe familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit, & quos voluptas prosternere non valuit, affinitas superat.* Nec minùs seriò S. Hieron. in Ep. ad Titum cap 2. *Nonnunquam* (ait) *euenit, vt primùm à nobis in Virginem, siue in quamlibet fœminam sit sancta dilectio, & cùm mollita mens fuerit in affectu, paulatim sanitas charitatis languere palleſcat, & infirmari incipiat, & ad extremam mortem diligentem ferat.* Infrà: *Caueant ergo tam iuuenes, quàm senes, &c. nè per sanitatem dilectionis, morbus charitatis introeat, & per amorem sanctum, fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam.*

Mulieres à F. Minore nō recipiendæ ad Obedientiam.

S. Bernard. serm 98. ad Sororem.

S. Hieron. in Epist. ad Tit. c. 2.

COROL-

COROLLARIVM.

Instructio qualiter F. Minor debeat agere cum fœmin.

EX dictis paleæ excutiuntur 1. Nè igitur scrupulosus à confessionibus mulierum audiendis & consilijs salutis, si ei à Superiore committatur, se pertinaciter excuset: Sanctum enim & laudabile munus est, & F.Minor saluti omnium est expositus, tantùm speret in Deo, & sibi inuigilet.

2. Nemo se intrudat, nisi legitimè ei hoc Officium sic commissum.

3. Inter terminos iusti & honesti vtatur, & sibi attendat, nè quid etiam alienos oculos offendat.

4. Breuis, realis, circumspectus sic in omni consortio cum muliere, nè diabolus vel caro etiam per secretissimas timas se insinuet.

§. V.

Triumphus Purissimæ Castitatis Ordinis Fratrum Minorum.

SAlomon in Ecclesiastico suo *cap.* 26. admirans excellentiam Castitatis super omnes virtutes: *Omnis autem* (ait) *ponderatio non est digna continentis animæ.* q. d. Expende, pondera, examina quidquid excellit; *Ponderatio continentis animæ*, maior erit. Vnde & *S.Hieronymus l.1. aduersus Iouinianum* expendens illud Apostoli. *Ad Galat.5. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, Castitas:* Continentiæ & Castitati primas donat, & illam pro fundamento, & culmine ponit: *Omnes* (ait) *virtutes spiritus, quasi solidissimum fundamentum & sublime culmen, Cõtinentia sustentat & protegit.* Et *eodem libro:* vniuersaliter salutem Continentiæ attribuit. *Quomodo* (ait) *absque cæteris operibus virginitas sola non saluat, sic omnia opera absque virginitate, puritate, continentia, castitate, imperfecta sunt.* Vbi & hæreditatem incorruptibilem, & immaculatam, & immarcessibilem præparatam in cœlis, & in tempus nouissimum reseruatam, *Præmium esse & Priuilegium Virginitatis* siue *Castitatis* latiùs docet.

Eccli. 26. vers.20.

Galat. 5. vers 22. Castitatis FF. Minorum Triũphus.

S.Hieron. l.1.aduersus Iouin.

Certè Triumphum incoinquinatorum certaminum attribuit Castitati Salomon *Sapient.4* vbi cum pulchritudinem castæ generationis cum claritate descripsisset. *In perpetuum* (ait) *coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Quæ autem sunt illa certamina nisi Castitatis? de quibus Apostolus: *Caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem:* Quæ sunt illa incoinquinata? nisi vbi Castitas vincit, de quibus idem Apostolus: *Spiritu* (ait) *ambulate, & carnis desideria non perficietis:* Item: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitys & concupiscentijs.* Quæ est illa corona quâ triumphat? nisi Interprete S. Hieronymo suprà. *Illa in qua conresuscitauit nos, & consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Leganus* (ait) *Apocalypsim, & ibi reperiemus Agnum super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia signatorum, habentium nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, qui cantant Canticum nouum, & nemo potest dicere Canticum illud nisi, Hi qui empti sunt de terra, qui cum mulieribus se non coinquinauerunt, qui sequuntur Agnum quocumque vadit. Empti sunt enim ex hominibus Primitiæ Deo & Agno. & in ore ipsorum non est inuentum mendacium, & sine macula sunt.*

Sapient.4. vers.2.

Galat. 5. vers.17.

Vers.16.

Vers.24.

Ephes.2. vers. 6.

Apocal.14. vers. 1.

Hic est sanè Triumphus Castitatis Fratrum Minorum: *In monte* vtique sunt cum Agno: Vbi beatitudines octo prædicantur, & exercentur, & *à Beatitudine Pauperum spiritu* inchoantur: *Signati sunt signo Tau Pœnitentiæ, & Crucis* ab eo qui insignitus est Stigmatibus Dominicæ Passionis: Nomen *Agni* in humilitate *Fratris Minoris*, & Nomen *Patris* eius sortiuntur in *Celsitudine Altissimæ Paupertatis*, quæ (dictante in Regula Spiritu sancto) *Hæredes, & Reges Regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit: Hi cantant Canticum nouum*, Sanctum vtique Domini nostri Iesu Christi Euangelium ad litteram obseruantes: *Hi empti sunt de terra* omnibus terrenis renuntiantes: *Hi sequuntur Agnum quocumque erit*; Abnegantes semetipsos, & Crucem suam ferentes. Denique non *inuenitur in ore eorum mendacium*, qui vitâ, verbo, & opere Euangelium veritatis ex sua Professione annuntiant. Tandem si Regulam obseruent, *sine macula sunt*, qui in omnibus Regulæ suæ Capitibus, nil nisi Castitatem sonant, Castitatem sapiunt, vt §.3. declaratum est.

Athletæ sunt sub exercitu *Purissimæ Castitatis*, qui pro Castitate seruanda omnia impendunt quos sic describit S. Ephrem lib. de luctamine spirituali: *Continentiam* (ait) *habeto in habitu: Continentiam habeto in cibo: Continentiam habeto in lingua, Abstinentiam in aspectu, in cogitatu, in risu, vt Athleta pietatis perfectissimus*

S.Ephr. l de luct.spirit.

mus in omnibus demonſtreris. Item *lib. de Virgin. Fac ſis continens animo, vigil ſpiritu, abſtinens cibo, abſtinens riſu, cogitationum quoque continentiam ſervans, vt per omnia velut perfectus Athleta innoteſcas.* Hæc ille.

Et iſtud quidem eſt certamen Fratrum Minorum, quo Carnem, Mundum & Diabolum ſuâ continentiâ ſuperant, triplici coronâ digni: Quos vtique vt Caſtitatis Aſſertores & omnis luxus expertes deſcribit Eminentiſſimus Cardinalis Iacobus de Vitriaco Sancto Franciſco contemporaneus hiſtor. Occid. cap. 32. *Omnibus renuntiantes, ſeipſos abnegantes, Crucem ſibi tollendo, nudi nudum ſequentes:* Et pro ſingulari Caſtitatis cuſtodia addit: *Relinquentes pallium cum Ioſeph, hydriam cum Samaritana expediti currunt, ambulant anſe faciem ſuam, volantes vt nubes, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas, nè mors per ipſas intrare valeat cum omni diligentia & cautela prouidentes*, &c. *Iac. Vitriac. hiſt. Occid. c. 32.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

TITVLVS IX.

FVNDAMENTVM IX.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Operationes Hierarchicæ secundum Hierarchias Angelorum Fratribus Minoribus competentes.

Comparatæ

TOPAZIO *Nono Fundamento Apostolico.*

PARS II.

TOpazius eò quidem carior quò pretiosior & rarior: Vnde & Psaltes Psal. 118. *Ideò (ait) dilexi mandata tua super aurum & topazion.* Vbi S. Hieron. *Sicut (ait) aurum cunctorum metallorum excellit pretium: Ita Topazius omnium gemmarum in se continens pulchritudinem omnium vincit honores.* Et quidem Auri purissimi & fulgentissimi ætheris colores refert, & si solis radiis percutiatur, flâmescit igneścitque. In quibus perfectionem summam Apostolorũ designari docent Interpretes, siuè perfectiones vitæ Contemplatiuæ & Actiuæ in illis contempleris (vt exponit Irrefragabilis Doctor noster *Alexander de Ales c. 21. in Apoc.*) siue Hierarchicas Operationes Angelorum Apostolis appropriatas vt alii: Ita vt *Operationes Inferioris Hierarchiæ*, quæ ad amorem proximi terminatur, per sinceras opitulationes purgativas in aureo colore indicentur: *Operationes Mediæ Hierarchiæ* per illuminationes in fulgore æthereo repræsententur: *Operationes Supremæ Hierarchiæ* quæ totæ flammeæ & ignitæ sunt in flammis Topazii quæ à solis radiis igneścunt, significentur. Hæ sanè Operationes triplices Hierarchiarum Cælestium, singulari modo in Apostolis in Ecclesiastica Hierarchia apparuerunt, & proportione quâdam repertæ sunt, in quibus infimi purgati, alios purgauerunt, & Medii illuminati, in Ecclesiam suum lumen diffuderunt, & supremi Seraphicum ardorem à radiis solis Iustitiæ acceptum in mundum vt arderet immiserunt.

Topazii qualitas.

Psal 118. 127.

S. Hieron.

Apostolis comparatio.

Nec Apostolico Ordini Fratrum Minorum has dotes participatiuè negauit Deus, ita vt pro nono sui fundamento *Topazius* ei rectè assignetur, fratribus enim cum Angelorum *Infima Hierarchia*, aurei coloris amor proximorum ex innata professione competit, cum *Media* lumen æthereum cælestis doctrinæ; cum *Suprema* perfectissimi Amoris ardores igneos participat. Quæ omnia specialibus Paragraphis demonstrantur.

Item Ordinis Fratrum Minorum.

§. I.

Breuis Synopsis Hierarchiarum Cælestium, & Operationum quibus exornantur.

VT quæ de Operationibus Hierarchicis Ordini fratrum Minorum competentibus dicenda sunt, melius intelligantur, breuem pono synopsim.

Hierarchia quid. Et quidem S. Dionysius lib. 1. Cælestis Hierarchiæ c. 3. Cælestem Hierarchiam sic describit: *Hierarchia* (inquit) *est sacer Ordo, scientia & Actio, qua ad Diuinitatis similitudinem quo ad ejus fieri potest accedit, & proportione Illustrationum quæ ei data sunt, ad Dei imitationem traducitur.*

S. Dion. l. 1. Cæleſt. Hierarch. c. 3.

In qua quidem Descriptione: Sacer ille Principatus Cælestium Spirituum, ejusque Ordinata Dispositio, in omnibus gradibus quibus Cælestes Spiritus sub Deo primo Principio militant, sibique inuicem subijciuntur, cum omnibus officijs & operationibus, ac eorum vltimo fine, perfectissimè delineatur.

Dicitur enim primò: *Sacer Ordo*: Etsi enim omnes Spiritus Cælestes ad Beatitudinem æternam creati sint: & (vt dicit S. Dionysius) *vniuscujusque eorum qui in Hierarchiam cooptati sunt, in eo posita perfectio sit, vt pro sua virili ad Dei imitationem contendat, diuinamque in se Actionem quantùm potest, ostendat*: Tamen nec eâdem proximitate Deo omnium Bonorum fonti appropinquant, nec eosdem omnes, eodemque modo subministratos recipiunt aut illapsus, aut influxus: sed proportionatè prout placuit ei qui pro sua voluntate & sapientia cuncta disponit, & disposuit.

Idem.

Hierarchia quotuplex. *Ordo* itaquè in Hierarchiis à Deo hîc positus est: vt triplici velut Classe ab inuicem distinguerentur, quæ & *Hierarchiæ* vocatæ sunt: Quarum vna *suprema* quæ Eminentiores Naturas Deo propinquiùs conjungeret: Altera *Media*; Tertia *Infima*, suo ordine se inuicem sequerentur: Voluit autem vt non solùm seruaretur Hierarchiarum Ordo, sed in Hierarchiis positi diuersis etiam gradibus ab inuicem distinguerentur. *Etenim* (referente eodem S. Dionysio c. 4.) *non solùm in summis, atque infimis mentibus, sed in iis etiam quæ sunt ejusdem Ordinis hæc Lex à Deo sancita est, vt in vnaquaque Hierarchia & Primi sint, & Medii & Postremi; inferiorumque Superiores, Doctores sint, eisque quasi digito viam monstrent, adsumque ad Diuinitatem.*

Hæc est Ordinum Graduumque distinctio: *Primus* enim *Ordo* siuè Hierarchia destinatis gradibus *Seraphim, Cherubim, Thronos* complectitur: *Medius* Ordo siuè Hierarchia: *Dominationes, Virtutes, Potestates*: infimus Ordo *Principatus, Archangelos, Angelos.*

Hierarchiarum Oeconomia. Oeconomia verò omnium Hierarchiarum, à *Scientia* & *Actione* dignoscitur, ideoque in Descriptione Hierarchiæ *Scientia*, & *Actio* dicitur: quatenus *Scientia* significat Illustrationes & Communicationes Diuinas, quæ proportionatè in Spiritibus Cælestibus juxta vniuscujusque gradum passiuè fiunt: *Actio* autem quatenus indicant Operationes eorundem Spirituum quas actiuè in alios exercent. Commune enim est omnibus vt per *Illustrationes & Communicationes* Diuinas omnes pro suo modo primò *Purgentur*, Deindé alios *purgent*: Demùm omnes proportionatè *Illuminentur*, & consequenter alios *illuminent*: Tandem omnes in suo gradu *Perficiantur*, & alios *perficiant*. Ad hoc enim proportionatè se Spiritibus cælestibus communicat Deus, siuè (vt ait Dionysius) *Beatitudo illa libera ab omni dissimilitudine AEterni luminis plena & perfecta, ac nullius indigens: vt sit illis Expiatio, Lux, & Perfectio omni purgatione & luce præstantior.*

1. Hierarchiæ communicationes. His porrò differentiis Communicationes Diuinæ subministrantur: In *Prima* enim *Hierarchia* Deus Eminentioribus illis Naturis & Essentiis quas sibi proximas fecit, velut illabitur in eisque resident & quiescit: In *Seraphinis* quidem, Amoris sui plenitudinem constituens, vnde & *Incensores & Calescentes* à supremo Amoris Diuini Ardore vocati sunt: In *Cherubinis* autem, plenitudinem Sapientiæ & Lucis influit, vt quasi Diuini Luminis receptacula fierent, vnde & à plenitudine scientiæ & Contemplationis Diuinæ nomen acceperunt. Tandem in 3. gradu Thronos sibi delegit: Quòd in illis Sanctus Spiritus velut in *Sedis Majestatis* suæ sedeat, siuè (vt ait S. Dionysius) *quòd totis viribus in eo qui vere summus est hærentes, Diuinum aduentum sine vlla motione atque materia recipiant, ac Deum portent.* In prima itaque Hierarchia Deus Domesticam sibi Curiam velut delegit: *Ordo enim iste* (vt ait Dionysius) *magnâ familiaritate & consuetudine operumque conjunctione dignus habitus est: Ita vt primâ Diuinæ Largitionis effusione satietur.*

2. Hierarchiæ communicationes. Secundò quia Dei Regnum ad extra dilatari debebat: *Secundam Hierarchiam* velut constituit: *Tribus* etiam *Ordinibus* proportionatè illustrem: *Dominationibus, Virtutibus, & Potestatibus.* Ita vt *Dominationibus* competat: Regnum Dei in se & aliis stabilire ab omni seruitute & submissione, ac subjectione liberum, & per illustrationes

nes

nes à superiore Hierarchia acceptas, illud propagare. Hoc est Regnum: Quod ab Apostolo ad Colos. 1. vocatur *Regnum dilectionis filii Dei.* Et ad Heb. 12. *Regnum immobile*, & à Daniele 6. *Cæli Regnum quod in æternum non dissipabitur.* Quia verò Regnum non potest benè stabiliri, niti eiectis & superatis arduis difficultatibus (*Regnum enim Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud*) *Dominationibus* in eadem Hierarchia succedunt *Virtutes*, sic dictæ, quòd (interprete Dionysio) *Virilem quandam intuétamque fortitudinem ad Diuina omnia munia obeunda suscipiunt, quâ magnis virtibus, & magnâ contentione ad Diuinitatis imitationem, se & alios excitant.*

Coloss. v. 13. Heb. 12. 28. Dan. 6. 26.

Demum cum & Regni tranquillitati Rebelles potestates adversentur: Tertium locum in Hierarchia media obtinent *Potestates Cælestes*, quæ à superioribus illustrátæ, omnem supprimunt & suppeditant rebellionem, in hoc & *Dominationibus & Virtutibus* quasi subservientes.

3. Hierarchia communicationes.

Tertiò Regno Dei sic dilatato & stabilito: Necessum fuerunt qui Rationali Creaturæ, & inferioribus præsiderent, & ad Regiæ Majestatis obseruantiam & reuerentiam Inferiores inducerent, & continerent: Ideò *Infima Hierarchia* à Deo Summo Principio instituta est: In qua primum Gradum obtinent *Principatus* sic dicti (S. Dionysio docente) Quòd, *Ipsi tamquam Principes Inferioribus enunciant, & alios pro dignitate Principatus Duces se præbent, & illum ipsum Principatum qui Principatus auctor est, pro virili parte exprimunt. Secundo* autem *Gradu* constituuntur *Archangeli*: Qui Diuinis & Sacratioribus sanctionibus intimandis præpositi sunt. *Dum* (ait Dionysius) & *nuntiant, & per Angelos nobis enuntiant, pro Sacrosancta ratione vniuscujusque Diuinarum Illustrationum.*

Tertio tandem *gradu Angeli* sequuntur: Qui Superiorum Communicationum communiter circa Homines & Inferiores Creaturas, Interpretes & Executores sunt: Quibus & cura Hominum, & totius Creaturæ Inferioris demandata est, vt illis mediantibus, & eorum operâ seruentur, dirigantur, & ad Deum Principium & finem suum reducantur juxta vniuscujusque naturam.

Hierarchiarum actio triplex.

Hæc est Hierarchiarum Cælestium diuina dispositio: Quæ tribus potissimùm operationibus perficitur, vt dictum est: *Purgatione, Illuminatione*, & *Perfectione* non solum *actiuâ*; sed etiam *Passiuâ*. Etli enim nulla sit in Sublimioribus illis & Cælestibus Naturis macula, aut ignorantia: Eò ipso tamen quòd Creaturæ sunt, deficientiam quandam, & Nescientiam (quam alii *vmbram* dicunt) & mutabilitatem omni Creaturæ intrinsecam habent, quæ per Communicationes Diuinas supplentur: Vnde præclarè S. Dionysius c. 7. de Prima Hierarchia. *Hoc etiam* (inquit) *a paucis jure merito possum dicere: & Purgationem esse, & Illustrationem, & Perfectionem, Diuinæ Scientiæ Communionem: Dum & quasi purgat & expiat ignorationem perfectorum mysteriorum scientiâ: Quæ cùm pro dignitate conceditur, etiam illustrat diuinâ cognitione, qua etiam purgat eam, quæ antea non viderat omnia, quæ nunc excelsâ illustratione enuntiantur: Et rursùs perficit ipso stabili ac firmo clarissimorum mysteriorum lumine, &c.* Et hinc dicuntur omnes Spiritus Cælestes pro suo cujusque gradu in quacumque Hierarchia, *Purgari*, & *Purgare*, *Illuminari* & *Illuminare*, *Perfici* & *Perficere*. Vide Sanctum Dionysium & ejus Interpretes. Hæc enim tantùm compendiosè perstrinxi, vt quæ de Ordine Fratrum Minorum in hac materia dicenda sunt, meliùs comprehendantur.

§. II.

Ordo Fratrum Minorum ad similitudinem Hierarchiarum Cælestium, Operationibus Hierarchicis ornatur.

S. Francisci Angelus & Angelicus.

PAtriarcha Pauperum S. Franciscus Vir Angelicus & Seraphicus: Alter ille Angelus veræ Pacis missus ab ortu solis vt quatuor Angelis Percussoribus imperaret: In ortu, baptismate, processu totius vitæ decursu Angelicis ministeriis & officiis decoratus teste S. Bonauenturâ Bonauent. *Angelico deputatus Officio, incendioque Seraphico totus ignitus ac Vir vere Hierarchicus* cui ab æterno *Sedes* cadentis *Luciferi* in cælo assignata erat: Sicut vitam Angelicam & Seraphicam in se effornauit, sic *Ordinem Fratrum Minorum* sibi commissum instituens, ad similitudinem Hierarchicam Cælestium Spirituum Christo inspirante, & dictante effinxit, vt velut Imago ad prototypum suum quantum humana infirmitas permittebat singulari proportione prodiret. Vnde Bartholomeus Pisanus lib. 1. Conform. fruct. & Conform. 3. p. 2. notat Spiritus cælestes cùm in speculo illo Diuino in verbo vidissent S. Franciscum in mundum mitti, vt per se & suos eorum ruinas repararet, magno gaudio repletos fuisse in singulis Hierarchiis: *Seraphim* quidem: quia agnoscebant illum ipso suo incendio igniendum: *Cherubim*, quia prænuntiabatur Diuinorum arcanorum mysteriis imbuendus: *Throni*, quia perspiciebant in ipso, Deo præparari habitacu-

3. Francisci vere Hierarchicus.

Pisanus. l. 1. fruct. 3. p. 2.

lum singulare, & Deo totaliter vniendum: *Dominationes:* Quia edocebantur per ipsum Carnis concupiscentiam omninò subijciendam: *Virtutes* ob miracula quæ per ipsum Deus patrare disponebat: *Potestates:* Per Eum intelligendo dæmones, & ipsorum virtutem ac dominium prosternendum *Principatus*: Quia Princeps signaculo plagarum Christi tam in Ecclesia militante, quàm in Triumphante S. Franciscus instituendus erat: *Archangeli*: Quia per illum secreta altissima hominibus intimanda intelligebant: *Angeli*: quia videbant ejus & suorum fratrum Prædicatione, vitâ, & exemplo mundum conuertendum, & Sedes Angelicas restituendas.

Ordo fratrum Minorum Hierarchicus.

Et quidem Ordinem fratrum Minorum in similitudinem Hierarchiarum Cælestium à prima Origine institutum declarant omnia quæ de Hierarchiis Angelicis suprà posita sunt: in iis enim & *Ordo Sacer* & *Scientia*, & *Actio* reperiuntur, quibus ad Dei similitudinem & imitationem Ordinis hujus Professores traducuntur, & homines traducere conantur, seruatâ ad inuicem subjectione, & proportione. Sicut enim (quod ad *Ordinis* rationem pertinet) omnis Hierarchiæ principium & fons est Deus trinus & vnus, *A cujus Bonitate* (ait S. Dionysius) *& Status, & Bonus Status iis quæ sunt, conceditur: Iesus etiam, qui mens, & diuina maximè, & essentia superior, omnis Hierarcina tum sanctitatis, tum Diuinæ Actionis principium, Omnium Hierarchiarum Auctor & perfectio:* Ita singulariter *sanctissima Trinitas, & Iesus Christus Deus Homo*, Ordini fratrum Minorum se principium, & firmamentum omnis boni posuit. Vnde Ordinis prima principia à S. Triade posita fuerunt. Ab ipso enim Ordinis exordio Trium Ecclesiarum reparatio in SS. Trinitatis honorem, S. Francisco demandata fuit: Nam (ut S. Bonauenturâ c. 2. vitæ) *instar reparatæ triplicis fabricæ, ipsius S. Viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam & doctrinam, Christi triformiter venerandæ erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum:* Demum: *formam vitæ, sibi insinuari postulans Oratione præmissâ* (inquit S. Bonauentura c. 3. Vitæ) *Cultor Trinitatis Franciscus, ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio sanctum propositum confirmari.* Quod & factum est: Tandem paulò antequam Sacris Stigmatibus à Christo Crucifixo in forma Seraphim apparente decoraretur, *Trinâ* iterum *Euangeliorum libri apertione* triplex Dominicæ Passionis perfectio in eo complenda demonstrata fuit. *Immissum namque est* (ait S. Bonauentura c. 13. vitæ) *menti ejus per Diuinum Oraculum quòd in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Christo, quod Deo in ipso, & de ipso magis foret acceptum. Oratione itaque præmissâ Sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum, in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per Socium.* Quid igitur? Subdit S. Bonauentura. *Sanè cum in trina libri apertione semper Dominicæ Passio occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quòd sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transiret.* Sic sanctissimæ Trinitatis influxus, vt in Hierarchiam Ordinis influeret, in Hierarchico Viro, per Christum, & in Christo præparatus fuit. Quod non parum confirmat Trina similiter Christi Crucifixi apparitio sigillatim, Francisco facta ad triplicem Operationem: Et *prima* quidem initio suæ conuersionis, velut ad Operationem Purgatiuam, cum vt refert S. Bonau. c. 1. vitæ: *Dum vnâ dierum sequestratus oraret, apparuit ei Christus Iesus velut Cruci affixus ad cujus conspectum liquefacta est Anima ejus, & memoria Passionis Christi, viscera cordis ejus impressa medullitus, &c.* Ac vehementi impressione inspiratum Euangelicum illud: *Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle Crucem tuam, & sequere me. Secunda*: cùm illustrante ejus Animam Christo per Imaginem loquente, ad reparandam Ecclesiam delegatus est. *Tertia*: Cùm in monte Aluernæ Christi Crucifixi effigie actu Seraphico Perfectissimo insignitus fuit: Quæ quidem transformatio intimam vnionem, & perfectionem incendii in Christo, & per Christum in ipso consummabat. Et ex his Ordo Minorum ad Hierarchicam sublimitatem eleuatus est.

S. Dion.

S. Bonau. c. 2. vitæ.

Idem c. 3.

S. Francisco ter Crucifixus apparuit.

Idem c. 1.

Matth. 16. 24.

Ordo namque fratrum Minorum tam singulari Dei prouidentiâ institutus est, vt totus à specialissima cura & influxu Christi dependêret in singulis membris, promissione fideli S. Francisco factâ: sic enim, vt refert S. Bonau. c. 3. vitæ, à Domino confirmatus est: *Dum enim quâdam die in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans, sancti spiritus in eum Superueniente lætitiâ certificatus de remissione plenaria omnium delictorum:* Hæc à Deo accepta fratribus enuntiauit; *Non vos* (inquit) *terreat mea vel vestra simplicitas: Quoniam sicut mihi à Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem, faciet nos Deus crescere, suaque Benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit.* Quòd verò hæc Benedictio specialissima fuerit, & per influxus in Corpus Ordinis, & individua membra deriuanda, constat ex promissione

Ordinis Minorum totalis dependentia à Christo.

Idem c. 3.

ne

ne Christi facta eidem S. Patri quam refert *S. Bonav. c. 8. vitæ*, vbi narrat quòd cùm S. Pater nimis affligeretur ob mala exempla suorum quæ anxio Spiritu præsentiebat. *Responsum* (inquit) *hujusmodi repertum à Domino: Cur tu pauper homuncio conturbaris: An ego te super Religionem meam sic Pastorem institui, vt me principalem nescias esse patronum?* Et ostendens speciali influxu totam Ordinis Oeconomiam à se pendere, subdit: *Hominem simplicem ad hæc te constitui: vt quæ in te fecero non humanæ industriæ, sed superna gratiæ adscribantur: Ego vocans, seruabo & pascam, & aliis excidentibus, alios subrogabo: ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci: & quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa Religio, salua semper meo munere permanebit.* Hæc S. Bonauentura. Ex quo patet quòd sicut Deus & Christus Jesus omnis Hierarchiæ fons & principium in Hierarchias Cælestes influit, sic singularissimè in Ordinem fratrum Minorum ad Hierarchiam perficiendam influere, ita vt ab hoc influxu congruo *Ordo Sacer* nominetur.

Cap. 8.

Porrò, Alterum quod ad Hierarchiam requiritur, nimirùm *Scientia*, per quam indicantur Illustrationes & Communicationes passivæ à Deo deriuatæ, in Ordine fratrum Minorum illustrius reperitur: sicut enim Cælestes Spiritus illustrationibus Divinis ordinatis in seipsis passiuè *Purgantur*, *Illuminantur*, *Perficiuntur*: Ita & fratres Minores quilibet in gradu suo, vt inferiùs demonstrabitur.

Nec deest Hierarchiæ huic *Actio*, quæ actiuas Illustrationes, seu Operationes complectitur: Omnibus namque peruium est: fratres Minores datos mundo, vt per Pœnitentiæ prædicationes, & exempla vitæ, peccatores à vitiis reuocent & expurgent: Doctrina salutari fidei illuminent, & viam Perfectionis demonstrando omnes ad perfectionem Charitatis Dei deducant, prout latiùs in sequentibus patebit.

§. III.

De Purgationibus, Illuminationibus, & Perfectionibus Hierarchicis quibus Ordo fratrum Minorum passiuè illustratur.

PORRÒ Ordini fratrum Minorum Illustrationes Diuinas ex vi Status competere, secundùm vim *Purgatiuam*, *Illuminatiuam*, & *Perfectiuam* quæ fratribus pro se communicantur, ostendit S. Pater c. 10. Regulæ: *Attendant* (ait) *super omnia quod desiderare debent, habere Spiritum Domini, & Sanctam ejus operationem: Orare semper ad Deum puro corde: & habere humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate, & diligere eos qui nos persequuntur reprehendunt, & arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* In quibus aduertendum est: His verbis S. Franciscum Principium, medium & finem ac consummationem totius Perfectionis Hierarchicæ suis filiis præscripsisse. Et primò quidem: *Super omnia*, Illis imponit *Studium Cælestis perfectionis*, quæ consistit *in Spiritu Domini*, vt excludit, Spiritum naturæ, Spiritum carnis, & mundi, Spiritum Diaboli, Spiritum propriæ Sapientiæ, & ratiocinationis; vt verus frater Minor juxtà Euangelistam Joannem c. 1. *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, quamtumvis rationalis; *sed ex Deo*, id est ex Spiritu Dei & Christi secundùm Euangelicam veritatem quam profitetur, verè renascatur. Et hic est Spiritus vitam Hierarchicam influens: de quo latè S. Paulus ad Rom. 8. *Spiritus* (ait) *vita qui liberat à lege peccati & mortis.* Nam vt prosequitur: *Prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritus vita & pax*, &c. *vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis* Hic est Spiritus quo viuere, ambulare, operari, consummari debere veros Dei filios Apostolus passim per omnes ferè suas Epistolas docet: Quem vitæ filiorum suorum principium & finem ponit Seraphicus Pater.

Reg. c. 10.

S. Franciscus suis præscripsit totam perfectionem Hierarchicam.

Ioan. 1. 13.

Rom. 8. 2.

v. 6.

v. 9.

2. *Spiritui Domini* subjungit Seraphicus Pater, *Sanctam ejus operationem*, quæ vt in Hierarchiis cælestibus ex natura Status in fratre Minore Triplex est: *Purgatiua*, *Illuminatiua*, *Perfectiua*. Et quidem *Purgatiua* secundùm triplicem Animæ portionem Triplex in fratre Minore reperitur: *Alia* est enim *Partis infimæ*, & *Animalis*, in qua dominatur potissimum Concupiscentia Carnis: *Alia* est *Partis mediæ Rationalis* quæ respicit Intellectum, & voluntatem, prout ad inferiora inclinatur, cui dominatur concupiscentia oculorum & Superbia vitæ: *Alia* tandem est, *Partis Supremæ* quæ vocatur *Portio superior*, & *Apex mentis*, designatque voluntatem & Intellectum prout oculo fidei & affectibus charitatis in Deum feruntur; Cui etiam interdùm dominatur quædam obscuritas & defectibilitas ex peccato originem trahens, quæ à Suprema sola Veritate tolli potest.

Fratrum Minorum operatio purgatiua Triplex.

Secundùm Triplicem illam Animæ portionem Spiritus Domini Regulæ Fratrum Minorum incubans illos purgat, quas Purgationes distinctè omnium oculis subjicio, vt vita veri Fratris Minoris omnibus innotescat.

Purgatio partis infimæ in Fratre Minore.

Quibus purgetur portio infima.

Infimam igitur sensualitatis portionem mundificant Austeritates in Regula præceptæ: Asperitas vestis, Nuditas pedum, Incomoditas pedestris itineris, per majorem anni partem Jejunium & Abstinentia, ac demandata parcimonia in cibis delicatis: Et aliunde: Purissima Præcepta Castitatis abstrahentia ab omni consilio, consortio, vel suspicione cujuscunque modicæ impuritatis, quæ Carnis ne defluat fræna injiciunt, & nitorem Animæ conseruant.

Purgatio Portionis Mediæ.

Quibus purgetur portio media.

Mediam deinde portionem Animæ quâ Rationalis est & interiora respicit, expiant: Primò Altissima Paupertas per quam Concupiscentia omnis oculorum subjugatur, dum non tantùm possessio rerum & omnis Juris actus Fratri Minori prohibitus est; sed etiam omnis pecuniæ vsus exclusus: Et necessitas naturæ in vsu ita arctata est in omnibus, vt omnis rerum superfluitas, curiositas, pretiositas sit per Regulam eliminata: vt sic mundato oculo mentis: *Heredes & Reges Regni cœlorum* constituti, ac *pauperes rebus facti, virtutibus sublimati* ad solam terram viuentium anhelent. Per hanc etiam Altissimam Paupertatem superbia vitæ debellata est: Dum omni rerum Jure & pecuniæ vsu Fratres Minores priuati: tamquam *aduenæ & peregrini*, omnibus subjecti, in *paupertate & humilitate Domino famulantes* etiam vitæ necessariâ viâ Eleëmosynæ quærere præcipiuntur, quæ verecundiâ quâdam, superbiam mortificant. Vnde & congruè c. 10. monentur: Cauere ab omni superbia, vana gloria, Cura & sollicitudine hujus sæculi, quibus horum objecta mediaque prohibita sunt.

Purgatio Portionis Supremæ.

Quibus purgetur portio suprema.

Sed & *Tertia Regio* siue *Portio Animæ* suprema expurgata censetur, dum ab omni fumo Naturæ vel Rationis inferiora respicientis libera, in solum Deum tendit: Expurgatur autem per interminatam illam Minoritici Ordinis *Obedientiam*, quæ omnem propter Deum abnegat & abscindit voluntatem, per quam abnegationem sublatæ sunt omnes vmbræ, tenebræ, & fatui ignes proprii judicii & sensus; ita vt nullum superlit in superiori parte Rationis impedimentum, quò minùs æternas veritates percipere possit; sed cum illis Beatitudine illâ potiatur, de qua Christus Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*: In hac enim abnegatione omnis proprii sensus, judicii & voluntatis, fit illa *Mirabilis diuisio* (de qua Richardus de S. Victore lib. de Exterminatione mali c. vlt.) *In qua, non Corporis & Animæ dissolutio; sed alia multò mirabilior, multoque gloriosior Diuisio Animæ & Spiritus perficitur, quam in nobis operari solet* (teste Apostolo) *viuus sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem Animæ & Spiritus.* Hæc Richardus. Vbi per *Animam* intelligit totam *Animæ portionem* inferiorem, quâ se corpori communicat, & velut Corpus regit & informat: Per *Spiritum* verò, Portionem superiorem, quâ ad Deum tendit: *In hac* itaque (ait) *diuisione, Anima & quod animale est in imo remanet, & quod spirituale est ad superiora euolat, & ab infimis diuiditur, vt ad suprema euoletur.* Hæc operatur in Fratribus Minoribus Transcendentalis illa Obedientia, quâ omnis ratio, omnis voluntas, omne judicium proprium deprimitur, vt Spiritus ab omni fæce proprii sensus expurgatus, soli Deo, & superioribus vice Dei, & propter Deum subjiciatur Vnde benè ibidem Apostolus non solùm diuisionem Animæ & Corporis verbo Dei purificanti attribuit, sed etiam *diuisionem Compagum ac medullarum, ac discretionem cogitationum, & intentionum cordis.* Hæc enim est sincera mentis simplicis veri Fratris Minoris sub Jugo Obedientiæ se & sua subjicientis virtus velut à sermone & verbo Dei interno procedens, vt nihil habeat in corpore vsque ad compages & medullas, nihil in Spiritu vsque ad cogitationes & intentiones cordis, quod non Sancta Obedientia purificet, & simplificet.

Matth. 5. 8.

Richard. de S. Vict. l. de Exterminat. c. vlt.

Abnegationis suiipsius vis.

Heb. 4. 12.

Obedientia FF. Minorum virtus.

Ibidem.

Hæ sunt *Operationes purgatiuæ* in Hierarchia Ordinis Fratrum Minorum, quas à principio in seipso recepit S. Pater, & quæ in veros filios ejus vsque ad hanc horam influunt. Vnde & de S. Patre testatur *S. Bonauentura* c. 5. vitæ ejus: Quòd ad *tantam deuenisset puritatem vt caro spiritui, & Spiritus Deo harmoniâ mirabili concordarent.* Et quamuis de peccatorum Remissione à Spiritu initio suæ conuersionis certificatus esset: toto tamen tempore vitæ à lauacro lachrimarum numquam, etsi cum periculo amittendi visum, sibi temperare

Bon. c. 5. vitæ.

rare voluerit: *Malebat namque* (ait S. Bonauentura) *corporalis visus lumen amittere, quam lachrymas quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat, repressâ deuotione spiritus impedire.* Quam Purgationis viam æmulabantur filii ejus legitimi: ita vt in Capitulo generali secundo ad an. 1219. celebrato (Quod à storeis substratis pro cubili eorum qui ad quinque millia conuenerant *Capitulum Storearum* est dictum) tantus feruor in jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis & austeritatibus, inuentus fuerit, vt sicut aliàs diximus Cardinalis Ostiensis Hugolinus qui tunc erat Protector Ordinis, videns Choros illos Fratrum, velut Choros Angelicos in Exercitiis sanctis supra humanum ordinatè vacantes exclamans: *verè* (ait) *Castra Dei sunt hæc*: Nec immeritò *Dei Castra*, in quibus non solis spiritualibus armis; sed & loricis, circulis, catenulis, camisiis ferreis, Caro purgabatur, & Deo subjiciebatur: Inuenta enim sunt tunc temporis plus quàm quingenta ejusmodi ferrea indumenta, quæ à fratribus ad carnem gestabantur.

Capitulum Generale Storearum.

Feruor, rigor, & austeritas vitæ FF. Minorum in ortu.

Gen. 32. 2.

Purgatiuam certè virtutem Ordini Fratrum Minorum à Christo singulari priuilegio communicatam, ostendit visio cuidam deuotissimo Fratri Vlissiponæ in festo S. Joannis Baptistæ, quam refert R. P. Lucas Wadingus ad annum 1249. vidit namque in dicto festo Refectionis horâ Angelum Domini in Refectorium descendentem, qui Scriptorium, mantile, ac scalpellum in manibus ferebat, quique incipiens à Lectore mensæ aperto per scalpellum pectore, Cor ejus primò modicâ aquâ lauabat, & mantili extergebat, & demùm Cordi aureis litteris inscribebat verba illa Euangelica: *Ioannes est nomen ejus*: Et circuitum faciens singulorum Cordibus idem faciebat: Quibus peractis Angelus ad Lectorem mensæ regressus, duabus manibus aperturam pectoris siue hiatum, quem scalpello fecerat claudebat dicens: *Confirmatum est cor ejus*, & ita per singulos prosequebatur. Notat verò Annalista Angelum præteriisse unum Nouitium, qui pertæsus sui Nouitiatus sequenti nocte egressus est. Ex qua Hystoria colligitur quâ prouidentiâ Deus vtatur circa Fratres Minores qui ad imitationem S. Joannis Baptistæ in communibus Religionis lamentis & austeritatibus se expurgant, vt & Nomen *Ioannis* quod *Gratiam* significat, aureis litteris in Corde inscriptum gerant, & quamuis infirmitatibus humanis subjiciantur, modicâ aquâ & exsiccatione mantilis ab Angelis mundentur, ac tandem, *Cor eorum* stabiliter confirmatum ab Angelo asseratur.

Purgatiuam virtutem Ordini à Christo datam mira visio ostendit.

Illuminationes Fratribus Minoribus competentes.

PVrgatoriis Operationibus succedunt *Illuminationes*, prout Textus supracitatus prosequitur. Cùm enim dixisset: *desiderare debent habere Spiritum Domini & sanctam ejus Operationem*: Subdit: *Orare ad Deum puro corde.* Hæc est *Oratio* quæ illuminat siue in qua & per quam Lumen infunditur, ac acquiritur. *Oratio* enim cùm sit *Ascensus mentis in Deum*, nec absque lumine fit, nec absque luminis superni infusione perficitur, confitente Psalmistâ: *Domine* (ait) *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: Quo quidem lumine *Illuminat mirabiliter nos Deus à montibus æternis.* Hæc est pars Fratrum Minorum, quorum vitæ decursus, aut in Officiis Diuinis, juxta Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ persoluendis pertransit, aut in Oratione interiori puri cordis, pro qua continuanda nimirum laboritium suis Fratribus S. Patriarcha prohibuit, quod Orationis Spiritum extingueret, monens fratres omnes vt si laborandi gratiam acceperint, *laborent fideliter & deuote.* Vnde S. Bonau. c. 10. vitæ de Exercitio Orationis Viri Hierarchici & Seraphici loquens: *Erat quidem* (inquit) *Oratio contemplantis solatium, dum supernarum circuitu mansionum Angelorum Concius jam factus, feruens desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paries disjungebat: Erat & operanti præsidium, dum in omnibus quæ agebat, de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum jactabat.* Et subdens intentionem ejus circa filios. *Orationes* (ait) *gratiam Viro Religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens fine ea in Dei seruitio proficere, modis quibus, poterat fratres suos ad ejus studium excitabat. &c.* Hæc S. Bonauentura, qui ibidem mirabiles ejus raptus, & excessus in Oratione describit, sicut & alibi incendia & lumina, ac eleuationes in aëre sublimes refert. Et quidem S. Patrem filii sancti in Orationis studio secuti sunt, quorum primi Socii in Illuminationibus cælestibus, & Oratione excelluerunt, & plurimi sequentes, omnibus sæculis, vsque ad hæc tempora admirandi potiùs, quàm imitandi toti orbi inclaruerunt. Vnde & de primis fratribus S. Bonauen. c. 4. vitæ: *vacabant* (inquit) *Diuinis precibus incessanter, mentaliter potiùs, quàm vocaliter studio intendentes Orationis deuotæ: Pro eo quòd Ecclesiasticos libros nondum habebant, loco illorum librum Crucis Christi continuatis aspectibus, diebus ac nocti-*

FF. Minorum vita Illuminatiua in quo consistat.

Pſal. 35. 10.

Pſal. 75. 5.

S. Bon. c. 10. vitæ.

S. Franciſcus quanti fecerit Orationem.

Ordinis à primis S. Franciſci filii.

S. Bon. c. 4.

Illuminationes in quo consistant.

noctibus reuoluebat, &c. In quo autem consistant istæ Illuminationes, nè quis sublimes illas & miraculosas quæ eleuatissimis spiritibus singulari priuilegio cõmunicantur suspicetur: Illarum vim præclarè expressit S. Pater in colloquio quod cum F. Leone habuit. Cùm enim F. Leo Sanctissimum Patrem aliquando in Oratione audiuisset Domino feruidè & frequenter ingeminantem: *Quis es tu dulcissime Iesu, & quis sum ego tuus vilissimus vermiculus?* Interrogauit eum quid istis verbis prætenderet? Cui sanctus respondit: sibi in his orationis verbis Duo lumina cognitionis aperta fuisse: *Dei*, nimirum, & *sui-ipsius*: Dei quidem, cujus incomprehensibilis immensitas, magnitudo, majestas, sapientia, bonitas, misericordia, sibi in illis verbis: *Quis es tu*, &c. Instillabatur: *sui* autem *ipsius*, cum sibi in verbis illis: *Quis sum ego*, &c. Notitia suæ abyssalis vilitatis miro modo influebat: quibus duobus luminibus *Amor Dei*, & *contemptus sui-ipsius*, sensu quodam inexplicabili in se augebatur: Hæ sunt justorum Illuminationes quas communiter in Oratione percipiunt,

S. Francis Orationis: *quis tu? & quis ego* explicatio.

S. Greg. l. 15. mor.

de quibus S. Greg. lib. 15. Mor. discurrens notat: sæpius animum in his luminibus videre, quæ narrare non possit, etsi in seipso plenus sit & quoddam lumen etiam foris manifestet. *Sæpe* (inquit) *Amantis animus, tantæ contemplationis munere impletur, vt videre valeat, quod omninò loqui non valeat: si autem enarrare non poterit, saltem vt alter Moyses discedens a consortio Domini, in anima & corpore aliqua signa & testimonia secum ferat, testificantia quod in regione lucis fuerit.* Quæ quidem signa & testimonia sigillatim recensens Hugo de S. Victore l. de Tribus diætis sic enumerat: *Hoc* (ait) *decens & necessarium, vt cùm à lucis regione venimus, ad fugandas nostras tenebras nobiscum lucem apportemus: Et quis scire poterit quòd ibi fuerimus, si illuminati non redimus.* Et singula lumina perstringens: *sed si* (inquit) *vidimus Patris potentiam, apportemus lucem diuini timoris: lucem dilectionis.* Et prosequens: effectus luminis: *Potentia* (ait) *torpentes excitet ad timorem: sapientia ignorantia tenebris excitatos illuminet: Clementia calore charitatis frigidas inflammet.* Hæc Hugo. Et iste sunt Hierarchicæ Illuminationes quæ ab Oratione puri cordis conciliantur.

Illuminationũ effectus.

Hugo à S. Vict. l. de 3. diætis.

Perfectiones Fratribus Minoribus assignatæ.

ILluminationes tandem consequuntur Perfectiones, quæ in sacris dispositionibus ad Amorem vnitiuum consistunt: Quas per effectus mirabiles dictat suis fratribus in Regulæ Textu suprà allegato: *Habere* (ait) *humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate & diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt & arguunt: Quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam quoniam ipsorum est Regnum cælorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

FF. Minorum vita perfectiua.

Hic est *Supremus Apex* perfecti Amoris Christi: Non enim Amor Christi probatur in gustibus supernarum delectationum; sed in fasciculis Myrrhæ & ejus melle, ac areolis. *Fasciculus Myrrhæ* (vtique ajebat Sponsa) *dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*: Et alibi: *Messuit myrrham cum aromatibus suis*: cujus etiam *manus stillant myrrham, & digiti pleni sunt myrrhâ probatissimâ.* Nec mirum cùm ibidem, Labia Sponsi describebat, *Labia distillantia myrrham primam*, quæ est amarissima. Amoris namque perfectio duris & asperis probatur. Naru vt benè Sapiens Prou. 17. *Sicut igne probatur argentum & aurum camino: Ita corda probat Dominus.* Vnde & Eccl. 2. Monebat hominem justum: *Omne* (ait) *quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines autem receptibiles, in camino humiliationis.*

Amor Christi in quibus consistat.

Cant. 1. 12.

C. 5. 1.

V. 5.

V. 13.

Prou. 17. 3.

Eccl. 2. 4.

Igitur S. Pater Franciscus: Perfectionem Fratris Minoris describere volens: Non tantum in spiritu Domini, & ejus sancta Operatione, aut delectationibus quibus Orationem puri cordis decorat Deus, illam concluſit: sed. 1. in Humilitate, & Patientia, in Persecutione quoad proximos, *qui nos persequuntur, reprehendunt, & arguunt*, & infirmitate quoad seipsum perferenda. 2. In inimicorum vera & syncera dilectione. 3. In Persecutionibus propter justitiam patiendis. 4. In perduratione & perseuerantia in illis vsque ad mortem: In hoc enim Christus suam dilectionem probauit: *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*, & pro nobis ponens animam suam.

Vita perfectiua in quibus consistat.

Philip. 2. 8.

Hæc est coronis Purgationum & Illuminationum quas percipiunt Fratres Minores in spirituali sua Hierarchia, vt nimirum perducantur ad Perfectionem summam

Vita purgatiua & Illuminatiua coronis conformitas ad Christum.

mam Hierarchicam, quæ est conformitas cum Christo Jesu, & vnio & transmutatio in illum, vt cum Apostolo dicere possit: Gal. 6. 14. *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* C. 2. 19. Item: *Christo confixus sum cruci, ideo, viuo iam non ego, viuit vero in me Christus.* Hanc perfectionem Matth. 5. in Sermone in monte proposuerat Christus; vbi Octauam Beatitudinem tamquam in summo apice perfectionis constitutam refert: Matth. 5. 10. *Beati* (ait) *qui persecutionem patiuntur*, &c. Et vt illi nihil deesit illam maledictionibus eam concomitantibus exornat: Et in fine agens de dilectione inimicorum: V. 44. *Diligite* (ait) *Inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Ac tandem super his concludens: *Estote ergò* (ait) *perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* V. 48. Hic est apex Hierarchicæ Perfectionis in subcælesti Hierarchia Electorum, quæ ponitur vt finis, & terminus vitæ Fratrum Minorum.

§. IV.

De Operationibus Hierarchicis Fratribus Minoribus competentibus, quatenus in alios exercentur: & qualiter singulis conueniunt.

FF. Minores mundo dati pro salute Proximorum.

SEraphicum ac Hierarchicum Patrem S. Franciscum & fratres suos mundo datos, non vt sibi solis viuerent, sed vt Christo lucrarentur Animas, quas Diabolus conabatur auferre, ad illud exemplum qui vnus pro omnibus mori dignatus fuit, sat superque toto Titulo & fundamento primo specialiter §. 2. 8. & 9. ostensum est. Hierarchicas itaque Operationes in similitudinem spirituũ cælestium ad hunc finem Fratribus Minoribus fuisse indictas vt ministrum, *Animas expiarent, Expiatas* siue *purgatas Illuminarent: Illuminatas ad perfectionem deducerent*, omnis eorum vita & doctrina toti Orbi manifestata in hunc vsque diem comprobant; Nam vt *Vollateranus* l. 1. Antiologiæ; *Ab ipso Institutionis tempore ita auctus paulatim Ordo Franciscanus, cunctis multitudine virorum sacerdotio, doctrinâ, & sanctitate præcellit*: Et de SS. Francisco & Dominico loquens *M. Antonius Cocceius Sabellicus*; *duo Christianæ pietatis lumina terris affulsere, quibus multum maximâ parte Orthodoxa creuit fides*: Et singulariter de S. Francisco *Henricus ab Vri-maria* Ord. Eremitarum S. Augustini antiquissimus Doctor Serm. 3. de S. Francisco videns Ordinis progressum: *Ipse* (inquit) *habuit tres Radios, quibus totum mundum illuminauit: Quia Radio doctrinæ illuminauit obscuros, Radio Exemplorum excitauit tepidos, Radio miraculorum illustrauit & conuertit obstinatos. Et ideò de ipso verificatur quod scribitur in Ecclesiastico: Tripliciter sol exurens montes radios igneos exsufflans & refulgens.* Quòd non tantùm per se, sed Eccli. 43. 4. etiam per suos in hanc horam præstat, &, vt in terminis Hierarchicarum Operationum loquamur: Hic Ordo Peccata hominum expiauit & expurgauit: Quia ex Instituto primo, *Pœnitentiam vniuerso Orbi annunciauit*, & homines *ad Pœnitentiam conuertit*, vt eminenti exemplo in Tertio Pœnitentium Ordine, vt in speculo ad huc hodiè apparet. Hic Ordo *Ignorantiæ tenebras* depulit Mundumque illuminauit, dum non contentus Orbe veteri in nouum Orbem fidem, & Euangelicam doctrinam deportauit. Hic Ordo Perfectionis Euangelicæ Operationes jam obliteratas in Orbe vniuerso resuscitauit: Cujus fratres, *Puras* (vt ait Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis) *Euangelici fontis aquas cum siti & ardore haurientes, non solùm Euangelica Præcepta, sed & Consilia, & vitam Apostolicam expressiùs imitari sunt, & Perfectionem illam supremam Mundo vniuerso imitandam proposuerunt*: vt latissimè suis locis adnotatum est, & in fundamento 12. latiùs prosequemur. *Ordinis Minorum operationes Hierarchica.* Card. vit.

Qualiter verò proportionatè in certis gradibus hæ Operationes in fratribus Hierarchicâ prouidentiâ reperiantur ex doctrina & verbis *S. Greg. & Hugonis à S. Victore* deducit *S. Bonau.* l. de septem itineribus æternitatis in primo Numero dist. 2. [*Sunt* (inquit) *nonnulli, qui parua rapiunt, sed tamen illa pie nuntiare non desinunt: Illi itaque in numerum, id est, Mansiones Angelorum currunt* (Hic est primus gradus infimæ Hierarchiæ ab infrà) *Et sunt nonnulli qui diuinâ largitione referti, cælestium secretorum summa capere valent & nuntiare: Quò ergò isti nisi inter Archangelorum Mansiones deputantur* (En 2. Gradus) *Et sicut nonnulli qui acceptis virtutibus electorũ hominum merita transcendunt, ideò electis fratribus præponuntur: vbi ergò isti nisi in Mansionibus Principatuum sortem accipiunt* (En 3. Gradus infimæ Hierarchiæ) & eodem ordine prosequens Mediam Hierarchiam. *Et sunt* (ait) *nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus dæmones fugant, & in virtute orationis ejiciunt: itaque isti mansionem suam inter Potestates sortiuntur* (En infimus mediæ Hierarchiæ gradus) *& sunt* (ait) *nonnulli, qui mira faciunt signa, valenter operantur: Quò* *Operationum Hierarchicarum 9. gradus in Fratribus.* S. Bon. l. de 7. Itin. æter.

ergò isti, nisi ad Supernarum Virtutum Mansionem congruunt (En 2. Gradus) *Et sunt nonnulli qui sic in seipsis cunctis vitiis & desideriis dominantur, vt ex vita mundicia Dei inter homines vocentur: Quo ergo isti, nisi inter Dominationes currunt?* (En Primus siue supremus Mediæ Hierarchiæ gradus) [*Et ad supremam Hierarchiam* ascendens. *Et sunt* (ait) *nonnulli qui dum sibimet vigilanter dominantur, & se discussius semper Deo inhærentes, hoc in munere accipiunt, vt recte alios judicent: In his velut in Thronis Deus residem, cuncta mirabiliter examinat, & dispensat: Quid ergo isti nisi Throni Conditoris sui sunt, & ad supernarum sedium Mansiones adscribuntur?* (En supremæ Hierarchiæ infimus gradus) *Et sunt nonnulli, qui plenitudinem scientiæ accipiunt, vt Cherubim jure nominentur, quia dilectione Dei & proximi pleni sunt: Hi sortem Mansionis suæ inter Cherubim percipiunt* (En Supremæ Hierarchiæ gradus medius) *Et sunt nonnulli, qui superna Contemplationis facibus accensi in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo sapiunt; sed solo æternitatis amore pascuntur; terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt: æstuant & ardent, atque in suo ardore requiescunt: amando ardent, loquendo alios accendunt & quos loquendo tangunt ardere protinus in Dei amore facium: Quid ergo istos, nisi Seraphim dixerim?* Et *quo nisi inter Seraphim Mansionis suæ sortem accipiunt?* Hæc ibi.

In quibus velut in speculo & expressâ Imagine Gradus omnes verorum filiorum S. Francisci descripti apparent ad quos omnis Frater Minor secundùm suam Regulam viuens, pro portione Donorum, & virtutum suum locum inuenit, suamque Sedem: Ad quam quilibet aspirare tenetur. Vnde benè *S. Bonauentura* de septem Itineribus æternitatis Itinere 7. distinct. 4. assumptâ quâlibet virtute, docet quâliter Fratres Minores conformiter ad Hierarchias cælestes *Purgari, Illuminari, Perfici*, & juxta quidem supremas Operationes Dei formes qualiter ad Deum: Secundum Medias ad seipsos: Secundùm Infimas ad proximum Ordinari debeant. Quæ omnia Seraphicus Doctor suis Fratribus singularius inesse voluit, ad quos scribebat. Deducit porrò sua ex S. Bernardo l. 5. de consideratione ad Eugenium. *Primò* igitur (inquit) *vt tamquam bene ordinati Dei formiter operemur ad Similitudinem Angelicæ Hierarchiæ: In qua* (Sicut dicit Bernardus l. 5. de Consideratione) *Deus in Seraphim amat, vt Charitas: In Cherubim noscit, vt veritas, In Thronis sedet vt Æquitas: Oportet etiam nos quantum possumus Deum, vt summum Bonum diligamus: vt summam veritatem amemus: vt summam æquitatem teneamus: Et sic erimus benè ordinati quoad Deum per Dei formes Operationes: Quia* (Sicut dicit Linconiensis Sup. Angelicas Hierarch.) *Intellectus humanus in suo supremo gratiâ adjutus, habet vt feruear amore cum Seraphim: scientiâ cum Cherubim: Spiritualis factus judicet omnia cum Thronis.*

Frater Minor per operationes Hierarchicas rectè ordinatur ad Deum, ad se, & ad proximum.

S. Bon. de 7. Itin. Itin. 7. dist. 4.

Ad Deum per Operationes supremæ Hierarchiæ.

Et descendens ad Mediam Hierarchiam: *Secundò* (ait) *oportet, vt benè ordinati circa nos ipsos Deiformes Operationes operemur, ad similitudinem Mediæ Angelicæ Hierarchiæ:* In qua sicut dicit Bern. sup. *Deus Dominatur vt Majestas: Operatur vt Virtus: Tuetur vt Salus* (quibus notantur Operationes Dominationum, Virtutum & Potestatum) *oportet vt etiam nos, Omne impediens participationem Diuinæ Dominationis superemus: vt opera omnium Virtutum secundum gratiam nobis datam studiosè agamus: vt omnibus inordinatis motibus & impulsionibus potenter resistamus, & illa, vt possimus, Inferioribus communicemus; & sic erimus bene ordinati in nobis per Dei formes Operationes: Quia* (sicut dicit Linconiensis) *In media, Hierarchia nostra oportet quod dominemur cum Dominationibus, vt fortes simus cum Virtutibus, vt ordinati simus cum Potestatibus.*

Ad se per Operationes media Hierarchiæ.

Denique ad Infimam Hierarchiam deueniens. *Tertiò* (ait) *vt tamquam benè ordinati ad exteriora operemur Dei formes Operationes ad similitudinem Infimæ Angelicæ Hierarchiæ: In qua Deus* (vt dicit Bern sup.) *Regit vt principium, Reuelat vt lux, Assistit vt pietas: Oportet vt omnia exemplariter ad primum principium reuocemus; vt lumen veritatis verbo & facto aliis ostendamus: vt opera pietatis omnibus deuotè exhibeamus: Et sic erimus ordinati quo ad exteriora: Quia* (sicut dicit Linconiensis) *In vltima nostra Hierarchia, oportet vt principemur cum Principibus, media ad primum principium reducendo: vt reuelemus veritatem cum Archangelis: & piè assistamus indigenti cum Angelis.* Hæc S. Bonauentura.

Ad Proximum per Operationes infimæ Hierarchiæ.

Admonitio ad Fratres Minores.

EX his disce Frater Minor *Dignitatem* Vocationis tuæ, *Excellentiam* status tui, *Obligationem* Professionis tuæ: *Dignitatem* quidem vocationis tuæ quâ ad consortium & communionem Operationum Hierarchicarum vocatus es cum Cælestibus spiritibus: *Excellentiam* status quo merito, & numero in Hierarchias Cælestes inferri potes: *Hæc est enim illa Celsitudo Altissima Paupertatis quæ vos Heredes & Reges Regni cælorum* per Obseruantiam status vestri

F. Minoris dignitas, excellentia & obligatio.

vestri (Regulâ attestante) *instituit : Hæc portio quæ in terram Viuentium vos perducens æquales sanctis spiritibus facit : Obligationem* tamen attende Professionis, vt ad sancti Euangelii obseruantiam quam promisisti vitam tuam dirigat : vt nimirum, docente *S. Bonauentura* : Quo ad Portionem superiorem mentis, cum *Seraphim* summo amore Deum diligas, cum *Cherubim* Deum lumine desuper infuso cognoscas, cum *Thronis* eum in plenitudine mentis in te sedentem suscipias : Et ad teipsum conuersus, cùm *Dominationibus* omnibus tuis Potentiis domineris : Cum *Virtutibus* omnia ardua & aduersa superes : Cum *Potestatibus* omnes rebelles furias suppedites & subjicias : Ad proximum autem te extendens : Cum *Principatibus* conare homines peccatores ad suum principium Deum reducere : Cum *Archangelis* Verbum Dei, & Veritatem Euangelii pacis omnibus annuntiare : Cum *Angelis* in Exercitiis pietatis, charitatis & misericordiæ vniuersis adesse & opitulari. Hæc est veri Fratris Minoris Vita, Scientia & Actio. Hæc est via quâ ad cœlum graditur : Hæc est totius vitæ Coronis in qua consummatur. Et vt tibi non desit scala per quam ad Deum omnis Hierarchiæ fontem ascendas, accipe illam ex S. Bonau. ad finem Libelli quem *Parium Bonum* indigitat, quam suis gradibus incipiens ab infimo effornauit.

Scala Hierarchica S. Bonauenturæ.

F. Minoris scala Hierarchica.

IN prima siue Infima Hierarchia 1. *Veritas est aduocanda per gemitum & Orationem : Et hæc est Angelorum.* 2. *Veritas audienda per studium & deuotionem ; & hæc est Archangelorum.* 3. *Veritas est annuntianda per exemplum & predicationem : Et hæc est Principatuum.*

In 2. Hierarchia siue Media. 1. *Veritas est adeunda per refugium & commissionem : Et hæc est Potestatum.* 2. *Veritas est apprehendenda per zelum & æmulationem : Et hæc est Virtutum.* 3. *Veritas est associanda per sui contemptum & mortificationem, & hæc est Dominationum.*

In 3. siue suprema Hierarchia 1. *Veritas est aduocanda per Sacrificium & laudem : & hæc est Thronorum.* 2. *Veritas est admiranda per excessum & contemplationem : Et hæc est Cherubim.* 3. *Veritas est amplexanda per Osculum & dilectionem : & hæc est Seraphim.* Hæc est scala quâ Frater Minor ascendit ad primam veritatem, quæ est Deus.

§. V.

Cur Ordo Fratrum Minorum antonomasticè dicatur Seraphicus ?

S. Franciscus cur Seraphicus.

NOmen Seraphici obtinuisse S. Patrem Franciscum, cum quia Diuini Amoris ardore totus flammeus excelluit, quippe (referente S. Bonauentura in Prologo) *Angelico deputatus Officio, incendioque Seraphico totus ignitus fuit* : cujus testimonium simul & rationem reddens Christus apparens S. Brigittæ Reuelat. c. 90. *Franciscus* (ajebat) *amicus meus, fuit quasi lapis ignitus, & igneus, quia habuit me in se qui sum ignis* : Tum quia (vt ait S. Bonauentura) *curru igneo sursùm vectus, rationabiliter comprobatur venisse in Spiritu & Virtute Helia* de quo Eccl. 48. *Surrexit Helias sicut ignis, & sermo ejus sicut facula ardebat* : Tum denique eminentissimo & singularissimo Titulo : Quia Christus Dominus *in specie Seraphim apparens, sex alas tam fulgidas, quàm ignitas habentis*, ei sua sacra Stigmata impressit cujus virtute in Crucifixum summo amore, summo feruore, *miraculo omnibus seculis inaudito* (ait *S. Bernardinus* serm. 50. de Euangelio Æterno) *transformatus fuit.* Vndè *à Seraph Seraphicus* dici meruit.

Eccl. 48. 1.

Ordo Minorum cur Seraphicus.

Verùm, Cur Ordo illius *Seraphicus* antonomasticè & dicitur, & communiter scribitur, & indigitatur ? Si enim à solo institutore, vacuum aut inane nomen portaret : Quid igitur de hoc nomine ? Dicendum itaque Ordinem Fratrum Minorum Nomen *Seraphici* antonomasticè obtinuisse, non soùm ab Institutoris nomine quo meritò decoratus fuit : sed à Dei virtute quæ velut Seraphinorum proprietates per Seraphicum Institutorem vniuerso Ordini communicauit, & Officiis Seraphinorum Fratres Ordinis hujus decorauit, vt in illis vniuerso orbi assisterent. Qualem quidem Originalem Descriptionem accipe ex Isa. c. 6. vbi septem proprietates Seraphinorum assistentium Diuino Throno siue solio, referuntur : 1. Quòd *starent super illud*, in suppedaneo scilicet quod infra solium Dei erat, siue sub solio Dei. 2. Quòd *duo stabant* : 3. Quòd *bis sex alas habebant : sex ala vni & sex ala alteri.* 4. Quòd *volabant* : 5. Quòd *clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus* (& quidem tanto clamore & tam continuo vt Apoc. 4. dicantur : *Requiem non habuisse die ac nocte*) 6. Quòd *commota sunt super luminaria cardinum à voce clamantis*,

7. Proprietates Seraphinorum.

Isa. 6. 2.

Apoc. 4. 8.

tus, & domus repleta est fumo. 7. Quòd tollentes *lapidem ignitum ex altari* labia Isaiæ mundauerunt ad prædicationem; cujus Prædicationis effectus mirabiles in fine Capitis recensentur.

Hæc itaquè Officia in sanctissimo Patre hæreditauit Ordo Minorum, propter quæ Seraphicus meritò dici promeruit.

Competunt FF. Minoribus.

Primum namque *Officium* siue Proprietas Fratrum Minorum est more Seraphinorum stare super Sòlio, siue super suppedaneo Solii Dei Omnipotentis: *Quæ enim sub solio erant, replebant templum: Et Seraphim stabant super illud*, ad pedes scilicet solii magni Dei: vtique parati ad Diuina Mandata capescenda, & ad diuinam Obedientiam: sic enim Psal. 102. De Angelis dicitur: *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Virtus enim & potentia quæ communicatur Angelis, non subjicitur eorum beneplacito: sed Diuino Mandato, vnde dicuntur *facere verbum illius*, ita tamen, vt audiant, stantes & erecti: *Ad audiendam vocem sermonum ejus*, id est, ad obediendum voci ejus.

Isa. 6, 1.

Psal. 102. 20.

Et hoc est primum munus Fratris Minoris: Obedientia vtique simplex & indifferens ac ad omnia parata, idque propter purũ Dei amorem. Sicut enim Seraphim amore æstuantes *stabant*, sic Fratres Minores *stare* dicuntur, non jacere, non sedere: sed fixi & erecti super vtrumque pedem, Dei ac Superiorum nutus, & mandata expectare, ac eis obsequi: Duo enim pedes indicant: *Pedem sinceræ affectionis*, & pedem *rectæ ac Deiformis intentionis*: Recordari namque debent Fratres Minores quòd (vt superiùs sepè repetitum est) *propter Deum abnegauerunt proprias voluntates.* Et pedibus liberis ab omni impedimento velut ad omnia paratos se debere stare, vt & puro affectu, ac purissimâ intentione Jussa exequantur, quasi cum Isaia dicat Frater Minor: *Ecce ego mitte me.* Vnde Psalmista: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem:* Et in alio Psalmo: *Manè astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es:* In hoc enim quod dicit *Manè*; Vigilantiam demonstrat. In hoc quod *adstant Domino*, indicat promptam obedientiam, in sequentibus: vniuersalem voluntatis extensionem in omni justo & honesto. Conformiter Habacuc 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.*

Isa. 6. 8.

Psal. 121. 2.

Psal. 5. 5.

Habac. 2. 1.

2. Proprietas indicatur in eo quòd: *Duo Seraphin stabant*: vt nimirùm mutua Societas siue fraternitas insinuetur: quâ ratione Christus: *Misit Discipulos suos binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus.* Et duo Angeli missi dicuntur Sodomam ad liberationem Loth. In quo plenè conformatur Ordo Fratrum Minorum, quem singulariter nomine *Fraternitatis* passim Regula indigitat, & quæ tanta est, vt & periclitanti fratri, etsi multi Adjutores essent, fratrem tamen Ordinis seruitio periclitantis mancipari Regula præcipiat: sicut ergo *duo Seraphim* assistentes Throno Dei describuntur: sic & semper Bini Fratres Minores in omni opere junguntur, vt ad augmentum & conseruationem charitatis fraternæ, societas fraterni amoris esse necessaria demonstretur.

2. Proprietas.

Luc. 10. 1.

3. Proprietas Seraphinorum fuit: Quòd *Sex alæ* essent *vni*, *& Sex alæ alteri*, sinè quod bis senas alas habebant, quibus (vt interpretatur *S. Bonauentura*) indicantur effectus vniuersorum operum charitatis & misericordiæ, ad quos bis senis alis charitatis Fratres Minores exeunt in duodecim operibus misericordiæ & pietatis sex nimirum spiritualibus, & sex corporalibus. Bene autem *duabus alis* velant faciem, & *duabus pedes*: vt per velamen faciei, videlicet, sanctam humilitatem viles & humiles coram hominibus apparentes *abscondant se in abscondito faciei* Domini à vano fauore laudis hominum, vt *Pater qui videt in abscondito reddat eis*, per velamen autem pedum abscondita Dei judicia adorant. Et quidem in vtraque velatione faciei & pedum reuerentia pariter, & fidelitas Fratrum Minorum expenditur: *Reuerentia* quidem in velatione faciei respectu mysteriorum quæ eis committuntur, quibus *abscondere Sacramenta Regis* docentur: *ne Scrutatores Majestatis opprimantur à gloria*: *fidelitas* autem, dum pedes velant: Quia Dei inuestigabiles vias, & judicia quæ sunt abyssus multa Deo reseruant. *Duabus* tandem *alis* duntaxat volant: *Charitatis* nimirùm, Dei, & *proximi*, quibus Diuino & Superiorum beneplacito in omnibus obtemperant.

3. Proprietas.

Psal. 30. 21.

Matth 6. 6.

Tob. 12. 7.

Prou. 25. 27.

Nec 4. Fratribus Minoribus proprietas Seraphinorum deest: Quia semper volant. Etli enim coram Deo omnia prospiciente & omnia præcipiente Fratres Minores jugiter stare debeant; à volatu tamen numquam cessare possunt; sed semper volare ipsis necessum est, quibus otiositas omnis prohibita est: *volatus* ergo ille bonorum operum & meritorum continuum exercitium est, operante in eis omnibus mobilibus mobiliore Dei sapientiâ, quâ modò supra se rapiuntur per spiritum deuotionis; modò infra se spiritu humiliationis, modò extra se spiritu inflammantæ Charitatis & compassionis proximorum, modo infra se spiritu compun-

4. Proprietas.

ctionis propriarum infirmitatum: In volatu autem illo exprimitur Obedientiæ agilitas, quâ spiritu dilectionis & obedientiæ velut volucres ad omnia, quæ eis imponuntur aduolant, & festinant, nec longin-
Isai. 18. 2. quitate regionum, nec difficultate itinerum, nec temporum varietate impediuntur: quasi eis dicatur Isaiæ 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem post quem non est alius, ad gentem expectantem & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.* Hoc enim spiritu Fratres Minores vniuersum orbem penetrarunt prædicatione Euangelii, & vitæ exemplo, non tantùm Europam, Affricam & Asiam; sed etiam Ame-
Fundam. 12. ricæ extremos Populos, vt suo loco declarabitur. Vnde & Eminent. Cardinalis
Isai. 60 8. *Iacobus de Vitriaco* initiorum Ordinis oculatus testis Fratribus Minoribus applicat illud Isaiæ 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Vt nubes enim volantes, toti Orbi imbres doctrinæ suæ subministrarunt, vt columbæ ad fenestras innocentiæ & puritatis ex-
Eccl. c. 20. 3. empla omnibus spectantibus dederunt: Quemadmodum enim (ait ille) olim Isaias c. 20. *Nudi discalceati dati sunt in signum & portentum, non tantùm super AEgyptum, & AEthyopiam, sed etiam vniuersa mundi climata, quamtumcumque à communi hominum societate distita.* Quæ latissimè per Exem-
5. Proprietas. pla & Historias fundamento duodecimo expendemus.

5. Demùm Proprietas Seraphinorum Fratribus Minoribus ex Instituto congruit, quâ clamant, *Alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus nocte & die requiem non habentes.* Hoc est Ecclesiasticum Officium quod juxta Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, tantâ deuotione, tantâ reuerentiâ, tantâ Cæremoniarum pompâ perficiunt, dum jugiter per noctes & dies psallentes, in vnum sanctissimæ Trinita-
Psal. 105. 4. tis laudis in vnione Sanctorum Seraphinorum quasi alter alterum inuitat, vt simul orent cum Psalmista Psal. 105. *Visita nos Domine in salutari tuo: Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tua vt laudetis cum Hæreditate tua.* Hanc enim singularem prærogatiuam in Ecclesia Dei Ordo Franciscanus obtinuit, vt in Diuinis Officiis Nocturnis pariter & Diurnis cæteros præcelluerit, & in regulandis Cæremoniis Ecclesiam juuerit à sumunis Pontificibus ad hæc euocatus, vt Annales Ecclesiæ & Ordinis tradunt.

6. Proprietas. 6. Proprietas Seraphinorum: vt *à voce Clamantis* (siue vt 70. vertunt) *Clamantium commouerentur superliminaria Cardinum, & domus fumo repleretur*, congruit Fratribus Minoribus: Ipsorum enim Orationibus, Diuinis laudibus, & Prædicationibus, commoti sunt, (siuè vt alii vertunt) *Eleuati sunt cardines Orbis* ad fidem sanctissimæ Trinitatis confitendam, & vniuersus mundus repletus est fumo non inficiente; sed perficiente, non à vaporibus mundanæ terrestreitatis, sed à cælestibus Diuinæ Majestatis influentiis. Hic enim fumus à Throno siue solio Dei procedens caligo est in qua Moysi in Syna apparuit Exod. 20. Dominus *Exod.* 20. Nubes & nebula est, 21. sub qua Salomoni apparuit gloria Domini replens templum 3. *Reg.* 8. quæ quidem 3. Reg. 8. 11. gloria suscitata est à voce Seraphinorum clamantium *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Per hoc Trilogium repleuerunt Fratres Minores gloriâ Domini cardines Orbis extremos Indorum populos vsque ad Antipodas prædicatione fidei sanctissimæ Trinitatis.

7. Tandem proprietas quâ Seraphinis 7. Proprietas. commissum est *forcipe tollere calculum* siue carbunculum de altari ad mundanda & purificanda labia Prophetæ, non deest Fratribus Minoribus: Hic enim calculus Amoris purissimi & ardentis singulariter Ordini Fratrum Minorum commissus est, quo ab omnibus terrenis per altissimam paupertatem expediti, purum & solum Dei Amorem in se conseruandum, & aliis communicandum acceperunt: quibus mandatur non solùm Animi & Corporis puritas; sed etiam vt *sint casta & examinata eorum eloquia ad vtilitatem & ædificationem populi*, resciscâ etiam quacumque impuritate, vt ardore verbi per annuntiationem vitiorum & pœnarum, corda fidelium ab omni fœce peccati & imperfectionis purgarent, & per doctrinam virtutum & gloriæ denuntiationem, omnes in Dei amorem accenderent: *Annuntiantes* (ait) *vitia & virtutes*, hæc est purgatio Incipientium & reformatio cordium: *Pœnam & gloriam*, Hæc est finalis purgatio Proficientium ab omni debito pœnæ & perfectio perfectorum, quæ terminatur ad gloriam: Additur autem *cum breuitate sermonis*, vt omnis amputetur superfluitas humanæ vanitatis. *Abbreuiatum* autem *Verbum* Christus proponitur tamquam per incarnationem imago summi & supremi Amoris. Hi sunt *Angeli quos facit* Dominus, animi puritate, Psal. 103. 4. *Spiritus*; sunt *Ministri, quos facit* verborum ardore ignem vrentem *flammam ignis.* Hi Iudic. 6. 21. sunt qui corda hominum in holocaustum Deo offerunt, more illius qui (*judicum* 6.) *Extendit summitatem Virga, & tetigit carnes, ascenditque ignis de petra & carnes azymosque panes consumpsit.* Verus enim Frater Minor calculo velut ignito cum Virga Pœnitentiæ quicquid carnalitatis in se & in alio est, consumere solet, & omnia abolêre. Hic est *Calculus ignitus* verbi

Dei, quem tollit verus Frater Minor de Altari, quo adurit & incinerat *omnem intellectum in obsequium Christi.* Hic est Calculus de quo Christus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* [Optime igitur Ordo Fratrum Minorum *Seraphicus* dicitur ab ardore Amoris, qui ipsi ex vi status, & Regulæ submi-nistratur, cujus *lampades, lampades ignis atque flammarum*, vtique cujus *charitatem aquæ* mundanæ *non possunt extinguere*; vndè & energicè comparatur *Rubo* in cujus *medio* Deus in *flamma ignis* apparet Moysi in deserto, & non comburitur: in quo præcipit Deus Moysi etiam *calceamenta de pedibus soluere*: & ex quo Legationem suscipit Moyses contrà Ægyptum solo armatus baculo quem portabat. Ordo enim Minorum *Rubus* est spinis Pœnitentiæ circumplexus, inter arbores vilis & abjectus: Medium ejus est *Deus flammeus*, & in figura *Seraph* igne charitatis ardens, à quo velut olim Moyses Fratres Discalceati ad Ægyptios mundanos mittuntur, solo armati baculo Paupertatis; Seraphinorum tamen consortio digni, verbo & exemplo ardentes, & alios ardere facientes, vt ex dictis constat.

2. Cor. 10. 5.

Luc. 12. 49.

Cant. 8. 6.

Exod. 3. 2.

V. 5.

TITVLVS X.

FVNDAMENTVM X.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Humilitas & Patientia in aduersis.

Comparata

CHRISOPRASO *Decimo Fundamento Apostolico.*

Chrisoprasi qualitas.

CHRISOPRASVM indigitant gemmam quamdam viridem, succum porri referentem, & interfusis aureis guttis in aurum declinantem. Hâc porrò gemmâ in fundamento Ciuitatis sanctæ positâ, indicari volunt, *Humilitatem & Patientiam* Apostolorum, quibus omnes persecutiones superauerunt: In *viriditate* enim *spem firmam*: In *aureis punctis* Charitatis *Aureamque Victoriam* designari volunt. Quod autem viriditas in colore succum porri imitetur quodam pallore, per hunc pallorem insinuari volunt *Humilitatis* submissionem, quæ spei viriditatem cohonestat; ita vt qui patitur sæpiùs contrà spem in spem se erigat, & hoc ipsum est, quòd hæc gemma aureis punctis decora, auream Charitatis Victoriam præsagiat. Accipe Paulinam descriptionem ad Rom. 5. *Gloriamur* (ait) *in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio verò spem: spes autem non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Gemma itaque Chrisoprasus hunc tibi S. Pauli discursum manifestè exponit: In hoc enim quòd Chrisoprasus gemma viridem colorem Pallore venustum insinuet, judicat Patientiam in Tribulationibus Humilitate animi venustari: Ita tamen vt viriditas præualeat: Tribulatio enim ita patientiam operatur, vt Patientia pallore Humilitatis probetur, & tunc demum viriditas spei præualeat: Et quamuis spes semper Humilitatis pallorem insinuet, Non confunditur tamen quia aureis punctis Charitas Dei diffunditur in cordibus per spiritum sanctum, quibus

Apostolis comparata.

Rom. 5. 3.

quibus Aurea Charitatis Victoria comparatur & velut *contra spem in spem* & spei effectum, charitate præualeat.

Item Ordini F. Minorum. Hoc fundamentum cum Gemma Christo prælato singulariter competere Ordini Fratrum Minorum obinfensissimas & grauissimas frequentissimasque persecutiones, quas Patientiâ, Humilitate, spe in Deum, & aureâ Charitate sustinuit & euicit, demonstrabunt quæ sequentibus Paragraphis enarrabuntur.

§. I.

Ordo Fratrum Minorum à principio variis tribulationibus & persecutionibus afflictus fuit: & de Prima Persecutione.

Matt. 10. 24. Hic est character seruorum Christi, vt, *Non sit discipulus super Magistrum*, & *si me* (ait Christus) *persecuti sunt, & Io. 15. 20. vos persequentur*: Vnde & hanc suis discipulis beatitudinem prælagiit: *Beati estis Matt. 5. 11. cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: Gaudete & exultate in illa die, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Sanè placito S. Pauli ad Gal. 4. 29. Gal. 4. *Quomodò is qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita &* nascente Fratrum Minorum Ordine statim susceitata est illa innata antipathia, vt eos qui de spiritu nascebantur, filii Ancillæ persequerentur. Vixdum enim Ordines duo Fratrum Minorum & Prædicatorum, hic Dominico, ille Francisco duce, Mundo apparere cæperunt, quin pro sui Apostolatus infallibili signo nonnullis hujus sæculi filiis *opprobria hominum & abjectio plebis* visi sunt: quæ quidem videbantur primùm ex insolito habitu, & vita portentosa originem ducere, successu tamen temporis, dum à Superioribus Ingeniis, & qui aliquid esse in Ecclesia Dei videbantur, mota sunt, & in persecutiones apertas ebullierunt, visus est invidiæ *Regulus de radice colubri processisse, Isa. 14. 29. cujus semen erat ad absorbendum volucrem.*

Hic non referam persecutiones quas Ordo pertulit ab infidelibus, Hæreticis, Tyrannis, & Malis Christianis, sed eas quas à filiis matris suæ, & fratribus qui in Ecclesia Dei videbantur aliquid esse, & pietate, virtute, ac doctrinâ præcellere, & titulo zeli aliis facem præbere putabantur.

PERSECVTIO I.

Impositio intolerabilium Grauaminum.

ET quidem Persecutio prima fuit intolerabilium Grauaminum, quæ Clerici nonnulli moliti sunt imponere fratribus & eorum Ordinibus ab initio insurgentis Regulæ. Quam quidem Persecutionem *Gregorius* 9. l. 5. Decretalium tit. de Excessibus Prælatorum c. 16. & 17. graui stylo perstrinxit per Bullam quæ incipit: *Nimis iniquâ*, &c. In qua quindecim Grauamina à Clericis & Prælatis illata Ordini Fratrum Minorum refert: Et in alia Bulla quæ incipit: *Nimis prava*, Alia duodecim Grauamina recenset Ordini Fratrum Prædicatorum, ab eisdem intentata: Quæ quidem seriò præcipit tolli, monens Ecclesiæ Prælatos, vt à dictis Grauaminibus inferendis desistant, & sibi subditos ab eisdem compescant. Datæ autem erant *Bulla 12. Kal. Septembris Pontificatus anno* 5. qui erat annus Christi 1232. à morte S. Patris Francisci *annus* 7. Ex quo constat statim à morte S. Patris hujusmodi grauamina & persecutiones incœpisse, quæ non obstantibus prohibitionibus Apostolicis, tam citò finem non acceperunt: Nam & *Innocentius* 4. qui *anno* 1243. Pontificatum adeptus est: eandem Bullam *Gregorii* 9. quæ incipit *Nimis iniquâ*, innouauit 17. *Kal. Augusti anno* 3. *sui Pontificatus*, qui erat *annus Christi* 1245. Ordinis Minorum 38. scribens omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæteriisque Ecclesiæ Prælatis, nè permitterent Fratres prædictis Grauaminibus molestari. Quo eodem anno & die dedit suæ Bullæ Executoriales. Sed nec Auctoritas Apostolica tam citò contra persecutiones illas prævalere potuit: Vnde & *Alexander* 4. qui ad Pontificatum *anno* 1255. siue potius sub finem *anni* 1254. assumptus est, *anno* 2. sui Pontificatus, qui erat 1256. iterum grauamina omnia resumens, quæ in Bullis *Gregorii* 9. tit. de Excessib. Prælat. continentur, vnam ex omnibus Bullam compegit quam Fratribus Minoribus direxit, vt illos à dictis grauaminibus liberaret. Bulla iterum incipit *Nimis iniquâ vicissitudine*, &c. Data *Ana-*

Persecutiones passus est Ordo ab initio.

gnæ

guia 5. Kal. Septembris Pontificatus anno 2. quæ quia omnia quæ in citatis Bullis Gregorii 9. & Innocentii 4. complectitur, & grauamina quæ Ordini Fratrum Prædicatorum inferebantur, etiam in Ordinem Fratrum Minorum penetrauerunt; Illam hîc ad longum damus.

Alexander Episcopus &c. Seruus seruorum Dei: Dilectis filiis Generali & Prouincialibus Ministris, ac aliis Fratribus Ordinis Minorum salutem & Apostolicam Benedictionem.

NImis inquâ vicissitudine largitori bonorum omnium respondetur, dum ii qui de Christi patrimonio impinguati luxuriant dammabiliter, in eodem Christum patenter in famulis suis persequi non verentur, ac si factus sit impotens Dominus vltionum. Cùm enim abnegantes salubriter vosmetipsos elegeritis in altissima paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, non desunt plerique tam Ecclesiarum Prælati, quàm alii, qui cæcâ cupiditate traducti, propriæ auiditati subtrahi reputantes, quidquid vobis fidelium pietas elargitur, quietem vestram multipliciter inquietant, contra vos molestiarum varias occasiones exquirentes. Volunt namque (etsi non omnes) vobis inuitis vestras confessiones audire, ac vobis injungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere: nec volunt vt Corpus Christi in vestris oratoriis reseruetur, & Fratres vestros defunctos apud suas Ecclesias sepeliri compellunt, & illorum exequias celebrari. Et si quis decedentium Fratrum alibi, quàm in Ecclesiis suis eligit sepulturam; funus primò ad Ecclesias suas deferri cogunt, vt oblatio sua vobis cedat, nec sustinentes vobis habere campanam, vel cœmeterium benedictum, certis tantùm temporibus permittunt vos celebrare diuina. Volunt etiam in domibus vestris, certum numerum Fratrum sacerdotum, clericorum & laicorum, nec non cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro sua voluntate taxare: ac residuum cereorum & candelarum à vobis exigunt in toto vel in parte, quando in vestris Ecclesiis apponuntur. Nec permittunt vt noui sacerdotes vestri, alibi quàm in Ecclesiis suis celebrent primas Missas: vos nihilominus compellentes, vt in quotidianis Missis, quas in locis vestris & altaribus celebratis, oblationes ad opus eorum recipiatis, & etiam conseruetis, quidquid etiam vobis, dum celebratis Missarum solemnia intra domorum vestrarum ambitum, piâ fidelium deuotione donatur, à vobis extorquere oblationis nomine contendentes. Quod vobis tam in ornamentis altaris, quàm in luminaribus, Ecclesiarum fabricis, libris & aliis necessitatibus vestris absolutè conferatur, vel in vltima voluntate legatur, in parte vel in toto vendicant juri suo, cogendo vos ad synodos suas, vel conuocationes accedere, ac suis constitutionibus subjacere. Nec his contenti, capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facturos, se comminantur: fidelitatem juramento firmatam, à vestris Ministris, Custodibus, & Guardianis nihilominus exigentes. Vobis quoque vt tam extra ciuitates quàm intra, cum eis processionaliter veniatis, mandantes. Excommunicationis sententiam fulminant, in benefactores vestros, & idipsum vobis comminantes, vos de locis, in quibus Domino famulamini, satagunt amouere, nisi eis obediatis in omnibus supradictis: Adhæc nec vos ad honorabiles ciuitates & villas, vbi religiosè & honestè commorari possitis, à populis deotè vocati audeatis accedere: & ibidem pro vestris vsibus ædificia, Ecclesias, seu Oratoria construere inhibentes: tam in accedentes Fratres, seu construentes hujusmodi, quàm in receptatores eorum, præsumunt excommunicationis sententiam promulgare. A vobis etiam de hortorum fructibus decimas, nec non de habitaculis vestris, sicut de Iudæorum domibus contendunt reditus extorquere, asserendo, quòd nisi vos ibidem moraremini, eis ab illis habitatoribus prouentus aliqui soluerentur. Et vt vos suæ subdant totaliter ditioni, vobis Ministros, Custodes, & Guardianos volunt præficere, pro suæ arbitrio voluntatis. A quibus omnibus vestris molestiis, quidam ex eis non omninò abstinere dicuntur. Cùm igitur Ordo vester à fel. record. Innocentio 3. Honorio, Gregorio, & Innocentio 4. Romanis Pontificibus, prædecessoribusnostris, & vobis ipsis vestris Regnis sit exigentibus meritis approbatus, & vestræ religionis obtentu, vos inter alios religiosos, arctius amplexemur in visceribus charitatis, & intentionis nostræ existat, quòd Religio vestra, quæ quantò præcellit meritis, tantò præeminere debet prærogatiuâ fauoris, & gratiæ specialis priuilegiata & immunis sit in omnibus supradictis, nè hujusmodi grauamina, vobis ab eisdem Prælatis vel eorum subditis, vlteriùs inferantur auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Omnes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quis ab ipsis, vel eorum aliquo, præmissorum occasione, in vos vel aliquem vestrum, seu Ecclesias & Oratoria vel benefactores vestros promulgari contigerit, decernentes irritas & inanes. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se nouerit incursurum. Datum Anagniæ 5. Kal. Sept. Pontif. nostri anno 2.

Ex

Ex dictis porrò constat præfatas persecutiones durasse plusquàm viginti quinque annis, cùm Bulla prima Greg. 9. contra hujusmodi data fuerit *anno* 1232. Et Alexandri 4. postrema ad *annum* 1256. Et hæc quidem persecutio ad oppressionem pauperum, non contra statum eorum directè ferebatur, sed tantùm præ se ferebat eorum ad Clericos subjectionem, etsi intolerabilem, & extra terminos omnis rationis, etiam contra statum militaret.

Aliæ porrò ferociores persecutiones immediatè secutæ sunt contra Fratrum Minorum Religionem, contra eorum Paupertatem, contra Mendicitatem Euangelicam, contra eorum Obedientiam & Exemptionem, contra Exercitia Prædicationum & Confessionis Sacramentalis Administrationem, vt constat ex Bulla ejusdem *Alexandri* 4. quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine* &c. data *Laterani* 3. *Kal. April. Pontif. anno* 3. Quæ persecutiones postea in immensum excreuerunt.

Quas omnes persecutiones vt distinctiùs explicare possimus, per sequentes paragraphos singulas expendemus.

§. II.

Persecutio altera contra statum Fratrum Minorum, quasi eorum Regulam profitentes, non essent in via & statu saluandorum.

Isa. 5. IAm *Vinea* Franciscana *facta Dilecto in cornu filio olei* in tres propagines excreuerat, quæ velut palmites in vite, & ex vite Christo prodeuntes in gemmas crescebant, quorum etiam post flores vuæ matureſcere videbantur: Ita vt & in doctrina sua *fructificarent suauitatem odoris*, & suo exemplo ministrarent *fructus bonoris & honestatis*. Iam *extenderat palmites* Eccl. 24. 23. *suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas*: Cùm egressus *Aper de sylua* & Psal. 79. 12. *singularis ferus* cum catulis suis conatus est V. 14. *depascere* eam.

Hic fuit *Guillelmus de S. Amore*, qui inter Doctores Parisienses excellere videbatur: qui ad *annum* 1255. Ordinis 48. conspirantibus simul in eundem finem Doctoribus *Odone de Duaco*, *Nicolao de Barro super Albim*, & *Christiano Canonico Belnacensi*, scriptis, sermonibus, & actibus omnem mouerunt lapidem, vt Ordinem Fratrum Minorum in quatuor angulis concutientes, funditus destruerent. Causa hujus amarissimi rancoris fuit zelotypia, quæ etiam sanctos aliquando præuenit, quæ *Aaron & Mariam in Moisem* commouit; quæ *Dathan & Abiron* concitauit; quæ *omnes labores hominum, & industrias inuidia proximi patere* permisit. Num. 12. 1. Num. 16. 3. Eccl. 4. 4.

Cùm enim in florentissima Parisiensi Academia velut supra candelabrum positi Ordines duó *Prædicatorum & Minorum* toti mundo præfulgerent (priùs *Alexandro de Ales*, ac *Alberto Magno* facem præferentibus, eisque *S. Thomæ Aquinate* Doctore Angelico, & *S. Bonauentura* Doctore Seraphico eorum discipulis succedentibus) Primò dicti Doctores Lippis oculis tantum lumen ferre non valentes, ad *annum* 1251. in *S. Dominici* Ordinem insurrexerunt, & captatâ occasione quòd duo Magistri dicti Ordinis *Homo Bonus & Helias* eorum injustis statutis & actis subscribere noluissent, illos à Cathedris & publicis lectionibus suspendere, deinde omninò excludere conati fuerunt: & consequenter Mendicantium Ordinibus Academicas lectiones auferre. Et quamuis *Innocentius* 4. datis litteris ad Rectores, Doctores, & Proceres Vniuersitatis injurias has ab eis propulsasset, vt ex *Thoma Cantipratano* enarrat noster *VVaddingus* ad *annum* 1251. *n.* 34. Nihilominùs hujus Pontificis tempore persecutio illa non cessauit, sed majoribus incrementis exarsit, ac vltra modum flamma illius elata est: Ita vt quantumuis *Alexander* 4. *Innocentii* successor, manum vigilantissimam adhiberet, nihilominùs tamen in sanctissimos viros *S. Thomam Aquinatem*, & *S. Bonauenturam* ignis ille luciferianæ æmulationis sæuiret: Nam & D. *Thomæ* in die celeberrimo Magisterii sui, subtractis scholaribus illudere sunt conati, & eo in Dominica Palmarum prædicante coram toto Auditorio libellum famosum per quemdam Guillelmum Bedellum contra Religiosos declamari curauerunt, eumque cum S. Bonauentura à Cathedra ab eis excluſum testantur acta plurima infra citanda. SS. Thomæ & Bonauenturæ Persecutiones.

Hæc porrò etsi contra Ordinem *S. Dominici* potissimum gererentur, præambula tamen fuerunt majoris persecutionis quæ in Ordinem Fratrum Minorum exarsit, vt benè Poeta:

Tunc tua res agitur,
paries cum proximus ardet:

Cùm enim SS. Ordines Origine & charitate conjunctissimi essent: A Prædicatoribus ad Minores vehementior flamma peruasit: Quæ jam non ad Scholas & Collegia ab sumenda, sed ad ipsum statū & Regulam damnabili incendio deuorandam, cunctaque quæ statum Fratrum Minorum contingebant perdenda, adhibita est. Etsi enim vtrumque Ordinem persequerentur, in

Fratres tamen Minores, eorumque Regulam singulariter efferuescebant hoc stratagemate, quòd si illos perderent, jam de cæteris actum erat. Prodiit itaque tunc infamis libellus, qui incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, cui Titulus erat *Tractatus brevis, de periculis Nouissimorum temporum*, quo impiè velut Prophetiam Pauli de Nouissimis temporibus 1. Tim. 4. & 2. 3. expleri in Fratribus Minoribus insurrabant, & infinitis calumniis Ordinem discindere conabantur. 1. Tim. 4. 1. & 2. Tim. 3. 1.

Sub Titulo ergo libri illius apertè sugillabant (referente *Alexandro* 4. in Bulla quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine. Data Laterani* 3. *Kal. April. Pontif. anno* 3.) Fratres Minores quasi ex illis forent, quos nouissimis temporibus venturos Apostolus indicabat: *Acuentes* (vt ait Pontifex) *vt gladium Linguas suas, & venenum aspidum gerentes* &c. *Fuderunt iniquum virus, & contra eos in Scholis, Prædicationibus, & alibi asserere præsumpserunt sequentes articulos.*

Articuli contra statum Ordinis Minorum.

1. *Quod in statu, & in via saluandorum non erant.*

2. *Quòd nec meritoria, nec salutifera existebat eorum mendicitas & paupertas* &c.

3. *Quòd de licentia vel commissione Romani Pontificis seu diœcesanorum Episcoporum Prædicationis officium exercere non poterant, tanquam per hoc sacerdotibus Parochialibus præjudicium inferretur.* Et *ad alia prava & iniqua in detractionem eorum, & suorum Ordinum derogationem* (inquit Pontifex) *ora maliloqua relaxabant* &c.

Ita verò hoc virus orbem terrarum peruaserat, vt ad illius suppressionem Pontifex *Alexander* 4. Coactus fuerit Sacrũ Cardinalium Collegium sæpiùs commouere, doctissimos viros ad se euocare, ac omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, ac Episcopis, imò & Regibus litteras Apostolicas transmittere. De quibus omnibus infrà. Nec tamen draconis sæuitiem sedare potuit, sed velut Hydræ lernææ capita plurima vno abscisso renascebantur, & pullulabant; videbanturque sensim *locustæ* Apocalypsis, *de fumo putei exigere, habentes potestatem sicut habent scorpiones terræ.* Rem paucis perstringam, vt lector informetur, & pro suo desiderio Historias consulat. Apoc. 9. 3.

§. III.

Persecutio 1. contra Paupertatem Fratrum Minorum in speciali.

SAncta igitur, & Evangelica ac Apostolica Paupertas omni ustro splendidior, in oculos hominum terrenorum radios immittens, illorum terrenum intellectum turbauit & Viros aliàs doctos concussit, quos liuor & æmulatio in calumnias innocentium & veritatis Euangelicæ oppugnationem incendit.

Iam sanè (vt dictum est) Ordo Minorum Orbem illustrarat, & suæ Paupertatis Euangelicæ & Apostolicæ ramos non sine multo fructu expanderat: Cum circa *annum* 1250. quidam *Desiderius Longobardus*, quem *S. Thomas Opusc.* 19. quod contra Impugnantes Religionem inscripsit c. 6. describit his verbis: *Desiderius* (inquit) *Hæresiarcha Longobardus nostri temporis, edidit quendam Tractatum contra Catholicam veritatem: In quo inter cætera condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo*, &c. Quam quidem hæresim à *Iouiniano* & *Vigilantio* & quibusdam qui *Cathari* nuncupati sunt, deducit ibidem S. Thomas ex *S. Hieronymi* epistola ad Vigilantium. Qui paupertatem impugnarint & qualiter. Desiderius Longobardus.

Desiderium Longobardum secutus est *Guillelmus de S. Amore* cum nonnullis assectis, de quibus ibidem *S. Thomas* postquam *Desideris Longobardi*, quem Hæresiarcham indigitat, mentionem fecit: *Nuper* (ait) *quod est horribilius, antiquus error renouatus est, ab his qui fidem defendere videbantur, qui more errantium in pejus procedentes, non sunt contenti diuitias paupertati æquare, vt Iouinianus, vel diuitias paupertati præferre, vt Vigilantius, sed paupertatem totaliter condemnare dicentes: Non esse licitum sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem quis Religionem intret quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui labore manuum vinere possit. Asserunt enim paupertatem laudari in scripturis non actualem, quâ aliquis se rebus temporalibus expoliat, sed habitualem quâ aliquis rem temporalem contemnit corde, etsi re possideat.* Hæc S. Thomas. Guillelmus de S. Amore.

Notat verò noster *Alphonsus à Castro l.* 12. *aduersus Hæreses V. Paupertas Hæresi* 3. Hoc fuisse discrimen inter *Desiderium Longobardum* & *Guillelmum de S. Amore*, quòd etsi vterque damnaret paupertatem, secundum quam aliquis omnia pro Christo relinquit: In hoc tamen differre videbantur, quòd *Desiderius* eam paupertatem se probare innuat, quæ habetur in Religionibus possessiones habentibus: damnare autem

pauper-

paupertatem cui annexa est mendicitas: *Guillelmus* autem *de S. Amore* omnem paupertatem actualem damnabat. Et quidem hanc fuisse prauam doctrinam *Guillelmi de S. Amore* (quam & Hæresin vocat) docet *Prateolus* l. 7. *Hæresi* 18. vbi contexens ejus Hæreses: *Primo* (ait) *Hic Monachos ex elee-mosyna in otio viuentes non saluari dicebat.* 2. *Dicebat quoque hominem saluari non posse in Ordine Mendicantium* 3. *Asserebat denique paupertatem habitualem licitam, non esse autem actualem.*

Giraldus de Abbatis villa

Guillelmum de S. Amore secutus est, & persecutionem paupertatis resumpsit *Giraldus de Abbatis Villa* tempore Generalatus S. Bonauenturæ sub *Vrbano* 4. Pontificè. Hic enim edito libro, cujus initium est: *Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines*, &c. Primò quidem patrocinium accepit, & defensionem libri *Guillelmi de S. Amore*, qui incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, &c. quantumnis Liber ille per sedē Apostolicam prius reprobatus, & condemnatus esset: Et in Ecclesiæ vniuersalis doctrinam insurgens, tribus libris suum Opus, siue librum tribus partibus distinxerat: Et in prima parte: *fugam persecutionis & mortis, tamquam actum summæ perfectionis competere multis probabat: Iejunia autem & abstinentias, tamquam spiritualium medicamenta morborum, Imperfectorum actus & exercitia esse affirmabat*: In 2. *statum diuitum tamquam laudabilem & sectarum extollebat: statum autem inopum & eorum, qui diuitiis renuntiabant, periculosum & imperfectum ostendere nitebatur*: In 3. *statum Religiosorum Mendicantium impugnabat & condemnabat.* Contra quem S. Bonauentura scripsit *Apologiam pauperum*; prout & priùs contra Guillelmum de S. Amore alterum Tractatum, *de paupertate Christi* ediderat, de quibus postea latiùs.

Victoria contra Primos Paupertatis Fratrum Minorum Aduersarios.

ADuersarios Religiosæ & Euangelicæ Paupertatis doctissimis suis scriptis satis conuicerant *S. Thomas* Doctor Angelicus, & *S. Bonauentura* Doctor Seraphicus: Hic quidem in Tractatibus proximè citatis; Ille in doctissimo & amplissimo *Opusculo* 19. quod contra Impugnantes Religionem inscripsit: In quo pro Classico Psalmistæ verbis insonat: *Ecce* (inquit) *inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput* &c. Cujus quidem Opusculi tribus partibus tamquam aciebus instructus; quidquid contra Religiosum statum & Paupertatem, ac Religiosæ vitæ officia Aduersarii effinxerant, potentissimè refutatur. Ad quæ nos sine fructu Lectorem remitto, ne extra terminos hujus Operis excurram. Nihil enim tum in Tractatibus S. Bonauenturæ, tum in Opusculo Angelici Doctoris desiderari potest, quod doctissimè de his materiis non sit traditum, ad fundandam veram doctrinam & confundendam Aduersariorum malitiam & impudentiam; qui etiam coram *Alexandro* 4. dictos Aduersarios Anaguiæ coram multis confuderant.

Pſal. 82. 3.

Istorum scriptorum damnatio.

Verùm vt coram Deo & Ecclesia veritatis palma in victoriam erigeretur.

Primò quidem vt *Hæresiarcha* proscriptus est *Desiderius Longobardus* (vt ex *S. Thoma* suprà testatur *Prateolus.*)

Secundò *Alexander* 4. volens Ordinem S. Francisci, ejusque Apostolicam Paupertatem tueri: Monito sæpiùs *Guillelmo de S. Amore* cum assectis suis *Odone de Duaco, Nicolao decano de Barro super Albim & Christiano Beluacensi*, vt ab erroribus, & attentatis suis, specialiter contra Paupertatem & statum Fratrum Minorum resipiscerent: Tandem ante omnia Libellum *Guillelmi de S. Amore* qui incipit: *Ecce videntes clamabunt foris* &c. & cui Titulus erat: *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum*, à quatuor primariis Cardinalibus priùs examinatum, tamquam iniquum, scelestum, & execrabilem condemnauit, & instructiones ac documenta in eo tradita, vtpote prana, falsa, & nefaria de Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio auctoritate Apostolicâ reprobauit, & infra octo dies à Decreti sui cognitione flammis dari mandauit: vt constat ex Bulla quæ incipit: *Romanus Pontifex*, data *Anagniæ* 3. *Non. Octob. Pontif. anno* 2. Et Bullæ executionem *Ludouico Galliæ Regi* demandauit per aliam Bullam quæ incipit: *Veri solis radius* data similiter *Anagniæ* 16. *Kal. Nouemb. Pontif. anno* 2. Sed & aliam 14. *Kal. Nou.* remisit ad eundem Regem, & vniuersos Galliarum Prælatos, specialiter Turonensem, & Rothomagensem Archiepiscopos, & Episcopum Parisiensem, quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine*; In qua Fratrum Minorum & Prædicatorum Ordines mitis, veris tamen, exaltans laudibus, errores iterùm *Guillelmi de S. Amore* & assectarum, eorumque calumnias & detractiones expressiùs condemnat, mandans vt contra eos procedatur &c. Nec defuit mandati Apostolici executio; nam vt refert *Thomas à Cantimprato l. 2. Apum c. 10. n. 23.* Rege *Ludouico* mandante in Curia primùm, deinde coram vniuersitatis multitudine, liber combustus est, & sententia exilii à

Regno Galliæ cum priuatione officiorum & beneficiorum, nec non depositione à Cathedris & Scholis, additis variis censuris ab eodem Pontifice promulgata est in *Guillelmum* & ei adhærentes, nisi resipiscerent: Litteræ Apostolicæ ad *Guillelmum de S. Amore* directæ incipiunt: *Cùm propter multiplices culpas*, datæ *Viterbii* 5. *Idus Aug. Pontif. anno* 3. Cujus similes præmiserat Pontifex ad *Ludouicum* Regem 3. *Idus Aug. Pontif. anno* 3. in quibus insinuat se sententiam de exilio ad instantiam Regis ipsius protulisse. Aliæ tandem Bullæ super his controuersiis prodierunt, quas Lector videre potest apud N. P. *Lucam Waddinghum in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1256. & 1257. & in *firmamento trium Ordinum* 2. *p. tract.* 1.

Resipiscunt aliqui.

Porrò ad has sententias & comminationes relipuerunt *Christianus Canonicus Beluacensis* & *Odo Duacenus*, quibus addunt nonnulli *Nicolaum Decanum de Barro*. Et quidem duo priores coram E. Cardinalibus ab *Alexandro* Pontifice deputatis in manus Notarii publici reprobarunt & reuocarunt, quæ duce *Guillelmo de S. Amore* egerant, dixerant, fecerant, scripserant, contra Fratres Prædicatores, & Minores, eorumque statum Paupertatem, ac Predicationum & Confessionum Ministeria (cujus Renuntiationis Instrumentum publicum refert *Pater Waddinghus supra ad annum* 1256.) Ideoque in pristinos honores sunt restituti. Sed *Guillelmus à S. Amore* in pertinacia perseuerans de mandato summi Pontificis dato *Viterbii* 10. *Kal. Decemb. anno* 3. per Episcopum Parisiensem denuntiatus est Excommunicatus, nec non exilio, & aliis supradictis pœnis mulctatus, in quibus perseuerans male obiisse scribitur à Mariano, & inter Hæreticos à *Prateolo*, *Alphonso de Castro*, *Sandero* & aliis recensetur.

Nec omittendum quod de *Christiano Beluacensi* refert Cantipratanus sup. n. 27. Ipsum in infirmitate vltima amantissimo corde contritum recognouisse, nihil se & complices suos habuisse contra dictos Ordines, nisi quòd illis æquari scientiâ non valerent, & ob hoc, eos parui penderent auditores. Et loquens de Prædicatoribus addidisse: *Quoniam* (inquit) *nihil habeo, quod vobis pro injuria grauis illata refundam: In signum tamen quòd ex toto corde pœniteam, Corpus meum apud vos Fratres Prædicatores tradendum sepulturæ relinquo.*

Ordo Prædicatorum fundatus in summa Paupertate.

Sic tandem prævaluit Euangelica & Apostolica veritas contra suos Aduersarios, & sedatus est tumultus in Academia Parisiensi, quem suscitauerat Iniquitatis Princeps contra duos illos celebres Ordines *SS. Dominici* & *Francisci*. Non enim in articulo Paupertatis solus Ordo Minorum agitabatur, sed & Ordo Prædicatorum, quem *S. Dominicus* in sua origine, super Euangelicam Paupertatem, in abrenuntiatione omnium possessionũ tam in communi, quam in speciali fundauerat, vt docet *S. Antoninus Tit.* 23. *c.* 4. §. 3.

Vnde *Thomas de Apoldia* in vita *S. Dominici* l. 3. c. 22. *Summus fuit* (inquit) *B. Dominicus Paupertatis amator &c. Hujus diuinæ & singularis discipulorum Christi virtutis studio, possessiones quas habebat, abjecit, oblatas recipere noluit, statutoque perpetuo seueriter cauit, ne in ipsius Ordine haberentur.* Infrà: *Ne pungens diuitiarum sollicitudo, & anxius rerum labentium amor, sanctitatis fructum aut prædicationis semen opprimeret: Paupertatem Euangelicam, qua relictâ sollicitudine de crastino non cogitat amplexus est, mandauitque filiis amplectendam.* Et de *S. Dominico* refert *S. Bonauentura* Tract. de Paupertate Christi c. 3. Ipsum sub mortem imprecatum maledictionem omnibus qui in Ordinem suum conarentur possessiones inducere. Visum tamen summis Pontificibus & Ecclesiæ ob causas sine dubio justissimas, nonnullas possessiones Ordini illi permittere: quod à *Sixto* 4. ad annum 1475. primò factum referunt ejusdem Ordinis Scriptores. Quæ annotanda putaui quia in Bullis Pontificum Ordines illi duo in hac Paupertatis eorum propugnatione combinantur.

Articuli Apostolicâ auctoritate decisi.

Articulorum controuersiorum de paupertate decisio.

ITaque contra *Guillelmum de S. Amore*, & alios Paupertatis ac Ordinis persecutores, hi articuli definiti sunt ab *Alex.* 4.

1. *Fratres Minores & Prædicatores in statu saluandorum esse.*

Quod probat 1. quia Ordines illi à S. Sede approbati sunt 2. Quòd plures ex iis jam in SS. Catalogum relati essent. 3. Quòd tamquam duo luminaria magna in Ecclesia Dei doctrinâ & vitæ exemplo lucerent &c.

2. Articulus: *Ipsos non teneri ad opera manuum.*

Quod probat qui solemnioribus exercitiis, Orationum & studiorum occupati sunt.

3. Articulus: *Mendicitatem eorum esse salutarem, laudabilem, & Euangelicam.*

Quod probat quia pro Christi amore, Apostolorum more omnia sua reliquerunt &c.

4. Articulus: *Quòd ex commissione summi Pontificis &c. per vniuersum Orbem prædicare possent*; cùm summus Pontifex totius

tius Ecclesiæ Caput in vniuersa ejus membra potestatem habeat. Vide Bullam *Alexandri 4.* quæ incipit : *Non sine multa cordis amaritudine. Data Anagniæ 14. Kal. Novemb. Pontif. anno 2.* vbi etiam mandat Turonensi & Rothomagensi Episcopis, vt Aduersarios cogant ad reuocationem eorum, quæ contra dictos Articulos scripserunt, prædicauerunt, vel dixerunt.

§. IV.

Persecutio 2. contra Paupertatem Fratrum Minorum.

ATrocior in Paupertatem Euangelicam Fratrum Minorum pugna inualuit tempore *Ioannis* 22. summi Pontificis, qui etsi à principio in Ordinem benevolus esset, postea tamen siniſtris impressionibus hominum zoilorum præuentus, apices quosdam Philosophicos & juris ciuilis sequens, contra Prædecessorum suorum Decreta, quæ antè laudauerat, & in corpus juris Canonici redacta erant, in alium sensum inflexit, multa reuocauit, plurima difficultatibus immersit. Vnde grauissimæ persecutiones natæ sunt, & amarissimæ tribulationes, quæ Ordinem crudeliter concusserunt : Dum Ordinis viri Primarii se opponere sunt coacti, quorum (etsi illi, qui in Capitulo generali Perusino congregati, omni cum reuerentia jam soliditatem doctrinæ probatissimè tradidissent, & Ecclesiæ judicio exposuissent) aliqui tamen zelo impetuosiori accensi, & in Pontificis Articulos imprudèter postea insurgentes, pœnis & censuris percussi sunt, etsi pœnitentiâ ducti & redeuntes ad obedientiam, ac culpam agnoscentes liberati & absoluti fuerunt : Inter quos *Michael Cesenas* aliquando Ordinis Minorum Generalis, & *Guillelmus Ockam* doctissimus Theologus scholæ Nominalium Princeps appellatus cum nonnullis aliis istis turbinibus inuoluti sunt.

Ioannes 22. opponit se Paupertati FF. Minorum.

De Paupertate FF. min.

Hujus Historiæ narrationem ab ouo inchoat *Marianus l. 4. c. 8.* sequentibus verbis : *Cum* (ait) *quidam Beguinus anno Domini 1321. fuisset captus in ciuitate Narbonensi pro facto hæresis, & per Archiepiscopum Narbonensem, & Fratrem Ioannem de Belua inquisitorem hæretica prauitatis ex Carcassonensibus qui Frater Ioannes persecutor Ordinis Minorum, status & regiminis ipsius Ordinis acerrimus & enormis existit, sicut de persecutione injusta Fratribus facta apparet, per legitima documenta, & etiam per Bullam sententiæ contra ipsum Fratrem Ioannem occasione hujusmodi persecutionis Fratrum Minorum promulgatam. Hic Frater Ioannes præfatum Beguinum judicare volens tamquam hæreticum conuocauit ad suum Concilium omnes Priores, Guardianos & Lectores Religiosorum, & quam plures alios sapientes, inter quos fuit Frater Beringarius Talonis de Perpiniano Lector in Conuentu Narbonensi ; Et cum ipse Inquisitor fecisset inter cætera legi dictum articulum : Christus & Apostoli nihil habuerunt in communi, neque in speciali, pro quo inter cætera volebat Beguinum hujusmodi condemnare ; Ipse Frater Beringarius lector super dicto articulo requisitus, respondit quod hoc dicere, non esset hæreticum, sed dogma sanum, catholicum, & fidele, maxime cum hoc esset per Ecclesiam Catholicam in decretali, Exiit definitum. Quo facto ac si asseruisset hæresim dictus Lector, præfatus Inquisitor turbatus contra ipsum Fratrem Beringarium, dicens & mandans ei, ut statim reuocaret, quod dixerat in omnium præsentia. Qui reuocare noluit quoquo modo, sed quia cogebatur reuocare, timens ex hoc contra justitiam multipliciter aggrauari, ad Apostolicam sedem solemniter appellauit, & cum appellatione sua comparuit in Curia coram Domino Papa in Consistorio apud Auinionem, sed antequam Lector accessisset, prævenit præfatus Inquisitor suis seductionibus & fallaciis & mendaciis ipsum Dominum Papam contra Fratres Minores, & eorum statum, & Ordinem prouocauit. Quapropter Dominus Papa malè informatus de opposito Fratrem Beringarium Lectorem in sua Curia fecit arrestari, ex quibus lites & discordiæ non parua inter utrumque Ordinem oriri cæperunt coram summo Pontifice, & consistorio dicentibus Minoribus ; Quòd Christus & Apostoli nihil habuerunt, nec in communi, nec in speciali, & contrarium affirmare esset hæreticum : Econtra dicentibus Prædicatoribus, videlicet quod habuerunt, & hoc negare erat hæreticum. Neutra istarum partium in isto initio quæstionis distinguente, sed vna affirmante, altera negante.*

Origo istius oppositionis.

Ex quibus constat 1. Tamquam mali corui malum ouum hanc persecutionem inchoatam à *Fratre Ioanne de Belua* Inquisitore, persecutore Ordinis Minorum, & status ac Regiminis Ordinis acerrimo hoste. 2. Occasionem sui veneni hausisse ex doctrina à Beguino Beguinarum, & Begardorum Primario tunc necdum examinata, & condemnata, occasione istius Propositionis : *Quòd Christus & Apostoli nihil habuerint in communi, neque in speciali.* Quæ quidem Propositio debebat primò examinari debitè. 3. Dictum Inquisitorem Christianæ & Religiosæ charitatis oblitum, fictionibus, fallaciis, & mendaciis Pontificem prævenisse, & in Ordinem acrius incitasse.

Verum nec mens Pontificis in tantum præveniri potuit, quin auditis utrimque

partibus

partibus inter se dissidentibus (Prædicatoribus quidem *Ioannis de Bèlna* ejusdem instituti partes sequentibus, & Propositionem vt hæreticam condemnantibus : Minoribus & contrà Propositionem vt catholicam defendentibus) judicaret rem maturius expendendam : *Quamobrem* (ait Marianus supra) *Dominus Papa Fratrem Vbertinum de Casali de hoc requisiuit per R. D. Nepaleonem Cardinalem Vrsinum, Diaconum tituli S. Adriani: vt de predicta quæstione scriberet id, quod sibi videbatur tenendum.* Hæc Marianus.

Erat sanè F. *Vbertinus* vnus ex primariis Patribus qui tunc in Ordine vitâ, doctrinâ, & pietate excellebant, in scripturis sanctis, & rerum diuinarum contemplatione exercitatissimus : quia acceptis litteris Cardinalis, sic ad quæstionem propositam doctissimè sub distinctione respondit : *Ad questionem* (inquit) *predictam non est respondendum simpliciter affirmatiuè vel negatiue, sed per duplicem distinctionem eligenda est veritas fidei & hæresis respuenda. Et primo distinguendum est de Christo & Apostolis, quia fuerunt sub duplici statu : fuerunt enim vniuersales Prælati Ecclesiæ noui Testamenti. Et hoc modo* (*quantum ad dispositionis & distributionis auctoritatem, pro dando pauperibus & ministris Ecclesiæ, sicut de Apostolis scribitur*) *bona habuerunt communia : Et negare quòd non habuerint isto modo, esset hæreticum, & de hoc non currit propriè quæstio, quia nullus in isto sensu negauit. Ex ista prælationis auctoritate Christus dicitur loculos habuisse. Secundò Christus & Apostoli possunt considerari, vt singulares personæ, fundamenta perfectionis Religiosæ, & perfecti mundi contemptores, ac gloriam mundi calcantes, & Christi consilia de supererogatione perfectionis in seipsis obseruantes, & omnibus volentibus esse perfectos, exempla lucida tribuentes. Et si quæratur vtrum isto modo habuerint? distinguendum est de duplici modo habendi. Quorum primus est Ciuilis & mundanus, quem modum habendi leges Imperiales definiunt; duas ejus partes ostendentes per hæc verba: In bonis nostris dicimus esse, in quibus habitis exceptionem, & defensionem, & in non habitis repetitionem habemus. Et ita patet quòd qui habet aliquid ciuiliter & mundanè, potest defendere rem suam ab inuasore, & repetere à detentore in judicio sub judice imperiali. Et isto modo dicere quòd habuerit Christus & Apostoli res mundanas, est hæreticum, quia contra Euangelium. Nam Christus Rex pacificus, qui Apostolos suos fecit filios pacis, separauit ab omni humano litigio dicens* : Et qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium. *Et* : Qui aufert tibi vestimentum & tunicam, noli prohibere, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. *In quibus verbis removet à se* (*quia ipse fecit quod docuit*) *& ab Apostolis* (*quibus hoc ipsum imposuit*) *duplicem partem Iuris Ciuilis & mundani scilicet defensionem habiti, & repetitionem perditi. Et iste modus habendi propriè dicitur, habere in re proprietatem & dominium. Et quia Christus & Apostoli isto modo nihil habuerunt, idcircò B. Petrus pro se & pro omnibus Apostolis dicit, sicut verus pauper* : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Dicere ergo, quòd Christus & Apostoli isto modo habuerint in communi, vel in speciali proprietatem & dominium, est hæreticum & blasphemum. Et hoc modo concedo, quod intelligunt Fratres Minores, licèt non distinxerint diuersos modos habendi. Alio modo possunt haberi res temporales, quantum ad jus necessarium, & commune fraternæ charitatis. Et isto modo Christus & Apostoli habuerunt bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad sustentationem necessariam, repellentes omnia, quæ diuitias saperent, vel delitias redolerent, vel mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt panes & pisces. Et sic dicit Apostolus* : Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. *Nec est aliqua professio, nec aliquod consilium Christi, quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium vsum vitæ, & ideò dicere, quod non habuerint isto modo, esset hæreticum*; *Et sic concedo quòd vellent dicere Fratres Prædicatores.* Hæc Vbertinus.

An Christus & Apostoli habuerint aliquid in communi vel speciali.

Christus & Apostoli dupliciter considerantur.

Act. 4. 32.

Io. 12. 6.

Duplex modus habendi.

Matt. 5. 40

Luc. 6. 29.

Fratris Vbertini de Casali responsio lecta coram Pontifice in consistorio Cardinalium omnibus placuit, & laudata est : Asseruerunt enim omnes vtrique parti sufficienter satisfactum; summus etiam Pontifex *Ioannes* 22. gauisus grauissimas lites sic ad sanctam concordiam paucis reduci, dixit: *Ita quæstionem omnino terminandam esse, seque amplius de hac re quippiam velle audire.* Et hæc quidem ad annum Christi 1321. facta sunt & concluſa.

Quæstiones de paupertate decisæ.

Verum serpens ille tortuosus & omnis concordiæ hostis, non est passus pacificum illum animorum consensum diuturnâ pace gaudere : Anno enim sequenti 1322. acerbiùs recruduit & resuscitata est majori contentione prior discordia, quorundam suggestione Pontificem Maximum iterum impellente, vt ab omnibus Prælatis & Magistris in Theologia hæc propositio examinaretur : *Verum* (scilicet) *pertinaciter affirmare Dominum Iesum Christum ejusque Apostolos, non habuisse bona aliqua in speciali, neque in communi, foret hæreticum.* Quæ quidem quæstio in schæda ad omnes missa est. Et quamuis quæstio ista satis resoluta videretur à *Nicolao* 3. in Extrau. *Exiit qui seminat* &c. qui districtè etiam prævidens inconstantiam ingeniorum,

Quæstio recruduit.

quæ variis opinionum fluctibus agitantur, sub pœna excommunicationis, ac priuationis officii ac beneficii prohibuerat: Ne hæc sua Decretalis quouis modo à quibusvis glossaretur, aut in diuersas & aduersas sententias pertraheretur sub titulo variarum opinionum, sed sicut prolata est, sic fideliter exponeretur ad litteram: Nec aliter super ipsa Constitutione glossæ fierent, nisi forsan per quas verbum vel verbi sensus seu constructio, vel ipsa Constitutio quasi grammaticaliter ad litteram, vel intelligibiliùs exponeretur: *Ne* (inquit) *sub colore licuit nonnullis contra fratres ipsos, & Regulam in legendo, exponendo, aut glossando possent virus suæ iniquitatis effundere* &c. prout latiùs ad finem dictæ Decretalis continetur. Ne hæc Constitutio opinantium libertatem in examinanda prædicta propositione aliquos impediret, inductus est Pontifex, vt per aliud decretum quod incipit: *Quia nonnumquam* &c. quod habetur in Corpore Juris Canonici inter Extrau. communes *Tit.* 14. *de verb. signif.* istas pœnas & obstacula omnia suspenderet, & cuilibet opinandi libertatem concederet sub titulo inuestigandæ profundiùs veritatis. Sic ad arma omnes conuocati sunt, & quod timuit *Nicolaus*, ne per hoc virus iniquitatis in Regulam Fratrum Minorum ab iniquis susurronibus effunderetur: Jam idipsum effreni libertati cujuscumque relictum est, sub prætextu inquirendæ veritatis, sub judicio tamen futuro Sedis Apostolicæ.

Porrò etsi inconstantiæ ingeniorum res sic exposita esset: non defuerunt tamen qui sincerâ intentione veritatem inuestigarent & tuerentur. Et quidem cùm Propositio illa præcipuè Ordinem Fratrum Minorum contingeret, & eorum Paupertatem in Regula à Christo dictata præscriptam lacessere videretur, instaretque Capitulum Generale Perusii indictum à *Michaele Cæsenate* tunc Ordinis Ministro Generali: Monitus est Generalis per Litteras ab aliquibus Cardinalibus, specialim *Vitali de Furno* & *Bertrando de Turre* ex Ordine Minorum assumptis, & aliis personis primariis: vt super Propositione illa, quæ ad omnes mittebatur, judicium suum in communi ferrent, & singulariter attenderent ad *Nicolai* 3. declarationem, quæ tunc in Ordine inualuerat, tamquam Regulæ Franciscanæ defensoria, & conseruatoria. Acceptæ itaque litteræ coram toto Capitulo congregato lectæ sunt, & impositum vt super Propositione à summo Pontifice maturè deliberaretur: quod & summâ diligentiâ & studio factum est: Præmissis enim variis collationibus & disputationibus inter Theologiæ sacræ Magistros & Lectores, tandem Resolutio accurata sequentis tenoris emanauit.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, F. Michael Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, Guillelmus Angliæ, Henricus Superioris Germaniæ, Arnaldus Aquitaniæ Prouinciales Ministri, & in sacra Theologia Magistri: Nec non Hugo de nouo Castro, & Guillelmus Almuchiæ S. Theologiæ Doctores. Nicolaus Minister Franciæ, ac Guillelmus Bloc Baccalaurei in sacra pagina, Et omnes Ministri, Custodes, Discreti & Lectores generalium studiorum apud Perusium congregati in Capitulo generali Ordinis prædicti, salutem & pacem in Domino sempiternam.

Iudicium Capituli Generalis super quæstione propositâ.

, NOueritis quod nos anno Domini 1322. indictione 5. pridie Nonas Junii, au-, ditâ & intellectâ quæstione quâdam, quæ , in Romana Curia præsentialiter agitatur, , quâ quæritur: *Vtrum asserere Christum, , & Apostolos non habuisse aliquid in communi , sit hæreticum?* Et requisiti quid de ipsa , quæstione sentiremus: Hæc in scriptis , sub nostris sigillis, & subscriptionibus , propriis tradere curauimus. Visis & exa-, minatis, dictâ quæstione, cum allegationi-, bus, quæ pro & contra sunt, diligenti-, que & maturâ deliberatione digestis, de-, terminationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ , firmiter & totaliter inhærentes, concor-, diter & vnanimiter dicimus & fatemur: , Quòd dicere & asserere, quòd Christus , viam perfectionis ostendens, & Aposto-, li eandem perfectionis viam sequentes, , atque per exemplum in alios volentes , perfecte viuere deriuantes, nihil Iure pro-, prietatis, Dominii seu Juris proprii in , communi habuerunt, non est hæreticum; , sed sanum, & catholicum, & fidele, maxi-, mè cum sancta Romana Ecclesia Catho-, lica, quæ à tramite Apostolicæ Traditio-, nis nunquam deuiasse aut errasse proba-, tur. 24. q. 1. à *Recta fide*, & cap. *Pudenda*, , in fine hoc expresse dicat, affirmet, & , determinet manifestè, Extrau. de verb.

» signif. cap. *Exiit qui seminat*, l. 6. §. » Porro. Sic inquiens: *Dicimus quòd abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Dominum, meritoria & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit. Quamáque primi fundatores militantis Ecclesiæ, id est Apostoli, prout ab ipso fonte, id est Christo hauserunt, & volentes perfectè viuere per doctrinam & vitæ ipsorum alueos deriuarunt.* Quæ Ecclesiæ determinatio in 6. *libro* per ipsam Ecclesiam Catholicam est inserta. Et per aliam Decretalem in Viennensi Concilio promulgata, & in septimo libro sub *Titulo de verb. signif.* inserta, & per ipsam vniuersalem & Catholicam Ecclesiam est approbata; ac nouissimè per sanctissimum Patrem & Dominum D. *Ioannem* diuinâ prouidentiâ Papam 22. in quadam sua declaratione edita super Regulam, & statum Fratrum Minorum, quæ incipit: *Quorundam exigit*, est eadem Declaratio plurimùm commendata, tamquam *salubriter edita, solida, lucida, multáque maturitate digesta*; Et testante *Canone* 19. d. SS. Romanorum, Id quòd pro dogmate sano Sedes Apostolica comprobauit, semper teneri debet acceptum, nec ab ea licet quomodolibet retilire 24. q. 1. *Hæc est fides.* In hujusmodi autem nostræ opinionis & Communis, ac concordis Sententiæ testimonium, & munitionem, præsentem seriem de communi consensu omnium nostrum, sigillis & subscriptionibus propriis Generalis Ministri, & nominatorum Fratrum Magistrorum in sacra Pagina, nec non & quatuor Ministrorum Prouincialium, Thomæ Prouinciæ Bononiensis, Petri Prouinciæ S. Francisci, Ferdinandi Prouinciæ Castellæ, & Simonis Prouinciæ Thuroniæ duximus muniendum, Datum *Perusii, anno, mense, & die* superiùs annotatis.

Non poterat Capitulum majori prudentiâ quæstioni satisfacere, putabatque rem extra controuersiam positam; Cùm resolutio tota firmaretur in verbis Declarationis *Nicolai* 3. *Extrau. Exiit qui seminat*, nec non in alia *Clementis* 5. quæ incipit: *Exiui de Paradiso*, in Concilio Viennensi Generali edita, & ab vniuersa Ecclesia recepta: Quas *Ioannes* 22. in alia Decretali quæ incipit: *Quorundam exigit*, plurimùm laudauerat & commendauerat tamquam *salubriter editas, solidas, claras, & lucidas, multáque maturitate digestas*, & quibus suam velut confirmatoriam addiderat, *Vt sic* (inquit) *dies diei eructet verbum, & nox nocti scientiam manifestet* &c. Verum aliter euenit, fomitem sine dubio ministrante communis pacis inimico. Exacerbatus est enim hâc responsione Pontifex, occasione captatâ: Quòd Capitulum Generale simplici hâc resolutione non fuisset contentum, sed & aliam ampliorem deluxisset, quam refert *Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccles. c.* 62. ac ordinasset, vt dictæ Resolutiones tot Pontificum Declarationibus firmatæ à fratribus contra Impugnantes per vniuersum orbem defenderentur, & aliquis doctus Pater ad Curiam Romanam destinaretur, qui pro hac veritate stabilienda decertaret, quam Commissionem ex obedientia subiit Pater *Bona Gratia Bergomas* vir doctissimus, sed fortè acerbioris ingenii, quàm res illa postulabat.

Papa resolutione illâ exacerbatus

Dum igitur Fratres velut pro aris & focis pro singularissima status & Regulæ Margarita *Paupertate altissima* decertant, & ex pulpitis ac cathedris liberam ab omni dominio & vsu Juris, ac à Christo & Apostolis tamquam primis illius Professoribus obseruatam, etiam sub Testimonio summorum Pontificum, ac SS. PP. assertionibus declamant: His lacessitus Pontifex *Ioannes* 22. quod antè in Decretalibus *Nicolai* 3. & *Clementis* 5. probauerat, reuocat, & in his exilimans viam facti sibi magis fauentem, non sine stupore & admiratione doctissimorum & optimorum virorum Extrauagantem illam: *Ad Conditorem Canonum* relaxat, in quâ docens ex Philosophorum & Ciuilium Jurium argumentis, in rebus maximè vsu consumptibilibus, dominium non posse separari ab vsu, nullumque dari facti simplicis vsum, absque Juris titulo: de facto reuocat, & à Sede Apostolica remouet, ac renuntiat omni dominio & Iuri, quod Ecclesia & summi Pontifices à *Gregorio* 9. vsque ad illa tempora in se assumpserant super omnibus rebus, quæ vsibus Fratrum legitimè cedebant: quasi per hoc dominium & Ius politicum dictarum rerum immediatè in Ordinem & Fratres Minores relaberetur; ac sic eorum gloriatio de Altissima Paupertate, & abdicatione omnis dominii & vsus Juris in rebus ex se corrueret. Vnde & syndicos & Procuratores, qui nomine S. Sedis ac Romanæ Ecclesiæ quæ vsibus Fratrum Minorum concessa administrabant, cassauit, destituit, & ne de nouo instituerentur, non obstantibus Prædecessorum suorum Concessionibus & Declarationibus prohibuit.

Edit Constitutionem ad Conditorem.

Hinc in Ordine grauis Tribulatio, & Animorum turbatio Mater confusionum: Et quidem F. *Bona Gratia Bergomas*, quem ad Curiam Romanam pro hac causa tuenda diximus à Capitulo Generali Perusino missum, statim initio *anni* 1323. Procuratorio nomine totius Religionis, contra

Vnde grauis turbatio in Ordine.

pra-

prædictam Constitutionem : *Ad Conditorem* appellauit, & oblato libro in propriam manus Pontificis coram Curia, conatus est probare *Extrauagantem* illam, illiusque doctrinam, vtpote injustam & illicitam non posse subsistere, cùm plurimis Prædecessorum *Constitutionibus*, ab ipsa origine Ordinis in confirmationem Altissimæ Paupertatis datis contradiceret, & Christi ac Apostolorum Paupertatem destrueret, & Juribus diuinis & humanis contraueniret. Hâc Appellatione commotus Pontifex, tantum abest vt ejus ira deferbuerit, quin magis efferuescens 1. quidem Constitutionem prædictam ampliauerit, & de nouo confirmauerit : Deinde *Bonagratiam* Appellationis, ac libri dictatorem incarcerari mandauerit : Tandem, frustrà Cardinalibus aliquibus illius iram temperare conantibus : Ad decisionem vlteriorem procedens, tamquam ex cathedra hæreticum esse definiens, Pertinaciter affirmare:

1. *Redemptorem nostrum, ac Dominum Iesum Christum, ejusque Apostolos, in speciali non habuisse aliqua, nec in communi.* 2. Hæreticum esse pertinaciter affirmare: *Quod Redemptori nostro predicto ejusque Apostolis in vsu, qua ipsos habuisse scriptura testatur, nequaquam Ius ipsis vtendi competierit, nec illa vendendi seu donandi Ius habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi (qua tamen* (addit) *ipsos de premissis feciſſe Scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere, suppone expresse*) *cùm talis Assertio ipsorum, vsum & gesta euidenter includat, in premissis non justa,* (*quod vtique de vsu, gestu, seu factu Redemptoris nostri Dei filii nefas est sentire*) *& S. Scripturæ sit contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum.* Et subdit : *Assertionem ipsam pertinacem de Fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam meritò, ac hæreticam declaramus.* Ita Pontifex in Constitutione : *Cùm inter nonnullos. Data Auinione* 2. *Idus Decemb. Pontif. anno* 7.

Hic Pontificis feruor, vt exhalatio quædam nubibus inclusa magnum tonitru comitantibus fulminibus fulguribusque in Ordine excitauit, & velut cœlo turbato ingentes tempestates Ordo passus est: Nam & Michael Cæsenas Ordinis totius Primicerius, quòd Capitulo Perusino, in quo quæstiones de Paupertate in contrariam sententiam à Patribus decisæ fuerant, præsedisset, à Pontifice Auinionem euocatus, & variis prætextibus ibidem detentus, malè à Pontifice tractatus est, dum ei coram pluribus præsentibus imponit, quasi suâ temeritate & audaciâ *Ludouico Bauaro* & hæreticis contra Ecclesiam faueret : quodque hæreticam doctrinam *de Paupertate Christi* contra Ecclesiæ definitionem sustinuisset, & in Capitulo Perusino cum suis defensasset, volens vt illam sententiam Capituli Perusini retractaret. Negabat sanè Cæsenas in doctrina Capituli Perusini hæresim contineri : vnde & oblato libello qui incipit : *Ego Frater Michael attendens, quòd sacri Euangelii* &c. appellauit à sua in Curia arrestatione, ab Inquisitionibus in eum in causa hæresis perperam (vt asserebat) faciendis, à Decretalibus in Controuersia Paupertatis à *Ioanne* Papa editis, denique ab omnibus quæ forte se, & Ordinem contingerent, à deputatis Examinatoribus constitui. Fatentur quidem omnes pii potuisse *Cæsenatem* humilitate & aliquâ submissione Pontificis iram temperare ; verùm velut igni injectum oleum flammas multiplicabat, & dum summus Pontifex indictis Comitiis Generalibus Ordinis Bononiæ, contendit *Cæsenatem* ab officio frustrà absoluere ; *Cæsenas* cum *Guillelmo Ockam* & *Bonagratia Bergomate* Auinione fugientes, subministratâ ipsis in portu de Aquis mortuis scaphâ, ac demum trireme, ad *Ludouicum Bauarum* Pisas confugiunt : schedulâ ad Pontificem missâ, quâ causam suæ fugæ in injustam Pontificis persecutionem reuoluebant. Sed nec hîc exacerbatus ille *Cæsenatis* animus stitit : Cùm enim jam Pisis apud *Ludouicum Bauarum* quiescere debuisset, auditâ sui reelectione in Generalem Ministrum in Comitiis Generalibus Bononiensibus, præter & contra mentem Pontificis factâ : qui humilitatem insinuare debuerat, in proteruiæ & præsumptionis fumos euaporatus est. Ad primum enim nuntium subitò, Nomine suo & omnium Fratrum sibi adhærentium appellauit contra *Pontificis grauamina*, ad Ecclesiam Matrem, & Concilium Generale : Et Appellationem illam Notarii publici manu firmatam ad valuas Ecclesiæ primò affixit, & eandem postea ad summum Pontificem transmisit. Hîc Caminus siue fornax septuplum accensus est : dum Pontifex *Cæsenatem* Ordinis Regimine spoliat, constituto *Bertrando Tusculano de Turre* Episcopo Cardinale Ordinis interim Vicario & Administratore, cui omnes Ministros, Custodes, & Guardianos, cæterosque Fratres obedire voluit : Et scriptis litteris ad omnes Prælatos & Principes *Cæsenatem* ab officio depositum carceribus mancipandum decernit. Hinc iterum confusiones variorum Scriptorum qui contra *Ioannem* 22. scripserunt. Inter quos *F. Guillelmus Ockam*, qui sub *Ludouici Bauari* protectione Sedis Apostolicæ Dignitatem infirmare conatus est per decisionem *Octo questionum super potestate summi Pontificis*, & *Dialogum de potestate Imperiali & Papali* : Ac in ipsum Pontifi-

Cæsenas à Papa malè tractatur.

Fugit.

Reelectus in Ministrum Generalem appellat.

Priuatur officio.

Ipse cum Ockam scribit contra Papam.

cem calamum mouens. *Compendium errorum Ioannis* 22. *de vtili dominio rerum Ecclesiasticarum*, & *Opus nonaginta dierum* compoſuit. Quem ſecutus *Michael Ceſenas* de eadem materia tres Tractatus contra errores *Ioannis* Papæ edidit & peſſimo quidem hi duo calamo falſa veris, piis impia permiſcentes, ſub prætextu ſuam fugam juſtificandi, vel Paupertatem Euangelicam & Apoſtolicam aſtruendi fomitem multæ turbationis Ordini ſubminiſtrarunt.

Amaritudinem tribulationis Ordinis augebant varii caſus, & euentus his temporibus concurrentes; Nam & *Ludouicus Bauarus* Imperator Eccleſiam affligebat, cujus potentiâ *Petrus Corbarius* ex Fratre Minore in Sedem Petri illegitimè intruſus erat: Et quamuis Ordo nullatenus *Ludouico* adhæſiſſet, minùs partibus *Petri Corbarii* in ſchiſmate conſenſit; nec vnquam à veri Pontificis *Ioannis* 22. obedientia receſſit, prout & ipſe ſummus Pontifex ſingulari teſtimonio fidem facit, in Epiſtola quam ad Ioannam Franciæ Reginam ſcripſit, quam referunt Annales ad annum Chriſti 1329. n. 2. In qua affectus ſui in Ordinem perſeuerantis rationem reddere volens; non aliam addit, quàm quod *Ordo Petro Corbario, Michaeli Ceſenati, Ludouico Bauaro nunquam adhæſerit*: *Ordo namque prædictus* (ait) *generaliter vbique* (*paucis exceptis perſonis vilibus, qua ferè omnes propter eorum delicta dudum carceri adjudicati fuerant, vel erant præſentialiter judicandi*) *adeò promptè & plenè noſtris, & Vicariis noſtri paruere mandatis, ſicut vnquam ſummo Pontifici vel ſuo vero Miniſtro paruit dictus Ordo*: *Interdicta quoque noſtra ſeruauerunt, vbi potuerunt, Fratres dicti Ordinis, vbi vero non potuerunt, fugientes de locis illis, ſe ad loca vbi ſeruare poterant, tranſtulerunt.* Et addit diligentiam adhibitam à Fratribus Minoribus in extinguendo ſchiſmate, & in rebellibus S. Sedis compeſcendis: *Contra fautores* (inquit) *quoque Petri & Michaelis, tam inquiſitores hæreticæ pravitatis ejuſdem Ordinis, quam Miniſtri & alii ad quos poterat pertinere, diuerſos proceſſus & ſententias protulerunt: Ac in præſenti omnes Miniſtri & Fratres alii pro Generali Miniſtro opportunè ſpretis mortis periculis, quod erat incredibile, properât verſus Pariſios greſſus ſuos*, &c. Hæc Pontifex de integritate Ordinis in calamitatibus tam Eccleſiam quàm Ordinem infeſtantibus. Et quod de euntibus Pariſios in iſta Epiſtola ſcribit: Id quidem plurimum roboris teſtimonio Apoſtolico adfert: Patres enim in Comitiis illis Generalibus Pariſienſibus ex vniuerſo orbe congregati in feſto Pentecoſtes ejuſdem *anni* 1329. ad diem 11. *Iunii* declararunt iniquas & impias fuiſſe *Ceſenatis* contra *Ioannem* Papam criminationes: Ipſumque ſolum, verum, ac legitimum eſſe S. R. E. Pontificem, condemnantes, iterum, Petrum Corbarium, & ejus Acta: Quæ omnia bene adnotanda ſunt, contra plurimos qui ordinem illo tempore in duas partes ſciſſum falſo affirmarunt.

Corbarius Papa & ſciſmaticus.

Ordo non defecit à vero Pontifice.

Sed nec his malis circumſcribebatur Ordinis innocentis nimis tædioſa calamitas: Quidam enim Fratres (qui ſub zeli Paupertatis & Regulæ ad litteram obſeruandæ prætextibus ſe *Spirituales* nuncupantes) vacante ad annum ſede Apoſtolicâ poſt *Clementem* 5. & Præfecturâ Ordinis *ad annum* 1314. nimiâ impatientiâ & temeritate ducti, ab Ordine ſe ſeparauerant, & excuſſâ obedientiâ Prælatorum ſibi Cuſtodes & Guardianos conſtituerant, circa partes Narbonenſes, & Biterenſes, ſub Pontificatu *Ioannis* 22. ſuum ſchiſma renouarunt, quorum exemplum complures ex diuerſis orbis partibus ſecuti, grauiter Ordinis pacem concutiebant. Portabant autem ad diſtinctionem cæterorum veſtes ſtrictas, curtas, viles cum paruis caputiis: condemnabant cellaria, granaria, collectiones frumenti & vini tempore meſſis & vindemiæ, tamquam contra Paupertatem, & alias auſteritates ſibi aſſumebant, vt à communitate Ordinis ſe ſequeſtrarent. Quos etſi *Ioannes* 22. ad annum 1317. edito illo Decreto quod incipit: *Quorundam exigit* (quod inter Extrauagantes communes refertur *Tit. de verborum ſignif. in* 6.) omninò condemnaſſet, formam habitus Ordinis deſignans, & cætera ad Declarationum *Nicolai* 3. & *Clementis* 5. reſolutiones remittens & quibus major pars dictorum *Spiritualium* acquieſcens ad Ordinis obedientiam redierat. Remanſerant tamen ex ipſis nonnullæ reliquiæ, quæ ſub ſuperſtitioſis prætextibus tamquam Eremitæ per orbem diſperſi, Ordini infeſti erant, & harum perſecutionum tempore, Aduerſariis arma ſubminiſtrabant. De quibus Annales:

Spiritualium ſchiſma in Ordine.

Aliam etiam eodem tempore acerbiorem afflictionem, Ordo poſteà non ſine magno ſui detrimento ſenſit: Dum nonnulla genimina viperarum orbem peruaderent ſub nomine *Fratricellorum, Fratrum de paupere vita, Apoſtolicorum, Biſochorum, Beguinarum & Begardorum*; qui vt errores ſuos faciliùs diſſeminarent, habitu nouæ Religionis adinuento Congregationes & Conuenticula inſtituerunt, ſuperiores elegerunt emendicatis nominibus Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum. Summa autem Hæreſis illorum fuit: ſub titulo mentitæ *paupertatis Euangelicæ* Nihil proprium poſſidere, non locum habere, non aliquid ſecum portare: Verè autem

Fratricellorum, Biſochorum, Beguinarum, &c. errores & mores.

autem & à parte rei suo ventri indulgere, per mundum vagari & cursitare, & (teste Aluaro Pelagio) *ut Pseudo-boues ad præsepe enascendum, de paupertate plenis ventribus, quorum sunt Deus, & vitâ Apostolicâ gloriantes, pietatem & orationem, nec non austeritates fingentes speciem boni* præseferebant: quos latissimè depingit idem Aluarus Episcopus Syluensis de planctu Ecclesiæ l. 2. c. 51.

An illi fuerint de Ordine S. Francisci.

Ab illorum itaque simulationibus graviter Ordo apud maleuolos vel ignorantes patiebatur: Nam, vt testatur ipse summus Pontifex *Ioannes* 22. Titulo de Religiosis domibus c. vnico quod incipit: *Sancta Romana & vniuersalis Ecclesia*, &c. *Vt ipsorum error veritas, & impietas Religio reputetur, plurimi eorum Regulam seu Ordinem Fratrum Minorum, quem S. Franciscus instituit, se profiteri, ad litteram obseruare, confingunt, quamquam in obedientia Generalis vel Prouincialium Ministrorum ipsius Ordinis non morentur: pretendentes se à S. M. Cælestino Papa 5. Prædecessore nostro, hujus Ratus seu vita priuilegium habuisse, quòd tamen, etsi ostenderent, non valeret*, &c Infrà: *Nonnulli etiam ex ipsis asserentes se esse de Tertio Ordine S. Francisci Pœnitentium vocato, præditum statum & ritum eorum sub velamine talis nominis satagunt palliare, cum tamen in Regula ipsius Tertii Ordinis, talis viuendi ritus nullatenus sit concessus*, &c. Hæc Pontifex.

Sic Ordo intus & foris concutiebatur; & quamuis summus Pontifex omnium rationem pro sibi imposito onere Christi Vicarii gereret, etiam publicis Decretis declarans illa Ordinem S. Francisci nonafficere, & sacrum Ordinem nil commune cum istis impiissimis hæreticis habere: Ab iis tamen qui vel non intelligebant, vel nimis facile rumoribus credebant, aut ex animi peruersitate, & in Ordinem conceptis odiis, conuitiandi occasionem se accepisse sibi congratulabantur, non mediocres patiebatur Ordo calumnias. Eò maximè quòd qui ad *Ludouicum Bauarum* confugerant *Cæsenas* & *Ockamus*, mendaciter dicebantur, impiissimis illis sectis & sacrilegis Congregationibus aut manus dedisse, aut initia. In quo errore turpiter absorptum nostro tempore Abrahamum Bzouium Annalistam demonstrat P. Waddingus ad *annum* 1317. *n.* 26. & 42. Qui tamen Bzouius debuerat aduertere condemnationem supra dictam factam à *Ioanne* 22. in qua absolutè repudiatâ & declaratâ Hæresi toti Ecclesiæ manifestum facit: Dictorum hæreticorum *damnandam Temeritatem, in fidei detrimentum, fidelium scandalum, præfati Minorum & aliorum Ordinum opprobrium, & etiam suarum & aliarum animarum perniciem redundare*: Adeoque declaratâ Ordinis Minorum, & aliorum qui intricari videbantur innocentiâ; Eos à vindictâ Ecclesiasticâ fecit immunes.

Bzouii error in hoc.

Ordo igitur innocens & impollutus, sic partim calumniis traductus, partim aduersis procellarum grauissimarum fluctibus concussus; quomodo subsistere potuisset, nisi super solidissimum Christi fundamentum fundatus firmatusque fuisset? Hæc autem omnia, Paupertatis Euangelicæ, quam Ordo profitebatur, persecutionem secuta fuerunt: quam nisi S. Sedes Apostolica, potentiâ, sapientiâ, prudentiâque sedâsset, & paternâ sollicitudine Ordini prouidisset, Euangelicæ Paupertatis veritatem restituendo, in confusionem perpetuam omnia deuoluebantur.

Persecutionis toleratæ Palmâ pacificâ.

VErum in his malis *Deus* (teste sapiente) *suauis & verus, patiens, & in misericordia disponens omnia: cum esset justus:* Sap. 15. 1. Sap. 12. 15. *Ipsos qui non debebant puniri, condemnare exterum æstimauit a virtute sua.* Cum ergo in hac de Euangelica Paupertate controuersia, omnes viderentur, vinculis tenebrarum, & longæ noctis obuoluti: *Vnâ enim velut catenâ tenebrarum erant colligati, quibus superposita erat grauis nox, imago tenebrarum*: Sol veritatis illuminans omnem hominem, radiis suæ sapientiæ tenebras depulit, & etiam vsque ad atomos omnia illustrauit: vt tandem agnoscerent in his Controuersiis non nisi de vocibus æquiuocis, de apicibus Politici juris, de verborum significationibus & interpretationibus altercationes moueri. Sap. 17. 17. v. 20.

Æquiuocatio termini Habere.

Æquiuocatio autem in his potissimum consistebat: Primò in verbo *Habere*, quod *Ioannes* volebat includere ex Jurisconsultorum mapicibus, *Possessionem, Dominium, Vsum Iuris, Vsum fructum Iuridicum*, quæ Paupertati Fratrum Minorum repugnant: Fratres Minores autem sustinebant Verbum *Habere* etiam in scripturis sæpius vsurpari pro simplici vsu facti naturali, siue licito, secluso omni Jure Politico: Item: pro simplici rerum administratione.

Æquiuocatio termini Ius

Æquiuocatio altera: consistebat in verbo, *Iuris*, quod ad solum jus Politicum *Ioannes* 22. restringebat: Fratres autem Minores ostendebant *Ius* æquiuocum esse ad *Politicum* siue *Ciuile*: Et ad *Ius Diuinum, Ecclesiasticum*, siue *Ius Poli*, & *Primitiua Natura*; Et sic de similibus terminis quibus homines imò & scripturæ vtuntur. Vnde declaratâ æquiuocatione terminorum apparuit discors Ordinis Fratrum Minorum cum

Concordia Ordinis Minorum cum Papa in materia de Paupertate.

cum Pontifice vera concordia: discors quidem in terminorum æquiuocatione, concors in rei substantia & veritate. Et quidem ad veritatem Extrau. *Exiit qui seminat. Nicolai* 3. & : *Exiuu de Paradiso Clementis* 5. & ad Resolutiones *Vbertini de Casali*, ac Capituli Perusini reditum est: Et salutaris concordia publicata fuit in Comitiis Generalibus Parisiis ab ipso *Ioanne* 22. Indictis, depositò à Generalatu *Cesenate*; ex qua Tranquillitas magna in Ordine facta est.

Concordia illa in quo consistebat.

Concordia porrò in hoc summariè consistebat.

Christum & Apostolos vt Perfectionis Euangelicæ in summa Paupertate Prima Exemplaria in rebus quibuscumque etiam vsu consumptibilibus nihil habuisse (vt *Habere*, Possessionem, Dominium, jus Politicum, Juris Vsum, aut etiam juridicum vsum fructum dicit) Habuisse tamen (vt *Habere* simplicem facti vsum dicit) in iis quæ Natura nulli negat, quod ex jure poli & primæuæ naturæ procedit, absque vlla proprietate, quam *Meum* & *Tuum* induxit, & Jus Ciuile confirmauit, & personis addixit. Igitur Constitutiones *Ioannis* 22. cum affirmant Christum & Apostolos habuisse Ius in Rebus: verificantur de *Iure Naturali Iure poli*, cujus finis est *vsus facti*. Sententia autem quæ negat Christum & Apostolos aliquod Ius in res quascumque habuisse: intelligenda est de *Iure Politico & Ciuili*, quod possessionem Ciuilem inducit, quod Ius à diuisione Bonorum incœpit.

Quod Christum & Apostolis loculos permiserint, quomodo intelligendum.

Rursus, si quando Christus & Apostoli (etsi rarissimè & non nisi in certis casibus) loculos seruari & portari permiserunt, non fuit quasi in illis Ius aliquod Politicum prætenderent: sed propter exemplum imperfectorum juxta necessitatem circumstantiarum ad informandam Ecclesiam, de iis quæ facturi essent Ecclesiæ Prælati, & ii quibus cura cæterorum demandata erat. Nam vt bene *Nicolaus* 3. *Egit namque* (ait) *Christus & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, sicut in fuga patet & loculis: sed vtrumque perfecte perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui vtrosque saluare venerat, qui tandem mors voluit pro vtrisque.* Hæc Nicolaus: Itaque in omnibus Christus & Apostoli perfectionis viam docuerunt, siue cum omnia reliquerunt, & omni Iuri Ciuili renuntiarunt, siue cum titulo necessariæ Administrationis loculos asseruari permiserunt (Hæc enim administratio Ius Ciuile necessariò no nincludit) ad quos pro necessitatibus ad simplicem Naturæ vsum indigentes recurrerunt. Videantur quæ de his latissimè deduximus in fundamento 6. De Paupertate §. 3. per totum, vbi omnia quæ in contrarium opponi possent, resoluimus, Propositionibus firmissimis totam Materiam discordem concordauimus. Denique sensum communem totius Ecclesiæ aperuimus, etiam per derogationem, quam fecerunt summi Pontifices, Decretorum *Ioannis* 22. Maximè Constitutionis ad Conditorem Canonum.

Multum verò ad hoc confert: Reuocatio *Ioannis* 22. quam authenticam quidem publici Notarii manu subscriptam habeo; quàm etiam refert R. P. Lucas Waddingus *ad annum* 1333. *n.* 14. quam hic ad longum damus.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ioannes 22. reuocat quæ decreuerat contra Paupertatem FF. Minorum.

NE superiis, quæ de Animabus purgatis separatis, a corporibus an citra resumptionem corporum diuinam essentiam illa visione, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos, quàm per nonnullos alios in præsentia nostra recitando, & allegando Sacram scripturã, & originalia dicta sanctorum, vel aliàs ratiocinando sæpiùs dicta sunt aliter, quam per nos dicta & intellecta fuerunt, intelligantur & dicantur, auribus valeant fidelium inculcari. Ecce quoad nostram intentionem, quam cum S. E. Catholica circa hoc habemus, & habuimus serie præsentium, vt sequitur, declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quòd Anima purgatæ separatæ a corporibus, sunt in cœlo celorum, & in paradiso cum Christo, consortio Angelorum congregatæ, & vident Dominum & diuinam essentiam facie ad faciem clarè, in quantum status & conditio pãtitur Anima separata. Si verò alia vel aliàs circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerint, quoque modo illa diximus, prædicauimus, seu scripsimus recitando & conferendo dicta sacræ scripturæ & sanctorum; Et nolumus esse dicta, prædicata, & scripta de omni alio erroneè dicto. Insuper si quæ alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seu alias quouis modo diximus, prædicauimus, vel scripsimus circa præmissa vel alia, quæ fidem concernunt Catholicam, sacram Scripturam, aut bonos mores, ea in quantum sunt consona fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, Sacræ Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus: Aliàs autem illa habemus, & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, eaque reuocamus expressè. Ac predicta omnia, & alia quæcumque dicta, prædicata, & scripta per nos de quacumque materia vbicumque, & in quocumque loco, 1. Cor. 13. 12.

loco, aut in quocunque statu, quem habemus, vel habuimus hactenùs, submittimus determinationi Ecclesiæ, ac Successorum nostrorum: Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ intentionis, declarationis, confessionis, voluntatis, approbationis, Reuocationis, & submissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Auinione 3. Nonas Decemb. Pontif. nostri anno 19.

In qua notanda sunt verba illa: *Ac prædicata omnia & alia quæcunque dicta, prædicta, & scripta per nos, de quacunque materia, vbicunque & in quocunque loco, aut statu, quem habemus vel habuimus hactenus, submittimus determinationi Ecclesiæ ac successorum nostrorum.* Certum est autem Ecclesiam in suis Prædecessoribus *Gregorio 9. Alexandro 4. Nicolao 3. Bonifacio 8. Clemente 5.* Paupertatem Fratrum Minorum ab omni Jure Ciuili alienam tam in singulari, quàm in communi probasse. Certum est Concilia Generalia & Oecumenica Viennense, Constantiense, ac nouissimè Tridentinum illam Paupertatem obseruandam mandasse.

Certum etiam est omnes successores *Ioannis 22.* Eandem in terminis sanctam, puram & Apostolicam declarasse. Qui etiam in se omne Jus rerum ad Ordinis S. Francisci simplicem facti vsum concessarum, vti & Prædecessores in se & Romanam Sedem receperunt, reuocando expressè Constitutionem: *Ad Conditorem Canonum.*

His ergo Ecclesiæ ac successorum determinationibus *Ioannes 22.* antè mortem stari voluit, & mandauit, non obstantibus iis, quæ etiam in statu Papali scripserat, vel constituerat. Vnde minus considerate faciunt, qui interdum iterum, illa contra Ordinem mouent. Quòd autem in Jure Communi Constitutiones illæ permaneant, nulla ratio reddi potest, nil quòd æquiuocationibus benè attentis, aut contineant fidei vel doctrinæ sanæ omninò aduersum. Et Sedis Primæ dicta ita accipienda sunt, vt concordia communis doctrinæ Ecclesiæ illibata seruetur.

§. V.

Persecutio contra Paupertatem Fratrum Minorum à Richardo Rudolphi Archiepiscopo Armacano Primate Hiberniæ resuscitata.

VIx sopita erat illa tempestas contra Paupertatem Euangelicam, cum jam omnia in pace essent, & Ordo summâ tranquillitate perfrueretur: Quin alius Turbo ab Aquilone surrexerit, circa annum Domini 1350. sub *Innocentio 6.* Pontifice; cujus quidem Turbinis maleficus excitator fuit *Richardus Armacanus Archiepiscopus, Hiberniæ primas*, cui plures tunc adhærebant, qui concepto aduersus Fratres Minores in suo Archiepiscopatu primum, demum Londini agens grauissimo odio, ita in illos & Mendicantes efferbuit, vt primum Prædicationibus in Ciuitate Londinensi publicè habitis contra eorum Paupertatem, Mendicitatem, & Priuilegia Confessionum per plures dies declamauerit, & populum in eos concitare tentauerit. Deinde Auinionem citatus à summo Pontifice veniens, coram tota Curia Romana & S. R. E. Cardinalibus præsente *Innocentio 6.* sex totis diebus peroranerit, vt Paupertas & Mendicitas Fratrum Minorum & cæterorum Mendicantium tolleretur tamquam Christi doctrinæ contraria, & Priuilegia Confessionalium ipsorum prorsus cassarentur tamquam diuino Juri aduersa, & malè à Pontificibus concessa. Totam porrò pene Regulam S. Francisci & ejus Testamentum pro fundamento suæ Contradictionis assumit: quam Fratres per Paupertatem & Mendicitatem, ac Confessionalia, siue etiam Prædicationes, præuaricari perperam fucatis allegationibus probare nitebatur. Durauit hæc publica declamatio ab 8. Nouemb. vsque ad 14. anni 1357. magnâ nauseâ summi Pontificis & Cardinalium. Liuoris ejus & inuidiæ fomitem declarabat zelus prætensus, quasi per Paupertatis Euangelicæ obseruantiam, vellent Fratres Minores super omnes Ecclesiæ status se extollere nolens aduertere Paupertatis obseruantiam, instrumentum & viam esse ad Perfectionem non autem Perfectionem ipsam. De Armacano sic scribit *Prateolus* l. 1. n. 62. *Vir quidem* (ait) erat eruditus, sed eruditionem suam contra Franciscanos potissimũ *exercens* (*vt auctor est Volaterranus*) *docebat turpe esse Christianis sua sponte mendicos esse.* Sed qui in Franciscanos tanto feruore suam doctrinam conuertit, Dei judicio in dogmata hæretica dilapsus est, & non contentus *Guillelmi de S. Amore* errores damnati Articulos resuscitare, in Ecclesiam ipsam efferbuit, teste eodem *Prateolo*: docens *Minores Sacerdotes in absentia Episcopi exercere posse munus Episcopale, qualia sunt, Consecrationes Altarium, Olei vel Chrismatis benedictio, Ordinum Collatio, & hujusmodi.* Vnde & Wicleso Hæresiarchæ, & aliis qui eum secuti sunt viam insaniæ suæ aperuit, &, vt nonnulli censent, arma ministrauit contra Monasticam vitam, & alias status Ecclesiastici impugnationes;

Armacanus contra Paupertatem FF. Minor.

Ejus errores.

vt ostendit *Thomas Waldensis l.* 4. Et quamuis ab Ecclesiæ obedientia non desciuerit, plurimas tamen doctrinas in fide erroneas disseminare deprehensus est. Vnde Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, hoc de Armacano judicium profert: *Hic Auctor* (inquit) *planè cauè legendus est præsertim l.* 10. *contra Armenos c.* 4. *& c.* 23. *& c.* 24. *& l.* 11. *c.* 4. *& serm.* 1. *&* 4. *in quibus locis multos errores habet de potestate presbyterorum, de Paupertate Christi, & de statu Religiosorum Mendicantium.*

Cathalogum suorum errorum ipsemet sub titulo nouem Conclusionum exhibuit Pontifici libello cui initium est: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Quibus postea majores errores superaddidit: de quibus erroribus *S. Antoninus* 3. p. Hist. tit. 24. c. 4. §. 19. ad annum 1358. *Quo tempore* (ait) *quidam Archiepiscopus Armacanus primas Hiberniæ Auinione in publico Consistorio multa proposuit contra Religiosos Mendicantes, & eorum status ac Priuilegiorum eorum abusus. Inter quæ plurima fuerunt: Quòd Mendicitas voluntaria propter Christum assumpta erat culpabilis, illicita, & damnosa.* Item: *Quod Christus non mendicauit, nec mendicare consuluit, sed hoc prohibuit.* Item *Quod mendicare est contra Ius diuinum Ius naturæ, & Ius positiuum.* Item *Quòd cadens in peccatum mortale, non poterat in illo statu dominium alicujus justo titulo possidere.* Item: *Quòd audire Confessiones erat contra statum Mendicantium, nec Priuilegiis ad hoc datis poterant vti sine anima sua detrimento.* Item: *Quod confessi Mendicantibus vigore Priuilegii Apostolici, tenentur nihilominus de necessitate salutis, semel in anno Curato confiteri, si non ad obtinendam absolutionem, saltem ad obseruandum illud præceptum cap. Omnes vtriusque sexus.* Ista & multa alia per Angliam prædicauit. Hæc porrò totius Tragædiæ summa & finis.

Armacanus victus.

ITaque Papa *Innocentius* (teste S. Antonino suprà) *dedit quatuor Cardinales causæ illius auditores & Iudices.* Quorum quidem Cardinalium nomina referunt Annales P. Waddingi ad annum 1357. Tom. 4. n. 6. *Guillelmum Episcopum Tusculanum; Petrum S. Martini in Montibus; Heliam S. Stephani in Cælio monte; & Franciscum S. Marci.* Qui quidem, dum partes contra inuicem acriter disputant, & Religiosi nominatim Franciscani contra Armacanum multa erronea, & in fide suspecta, quibus illum vt hæreticum & excommunicatum debere judicari contendunt; Ne malum vlteriùs serperet, omnia ad Pontificem *Innocentium* referunt auctoritate ipsius terminanda. Ita vt Pontifex coactus fuerit per Apostolicas litteras omnibus Archiepiscopis & Episcopis in regno Angliæ mandare, vt ab injustis vexationibus Mendicantes protegerent, illis consuetas populi eleëmosynas præstari procurarent, denique liberos in omnibus suis Priuilegiis, tam quoad Confessiones, quàm quoad Prædicationes & sepulturas relinquerent, vt ex Annalibus Hiberniæ refert Waddingus suprà. Ac tandem quod hómines accelerare non poterant, Deus in Ecclesiæ suæ & Religionum bonum accelerauit & effecit: Et vt *S. Antoninus* sup. ad annum 1358. §. 20. *Anno* (inquit) *sequenti mortuus est prædictus Archiepiscopus Armacanus Maximus Mendicantium Inimicus, juxtà promissionem factam S. Francisco, & sic quod latrabat contra Mendicantes, fuit sine definitione derelictum, tanquam quid insanum & erroneum.* Et (vt ait *Platus* l. 1. de bono status Relig. c. 33.) Illo è vitâ sublato vnà cum ipso ipsius criminationes sepultæ sunt. Et cessauit ille tumultus, Religione Franciscanâ, & Mendicantibus, ab homine iniquo & doloso liberatis. Aliqui referunt ejus mortem ad annum 1359. & diem 16. Decemb. Cùm enim de sua Causa meritò desperaret & summum Pontificem ac Cardinales videret justis rationibus prauam suam doctrinam condemnaturos, in Belgium secedens animo fortè Hiberniam repetendi, Montibus Hannoniæ obiit, cujus corpus in Hiberniam translatum refertur. Doctrinam ejus erroneam demonstrauerat insigni libellò qui incipit: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus*; P. Rogerius Coneroem Cambiensis Minister Prouincialis Angliæ, qui adhuc extat typis Iudoci Badii Ascensii.

Moritur.

Vincitur.

Sic permittit Deus viros alioquin magnos, velut stellas de firmamento Ecclesiæ decidere, & Ecclesiæ aërem turbare, sed ad alia pergendum est.

§. VI.

Persecutiones susciatæ contra Sacramenti Pœnitentiæ Administrationem & Prædicationes.

HAs persecutiones simul jungo, etsi enim disparis rationis sint: pari tamen semper violentia Aduersarii Ordinem Fratrum Minorum, & alios Mendicantes exacerbauerunt statim ab origine, nec vmquam vsque ad tempora Antichristi cessaturæ videntur, instructis indies semper nouis aciebus: Ita vt illas excitantes

tes videantur respectu Regularium æquiparandi illis Gentibus quas reliquit Deus in Terra promissionis ad exercitium filiorum Israel. Placet itaque 1. velut synopsim, ponere Articulorum qui temporis successu cóntra Ordines Fratrum Minorum & Prædicatorum, & consequenter aliorum Mendicantium in materia Confessionum audiendarum suscitati sunt. 2. Synopsim eorum quæ contra Prædicationes sunt adjuncta. 3. Chronologiam temporum & qualiter virtute supremi Dictatoris summi Pontificis Articuli illi condemnati sunt. 4. Rationale omnium quæ ab Ecclesia in his omnibus decreta sunt.

Synopsis Articulorum suscitatorum contra Fratres Minores, & Ordines Mendicantium, in Ministerio Sacramenti Pœnitentiæ.

Articuli contra FF. Minores quoad administrationem Pœnitentiæ.

PRimus itaque *Articulus* fuit: Fratres nullâ summi Pontificis vel Episcoporum commissione fretos, posse Confessiones sibi confiteri volentium audire. Hic Articulus fuit *Guillelmi de S. Amore*, & sequacium, prout in generalibus terminis refert *Alexander* 4. in Bulla quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine*, de qua & de articulo illo suprà sat superque actum est.

2. *Articulus* fuit: Quòd quamuis ex commissione Papæ & Episcoporum possent Fratres Minores audire quorumlibet Confessiones, nullatenùs tamen absque licentia & facultate Parochorum. Ita quidem Bernardus Bottonus Bononiensis super cap. *Omnis utriusque sexus.*

3. *Articulus* est: Quòd quamuis Fratres Minores de facultate Papæ aut Episcoporum possent fidelium Confessiones audire irrequisitis Parochis, fideles tamen qui eis sunt confessi, teneri iteratò eadem peccata Parocho proprio confiteri ad satisfaciendam cap. *Omnis utriusque sexus.* Et in hoc Articulo super omnes ultra omnem rationem efferbuit *Ioannes de Polisco*, ut patet ex *Iosime* 22. in Decreto quod incipit: *Vas electionis*, inter Extrauagantes ejusdem Pontificis in 6. In quo Pontifex refert & condemnat tres in hac materia *Ioannis de Polisco* erroneas Propositiones:

Errores Ioannis de Polisco.

1. Quòd confessi Fratribus habentibus licentiam & potestatem generalem: teneantur ad eadem peccata, quæ confessi sunt, iterum confiteri proprio sacerdoti.

2. Quòd stante statuto: *Omnes utriusque sexus*, edito in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quòd Parochiani non teneantur semel in anno proprio Sacerdoti (quem dicit Parochialem Curatum) confiteri, imò nec Deus posset hoc facere.

3. Quòd Papa non potest dare licentiam & potestatem generalem, imò nec Deus, quin confessi tali habenti generalem licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse (vt præmittitur) Parochialem Curatum. Hæc Pontifex vbi suprà.

4. *Articulus* moderatior fuit: Confessos Fratribus, etsi verè à peccatis absoluti sint, nihilominùs ex præcepto Ecclesiæ teneri confiteri semel in anno propriis sacerdotibus. Et ita *Henricus de Gandauo.*

5. *Articulus* velut medius fuit asserens: Fratres Minores & Mendicantes posse quidem liberè de licentia Papæ vel Episcoporum Confessiones sibi confiteri volentium audire, eosque absoluere, & sic absolutos ab omni præcepto annuæ Confessionis liberos esse: Consilium tamen vtile & æquum esse, vt semel in anno suis Curatis confiteantur præsertim in Paschate. Et ita *Guillelmus de Laudano* in *Clement: Dudum.*

6. *Articulus*: Etsi admittat etiam Fratres æquè ac Curatos posse in Paschate Confessiones ad se venientium audire: docet tamen melius & securius suis Parochis in Paschate confiteri. Et ita *Richardus* Armacanus de quo suprà.

Synopsis eorum quæ contra Ministerium Prædicationis aduersus Fratres Minores & Mendicantes suscitata sunt.

Articuli contra FF. Minores quoad Prædicationes.

SIcut Pœnitentiæ Sacramenti Ministerium plurimis contradictionibus patuit: Ita & Ministerium Prædicationis Verbi Dei, suos aduersarios passum esse, Historiæ Ecclesiasticæ plenæ sunt.

Primò igitur non defuerunt, qui absolutè Prædicationes repugnare statui Religioso assererent, hâc quidem ratione, quòd (vt ait *S. Hieronymus* ad Vigilantium) *Monachus non Docentis sed Plangentis habet officium*: Et vt *S. Dionysius*: *Monachi in Ecclesiastica Hierarchia non habent statum perficientium sed perficiendorum*: Prædicare autem est actus perficientium.

2. Surrexerunt alii, qui etsi ad Prædicationis officium Fratres Minores assumi posse non detrectarent: Illud tamen exercere posse negabant absque Parochorum (quorum interest) assensu & facultate. Ex quo inferebant: summum Pontificem aut Episcopos non posse facultatem Prædicandi

di Fratribus Minoribus elargiri, nisi dependenter à voluntate & assensu Parochorum.

3. Motæ sunt quæstiones variæ super Examine eorum, qui ad officium Prædicationis assumebantur: sicut & super locis in quibus officium Prædicationis exercere debebant. De quibus omnibus infrà.

Decreta summorum Pontificum secundùm Chronologiam temporum super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Prædicationis officio à Fratribus Minoribus impendendo fidelibus.

REpetenda hîc forent: Quæ de Missione Fratrum Minorum ad prædicandam Pœnitentiam, & Euangelium Regni deduximus *Fund.* 3. §. 5. Vbi *Innocentius* 3. Regulæ 1. Approbator, vt officium Prædicationis ex Regula Fratribus Minoribus impositum confirmaret, statim (teste S. Bonauenturâ) ab ipsâ professione Fratribus laicis omnibus, qui virum Dei fuerant comitati, iussit coronas paruulas fieri, vt Verbum Dei libere prædicarent: sed illis omissis, ad ea quæ Pontificum Decretis, tamquam æternæ Memoriæ Tabulis sunt inscripta transeamus. Suppositâ itaque vocatione fundamentali & primariâ Fratrum Minorum ex vi Regulæ ad prædicandum in vniuerso orbe Euangelium, tam ex 1. Regula ab *Innocentio* 3. approbata, quam ex secunda a Christo dictata, & ab *Honorio* 3. confirmata: procedente Ordine in suis functionibus, vt Apostolica Missio omnibus patesceret: Illam Pontifices suis Diplomatibus munierunt, & Orbi vniuerso notam fecerunt.

Quid Pontifices decreuerint pro FF. Minoribus in Ordine ad Confessiones audiendas, & Prædicationes.

Et quidem 1. *Honorius* 3. qui mortuo *Innocentio* 3. ad annum 1208. ad summum Pontificatum assumptus fuerat, & exordia Ordinis adhuc sub 1. Regula militantis, nonnullas ob rei nouitatem difficultates & opprobria pati cernebat, anno 3. sui Pontificatus omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Decanis, & aliis Prælatis Litteras Apostolicas in forma Breuis misit, quibus mandat, vt in semine Verbi Dei Fratres Minores tamquam Apostolicos viros, Catholicos & fideles in suis diœcesibus recipiant, & pro reuerentia diuina, & S. Sedis, se eis fauorabiles & benignos exhibeant. Verba Breuis Apostolici sunt hæc: *Cum dilecti filii Franciscus & filius ejus, de vita & Religione Minorum Fratrum, abjectis vanitatibus hujus mundi elegerint vitæ viam à Romana Ecclesia merito approbatam, ac secundo semina Verbi Dei Apostolorum exemplo diuersas circumeant mansiones: Vniuersitatem vestram rogamus, & exhortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus &c. Cum ad vos duxerint declinandum, ipsos recipiatis sicut Catholicos & fideles alias eis ob reuerentiam diuinam & nostram exhibentes vos fauorabiles & benignos. Datum* 3. *Idus Iunii Pontif. anno* 3. In qua Bulla manifestè Pontifex declarat Fratres Minores ex vi approbationis Regulæ & suæ professionis ad prædicandum Euangelium in vniuerso orbe ab Ecclesia assumptos: Postquam eum dixit illos *Vitæ viam à Romana Ecclesia approbatam elegisse*, subdit finem ad quem, siue exercitium propter quod assumpti erant, nimirum, *vt secundo semina Verbi Dei Apostolorum exemplo, diuersas circumeant mansiones*: adeoque consequenter ad illum finem suæ professionis vbique Apostolicâ auctoritate illos recipi mandat: quæ est delegatio formalis, & vniuersalis, Episcopis & omnibus Prælatis certificata.

Honor. 3.

FF. Minores ex vi Regulæ assumpti ad Prædicandum.

Similem Bullam idem Pontifex anno sequenti misit ad Episcopos & Prælatos Galliæ, conquerens quòd priori Bullæ per omnia non se conformassent, sed nonnullas molestias illis intulissent Bulla incipit: *Pro dilecto filio Fratribus de Ordine Fratrum Minorum. Data Viterbii* 4. *Kal. Iunii, Pontif. anno* 4. Vtramque Bullam vide apud Emmanuelem Roding. in Bullario ad *Honorium* 3.

2. *Gregorius* 9. *Honorio* 3. succedens ad annum 1227. similem Bullam ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, & Ecclesiæ Prælatos misit, quibus impensè commendat Fratres Minores: vt accedentes ad eos, vt circa lucrum Animarum & Euangelizationem Verbi Dei suum Ministerium exequantur; habeant ejus intuitu commendatos, cujus iidem obsequio sunt adscripti, eosque benignè & charitatiuè recipiant &c. *Credendo* (inquit) *firmiter, quod cum vnum spiritu, etiam ambulent, se Operarios in Vinea Domini debeant inconfusibiles exhibere.* Bulla incipit: *Cum qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ* &c. *Data* 2. *Idus Iunii, Pontificatus anno* 8.

Gregorius 9.

Et quia nonnulli difficultatem videbantur mouere propter Confessionum audientiam: Aliam Bullam similiter ad vniuersos Ecclesiæ Prælatos misit, quæ incipit: *Quoniam abundat iniquitas, refrixit charitas multorum* &c. *Data Viterbii* 11. *Kal. Iunii Pontif. anno* 11. In qua iterum declarat Sacrum Minorum Ordinem suscitatum à Domino: *Qui* (inquit) *non qua sua sunt quærentes, tam contra profugandas hæc-*

Honor. 3.

hæreses, quàm contra alias pestes mortiferas extirpandas se dedicauerunt Euangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntaria paupertatis: Mandat igitur vt dictos Fratres, *ad officium prædicandi, ad quod sunt ex professione sui Ordinis deputati, benignè recipi procurent: Populos sibi commissos, vt ex ore ipsorum Verbi Dei semen deuotè suscipiant, admoneant, & ipsis in suis necessitatibus personaliter assistant: Nec impediant, quo minùs illi qui ad prædicationem eorum accesserunt, tunc eorum Sacerdotibus valeant confiteri* &c.

Innocentius 4.

3. Hujus Bullæ eundem tenorem repetit *Innocentius* 4. *Gregorii* ad annum Domini 1244. successor: Eamque ad vniuersos Ecclesiæ Prælatos direxit. *Datam Lugduni 13. Kal. Octob. Pontif. sui anno 3.* Cujus Originale in Conuentu Brugensi Flandriæ asseruatur. Qui etiam, etsi in aliquibus Regularium Priuilegia restrixisset, volens tamen grauamina & molestias, quas Fratres Minores in suis Priuilegiis à nonnullis patiebantur, propulsare, dedit eis Conseruatores suorum Priuilegiorum per Bullam quæ incipit: *Inundans malitia peruersorum* &c. Data Perusii 6. Kal. Octob. Pontif. anno 10.

Conseruatores Priuilegiorum quando dati.

Alexander 4.

4. *Innocentium* 4. post vndecim annos Pontificatus secutus est *Alexander* 4. ad annum Domini 1255. Qui quidem initio sui Pontificatus, aduertens *Innocentium* 4. Prædecessorem præjudicialia quædam contra libertatem & immunitates Ecclesiarum Regularium sanxisse, illa omnia reuocauit, & Executorialem dedit, quâ Regulares suis libertatibus restituerentur. Bulla reuocatoria incipit: *Nec insolitum, nec nouum. Data Neapoli 11. Kal. Ian. Pontif. anno 1.* Executorialis autem Bulla incipit: *Quadam à Sede Apostolica. Data Laterani 2. Idus Septemb. Pontif. anno 1.*

Sub hoc Pontifice emersit potissimum erronea illa Propositio: Fratres Minores & Prædicatores, quamtumuis à summo Pontifice, Episcopis, vel Legatis S. Sedis ad prædicandum, vel Confessiones audiendas admissos, non posse sine licentia & consensu Parochorum prædicare aut Confessiones audire. Hanc *Guillelmus de S. Amore* cum suis Asseclis publicè docebat, & in sermonibus ac colloquiis in populo seminabat. Illam itaque propositionem tamquam erroneam damnauit *Alexander* 4. in Bulla quæ incipit: *Non sine multa cordis amaritudine. Data Laterani 3. Kal. Aprilis Pontif. anno 3.* Mandans Episcopis & Ecclesiæ Prælatis, vt super personis similem doctrinam seminantibus inuigilarent, illos ad reuocationem hujusmodi doctrinæ compellerent, & non acquiescentes, Censuris Ecclesiasticis & beneficiorum priuatione, sublatâ omni appellatione, compescerent. Contra laicos autem ea spargentes Brachium sæculare inuocarent, & sententiam Apostolicam contra eos, qui hujusmodi Assertiones defendere voluerint, promintiarent. *Quicumque verò* (ait) *id præsumpserit, tamquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur.*

Cùm autem nec Censura illa Apostolica finem huic errori imponeret, singularem Bullam edidit idem Pontifex, in qua dictam Assertionem condemnans: *Indulget Fratribus Minoribus, vt Populis prædicare, Confessiones audire, pœnitentias injungere possint, sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito* &c. Bulla incipit: *Cum olim. Data Anagniæ 3. Idus Martii Pontif. anno 5.*

Clemens 4.

5. *Clemens* 4. qui Pontificatum adiit ad annum 1265. videns necdum extinctam supradictam Propositionem, *De licentia Parochorum ad Confessiones audiendas & prædicationem Verbi Dei requisita*, renouauit *Alexandri* 4. Decretum, & Propositionem supradictam iterum vt *temerariam* confutat. Bulla incipit: *Quidam temerè sentientes & ad sobrietatem sapere nescientes* &c. *Data Perusii 12. Kal. Iulii Pontif. anno 1.*

6. Et quamuis pro tempore aliquo Propositiones illæ auctoritate Apostolicâ sopitæ viderentur, dum Pontifices sequentes nonnulla Decreta in aliquam concordiam super Prædicationibus & Confessionibus condidissent, (vt constat ex Decreto *Bonifacii* 8. ad annum 1274. Pontificatum adeuntis quod incipit: *Super Cathedram*; Et altero *Benedicti* 11. quod incipit: *Inter cunctas*; ac tandem *Clementis* 5. in Concilio Viennensi quod incipit: *Dudum*, In quo derogando Decreto *Benedicti* 11. confirmat prius Decretum *Bonifacii* 8.) quamuis, inquam, hujusmodi Propositiones viderentur cessare: Nihilominus quidam *Ioannes de Polliaco* bellum aduersus Regulares resuscitans, impudentissimo ausu denuo tres illas infames Propositiones euomuit, quas supra in synopsi Articulorum contra Sacramenti Pœnitentiæ administrationem retulimus.

Ioannes 22.

7. Itaque *Ioannes* 22. ad annum 1316. Pontificatum adeptus, citato, audito, & examinato *Ioanne de Polliaco*, istos tres ejus Articulos condemnauit, eum ad reuocationem eorum coegit, & contrariam doctrinam, vt Catholicam vniuersæ Ecclesiæ sequendam mandauit, vt videre est in Extrau. quæ incipit: *Vas electionis. Data Auenione 8. Kal. Augusti Pontif. anno 5.* Et reposita est inter Extrau. ejusdem Pontificis in 6. Vbi relatis articulis de quibus suprà: Quòd, nimirum, Confessi Fratri-

tribus teneantur eadem peccata iterum Parocho proprio confiteri : Nec ſtante cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, poſſe Papam, nec Deum diſpenſare cum pœnitente, quin ſemel in anno proprio Parocho confiteatur. *Ne* (ait Pontifex) *per aſſertionem, prædicationem, doctrinam huiuſmodi, in errorem, quod abſit, animæ ſimplicium prolabantur; omnes prædictos articulos, & quemlibet eorum, tamquam falſos & erroneos & a doctrina ſana deuios, auctoritate Apoſtolicâ damnamus, & reprobamus, vniuerſis & ſingulis diſtrictius inhibentes, ne quiſquam prædictos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos & reprobatos, vel contenta in eis, vel aliqua ipſorum, vtpote à Catholicis omnibus reſpuenda, tenere audeat ſeu defenſare quomodolibet aut docere* &c.

Errores Iacobi de Pollia-co damnati.

8. Sed cum non ceſſarent quidam iſtos errores reſuſcitare maximè *Richardus Rudolphi* Archiepiſcopus Armacanus Primas Hiberniæ, qui imperitis ſermonibus illos dolosè inuoluens ſaltem, *Tutius*, addebat, & *Securius* eſſe proprio Parocho confiteri: Vnde nonnulli inferebant: Abſolutionem à Regularibus ſine licentia Parochi datam ſaltem dubiam & incertam: Adeoque: Etſi Regulares poteſtatem accepiſſent à Papa, Populo tamen ſine licentia Parochorum tutum non eſſe ad illos accedere: Denique Pontifices actualiter peccare, ſimiles licentias & facultates dantes, vel confirmantes &c.

Eugenius 4.

Coactus eſt *Eugenius 4.* ad annum 1446. iterum omnes illos articulos tamquam hæreticos damnare, & ſeriò decernere, vt quicumque inuenirentur tales articulos tenere, contra eos *communiter vel diuiſim, tamquam contra hæreticos, & de fide Catholica ſuſpectos procederetur* &c. Bulla directa ad omnes Eccleſiæ Prælatos incipit: *Gregis noſtri*: *Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ* 1446. 17. *Kal. Februarii Pontif. anno* 6. Quam Bullam iterum innouauit, & de verbo ad verbum illam referens confirmauit *Nicolaus* 5. per aliam Bullam quæ incipit: *Prouiſionis noſtræ. Datam* ſimiliter *Romæ apud S. Petrum anno Incarn. dominicæ* 1448. *Kal. Iulii Pontif. anno* 2

Nicolaus 5.

His amplius inhærere, ſicut lectori tædioſum foret, ſic confuſionem nonnullam pareret: Quia autem de priuilegiis (quæ ad prouiſiones neceſſarias in fundamento ſequenti reductas,) ibidem nobis diſtinctis claſſibus agendum erit, Rationale ſiue Oeconomiam Priuilegiorum & Prouiſionum juſtam & rationabilem in illum locum referendam putamus. Totum ergò reliquum aliquot Appendicibus abſoluo.

APPENDIX I.

De Alcorano Franciſcanorum impiiſsimo contra Ordinem Minorum libro.

NOlo hîc texere, vt in initio præfatus ſum, quæ ab hæreticis in materia fidei, & votorum Religioſorum qualitate diuerſis temporibus aduerſus Ordinem ſuſcitata ſunt: ſicut enim (*S. Hilario* teſte) Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt: ſic ſingulariter ſelectiorem Eccleſiæ portionem, Religioſum ſtatum præ cæteris impugnare ſemper contenderunt. Relinquo itaque Lutherum, Caluinum, Wicleſum, Petrum Martyrem, & Morionem Eraſmum, hoc ipſo enim quòd illi hæretici ſunt, Religioſorum hoſtes ſunt, & in Religioſos Ordines bellum indixerunt.

Prodiit nihilominus ad annum 1513. ſingularis ferus, qui à fidei controuerſiis abſtrahens, in Vineam S. Franciſci inſiliit, vt vſque ad radices depaſceret eam, occaſione acceptâ cujuſdam libri, quem ſanctæ memoriæ *Bartholomæus Piſanus* Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Magiſter, & maximus Verbi Dei Prædicator, *librum Conformitatum vitæ Beati ac Seraphici Patris Franciſci, ad vitam Ieſu Chriſti Domini Noſtri*, inſcripſit. In illum itaque, & in Ordinem totum debacchatus eſt Eraſmus Alberus Brandenburgicus vir mente corruptus, & calamo inſolentior: qui *reperto* (vt ipſe teſtatur) *in Refectorio Fratrum Minorum Vetuſtioris ciuitatis Brandenburgenſis præfato libro Conformitatum*, iniquâ lance omnia expendens, in illum mirum in modum ſuos cachinnos, conuitia, & blaſphemias euomuit, ſcripto libro, quem impuſſime *Alcoranum Fratrum Minorum* nuncupauit; Eo quidem nomine innuere volens, quòd Ordo Fratrum Minorum librum Conformitatum eo loco haberet, & eâ Religione excoleret, quo *Alcoranus Mahometis* haberetur à Turcis: Mendacio quidem inaudito, iſtâ tamen nominis impoſitione ſeipſum condemnans, quippe qui ſe oſtenderet in illo, ſpiritu & mundanâ vanitate magis Mahometis diſcipulum, quàm Chriſti ſectatorem; quo factum eſt, vt nomen ſuum illi inſcribere numquam auſus fuerit: Ne magis Turca blaſphemans, quàm Chriſtianus appareret; Itaque ſuum Alcoranum primò Germanico idiomate *ex quingentis* (vt fatetur) *particulis ex libro Conformitatum Bartholomæi Piſani* conſtruxit; & veritus ne ipſius vafrities orbi nota fieret, tacito nomine tam ſuo,

Auctor Alcorani Franciſcanorum.

Scripſit germanicè tacito nomine, quam.

suo, quam Typographi cuulgauit. Qui Liber posteà ad *annum* 1578. sub Typis *Guillelmi Laimeris* Typographi *Genuensis*, duplo auctior & pestilentior, à Genuensibus Latino-gallicus prodiit: Ac demum ad *annum* 1589. Typographiâ Petri Verhaghen, Dordraci Batauorum idiomate Belgico renatus est, vt ab ortu vsque ad occasum Orbis Hæreticus, Ordinem Minorum suis ludis & blasphemiis exponeret, & illius sanctitatem & doctrinam stultitia mundana suis scommatibus deturparet.

Liber ille posteà prodiit latino-gallicus.

Denique editus belgicè.

Verùm huic pessimo fœtui Eruditissimum *Apologeticum* Tribus Libris velut tribus aciebus instructum, ac scripturis & Patribus contextum oppositit *R.P.F. Henricus Sedulius* Prouinciæ Inferioris Germaniæ ejusdem Ordinis aliquando Minister, & Totius Ordinis Definitor Generalis, qui ex Typographia Plantiniana ad *annum* 1607. egressus est: Ad quem Lectorem remitto. Clare enim, fideliter, & vtiliter perstringit omnia, quæ in S. Franciscum, discipulos ejus, Ordinis viros sanctos, ac Regulam Franciscanam, mendaciter, impiè, blasphemè, & procaciter Alcoranus ille congessit; eaque omnia mansuetè, piè, salubriter, & conformiter ad sacras scripturas, & SS. Patrum doctrinam explicat, scommata scopis sanctis ab Ordine euerrit, & in cloacam & sentinam Hæreticorum & Blasphemorum vniuersas sordes erudito canali regerit.

Refutatio 1. Libri à quo facta.

In tribus verè potissimum Blasphemi illius libri Pseudo-doctrina consistit.

In quibus consistat pseudo doctrina illius infamis Libri.

1. Fingunt librum illum Conformitatum, Æqualitatem S. Francisci cum Christo concludere, imò & nonnullam aliquam excellentiam Francisco super Christum affingere: Vnde Blasphemiam & Anathema non tantum Auctori, sed & vniuersæ Religioni adscribunt.

2. Ob nonnullas S. Francisci & Discipulorum virtutes, & simplicitates (quas fatuitates in oculis mundanis insinuare interpretantur) ad risus & scommata in Ordinem conuertunt.

3. Cum liber ille Conformitatum in auctoritate apud Fratres Minores habeatur, ad impietatem illam peruenerunt, vt eodem loco, eâdem veneratione in Ordine haberi affirment, quibus *Alcoranus Mahometis* à Turcis habetur & colitur. Hæc Blasphemiarum & Calumniarum summa.

Compendiosa Refutatio Alcorani suppositicii.

EX his meritò Erasmus Alberus cum suis Geneuensibus, & Batauis, Hæreticus reponendus est cum illis, de quibus Judas Apostolus in Epistola sua: *Hi (inquit) quæcumque ignorant blasphemant, quæcumque autem tanquam Bruta Animalia norunt, in his corrumpuntur.* Epist. Jud. v. 10.

Ad Primum itaque: Cæcutire sanè non debuerunt: Nomen *Conformitatis* confundentes vel vsurpantes, cum *Æqualitatis* nomine: *Conformitas* enim proportionem dicit, & similitudinariam imitationem Imaginis ad Prototypum, non æqualitatem aut identitatem: Et nè quidem ille qui ascendere voluit *super altitudinem nubium & similis fieri Altissimo*, Æqualitatem omnimodam Dei ambiuisse dicendus est, sed imaginariam aliquam tantùm excellentiam, quamuis iniquâ superbiâ, propter quam condemnatus est. Conformitas sanè ad Deum & Iesum Christum laudabilis est omnibus, qui ad imaginem & similitudinem Dei creati sunt: Et Apostolo pronuntiante ad Rom. 8. Electos *præscisit & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, vt esset ipse Primogenitus in multis Fratribus.* Et 1. Cor. 15. hortatur nos, vt *sicut portauimus Imaginem Terreni, ita portemus Imaginem Cælestis.* Et 2. Cor. 3. modum exprimens: *Nos* (inquit) *reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Ille itaque conformis est Christo, qui *abnegat semetipsum, tollit crucem suam, & sequitur illum:* Qui non *Iam sibi viuit, sed ei qui pro eo mortuus est:* Qui dicere potest: *Christo confixus sum cruci, viuo ego jam non ego viuit verò in me Christus.* Hoc absquè æqualitatis præsumptione dixit de se *Paulus*; Hoc dixit *S. Franciscus*; Quorum vterque stigmata Domini in corpore suo portauit etsi dissimiliter in forma stigmatum, similiter in spiritu ad prototypum. Igitur *Liber Conformitatum*, imitationem, similitudinem, configurationem, conformitatem *S. Francisci* ad Christum expressit, Transformationem spiritus per amorem in Deum docuit: Æqualitatem tantum abest vt asseruerit: qui summam animi demissionem & humilitatem, & exinanitionem humillimi *Francisci* vbique mundo notam fecit. Et nos Albero dicemus. Quod si *comparatus*, in Alcorano suo, *jumentis insipientibus, similis factus est illis*, nequaquam tamen natura rationalis illis adæquari potuit. Hanc porrò ex libro illo de Conformitate sola ad

Alcoranus refutatur.

Conformitas quid dicat.

Isaiæ 14. 14.

Rom. 8. 29.

1. Cor. 15. 49.

2. Cor 3. 18.

Matt. 16. 24.

2. Cor. 5. 15.

Gal. 2. 19.

Psal. 48. 13.

gillo Generalatus officii impressione muniri. Data in dicto sacro loco, anno, die & mense superiùs annotatis.

S. Franc. habitum à Generali in gratitudinem Pisano datum.

Et quidem in gratitudinis symbolum pro labore tanto R. P. Generalis de totius Capituli beneplacito & assensu dedit illi Habitum integrum, quem in sua vita gesserat *B. P. Franciscus*, qui ab eo Pisas asportatus, ibidem adhuc modò in pretiosa theca asseruatur, ad cujus venerationem populus numerosus confluit: vt ex Mariano, & Vlyssiponensi, Annales l. c. referunt.

Excusatio ejus in prologo.

Quanti autem Auctor ipse suum librum æstimauerit, ex fine Prologi ipsius paucis accipe: *Multa* (ait) *& varia, cùm sint in hoc Opusculo posita & exarata, sanctitatique tanti Patris impar ia, insufficientia, pariter & indigna, precibus quibus possum legentes duxi præsentibus humiliter deprecandos, vt si qua repererint ad gloriam Sancti digna accipiant, indignáque respuant, & pro me peccatore ad Christum intercedere dignentur, qui mihi & ipsis, meritis Almiferi Confessoris Francisci, significri ejusdem Dei & D. N. Jesu Christi, in præsenti gratiam, & in futuro æterna felicitatis regnum tribuat. Amen.*

En Auctoritas, quam prætendit Auctor de suo *Libro Conformitatum*, cujus correctionem omni legenti reliquit, cujus vtilitatem arbitrio & judicio eorum, qui vti eo voluerint, exponit, infirmitatem ingenii sui humiliter agnoscens, & precibus omnium se commendans.

Abeat igitur *Erasmus Albertus* cum farinæ suæ hominibus ad Turcicum suum Alcoranum, & ibi suis erroribus, suis Iudaismis, suis pascatur concupiscentiis: Liber Conformitatum vitæ *B. Francisci* ad vitam Jesu Christi: Nil nisi Christianam fidem, Christianam pietatem, Dei & Christi amorem, sui & mundi contemptum, nil nisi omnibus creaturis deficientibus, perfectam spiritus in Christum transformationem spirat, quam rogabat Christus Jo. 17. in omnibus, qui per verbum Apostolorum credituri essent in eum, fieri: *Vt omnes* (inquit) *vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & in nobis vnum sint: Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Vtique non vnitate æqualitatis, sed similitudinis, imitationis, & spiritualis transformationis.

Ioan 17. vers. 11.

APPENDIX II.

De nonnullis aliis persecutionibus.

ALiæ nonnullæ persecutiones ab aliis referuntur, quæ quia vel cum præcedentibus eædem sunt, aut ab illis originem ducunt, aut eisdem inuolsiuntur, suntque dumtaxat ramusculi ex prioribus renascentes, illis super sedendum duxi: Singulis enim ferè ætatibus superiores persecutiones resuscitatæ sunt. Etenim ad annum 1631. Parisiis prodiit Liber quidam, cujus Titulus *Director spiritualis*, plenus calumniis; cui cum se opposuisset *R. P. Ino Parisiensis* ex Capucinorum Congregatione: duos alios sibi Adversarios suscitauit, vnum Anonymum, alium *Matthæum de Plis*. Et quidem Tractatus Anonymi hoc insigniebatur Titulo: *Examen proloqui libri P. Inouis Parisiensis Capucini* &c. quod anno 1633. prodiit, cum Altero *Matthæi de Plis*, qui inscribebatur: *Triumphus virtutum super vitia* &c. Et vt Modernorum temporum malitia inniteretur antiquitati; Prælo recusa erant Opera Magistri *Guillelmi de de S. Amore*, specialiter Tractatus: *De periculis nouissimorum temporum*, ab *Alexandro* 4. vt aliàs visum est, condemnatus.

Persecutio resuscitata in Gallia.

Verùm vix libri illi nati fuerunt, quin publico Parlamenti Regii Decreto condemnati sint, & confiscati; Et sub pœna mortis prohibitum omnibus Librariis, ne tales libros auderent exponere, vendere, vel mercari &c. Aresta Regia, alterum datum 23. Junii anno 1633. & alterum datum 24. Iulii, referuntur à R. P. Arturo à Monasterio in Prologo ad Martyrologium Franciscanum 2. editionis art. 14. vbi & alia vide.

APPENDIX III.

De persecutionum fructu.

Cur hæ persecutiones recensita.

EX innumeris persecutionibus, quæ suscitante omnis boni inimico Ordini Minorum acciderunt, & indies accidunt, supranemoratas dumtaxat retuli; tum quia vniuersam Religionem concernunt; tum quia toti Orbi publicæ factæ, & in publicis Ecclesiæ Tribunalibus publicis judiciis condemnatæ, absque vllius Status, Gradus, dignitatis vel personæ præjudicio, in publicum prodire possunt. Ex his autem, quicumque illas legerit, triplicem fructum colligere sibi studeat.

Primus est: vt adoretur in illis Iudicium Dei altitudo inscrutabilis: Quæ diuina sua opera in Ministris suis, hominum genijs, & persecutionibus patere permittit: vt in his quidem justitiam, in illis suam gloriam manifestet. Quæ cùm in primitiua Euangelii prædicatione contigisse Scriptura commemoret, mirum videri non debet, si spiritu malo inualescente, posteriora etiam sæcula, in quibus semper magis refrigescit charitas, eadem & peiora experiantur. Sanè *discipulus ille, quem diligebat Iesus*, qui Apostolico & Prophetico spiritu toti Asiæ singulariter prælucebat suum passus est *Diotrephem: qui amabat primatum* in Ecclesia *gerere*: De quo ipse Ioannes, Ep. 3. *Qui*, ait, *non recipit nos, sed, verbis malignis garriens in nos, quasi non ista ei sufficiant, neque*

1. *Fructus persecutionum.*

3. Ioan. vers. 10.

quæ ipſe ſuſcipit fratres, & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eicit. Et Paulus Gentium Doctor ſibi ſuſcitatas etiam à domeſticis verbi Euangelici Miniſtris perſecutiones ad *Philippenſes* 1. enarrans: *quidam quidem* (inquit) *& propter inuidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem, quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Euangelii poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Sic in iſtis Dei judicia ſecreta variè operantur, quæ in perſecutionibus narrans, velut in ſpeculis, oſtenſa ſunt.

Phil. 1.

2. *Fructus* *Secundus* fructus harum perſecutionum, Ordinis Minorum in Chriſto gloriam aſſignat: Qui enim *S. Franciſco* Regulam dictauit, & in ejus corpore vulnerum ſuorum cicatrices impreſſit: Hoc filiorum Dei ſignaculum Ordini inſcripſit, vt *Perſecutionem pateretur.* Sic enim ſuper *Lapide Angulari Chriſto*, alius *quadrangularis*, c. 10. Regulæ, aſſignatus eſt: Cujus *Primus* Angulus deſcribitur. *Spiritus Domini ſancta* ejus *Operatione* exornatus (*ſuper omnia enim deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem*) Secundus Angulus: *Oratio* puri cordis (*Orare ad Deum puro corde*) Tertius: *Humilitas patientia* inſculpta (*habere humilitatem in perſecutione & infirmitate*) Quartus: *dilectio inimicorum* (*diligere eos, qui nos perſequuntur reprehendunt, & arguunt.*)

Reg. 10.

Tertius fructus indicit Perſequentibus terrorem diuinorum judiciorum: : Quem enim non exterreant Dei judicia, in malo ſine Perſecutorum Ordinis Minorum SS. P. N. *Franciſco* aliquandò in monte Aluernæ reuelata, & tot manifeſtiſſimis experientiis comprobata? Sed ne Hiſtorici noſtri ſuſpecti videantur, conſulat Lector Tho. Cantipratanum *l. 2. Apum c. 10. §. 24. 34.* &c. cum ſuo Annotatore, & Hieron. Platum l. 7. *de bono Stat. Rel. c. 33.*

3. *Fructus.*

TITVLVS XI.

FVNDAMENTVM XI

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Eorum ad Matrem Eccleſiam filialis obedientia, & inuiolabilis fidelitas ac Matris Eccleſiæ ad Ordinem Fratrum Minorum Materna Benignitas & ſollicitudo.

Comparata

HYACINTHO *Fundamento* XI. *Apoſtolico.*

ANtiquorum Hyacinthus Gemma fuit pulcherrima ex parte violaceum, magis tamen cœleſtem colorem referens. In hoc enim ab Amethyſto (teſte *Plinio* 37. *Hiſtor. Nat. c. 9.*) differebat, quod in Amethyſto fulgor violaceus magis emicabat, in Hyacintho magis dilutus, cæleſtem planè colorem referebat: Iuxta Solonum autem & alios, ſecundum cæli faciem, & velut ad cœli nutum, colorem mutare videbatur: Ita vt nubilo cœlo velut obtenebreſceret, & nubilo quoque videretur obduci: Sereno autem cœlo mirum in modum fulgeret. Durioris temperamenti eſt, cedit tamen Adamanti, & ab eo ſculpturam recipit: Peſti & venenis reſiſtit, vnde & è reginione cordis è collo

collo suspenditur: Quidam illi tribuunt, quod corpus roboret, visum acuat, sanguinem sistat, passiones animi maximè inuidiam refrænet, amorem castum conciliet &c. Certè illustrissima Gemma in suis qualitatibus eminere debet, cùm manus Sponsi Cant. 5. illis ornetur: *Manus* (inquit) *ejus tornatiles plenæ Hyacinthis.* Cant. 5. vers. 14.

Hyacinthus itaque ponitur pro vndecimo fundamento Apostolico Ciuitatis supernæ Hierusalem, vt significetur: Apostolorum animos nullis impressionibus rerum creatarum imbui, colorem cœlestem præferre, dicente Apostolo: *Nostra autem conuersatio in cœlis est*: Nec non nisi motibus cœlestibus ad nutum diuinarum dispositionum, solo beneplacito diuino moueri: Ita vt Dei imperium in omnibus sequentes, interdum quidem velut sereno cœlo gaudio superabundent: interdum tribulationibus obscurentur; *omnia autem propter electos*, in quos Apostolicæ virtutes deriuantur, ipso Apostolo sic declarante 2. Cor. 1. *Quoniam sicut abundant Christi passiones in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* *Apostolis comparata.* Philip. 3. vers. 20. 2. Tim. 2. vers. 10. 2. Cor. 1. 5.

Sed nec hoc vndecimum fundamentum *Hyacinthi*, in Ordine Fratrum Minorum defuit, cujus Professores contemptu omnium terrenorum, à mundanis fumis expediti, cœlestem puritatem imitantur: nutui diuino in omnibus se subjicientes: Ita vt quasi sereno Ecclesiæ Matris cœlo mirum in modum eluceant, nebulis autem succedentibus videantur obtenebrescere: Quorum vita, cœlestis vitæ disciplina est: Quorum doctrina pax & veritas: Quorum exercitatio filialis ad Matrem Ecclesiam obedientia, & inconcussa fidelitas est: Quorum fructus est Illuminatio cordium, sanitas peccatorum, pax dissidentium, Confortatio & confirmatio afflictorum, Hyacintho benè comparati. *Item Ordini Minorum.*

§. I.

Ordo Fratrum Minorum Ecclesiæ Romanæ specialissima soboles, idque variis Titulis.

Ecclesia Romana omnium Ordinum Mater, specialis tamen Ordinis Minorum.

ETsi omnium Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum Mater sit, sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia: *ad quam* (vt inquit *S. Ireneus* l. 3. c. 3.) *propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, & eos qui vndique sunt fideles*: Romanam tamen Ecclesiam, specialissimam Ordinis Fratrum Minorum Parentem esse omni Titulo, omni respectu & relatione, omni officio, ab illius Origine vsque ad mundi finem, probant quæ eidem Ordini respectu tantæ Matris ex natura regenerationis cujusdam spiritualis conueniunt.

Solent sanè multipliciter filii Relationem filiationis nanciscì: 1. quidem ratione *Originis*, quia ab aliquo accipiunt sum esse. 2. Ratione *participatæ Imaginis* & similitudinis, quomodò Homo filius Dei rite dicitur, siue quia à Deo Naturam accipit, siue quia ad Imaginem & similitudinem Dei creatus est. 3. Ratione obedientiæ & omnimodæ subjectionis: quomodò Angeli vocantur filii Dei. 4. Respectu Patriæ potestatis, à qua quis dependet, & cui subjacet. 5. Respectu officiorum, quæ aliquis ab aliquo percipit, vt si in familiam velut ascitus alimenta, vestimenta, & omnia vitæ necessaria aliquis ab aliquo perpetuo suscipiat, filius ritè nuncupatur. *Filiatio quotuplex & vnde.*

His

His certè & aliis similibus respectibus Ordo Minorum Ecclesiæ Romanæ filius, & legitima soboles nuncupanda est, idque super cæteros cœtus titulo singulari.

Ordo Fratrum Minorum soboles singularis Matris Ecclesiæ, ratione Originis singularis, & Imaginis ac similitudinis ad Christum.

Quomodo omnes Fratres simus.

OMnes quidem filii Matris Ecclesiæ Romanæ sumus, quotquot ex Illustrissimo illo Matrimonio, quod est *in Christo & Ecclesia, ex aqua & spiritu sancto* Psal. 127. vers. 3. *renati sumus.* Quotquot ex vxore illa quæ est *sicut vitis abundans in lateribus domus suæ* regenerati sumus, & *sicut nouella oliuarum filii sumus in circuitu mensæ ejus*, de pane filiorũ nutriti, siue ab Oriente siue ab Occidente Isa. 60. vers. 4. colligamur: *filii* namque Ecclesiæ etiam *de longe venient, & filiæ ejus de latere surgent.* Verũ non vna est generatio ejus quæ dicit: Eccli. 24. vers. 25. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini.* Sunt *filii doloris, filii dexteræ Beniamini*: sunt filii quos *Iacob Christus Dominus* singulari parturitione velut in senectute genuit, quos & præ cæteris adamauit, & quibus polymitam tunicam fecit: Nam & Psalmistâ Psal. 44. vers. 17. applaudente: *Pro Patribus tuis* (ait) *nati sunt tibi filii, quos constitues Principes super omnem terram vt sint memores nominis tui in omni generatione & generationem.*

Ordo Minorum Ecclesiæ Matris specialis soboles ratione Originis suæ.

Inter eos non infimum gradum tenent Fratres Minores cum Patriarcha suo, qui quidem ex communi fidei thalamo in spem viuam regenerati, Fraternitatis Catholicæ communem sortem adepti, ad Generationis superioris gratiam euocati, cum eis computati sunt, de quibus Isaias c. 56. *Dabo* (ait) *eis in domo mea, & in muris meis* Isa. 56. vers. 5. *locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et Hierem. 30. *Et erunt filii ejus sicut à principio, & cœtus ejus coram me permanebit.* Hierem. 30. vers. 20.

Generationem illam quis enarrabit? De hac certè testimonium dat Ecclesia in Oratione solemnitatis S. P. Francisci: *Deus* (ait) *qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis fœtu noua prolis amplificas.* Nouus ergo fœtus, noua proles, Ecclesiæ aduenies speciali generationis ordine progenita, Ordo Minorum est.

Hæc porrò generatio sublimior desumenda est a semine excellentiori: Etsi enim omnes ex vtero Matris geniti agnoscantur semine Euangelicæ fidei & veritatis, & cæteri Regulares semine Euangelicorum Consiliorum: Ordo tamen Fratrum Minorum agnoscendus est natus, semine Apostolicæ & Euangelicæ supremæ perfectionis, vt in superioribus explicatum est; & præclaris Elogiis declarat *Nicolaus* 3. Pontifex Extrau. *Exiit qui seminat.* Vbi postquam: Ex semine Christi Euangelico Fratrum Minorum Religionem germinasse docuit: ad Analogiam spiritualis generationis alludens: *Isti* (ait) *sunt sicut filii, qui* (docente Iacobo) *Verbum æternum Dei filium insitum humanæ naturæ, in horto virginalis vteri, potens saluare animas, in mansuetudine susceperunt.* Infrà: *Hæc est apud Deum Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per ejus filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & demùm per spiritum sanctum B. Francisco & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis.* Et hæc fuit substantia Parabolæ, quam Deo inspirante *Innocentio* 3. S. Franciscus proposuit, in cujus virtute Approbationem hujus vitæ & Regulæ impetrauit. Hæsitantem namque Pontificem ratione Altissimæ Paupertatis, quæ humanam omnem possibilitatem superare videbatur, nec audentem ad Regulæ tam austeræ Confirmationem procedere, hâc diuinitùs acceptâ reuelatione sic induxit: *Nam* (vt ait Doctor Seraphicus S. Bonauentura) *cum Parabolam de diuite Rege, cum muliere formosa & paupere matrimonium contrahente grauiter; & de prole susceptâ præferente Regis generantis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset: Ex illius interpretatione subjunxit: Non est formidandum quod fame pereant æterni Regis filii & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per spiritus sancti virtutem de paupere Matre Nati, & ipsi per spiritum Paupertatis in Religione paupercula generantur. Hanc ergo* (infert S. Bonauentura) *Parabolam & intellectum ipsius, Christi Vicarius cùm diligenter audisset, miratus est valdè, & indubitanter Christum locutum in homine recognouit.* Hæc ibi. Bonauent. cap. 3. vita.

Ex quibus patet modus singularis Natiuitatis familiæ Seraphicæ Fratrum Minorum ex vtero Ecclesiæ Matris: Etsi enim aliæ Religiones Ecclesiæ posteà aggregatæ sint, in ipso tamen exordio ab Episcopis tantum approbatæ fuerint, & Ecclesiæ posteà velut arrogatæ: Religio autem Fratrum Minorum 1. a spiritu sancto inspirante, à Christo Regulam dictante efformata, in vterum Ecclesiæ Matris effusa, Vicarii Christi velut obstetricante manu educta est: Matre Dei Maria, & Apostolis Petro & Paulo velut Parentantibus. Constat enim & Virginis Matris

Matris Misericordiæ meritis Franciscum concepisse ac peperisse Spiritum Euangelicæ pauperiatis: Cui etiam cum F. Massæo oranti (referente *Pisano Conform.* 16.) Apostoli Petrus & Paulus de Dei mandato apparentes in Ecclesia S. Petri, cum gratulatione benedictiones amplas futuræ generationi attulerunt. Soboles itaque Christi & Ecclesiæ Matris speciali titulo Ordo S. Francisci dici debet, quippe qui in ipso S. Sedis vtero, Christi semine conceptus, ad imaginem & similitudinem Christi Crucifixi per omnia prodiit, & gremio materno exceptus paternis manibus Vicarii Christi traditus fuit: In cujus vtique manibus *S. Franciscus* & Socii duodecim, Primæ Regulæ professionem nullo medio emiserunt, vt alibi à nobis latiùs est dictum. Vnde energicè *Hugo de Dina* in cap. vlt. Regulæ dicit ad dittinctionem aliorum Ordinum: Ordinem Fratrum Minorum esse: *Ecclesiæ Romanæ singulariter commissum, singulariter ab ipsa Ecclesia ordinatum, & specialiter in ipsa fundatum:*

Ordo Fratrum Minorum Soboles S. Matris Ecclesiæ Romanæ, ratione filialis obedientiæ, & omnimodæ subjectionis.

FF. Minorum subjectio ad Matrem Ecclesiam quàm artèa sit.

NVmquam filius ita subjectus Patriæ potestati: quin ab ea certis euentibus emancipari possit, vtique prævalente secundum leges ætate, statu etiam muta to, aliisue euentibus jure expressis juxta Regionum mores: Tanta porrò est obedientia, tanta subjectio Ordinis Minorum ad Matrem Ecclesiam Romanam in omnibus, quæ Deo & animæ contraria non sunt, vt nullis conditionibus Frater Minor quocumque respectu, ab illa emancipari queat. Hæc est obedientia interminata, quâ se & suos *S. Franciscus* à prima sui origine Matri Ecclesiæ filiali jure alligauit:

Cap. 1. *Frater Franciscus* (ait in Regula) *promittit obedientiam & reuerentiam D. Papæ Honorio, ac Successoribus ejus canonicè intrantibus & Ecclesiæ Romanæ.* Et vt omnimodam dependentiam, etiam mediantibus Pædagogis, Tutoribus, & Actoribus juxta præfinitum tempus à Parente protestaretur:

Cap. 12. *Adhæc* (ait) *per obedientiam imungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de S. Romana Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis, vt semper subditi & subjecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, Paupertatem & Humilitatem, & S. Euangelium D. N. Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.* Vnde *Hugo de Dina* in cap. 1. Regulæ: *Perfectus Euangelii obseruator Petro Apostolo in successore suo, cui a Christo Ecclesia est commissa, se subjicit in se, specialis obedientiæ & reuerentiæ promissione subjectus. Vnde summo Pontifici, sanctaque Romanæ Ecclesiæ sunt Fratres specialiter tam ex singulari hac sponsione, quam etiam ex speciali ejus ad ipsos cura, & defensione astricti, &c.* Quæ omnia referens in Generationis principium, subdit: *Præsertim cùm Ordo per ipsam velut in ejus sinu, forma, roboris, & incrementi susceperit accrementum, vt quasi proprius filius ipsius Ecclesiæ dici possit.*

Ordo Minorum matris Ecclesia specialis filia ratione interminata obedientia

En Patriæ potestatis perpetua agnitio, per interminatam Obedientiam, quæ nullis clauditur terminis; ita vt quemadmodùm Apostolus de vero Christiano loquens ad Rom. 14. *Nemo* (ait) *nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus.* Ita ex vi filialis hujus obedientiæ ab origine hujus Religiosæ vitæ, Ecclesiæ Matri aduenientis, Mors & Vita Fratris Minoris in manu Matris Ecclesiæ repositæ sit, eo quidem vinculo, *vt Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum*, &c. Possit ab hac obedientia ad Romanam Ecclesiam verum Fratrum Minorem emancipare aut liberare. Quod amplius ex sequentibus patebit.

Rom. 14. vers. 7.

Obedientia insolubilis.

Rom. 8. vers. 38.

Tanta est Patria potestas Ecclesiæ in Fratrem Minorem vt habeat in illum potestatem vitæ & mortis.

An Pater habeat in vitam filii Potestatem.

NOn defuerunt Nationes apud quas potestati Paternæ subjiciebatur vita filiorum, ita vt etiam Parentes filios morti tradere possent. Ita *Dionysius Halicarnassæus* apud *Petrum Greg. in Syntagmate juris vniuersi l.* 11. *c.* 8. vbi hujus potestatis causas prudentissimè rimatur. Hæc à natiuitate Ordinis Fratrum Minorum potestas in eosdem Fratres Ecclesiæ Matri aduenit. Quâ ratione *S. Bonauentura* in cap. 2. Regulæ venientes ad Ordinem tantâ fidei obedientiâ Matri Ecclesiæ junctos vult, vt etiam Ecclesiâ mandante Martyrium subire debeant: *Ex quo* (inquit) *verè patet, quòd recipiendi ad ordinem debent parati esse ad Martyrium.* Et hæc potestas respectu Fratrum Minorum Ecclesiæ Matri aduenit ex natura rei: Cum enim ex vi status Fratres Minores ad prædicandum Evange-

Potestas Ecclesiæ in vitam FF. Minorum.

lium Regni in vniuerso orbe, si mittantur, obligentur: consequenter aduenit Matri Ecclesiæ, vt mittere valeat Fratres Minores, vti Christus Apostolos: *Sicut oues inter lupos*, siue *in medio luporum* eorum crudelitati exponendos: adeoque Frater Minor Ecclesiæ cum amandanti ad infideles, hæreticos, & sæuissimos hostes etiam cum vitæ dispendio parere tenetur, quin etiam tempore grauissimarum calamitatum, negantibus Pastoribus, illa est sors sanctæ & fidelis ad matrem Ecclesiam obedientiæ, vt ad nutum Fratres Minores se hactenus exposuerint, & exponant, vitam suam pro Christo & Ecclesia prodigentes: In hoc agniti veri tantæ Matris filii, & spiritus Apostolici cohærédes. Matth. 10. 16.

Quæ omnia clarissime expressit Regula 1. S. Francisci c. 16: *Recordentur* (ait) *Fratres, quod dederunt se, & reliquerunt corpora sua, propter Deum Domino nostro Iesu Christo, & pro ejus amore debent sustinere tribulationem, persecutionem, & mortem, quas dixit Dominus: Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet &c. Dicò autem vobis amicis meis, ne terreantur ab iis qui occidunt corpus.* Sic hunc Textum refert *Hugo de Dina* in Expositione c. 12. Regulæ. Alius autem Textus Regulæ qui circumfertur, habet; *Recordentur Fratres quod dederunt se & reliquerunt corpora sua D. N. Iesu Christo, & pro ejus amore debent se exponere inimicis tam visibilibus, quam inuisibilibus.* Quæ omnia confirmat verbis S. Scripturæ.

S. Bonauentura in c. 1. Reg. describens Obedientiam Fratrum Minorum: Reducit illam ad abnegationem suprematn: *quæ propriam* (ait) *exponit vitam pro gloria Conditoris.* Et ibidem: qua Frater Minor non tantùm in necessariis obedit, *verùm etiam in omnibus quantumcumque difficilibus & arduis, illius exemplo, qui factus est obediens vsque ad mortem.* Vide ibi.

Tanta est Matris Ecclesiæ in filios suos Fratres Minores Patria potestas, vt quidquid Fratri Minori aduenit, illud Patriæ potestati acquiratur & cedat, Solo simplici vsu necessario Fratri Minori velut filio familias relicto.

IVre quidem communi Filius-familias ante omnem emancipationem sub paterna cura degit, paterna benevolentia alitur, & conseruatur: Quidquid vero acquirit, Parentum dispositioni acquirit etiam in aduentitiis bonis, excepto peculio Castrensi, aut quasi Castrensi. Major sane Patria potestas Ecclesiæ in filios Fratres Minores: quippe quibus nec *Castrense* nec quasi *Castrense*, nec labore aut industria quæsitum aliquid jure cedit, sed omnia in dominium Matris Ecclesiæ veniunt: Ita vt Frater Minor, etiamsi pane cæli pastus, & prouidentia æterna vestimento circumdatus ab eo qui lilia agri, & fœnum majori gloriâ quam Salomonem vestit, omnia accipiat: Ille tamen pane, aut vestimento, aut tecto non vtitur, nisi jure Matris Ecclesiæ suo filio-familias necessaria indulgentis. Hæc est Pontificia confessio & declaratio Extrau. Exit qui seminat à 3. *Frater Minor nihil sibi acquirit.*

Ad hæc (inquit) *cum fratres ipsi, nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint in commune, & cum aliquid ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea* (si secus non exprimat) *offerentis, concedentis vel donantis, verisimiliter creditur fuisse intentio, vt rem hujusmodi oblatam, concessam, vel donatam, perfectè concedat, donet, vel offerat, à se abdicet, ac in alium transferre cupiat propter Deum: Nec sit persona in quam loco Dei congruentius, hujusmodi res dominium, quam Sedes præfata, vel persona Romani Pontificis Christi Vicarii, qui est Pater omnium & Fratrum Minorum nihilominus specialis: Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium; cum Patri filius suo modo &c. res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirat, omnia vtensilia, & libros ac eorum mobilium præsentium & futurorum, (quæ & quorum vsum facti Ordini vel fratribus licet habere) ad nos & ipsam Ecclesiam plenè ac libere pertinere, hac præsenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus.* Ac postmodum de locis, Habitationibus, Ecclesiis idem decreuit. In quibus verbis rationem hujus dominii patenter refundit in rationem Patriæ potestatis respectu filii, *quia* (inquit) *Sedes præfata, & persona summi Pontificis Pater est specialis Fratrum Minorum, & filius Minor quidquid acquirit, Parenti acquirit.*

Patriæ potestati obligatio in filios adnascitur illis alimenta & necessaria vitæ subministrare, moribus bonis instruere &c.

RAtiones adferunt Leges antiquæ: Patres enim natura fecit, non vt venerem & voluptatem explerent, sed vt administri naturæ & Reipublicæ essent, alendo, & proles moribus instruendo. Vnde prohibentur filios exponere, vberibus *Obligatio Parentum ad filios.*

vberibus alienis suos lactandos traderet: quinimo nec ad status Reipublicæ ascẽdere parentibus inuitis: Nisi quòd per Patriciam dignitatem, flaminis Dialis consecrationem, & Vestalium Virginum statum à potestate Patria emanciparentur.

Obligatio Matris Ecclesia ad FF. Minores.

Grauior est & reciproca inter Ecclesiam Matrem & Fratrem Minorem obligatio: Obligatur namque Ecclesia Mater Fratribus Minoribus de necessarijs prouidere, quod facit indies, permittendo illis per mendicata humiliter, oblata liberaliter, accepta pro mercede laboris, suis vitæ necessitatibus congruè satisfacere, & ad hæc fideles inuitat. Obligatur Frater Minor nutui & imperio Matris Ecclesiæ filiali fidelitate in omnibus morem gerere: Obligatur & Mater Ecclesia Fratribus Minoribus juxta eorum statum prouidere. Nec Fratrem Minorem vllus status ab Ecclesiæ obedientia liberat; quippe qui immediatè Gubernationi, Protectioni, & Regimini illius subjacet. Vnde *S. Bonauentura* in 2. cap. Regulæ: De iis qui ad Episcopalem dignitatem assumuntur: *Si coacti* (ait) *ab Ecclesia hujusmodi ineuitabili necessitate, suscipiant regimen Animarum, non sunt reputandi ab Ordine egressi &c. vtique quia obedientiæ Matris subjecti, votis suæ Regulæ satisfacere possunt.* Addit: *Quia quantum in ipsis est, semper apperunt in suis Ordinis consoueri.* Subjungit autem horribilem sententiam de aliis. *Quòd si* (inquit) *non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti ad eundem aspirant, vt fugiant ærumnas pauperum, & Ordinis rigorem, credi eos in illius partem cessuros, qui dixit: Sedebo in monte Testamenti, in Lateribus Aquilonis &c.* Hæc S. Bonauentura.

§. II.

Qualiter Gubernationi, Protectioni & Correctioni Ecclesiæ Matris Ordo Minorum vt filius immediatè sit subjectus.

Subjectio Ordinis ad Matrem Ecclesiam.

GUbernationi, Protectioni, & Correctioni S. Matris Ecclesiæ subjectum Ordinem S. Francisci sufficienter conuincit Obedientiæ votum, quod D. Papæ Honorio, Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ Seraphicus Pater totius sui Ordinis nomine nuncupauit: Nec minùs probat filialis obligatio superius recensita. Sed cur ad Curam Matris, Cardinalis postulandus adjungitur, qui gubernet, protegat, corrigat, cùm id Matri Ecclesiæ incumbat, cujus potestas, prouidentia, vigilantia, sicut Ecclesiæ, sic Ordini desse non potuit? Quinimò cùm sufficiens gubernium & regimen circa Ordinem commissum Ministris Generalibus, Prouincialibus & Custodibus per Regulam fuerit, vt quid vel Romanæ Ecclesiæ vel Protectoris regimen pauperrimo Ordini requirendum fuit, quod in Regulis antiquis nulli Religioni prouisum anteà fuerat?

Quare Cardinalis Protector Ordini datur.

Hæc profectò fuit Diuinæ Prouidentiæ cœlitus reuelata dispositio: Refert enim Trium sociorum Legenda: Cum (ait) S. Pater, pulsus querelis suorum fratrum initio Ordinis ob diuersas molestias persecutiones, & angustias, quas intus & foris patiebantur anxius esset, hujusmodi Visione præuentus fuit: *Vidit namque in somnis gallinam, pullos plurimos sub alis congregatos, à superioribus Miluis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse, pluresque prunde patuisse ruinæ. Magna autem alterius volucris sub alis pericula subterfugisse. Expergefactus igitur Franciscus, dum somnii interpretationem à Domino expeteret, eam ita accepit: Intellexit vtique se per Gallinam, Discipulos per Pullos, Cardinalem in Protectorem assumendum per Volucrem alarum magnarum demonstrari. Hâc visione permotus consultis super hac re fratribus, & de necessitate Protectoris deliberatione factâ, de singulari Matris Ecclesiæ protectione, hæc intulit verba*, quæ Collatione 20. referuntur: *Mater* (inquit) *omnium Ecclesiarum est Romana, & Domina omnium est Religionum. Vadam & recommendabo fratres meos sanctæ Ecclesiæ, cujus potentiæ virgâ percellantur malenoli, & filii Dei in æternæ salutis augmentum vbique plenâ gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filii dulcia beneficia Matris & speciali deuotione semper ipsius reuerenda vestigia complectantur. Non erit, ipsâ protegente, in Ordine malus eccursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostræ ipsa sancta Ecclesia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per superbiæ nubilum obfuscari non sinet. Charitatis & pacis vincula in nobis seruabit illæsa, censurâ strictissimâ percutiens dissidentes. Euangelicæ puritatis obseruantia sacra, continuè in ejus aspectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.* Hæc ibi.

Hoc spiritu plenus Seraphicus Pater Romam perrexit, Pontificem tunc *Honorium* 3. adiit, & omni reuerentiâ necessitatem singularem Protectionis S. Sedis in Ordinem nascentem exposuit: Cum autem hanc ipsam per se impendere Cura vniuersalis Apostolica non permitteret, & pauperculos fratres ad tremendam S. Sedis Majestatem continuè recurrere non deceat: Postulauit vt *D. Hugolinum Cardinalem Ostiensem* substitueret: qui (saluâ

& integrâ semper præeminentiâ Dignitatis Apostolicæ, à qua tamquam a Capite hujus Corporis Mystici vigor descendit, & potestas omnis emanat) vices ejus gereret, & in necessitatibus Ordinem regeret, protegeret, & vbi opus esset corrigeret. Amuit votis Pontifex, vicesque suas ac omnem potestatem Cardinali Ostiensi commisit, vt esset Apostolicæ Sedis nomine & auctoritate *Gubernator, Protector, & Corrector hujus Fraternitatis*, ei Ordinem recommendans, vt illum faueret & protegeret. Ex his quatuor sequentia inferuntur, quæ sunt velut quatuor bases totius Oeconomiæ Regiminis Fratrum Minorum, quibus innititur super Petra inuiolabili Ecclesiæ Matris.

I. BASIS.

Regiminis Fratrum Minorum.

Obedientia Ordinis ad Matrem Ecclesiam qualis & quanta.

ORdo Fratrum Minorum in tota latitudine voti Obedientiæ subjectus & subditus est immediatè summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ; Ita vt omnis inferior obedientia & subjectio dependeat ab illa, & eminenter in S. Sedem Apostolicam, ac Ecclesiam Romanam tamquam Caput referatur.

Protectoris Officium primarium.

Hæc Basis constat ex Regula c. 1. *Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, & Ecclesiæ Romanæ.* Et subjungit velut ex eo capite: *Et alii fratres teneantur Fratri Francisco & eius successoribus obedire*; nimirum sub & saluâ obedientiâ superiori ad Ecclesiam Romanam. Vnde & vltimo cap. Regulæ: Prima ratio subjectionis ad Protectorem exprimitur: Vt sint *semper subditi & subiecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ* &c. Officium enim primarium Protectoris est, vt contineat Ordinem in ista immediata subjectione, vt statim dicetur.

II. BASIS.

Protector est Prælatus ordinarius sub Papa.

QUia autem persona summi Pontificis aut S. Sedis difficulter poterat Ordinis Regimini immediatè vacare: Ad instantiam S. Patris primò, demum ad instantiam Ministrorum & Custodum, instituendus decernitur vnus ex Cardinalibus *Gubernator, Protector & Corrector totius Fraternitatis*: qui ex vi hujus institutionis, est Prælatus Ordinarius, & Legatus S. Sedis, habens Potestatem & Jurisdictionē in Ordinem similem ei, quam habent Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi Episcopi &c. in populum, saluâ semper præeminentiâ Sedis Apostolicæ, à qua Protectores sicut institutionem, sic Potestatem accipiunt. Vnde *Alexander* 4. qui ante Pontificatum secundus Ordinis Protector fuerat, & *Gregorio* 9. in officio Protectoris successerat, post Pontificatum adeptum, quamuis requisitus, nullum Cardinalem dare voluit Ordini, volens sibi, dum viueret, retinere Ordinis Protectionem, & remanere Ordinis Protector. Quod etiam de nonnullis aliis fertur.

III. BASIS.

Protectoris potestas qua & qualis.

POtestas autem Protectorum ex terminis Regulæ manifesta est, nimirum: *Gubernare, Protegere, & Corrigere* Ordinem & Fratres, in ordine ad quatuor fines.

1. Ne Ordo discedat ab Obedientia S. Sedis.

1. Ad inuigilandum ne Ordo & Fratres vllo modo se subducant vel per alios subduci permittantur à subjectione singulari & immediata S. Sedis, sed semper & omni tempore subditi & subjecti sint pedibus S. Romanæ Ecclesiæ. Gubernium ergo Ordinis Protectori ad hoc datum est, vt contineat fratres sub obedientia immediata S. Sedis.

2. Ne subjiciatur aliis Prælatis.

2. Finis Protectoris est: Ordinis subtractio à Iurisdictione aliorum Prælatorum Ecclesiæ, ne scilicet in Ordinem vel Fratres Jurisdictionem prætendant; cùm Ordo Gubernatorem Cardinalem sibi commissum à S. Sede accipiat; Vnde & illi Correctio Fratrum concredita est, vt casu quo Ordo aut Frater se ab immediata Sedis sanctæ obedientia subtraheret, Correctiuâ & Correctoriâ potestate vtatur. Et per hoc omni schismati prouisum est.

3. Ne incidat in Hæreses.

3. Finis Potestatis Protectorum est: vt Fratres stabiles in fide Catholica contineantur: Ita vt: In omni periculo hæreseos, vel dissensus, aut discessionis à fide, debeat Protector concurrere directione, protectione, & correctione, vt & totus Ordo stabiliter in fide, quam tenet S. Romana Ecclesia, firmetur, & si quis Frater particularis pertinaciter deficiat, vt corrigatur & reducatur. Et hunc finem & casum clarè expressit in suo Testamento *S. Franciscus*: In quo de iis qui inuenti essent non Catholici, decernit, vt per Custodes & Ministros, tamquam homines in vinculis tenerentur, donec repræsentarentur ipsi personaliter *Domino Ostiensi, qui* (inquit) *est Dominus Protector & Corrector huius fraternitatis*: quibus verbis Casum Hæresis pertinacis pertinere ad Correctionem Protectoris manifestè ostendit.

4. Vt contineatur in obseruantia Regulæ.

4. Finis Potestatis Protectorum est: vt Ordinem contineant in Obseruantia Regulæ ab Ecclesia approbatæ, speciali-

ter:

tèr: In obseruantia *Paupertatis*, quæ est firmamentum singulare Ordinis: In *Humilitate*, quæ est ornamentum Fratris Minoris: In obseruantia *Euangelii*, cujus compendium Regula continet, sub qua cætera ad Ordinem pertinentia continentur, & maximè *Apostolica Missio* ad prædicandam in vniuerso mundo Pœnitentiam & Regnum Dei: In quibus omnibus regere, protegere, & corrigere Fratres, officium est Protectoris. Et hæc quidem munia Protectorum benè expreſſerunt *Gregorius* XI. *Sixtus* 4. *Martinus* 5. & alii Pontifices, dum decreuerunt Protectoris Potestatem in tribus dumtaxat exercendam.

Protectoris Potestas in quot consistat.

1. *Si Communitas Ordinis pedibus S. Romanæ Ecclesiæ non esset subiecta:*
2. *Si non esset stabilis in fide Catholica:*
3. *Si a Regula in Euangelio fundata obseruantia aberraret.*

Quæ quidem non sunt (vt aliqui voluerunt) arctationes Potestatis Protectorum, sed explicatæ conditiones, in quibus potestas illa exercenda est, vt & legitimè exerceatur, & confusio omnis in regimine Superiorum inferiorum vitaretur, ac Potestas Protectorum in suo decore permaneret, vt statim explicabitur.

IV. BASIS.

Illa non remouebat regimen superiorũ Ordinis.

QUamuis verò plenaria esset Protectoris in Ordinem Potestas, vt hujus fraternitatis esset *Corrector* quidem: Ne ab obedientia, subjectione, & fide Romanæ Ecclesiæ deflecteret: *Gubernator:* vt omne bonum in Ordine promoueret tamquam Ordinarius Ordinis Prælatus: *Protector*: vt à malis Ordinem defenderet: Nullatenus tamen regimen superiorum Ordinis impedire poterat: Hoc enim postulat subordinatio legitima, & benè ordinata Potestatum superiorum & inferiorum, vt superiores inferiorum legitimos actus non impediant, sed eos fulciant, foueantque: Et ridiculum esset, eum qui ad Regulæ obseruantiam dirigendam, promouendam, protegendam, & defectus corrigendos ordinatus Protector esset, velle regimen legitimum ordinariorum Superiorum, prætextu supremæ Potestatis, impedire. Vnde hæc attendens *Gregorius* XI. in Bulla quæ incipit: *Cunctos Christi fideles* &c. data apud Pontem Sorgiæ Auinionensis diœcesis 6. *Kal. Iunii Pontif. anno* 3. inhibuit Protectoribus: Ne quæ constituerentur per Generalia, Prouincialia, vel Custodialia Capitula vllatenus immutarent, nisi apertè essent contra Regulam, vel Ordinis bonum. *Item*: Ne se immiscerent promotionibus vel destitutionibus Officiorum, aut dispositioni siue etiam correctioni particularium Fratrum: quæ omnia intelligenda sunt, nisi Causa subesset grauis alicujus inordinationis, turbationis vel injustitiæ. Quæ ex vi demandati sibi regiminis & Protectionis, tenentur Protectores auertere à Corpore, & membris Religionis sibi commissæ. Et quidem ad vitandas confusiones hic Ordo ab Apostolica Auctoritate ad ordinatum regimen præscriptus est; nimirùm: vt in grauioribus difficultatibus recursus fieret à *Guardiano* ad *Prouincialem*, à *Prouinciali* ad *Generalem*, à *Generali* ad *Protectorem*, à *Protectore* ad *S. Sedem*; vt sacra Congregatio declarauit ad annum 1587. quem ordinem confirmauit *Sixtus* 5. in Bulla quæ incipit: *Ad Romanum Pontificem* data *anno* 1588. quæ omnia (vt dictum est) intelligenda veniunt præterquam in casibus in quibus Religio vel Justitia periclitaretur. In hujusmodi enim casibus integra semper potestas Protectorum ex natura Officii reseruanda est, & pro eorum auctoritate standum.

Insignem porrò Administrationis Potestatis hujus supremæ rationem indicauit *Nicolaus* 3. summus Pontifex, qui & ipse Protector Ordinis fuerat, dum Protectionis munus nepoti suo *Cardinali Matthæo Rubeo Vrsino* conferret, cujus discursum refert venerabilis senectutis & emeritæ sapientiæ ac virtutis *P. Philippus Perusinus*, qui tres Protectores viderat, in Epistola quam scripsit ad R. P. Gonsaluum Ministrum Generalem: In præsentia namque Generalis Ministri *R. P. Bonagratia*, & Ministrorum Prouincialium, inter quos dictus *P. Philippus Minister Tusciæ* aderat, sic affatus est Pontifex nepotem suum: *Ad te* (ait) *noster sermo dirigitur: Si beneficia quæ tibi prouenerunt per nos recensere vellemus, inuenirentur magna, & vtilia, & numerosa: sed in nullo sunt existimo dedimus tibi Arrham vitæ æternæ, sicut in isto quod modò præstamus. Damus enim tibi quod introducat te in Paradisum, scilicet suffragia omnium sanctorum fratrum istius Ordinis; Damus tibi melius quod habemus; Damus tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum.* (Et hic totus lacrymis perfusus cum ejulatu & fletu omnium subsistens, resumptâ tandem voce subjunxit) *Non possumus nos in hac materia dilatare:* Et *extentâ manu proprium Annulum Cardinali cum osculo manus recipienti porrexit dicens: Committimus tibi Ordinem Fratrum Minorum; vt sis Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis.* Et addidit: *Tuâ* (inquit) *gubernatione Ordo non indiget, quia tot sapientibus & prudentibus personis abundat,*

Ordo quam charus fuerit Nicolao 3.

quod ad se benè gubernandum sufficit sibi ipsi: Correctioni quoque te non oportet insistere, quia inter fratres res sunt taliter disposita, quod in hac parte non videtur esse posse defectus: Habent enim Guardianos, quod si deficerent, possunt recurrere ad Custodes, & à Custodibus ad Ministros, super quos est Minister Generalis, & adhuc Capitulum Generale. Itaque non est verisimile apud eos, ea quæ correctione indigent, præteriri. Vnum autem est in quo Tuo Patrocinio opus habent: sunt enim imbecilles & pauperes, & multos habent, qui eos indebite inquietant, quibus per se repugnare non possunt, & ideo indigent Brachio & fortitudine Protectoris. Hoc est potissimum in quo ipsis Tua Cura debet assistere. Hæc ibi.

COROLLARIVM.

EX dictis infertur: Quòd quidquid circa Ordinem Fratrum Minorum S. Sedes hactenus sanciuit, & quidquid indies disponit: Non modò ex plenitudine supremæ Potestatis Apostolicæ disponere, sed ex speciali Cura, quam in Ordinem & Fratres sumpsit: Vnde quoad ea, quæ pro Ordine Fratrum Minorum ab Ecclesia decreta, demandata, concessa, assignata, indulta sunt, aut etiam prohibita, ita illis se conformare Ordo tenetur, vt non possit absque S. Sedis beneplacito illis cedere vel renuntiare. Frustrà igitur in Ordinem consurgunt, qui Apostolicas Sanctiones in illis persequuntur. Frater Minor filius Ecclesiæ est, Matris suæ dispositionibus fideliter acquiescere debet; Et impiè de Ecclesia Matre sentit, qui ejus Ordinationes & Decreta, in filiis suis æmulatur, aut traducere tentat.

§. III.

Oeconomia Rationalis omnium Prouisionum Apostolicarum, quas Mater Ecclesia Ordini Fratrum Minorum concessit, quæ sub nomine Priuilegiorum venditantur.

Prouidentia Dei circa suos pauperes.

HÆc est Altissimæ Prouidentiæ Dei cura: Vt eis, quos pro suo obsequio & beneplacito, in hunc mundum omnibus terrenis auxiliis & subsidiis spoliatos mittit: mediis & modis mirabilibus ita in tempore prouideat, vt ad finem ad quem missi sunt, nil penitùs desit, benè Psalmistâ proferente: quia *Tibi* (ait) *derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Si enim *facit judicium pupillo & viduæ, & amat peregrinum, & dat ei victum atque vestimentum*: Multo amplius liberaliusque consulet seruis suis, quos ad ministeria sua omni humano præsidio velut destitutos, in mundum transmittit. Quod singulariter in Apostolis & discipulis Domini manifestum fuit, quos Dominus ab omnibus rebus abstractos, tamquam morti destinatos ostendit, vt fierent spectaculum mundo & Angelis & hominibus; sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, sine pecunia vniuersum orbem peragrantes; quibus tamen ipsismet fatentibus nihil vnquam defuit. Hoc ipsum diuinæ Prouidentiæ portentum in Fratribus Minoribus mirabiliter emitet; qui etsi ex vi status & Professionis omni humanæ sollicitudini renunciauerint, *omnem* (juxta Apostolum) *sollicitudinem in Deum projicientes, quoniam ipsi cura est de illis*: Nihil hactenùs eis defuisse constat, tum in iis quæ ad vitam conseruandam pertinent, tum ad ministeria & officia, ad quæ tam domi quàm foris ordinati sunt: quorum capilli ita numerati à Deo omnipotente, vt nec vllus de capite pereat. Hæc fuit *Arrha* Deo dictante à *S. Francisco* omnibus suis fratribus dum eos mitteret per mundum intimata: *Iacta* (ajebat) *cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Hæc fuit promissio à Christo *S. P. Francisco* facta, quâ promisit: fratres suos pascere, vt pauit filios Israel in deserto: Eos multiplicare, & suæ benedictionis gratiâ multipliciter dilatare: Illos in omnibus regere & dirigere vt ex Legenda antiqua affert tigillatim *Bartholomæus Pisanus* fructu 8 & Conformitate 9.

Luc. 22. vers. 35.

Circa FF. Minores.

1. Pet. 5. vers. 7.

Psal. 54. vers. 23.

Hanc porrò Prouidentiæ suæ Curam commisit Ecclesiæ suæ Deus, quæ in omnibus & singulis ita hanc Religionem sibi singularius commendatam præuenit, vniuersali ac speciali sollicitudine, vt verè Matrem pusilli hujus gregis se ostenderit, in omni Directione, Prouisione, Conseruatione, prout hæc Oeconomia Rationalis demonstrabit.

Illa prouidentia à Deo commissa Ecclesiæ.

Psal. 9. vers. 14. Deuter. 10. vers. 18.

Ratio totius Oeconomiæ.

ET hanc quidem Oeconomiam singulariter per omnia Fratrum Minorum Exercitia, Ministeria, Officia distributam distinctè tradendam hic judicaui: Ad sedandas æmulationes, contentiones, discordias, & interpretationes prauas, quæ in hanc horam inter Clerum & Ecclesiæ nonnullos Prælatos; inter Ciuiles Magistratus & Politiæ Ministros, suscitatæ sunt: quasi injustis, irrationabilibus, & ambitiosis priuilegiis Fratres Minores, à S. Sede decorati essent, in injuriam Ordinariæ Potestatis.

Mea

Priuilegia FF. Minorum sunt Prouisiones.

Mea autem intentionis est ad vniuersalem Charitatis & Pacis obseruantiam ostendere: Ea quæ nomine *Priuilegiorum* venditantur: Non esse purè Priuilegia à Lege communi Fratres Minores eximentia: sed esse *Prouisiones* necessarias ad Ecclesiæ necessitatem & vtilitatem, ac populorum salutem, quas Oeconomica Regiminis Ecclesiæ dispositio pro se, & subditis requirit, absque vllo Personarum, quibus addicuntur, superfluo fauore, sed vt labor eorum & opus Deo & Matri Ecclesiæ fructificet. Vt autem distinctè in omnibus procedamus, cum in Ordine Fratrum Minorum: *Alia* respiciant statum & Professionem: *Alia* domestica Exercitia: *Alia* Ministeria externa, ad quæ Fratres ex Regula vocati sunt: Juxta illa Prouisiones recensebimus, & examinabimus ad limam Justitiæ & Veritatis, & vt distinctiùs procedamus, per Classes & sectiones omnia & singula distribuemus.

CLASSIS I.

De Prouisionibus statum Fratrum Minorum concernentibus.

IN hoc toto Tractatu abstineo à nomine *Priuilegii*: Etsi enim nominis Ethymologia, quæcumque pro Ordine Fratrum Minorum à S. Sede decreta sunt, in rigore & propriè *Priuilegia* dici possint: vtpotè: *quia* (teste Isidoro l. 5. Ethym.) *Priuilegia sunt leges priuatorum, quasi Priuatæ leges: ab eo dicta, quod in priuato ferantur.* Siue vt Gratianus 25. q. 7. *Priuilegia namque dicuntur quasi Priuata legia, eò quòd Priuatorum legem singulis generent.* Quæ omnia Decretis pro Ordine Minorum congruere possunt. Quia tamen passim; nomen *Priuilegii* vsurpatur pro fauoribus relaxantibus legem, eamque eneruantibus: Idcircò abstinendum duxi à nomine *Priuilegii*, & vtendum nomine *Prouisionis*: quia vt ostendemus: quidquid pro Ordine Fratrum Minorum in hac *Prouisionum* materia indultum vel decretum est, etsi interdum præter Legem Communem videatur decretum, non tamen ad relaxationem legis, sed vt (stante lege communi, & considerata rationis æquitate, quæ est Mater justitiæ) Religionis & Ecclesiæ bono, ac necessitati, & Operariorum indemnitati consuleretur, absque vllius Tertii vero præjudicio, vel legis communis injuria, prout ex dicendis patebit. Vide & passim in Bullis Pontificum, Concessiones, de quibus est quæstio, nomine *Prouisionum* indicaretur.

SECTIO I.

De Prouisionibus concernentibus votum Obedientiæ & de exemptione Fratrum Minorum à Iurisdictione Episcoporum &c.

TOtius Exemptionis Ordinis Franciscani à Jurisdictione Episcoporum Basis & firmamentum ex natura voti & primæua hujus Religionis origine desumitur. Non potuit enim votum solemne Obedientiæ Fratrum Minorum ad summum Pontificem, & Ecclesiam Romanam, nisi S. Sedis Apostolicæ arbitrio & beneplacito distrahi: Non potuit vllius inferioris Potestatis virtute infirmari: Hoc sacrum votum sibi dedicatum, & ad se terminatum, intemeratum habuit à principio S. Sedes: Et ne Hierarchiæ supremæ influxus inordinatos canales pateretur; Per Cardinalem Gubernatorem, Protectorem & Correctorem, qui (vt superiùs explicatum est) Patriarchæ, Primatis, Archiepiscopi, vel Episcopi officio circa hunc Ordinem fungeretur, omnem Jurisdictionis influxum in hunc Ordinem deriuari decreuit: Vt quod Magni illi Pontifices sub Capite Christo & ejus Vicario, Clero & populis in ratione Regiminis & Jurisdictionis tam Directiuæ, quàm Conseruatiuæ & Coërcitiuæ præstant: Id pro bona voluntate Vicarii Christi per Cardinalem Protectorem, & Superiores Ordinis ordinarie, ordinate, & legitimè præstaretur, nisi aliud Supremus omnium Rector pro sua in vniuersalem Ecclesiam, & ejus membra, Prouidentia, pro circumstantiarum ratione, & rerum oportunitate disponeret. Hinc tot Exemptionum, Præcautionum, & Prouisionum Decreta à summis Pontificibus emanarunt, quæ hanc singularem à S. Sede Ordinis Fratrum Minorum dependentiam integram inuiolatamque seruarent. Tantus porrò fuit zelus Pontificum pro conseruanda illa immediata Potestate, vt aliquando *Gregorius* 9. informatus: Episcopos quosdam exigere à Fratribus Minoribus in suis libellis supplicibus, & aliis instrumentis *Obedientiam manualem*, quæ solet exprimi his verbis: *R. Patri & Domino Episcopo &c. Obedientiam & Reuerentiam.* Prohibuit ne dictam *Obedientiam manualem* exhibere tenerentur: Ita habetur in Bulla dicti Pontificis quæ incipit: *Inducuntur pia conuersationis vestræ merita* &c. quæ est 3. apud Rodericum, & cujus Ori-

FF. Minorum exemptio vnde.

Frater Minor an Episcopo possit promittere obedientiam.

Originale habetur in Archiuo Conuentus Brugensis in Flandria, *Data Laterani 8. Kal. Martii Pontif. anno 14.* Verba Bullæ sunt: *Cum quidam ex Prælatis Ecclesiæ, qui, sicut accepimus, vos sibi deuotos inuenium, & in exhibitione condignæ reuerentiæ studiosos, in eo se humiliitati vestræ molestos exhibeant, quod quam consuetudinem inducere molientes, à vobis Obedientiam exigunt manualem: Nos arbitrantes incongruum, & reputantes indignum: Vt nullis ex Prælatis eisdem absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, à vobis dictam Obedientiam manualem præsumat exigere, auctoritate præsentium districtius inhibemus* &c. Itaque Præsentationes quæ fiunt scripto RR. Episcopis siue ad Ordinationes, siue ad Confessiones audiendas, siue ad Prædicationes &c. sub titulo condignæ reuerentiæ fieri debent, numquam tamen sub titulo *Obedientiæ*; nec ordinatus sacerdos ex Ordine Minorum potest *Obedientiam* promittere Episcopo ordinanti, sed tantum Reuerentiam: quia hanc Obedientiam sibi reseruat summus Pontifex; Nec alteri extra Ordinem præstari potest, nisi de Summi Pontificis mandato, & beneplacito.

FF. Minores assumpti à Legatis Apostolicis ad varias functiones.

Quia verò Legati Apostolici allecti doctrina & probitate vitæ Fratrum Minorum; sæpe sæpius operam illorum impendere cupiebant in Commissionibus, ad Causas Ecclesiasticas pertractandas; sententiarum Executiones; Censuras promulgandas, Litteras Regibus & Principibus insinuandas; Imò & illos ad sua obsequia assumebant, Monasteriis Monialium sibi subditarum visitandis, & Confessionibus illarum audiendis eis vtebantur: Ne per hujusmodi aliquam auctoritatem aut Jurisdictionem Legati Apostolici in Fratres prætenderent; variæ Bullæ à summis Pontificibus emanarunt, quibus ab omni omninò Jurisdictione Fratres liberabant: Prohibentes, ne virtute cujuscumque auctoritatis ad ejusmodi cogi possent, & ne quidem à Legatis Apostolicis & per Litteras Apostolicas conueniri, nisi in Litteris ipsis Apostolicis tam de qualitate rei, quàm de Fratribus Minoribus nominatim mentio fieret.

Exemptio Ordinis per Pontifices.

Plurimæ sanè Bullæ à principio Ordinis super his; emanarunt vt; est Bulla ejusdem *Greg. 9.* quæ incipit: *Qui postpositis. Data Laterani 5. Kalendas Maii Pontificatus anno 15. Innocentii 4.* quæ incipit: *Cùm per eius gratiam: Data Laterani 4. Nonas Nouemb. Pontif. anno 1.* Et altera eiusdem quæ incipit: *Quieti vestræ: Data eodem anno 7. Idus Octob.* Et aliæ variæ quæ quia in Mari magno *Sixti 4.* quod incipit: *Regimini vniuersalis Ecclesiæ. Data anno Incarnationis Domini 1474. Pridie Kal. Septemb. Pontif. anno 1.* ex Bullis *Eugenii 4.* & *Clementis 4.* compendiosè referuntur, & in Compendiis sigillatim enarrantur, inutile & tædiosum esset singula adnotare.

Summaria itaque totius Exemptionis Fratrum Minorum Regula est: *Fratres Minores* ex declaratione S. Sedis Apostolicæ, & ex vi status & Ordinis, ac Obedientiæ Voto, demum ex approbatione & acceptatione, ac dispositione summorum Pontificum, & Ecclesiæ: ab omni Potestate & Iurisdictione quorumcumque Prælatorum Ecclesiasticorum exemptos esse; Idque in omnibus, quæ vel ex natura rei non excipiuntur: vel à summo Pontifice non sunt excepta, & aliis commissa vel delegata: Quod quamuis multi Pontifices suis Diplomatibus expresserint; Placet tamen in omnium compendium recensere Exemptionis Decretum, quod in aliorum confirmationem factum est à *Benedicto 11.* per Bullam quæ incipit: *Inter cæteros Ordines. Data Romæ apud S. Petrum 4. Nonas Aprilis Pont. anno 1.* Vbi vniuersaliter sic loquitur: *Licet* (inquit) *nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri præfatum Ordinem, à Prælatorum Iurisdictione quorumlibet, prorsùs exemerint, ipsumque fore decreuerint per ipsorum litteras speciales exemptum; Nos tamen Ordinem ipsum ob salutis fructus innumeros, qui ex ipso noscuntur animabus fidelium prouenire, gerentes in visceribus charitatis,* &c. *Vos & Ordinem ipsum ab omnium & singulorum Prælatorum & Personarum Ecclesiasticarum omnimodâ potestate ac Iurisdictione prorsùs eximimus de Apostolicæ plenitudine Potestatis,* &c. *Decernentes Vos & Ordinem vestrum immediatè eidem Sedi, ac soli tantummodò Romano Pontifici subiacere. Ecclesias insuper, Oratoria, domos ac loca quæ tenetis & inhabitatis ad præsens, ac tenebitis & habitabitis in futurum, dum & quoties vos illæ tenere & inhabitare contigerit, exempta prorsùs existere, nulloque medio, sedi subesse decernimus prælibatæ.* Hæc ibi. Vbi & omnes libertates, & Immunitates, sub quauis forma vel expressione verborum fratribus vel Ordini ab Apostolica Sede concessas prohibet à quocumque impediri, turbari, vel molestari, &c. Eadem Bulla iisdem terminis inuenitur antea data à *Bonifacio 8. 3. Idus Nouemb. Pontif. anno 1.* Ex quibus hæc generalia in materia Exemptionis, Potestatis, & Iurisdictionis Principia eruuntur.

Primum, Ordinem Fratrum Minorum & ipsos Fratres: *Immediatè Sedi Apostolicæ, ac soli tantummodò Romano Pontifici subiacere: ac Ecclesias, Oratoria, domos ac loca eorum, nullo medio sedi prælibatæ subesse.* *FF. Minores eorumque Ecclesias, domos, &c. Immediatè subsunt Papæ.*

Secundum, *Fratres ac Ordinem ipsum ab omnium & singulorum Prælatorum & Perso-*

narum

natum Ecclesiasticarum omnimoda Potestate & Iurisdictione prorsus de Apostolica plenitudine Potestatis exemptos esse.

Ex quibus tria infero.

Nullus extra Ordinē Prælatus Papa inferior aliquod jus habet in FF. Minores.

1. Nullum Prælatum extra Ordinem Papa inferiorem posse aliquod Jus, Potestatem, vel Iurisdictionem in Fratres Minores, vel ea quæ eorum vsui cedunt prætendere: Ratio clara est: Quia decernente Christi Vicario, Fratres, Ordo, & loca aliaque ad Ordinem attinentia sunt ab omnimoda Potestate & Iurisdictione omnium & singulorum Prælatorum & Personarum Ecclesiasticarum de plenitudine potestatis Apostolicæ exempta.

2. Nullum extra Ordinem Prælatum, summo Pontifice inferiorem ex ordinaria Iurisdictione quippiam exercere posse circa Fratres Minores, aut Ordinem: sed si quid Jure exerceat, id à summo Pontifice accipere, qui & potest disponere mutare, regulare & reuocare, prout vult & iudicat expedire. Ratio est quia vt in Bulla *Benedicti* 11. dicitur: Ordo & Fratres, *Immediate sedi Apostolicæ, & soli tantummodò Romano Pontifici subiacent.*

3. Quidquid igitur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alii, Juris, Potestatis, vel Iurisdictionis prætendunt in Ordinem & Fratres; Ad mutuam pacem & concordiam, debet ostendi ab auctoritate & beneplacito S. Sedis Apostolicæ prouenire & deriuari. Cui soli & tantummodò (extra Regimen ordinariorum superiorum intra Ordinem) Ordo & Fratres subiacent: Et si sub his generalibus principiis tota Oeconomia Prouisionum pacificè examinaretur, tot difficultates non orirentur.

Iustificatio Exemptionis Ordinis Minorum a Iurisdictione Episcoporum.

FF. Minorum Exemptionis causa prima: Regulæ.

TRes porrò causæ sunt, cur Ordo Minorum inter omnes humillimus, de Apostolica benignitate tam absolutam & amplam Exemptionem sit sortitus.

1. Regulæ à Christo dictatæ cælestis dispositio: Per quam summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ (vt dictum est) voto solemni suum Ordinem immediatè subiicere S. Patriarcha *Franciscus* inspiratus fuit: Et vt specialioti, constantiori, & magis accurato regimine dirigeretur, eodem spiritu petiit & obtinuit, pro suo Ordine, vt vnus ex S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus suæ Fraternitatis vniuersæ *Gubernator, Protector,* & *Corrector* à S. Sede, & sub illius beneplacito præficeretur, quæ omnia diuinâ inspiratione Exemptionem à communi Ordinariorum Regimine concludebant: Et ratione quorum, Vniuersalis Ecclesiæ Rector Pontifex summus Regulam approbans consequenter Exemptionem, quæ ex vi Regulæ postulabatur, concessit.

2. Conditio status FF. Minorum.

2. *Exemptionis Causa* fuit, status Fratrum Minorum Conditio & Obedientia nullis circumscripta terminis: Cùm enim S. Patre *Francisco*, scisciranti Cardinali Hugolino primo Ordinis Protectori, attestante: *Non ad aliquas Prouincias Fratres Minores Dominus misericordiam, sed propter profectum & salutem Animarum totius mundi; Nec solùm ad terras fidelium, sed etiam Infidelium & Paganorum* Obedientiæ nutu transire teneantur: Item: Cùm nec locum habeant vbi figere pedem stabiliter possint, sed omni momento parati esse debeant ad quæcunque loca trantmeare, quò eos Mandata superiorum dirigunt. Quomodò diœcesibus Episcoporum, eorumque regimini congruè subiici poterant, cùm potestas Episcopalis Prouinciis, diœcesibus, locis terminetur? Quomodò congruè dicta potestas in Fratres, ex vi status nusquam consistentes, exerceri poterat, cùm interdum quot Episcoparus, tot diuersæ leges, & quælibet Regio suos habeat mores; Præterquam quòd vt Episcopi, tot inclinationes diuersæ & sententiæ: quibus si morem gerere debuissent Fratres, non nisi dissipatio & dissolutio totius Religionis ex inde nata fuisset: Benè igitur S. Sedes sub vnius Generalis Ministri, & Prouincialium regimine Ordinem relictum, non iam Episcopis subiecit, sed ad Eminentissimi Cardinalis Romanæ Ecclesiæ directionem reduxit, vt in illo tamquam vniuersali per vniuersum orbem Prælato omnia vnirentur, & per illum Ecclesiæ vni Catholicæ & Apostolicæ totus Ordo inhæreret.

3. Eorundem officium.

3. *Hujus vniuersalis Exemptionis Causa* fuit: Officium siue exercitium, ad quod Ordo ex sui Institutione assumebatur: quod quidem Missioni Apostolicæ per omnia correspondebat: Vt nimirùm, cum Apostolis & 72. Discipulis Domini: *Euntes in vniuersum mundum predicarent Euangelium omni creaturæ*, vitâ scilicet, verbo, & exemplo. Non poterant ergo Episcoporum Potestati submitti, qui ex vi status vni Prouinciæ non poterant alligari: sicut enim 72. Discipuli ad certa loca non destinabantur, vt ibi pedem figerent, sed vniuersaliter vbi messis requirebat, eò se transferebant: Ita Fratres Minores, qui sunt ad minus Operarii, quos prædixit Dominus mittendos in Messem vniuersi Orbis, ex officio tenentur, in vniuersum orbem se extendere. Necessarium itaque fuit, vt vniuersali Pastori totius Ecclesiæ

Marci 14. vers. 15.

immediatè subjicerentur; Et ne istud vniuersale Officium jacturam pateretur, debuerunt Dispositionibus, Prouisionibus, & Legibus vniuersalis Pastoris dirigi: Ne à Prælatis vel Pastoribus particularibus præpedirentur, vt ex infrà scriptis magis patebit.

Et hæ sunt potissimum Causæ, quas Bullæ Pontificum passim præferunt in suis Prouisionibus, vt in illis quilibet videre potest. Sic enim apud *Greg.* 9. in Bulla quæ incipit: *Cùm Messis multa.* Et in alterâ quæ incipit: *Cùm qui recipit Prophetam in nomine Propheta.* Sic in Bulla *Alexandri* 4. quæ incipit: *Patris benignitas* &c. In quibus Ordo ille commendatur maximè à sublimitate vitæ Apostolicæ & ab vniuersali Missione, propter quæ S. Sedes eis Exemptiones & alias Prouisiones decernit.

Nulla ex Exemptione vniuersali & absoluta Fratrum Minorum, Episcopos pati in sua Potestate dispendia.

FF. Minorum Exemptio sit sine præjudicio Episcoporum &c.

NEc de aliquo dispendio Episcopi aut Ecclesiarum Prælati ex hac vniuersali & absoluta Exemptione Fratrum Minorum sibi proueniente meritò conqueri possunt: cùm illa ad Ordinatissimam Ecclesiæ Dei directionem pertineat.

1. Quia non fit per subtractionem.

1. Exemptio namque Ordinis Fratrum Minorum non est facta per subtractionem, qualis est illa, de qua *S. Bernardus l. 3. de Consid.* conqueritur: *Subtrahuntur* (inquit) *Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis siue Primatibus:* suprà *Murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum quæ truncari se clamitant, ac demembrari* &c. Exemptio sanè Fratrum Minorum non est conditionis istius: quia Episcopis Ordo Fratrum Minorum numquam fuit subditus, sed à principio ortus sui fuit S. Sedi Apostolicæ & Cardinali Protectori reseruatus: Vnde ejus Exemptio non fuit per subtractionem: sed per singularem Reseruationem, diciturque Exemptus, non quia aliquandò subditus, vel quia aliàs subdi debebat: sed potiùs quia semper reseruatus sibi à Principe supremo fuit, ne alicui subderetur, vel subdi deberet. Vnde benè *S. Bernardus* loco citato, vbi posuit Exemptiones aliquas excusabiles *vbi* scilicet *necessitas vrget*: & alias laudabiles, ad quas *Communis vtilitas prouocat*: Alias tandem agnoscit *Exemptiones Reseruatiuas*, quas laudat. *Nonnulla tamen* (ait) *Monasteria sita in diuersis Episcopatibus, quòd specialiùs pertinuerint ad S. Sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum exempta quis nesciat? sed aliud est quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.* Itaque Exemptio Ordinis S. Francisci, ejusque immediata ad S. Sedem subjectio, diuinæ inspirationis fuit, Apostolicæ dispensationis fuit, Communis Ecclesiæ vtilitatis fuit: Humilis, sanctæ & Deo gratæ deuotionis in Patriarcha fundatore fuit. Vnde nil hic murmuri aut querimoniæ Episcoporum relinquitur: Etsi enim Potestas Ordinis Episcopalis à Christo immediatè in Bonum Ecclesiæ proueniat: Distributio tamen Jurisdictionis per Populorum subjectionem, Diœcesem & Prouinciarum assignationem, à Petro & Apostolica Sede à principio processit: Ergo S. Sedes Apostolica, sicut Episcopis suos Populos & Prouincias assignare: sic & Auxiliares Copias & Operarios pro communi necessitate & vtilitate Ecclesiæ, sibi immediatè conferibere potuit: nec absque murmuris culpa potest quispiam dicere: *Cur ita facis?*

Bernard. l. 3. de Consid.

Idem.

2. Nec hic, ratione concursus in Opere ad communem Patris-familiæ messem, aliqua confusio imaginabilis est: Qui enim 1. ad Cor. 12. posuit in Ecclesia *primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, Opitulationes, Gubernationes* &c. Idipsum ad Ephes. 4. fecisse dignoscitur: *Ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, idque ordinatissimè secundùm beneplacitum suæ voluntatis, absque vlla confusione, per subordinatos gradus non vnius generis, sed ordinatæ Communionis. Vnde parùm refert si nonnulli per Episcopos Capitis supremi influentias suscipiant; An per alterius nominis & gradus Superiores: Neque enim quia Paulo à Christo immediatè Euangelium concreditum est: Cui (vt ipse ad Gal. 2. testatur) *qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*, ideò alicujus confusionis in Prædicatione Euangelii occasio fuit, sed cùm *contulisset cum Apostolis, Euangelium quod prædicabat in Gentibus*, Et *cognouisset gratiam quæ data erat illi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt Paulo & Barnabæ societatis* &c. Quid igitur si Vicarius Christi successor Petri, Euangelii Prædicationem immediatè concredat Francisco & fratribus ejus: Quid (inquam) impedit, quò minùs Episcopi, qui columnæ in Ecclesia videntur, dexteras societatis laborum, non gradus, darent, vt vbique Christus euangelizetur. Aliàs respondebitur illis idipsum quod Moyses respondit Josue roganti vt *Eldad & Medad* (qui acceperant Spiritum Domini) prohiberet, ne in Castris prophetarent:

2. Nec cum aliqua confusione.

1. Cor. 12. vers. 8.

Ephes. 4. vers. 12.

Gal. 2. vers. 6.

Vers. 2.

Vers. 9.

rent: *Quid* (inquit) *æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Spiritum suum?* In quæ verba *S. Greg. l.* 22. *Moral. c.* 16. *Pij Pastoris mens, quia non propriam gloriam, sed Auctoris sui quærit, ab omnibus vult juuari: fidelis namque Prædicator optat, vt si fieri valeat, veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Hæc Greg. Vnde in simili Lucæ 9. nuntiantibus Discipulis Christo: *Quia vidimus* (ajunt) *quendam in nomine tuo dæmonia ejicientem, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*: Respondit: *Nolite prohibere, qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Vnde bene Seraphicus Doctor *S. Bonauentura* in quæstione: *Quare Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant*: *Non fit* (ait) *Ordinarijs præjudicium, quia non minuitur Iurisdictionis eorum Potestas, ex cooperatione aliorum, sed tantum pondus sollicitudinis & laboris.* Et hanc auxiliarem opem, quam Episcopis ferunt Fratres Minores, comparat illi, quam adhibuerunt *Luc* 5. Discipuli qui vocati sunt, dum ob multitudinem copiosam piscium rete Petri rumpebatur: *Annuerunt* vtique *sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adjuuarent eos, & impleuerunt ambas nauiculas.* Pari similitudine & ratione vocati sunt Fratres Minores in auxilium Episcoporum, & Pastorum, quia ipsi sufficientes non erant ad uniuersam Animarum multitudinem in nauiculam pertrahendam: Vnde in alia Metaphora Christus: *Messis multa, operarij pauci, Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Sed de his latiùs infrà.

Num. 11. vers. 29.

S. Greg. 22. Mor. 16.

Luc 9. vers. 49.

S. Bonau.

Luc. 5. vers. 7.

Luc. 10. vers. 2.

3. Nec obest Ordini Episcopali.

3. Nec Dignitati aut Ordini Episcopali per Exemptionem illam Fratrum Minorum, aliquid S. Sedes derogat, quippe quæ ita Exemptionem temperauit, vt tamen Officio Episcopali necessarias Prærogatiuas ad ordinatissimum Ecclesiæ decorem reseruarit.

FF. Minores Episcopis debent omnem Reuerentiã & Obseruantiam.

1. Enim ita Ordinem *S. Francisci* S. Sedes in suam Jurisdictionem suscepit: vt Reuerentiæ & Obseruantiæ debitæ ad Episcopos Fratres omni cum humilitate recordarentur, & eorum obsequiis & laboribus se per omnia, quæ Fratrum status permittit, impenderent. Quem humilem respectum in tantum agnouit S. Franciscus, vt in Regula, quamuis vniuersali prædicandi facultate ab *Innocentio* Papa cum suis munitus esset, prohibuerit tamen Fratribus suis: Ne *contradicentibus Episcopis* prædicarent. Si enim pauperculos Sacerdotes hujus sæculi tanto honore sit prosecutus, vt juxta verba Testamenti sui, *Illos vellet timere, amare & honorare sicut suos Dominos*: quanto majori honore, reuerentiâ & obseruantiâ voluit Episcopos honorari. Hinc quantum est ex parte Regulæ, & Ordinis, hunc honorem & reuerentiam ad Episcopos à suo Patriarcha hæreditauit, & se hactenus conformauit.

Non possunt prædicare sine benedictione eorum, &c.

2. S. Sedes, ne videretur Auxiliares suas Copias, à debito respectu ad primarios Ecclesiæ Duces, & Principes exemisse: ordinatissimè decreuit: Ne absque benedictione Episcoporum Fratres in suis Episcopalibus populo prædicarent, & nisi de idoneitate ipsorum ad audiendas Confessiones Episcopis constaret, Confessiones audirent. In quo iterum debitæ subordinationi satisfactum esse inferiùs latiùs demonstrabitur. Quod si in aliquibus Casibus aliter dispositum est, id nec irreuerentiæ, nec inobseruantiæ, Fratrum tribuendum est, sed supremo Principi Christi Vicario, qui summâ prudentiâ & prouidentiâ voluit, Ecclesiæ vtilitati & necessitati consulere, & malevolentiæ aut genii humani importunis abusibus legem ponere.

Episcopi quid possint in FF. Minores peccantes.

3. Nec omnis Potestas coactiua ab Episcopis ablata est: Quinimò extra claustra peccantes reprimere, Prædicatores ob causas justas à prædicationibus remouere, & aliis mediis abusus coërcere eis datum est, si non per se, saltem per eorum Superiores, qui admoniti exequi correctiones tenentur, aut manum Episcoporum, tamquam S. Sedis Apostolicæ delegatorum admittere.

His modis sufficienter prouisum est, & Episcopali Dignitati, & Potestati, nec non communi Ecclesiæ Paci, concordiæ ac vtilitati. Nec aliter congruè poterat, vt ex dictis sufficienter constat.

Exemptio illa non est Priuilegium.

Et hæc igitur Prouisio Exemptionis Ordinis à Jurisdictione Episcoporum, Priuilegium non fuit: Quia S. Sedes Legem communem non restrinxit, nec à lege communi Fratres Minores abstraxit (cùm illi numquam, Episcopis fuerint subjecti) sed Ordini qui ad vniuersæ Ecclesiæ necessitatem & utilitatem diuinâ inspiratione instituebatur, formam Regiminis, Subjectionis & Obedientiæ vocationi suæ conformem præscripsit.

CLASSIS & SECTIO II.

De Prouisionibus Votum Paupertatis Fratrum Minorum concernentibus.

NEc circa Votum Paupertatis Fratrum Minorum defuêre Apostolicæ Prouisiones. Cùm enim Ordo iste in Altissima Paupertate fundatus esset: ita vt eius Professores aut Ordo, nec domum, nec locum, nec aliquam rem sibi appro-

priare

priare possent, nec cum Apostolis aliquid in via tollere, nec sacculum aut peram habere, nec denarios aut pecuniam in zonis portare, aut ad humanas necessitates vllo modo recipere valerent; Denique: Nudi Nudum Crucifixum illius Regulæ Professores sequi elegissent, non habentes cum Christo, vbi caput reclinarent: Pia Mater Ecclesia debuit congruis modis prouidere, vt nec necessaria vitæ deessent, nec contra puritatem Voti aliqua superfluerent; denique vt operibus, ad quæ vocati erant vacare possent.

PROVISIO I.

ITaque Prouisio 1. circa Votum Paupertatis fuit: Quòd cùm Ordo in communi, & Fratres in speciali & communi ex vi Regulæ incapaces essent dominii vel cuiusuis Iuris Politici in quascumque res mobiles siue immobiles: Nihilominus ex necessitate conditionis humanæ necessarius eis vsus simplex facti esset concessus: S. Romana Ecclesia omnium rerum, quarum vsum facti Ordini, vel Fratribus licet habere, & in quibus donantes Dominium sibi non reseruassent, in suam proprietatem & plenum Dominium recepit: Ita vt ex concessione Ecclesiæ, ac sub libera eius dispositione Fratres Minores rebus necessariis, & suo statui oportunis vtantur simpliciter, & absque vllo Iure Politico. Hanc Prouisionem insinuauit *Gregorius* 9. in sua Declaratione a. 4. vbi si quæ Mobilia ob inutilitatem, aut aliam causam contingat alienari debere, id vult fieri: *De assensu & auctoritate Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator*: Ex hoc innuens Romanam Ecclesiam illa sibi in proprietatem vendicasse, & auctoritatem de illis disponendi Cardinali Protectori tribuisse. Expresse autem hoc Dominium retinuit *Innocentius* 4. in sua etiam in Regulam Declaratione. *Tit. de Commutatione rerum Fratribus concessarum.* Vbi facta mentione auctoritatis Protectoribus circa alienationes rerum factæ, clarè subiungit: *Cùm tam Immobilium quàm Mobilium huiusmodi jus & Proprietas (illis solis exceptis, in quibus expresse donatores, seu translatores sibi proprietatem & dominium reseruasse constiterit) nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent, cuius domus & loca predicta, cum Ecclesiis cæteruque suis pertinentiis (quæ omnia in ius & proprietatem S. Petri susceperimus) omninò tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, immediatè subesse noscantur.* Hæc ibi quæ & latiùs prosequitur, quoad loca, vtensilia, & alia quæ vsui Fratrum cedunt: Et quidem, loca empta ex variis fidelium eleëmosynis, in quibus nullum Jus eleëmosynarii sibi reseruarunt, similiter in Jus & dominium S. Romanæ Ecclesiæ Pontifex suscipit: Loca verò à singulari persona vel Collegio donata vel concessa Fratribus ad inhabitandum, declarat remanere sub dominio concedentium, nisi ipsi donantes aliud expresserint, ita vt, mutatâ concedentium voluntate debeant illa relinquere, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, & Cœmeteriis, quæ cùm Deo dicata sint, & consecrata, jam in Ecclesiæ possessionem transisse censenda sunt. Quæ omnia specialius in sua Decretali. *Exut qui seminat* expressit & explicauit *Nicolaus* 3.

Ecclesia recipit Dominium rerum vsus Fratrum concessarum in se.

Iustificatio superioris Prouisionis Qualiter hæc Prouisio non habeat rationem Priuilegii respectu Fratrum Minorum.

HÆc porrò Prouisio nullatenùs afficit Fratrem Minorem, quasi fauor aut Priuilegium illi aduenerit vltra statum Regulæ suæ. Cùm enim Frater Minor simplicem facti usum habeat pro necessitate vitæ, siue in habitatione, siue in alimentis, siue in vtensilibus, libris & aliis ex vi Regulæ (sequestratâ rerum incongruâ intra rationem simplicis vsus omni Pretiositate, Curiositate, & Superfluitate) vti declarat Pontifex suprà: Est Fratri Minori omninò indifferens ad quem pertineat rerum, quibus vtitur, Dominium vel proprietas, modò legitimè vtatur: Nec plus minusue in illis habet, siue sint concedentium, siue Ecclesiæ Romanæ, siue immediate in Deum transeant: Cùm quisquis sit qui Dominium & proprietatem habet, non nisi ejus de voluntate & consensu censeantur Fratres Minores vti, nec aliter vti possint, qui nihil sibi appropriare possunt, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Pia autem Mater Ecclesia Prouisione hâc præcauere voluit; Ne res quibus Fratres Minores vtuntur, sub incerto Dominio remanentes, omnium prædæ paterent, & viderentur relictæ; ac primò capientis; adeoque cùm ad illam spectarent Bona pauperum, singulariter in se Bona Deo pro necessitatibus Fratrum Minorum oblata in suum Dominium suscepit. Hanc porrò Prouisionem confirmauit *Clemens* 5. in Concilio Viennensi cap. *Exiui de Paradiso*: Vbi specificat de Legatis, de Hereditatibus, de Armis, Equis, & similibus quæ offeruntur, quæ non vult recipi etiam ab Ecclesia pro Fratribus Minoribus, nisi in quantum in rem Fratrum vsui necessariam per personas legitimas transmutari,

mutari, absque macula altissimæ eorum Paupertatis possunt: Ita vt semper illibata maneat S. Paupertas, & rerum omnium ablicatio, & præcaueatur ne Frater Minor quouis prætextu in obseruatione suæ Regulæ inficiatur. Et in iisdem terminis in hodiernum vsque diem has Prouisiones confirmarunt & continuarunt summi Pontifices excepto *Ioanne* 22. in sua Constitutione: *Ad Conditorem Canonum*: quam & ab ipsomet ante mortem reuocatam, & à Pontificibus sequentibus cassatam fat superque in fundamento superiori ostendimus.

PROVISIO II.

In Materia Voti Paupertatis.

CVm Fratribus Minoribus ex vi status & Regulæ interdictus esset omnis pecuniæ vsus, ejusque quæuis administratio, ac ejus contactus: multa autem essent ipsorum vsibus concessa, quorum vel vsus perpetuus non erat, vel successu temporis inutilia Ordini fiebant; Contingebat etiam non rarò, vt aliqua Fratribus vel donarentur vel legarentur, quæ eorum vsibus non conueniebant, sed in alias res sibi conuenientes commutari debebant: Plurima etiam quæ non offerri solent in specie, ad vitæ & status necessitatem & conseruationem, pecuniâ emi siue comparari debebant; nec ita facilè per Amicos spirituales cum puritate Regulæ ista transigi poterant: Pontifices sequentes Prouisiones decreuerunt.

Quid decreuerint Pontifices circa rerum non necessarium fratribus commutationem.

1. Quòd quando res mobiles Fratribus ad vsum concessæ, ex eo quòd non forent eis ampliùs necessariæ, aut vtiles, deberent commutari, distrahi, aut æstimato pretio vendi: Permittit S. Sedes vt commutentur, distrahantur, vel etiam æstimato pretio & pecuniâ vendantur. Et si quidem Commutatio vel alia Dispositio vsus talium rerum fieri debeat; vult vt hujusmodi Commutatio vel Dispositio. *De Generalium & Ministrorum Prouincialium in suis administrationibus auctoritate procedat.* Si verò res hujusmodi æstimato pretio vendi contingat (cùm Fratribus per se vel per alium recipere pecuniam Regulâ prohibente non liceat) Ordinat & Mandat Pontifex, quòd talis pecunia vel pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus vsum Fratribus licet habere, per *Procuratorem* à præfata Sede, vel à Cardinale Gubernationem Ordinis per ipsam Sedem gerente deputandum, juxta modum in superioribus necessitatibus præteritis & ingruentibus ordinatum. Ita ordinauit & providit *Nicolaus* 3. Extrau. *Exiit qui seminat* a. 6. *De commutatione rerum mobilium.* Et à principio Ordinis eadem Prouisio facta erat per *Innocentium* 4. vt patet ex Bulla quæ incipit: *Quantò studiosius*, &c. *Data Romæ Kalend. Septemb. Pontif. anno* 3. In qua nominationem Procuratoris jam ex tunc committit Ministris Generalibus & Prouincialibus, postulatiuè, scilicet, & ministerialiter nomine S. Sedis.

Ad quam etiam Prouisionem spectat & eodem modo pertinet, Venditio rerum quæ licito modo Fratribus à Testatoribus aut aliis legantur vel dantur, vt earum pretium siue pecunia de rebus illis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria conuertantur &c. In hac enim Pontifex mandat & ordinat, vt talis venditio, & pecuniarum receptio, & in Fratrum necessitates conuersio, fiat per certam personam vel personas, quæ à Testatoribus vel donantibus sunt determinatæ vel nominatæ: Aut si non sint personæ nominatæ, fiat per *Procuratorem* vel *Syndicum* à S. Sede vel Protectore nominatum, idque semper auctoritate & nomine Ecclesiæ. Vide supradictam Declarationem *Nicolai* 3. *a.* 5. *De iis quæ relinquuntur Fratribus Testamento.*

Qualiter Procuratores seu Syndici in initio Ordinis instituebantur.

Et hæc Prouisio à principio Ordinis fuit cum omni puritate Regulæ obseruata his modis: Protector namque Ordinis constituebat & delegabat Episcopos, vt in suis Diœcesibus nomine & auctoritate S. Sedis certas personas ad supplicationem & nominationem Ministrorum Prouincialium, prout locis & domibus expedire judicarent, instituerent *Procuratores*, qui reciperent pecuniam, quæ de libris & aliis mobilibus venditis, quibus tam Ordo quàm Fratres vtuntur, ad Romanam Ecclesiam spectantibus, & eam in alias veras necessitates Fratrum expenderent: Declarando dictam pecuniam semper & omni tempore, & per quascumque manus transiret, aut ministraretur, quousque expensa esset in veras & legitimas necessitates Fratrum, ad Romanam Ecclesiam pertinere &c. Vbi etiam determinatur dictos Procuratores posse destitui, & reuocari, & alios substitui, quando & quomodò Ministri Prouinciales judicarent expedire. Et quidem Litterarum Protectoris Ordinis Eminentissimi D. Matthæi S. Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, super Constitutione Procuratorum hujusmodi nomine S. Sedis duo Originalia habeo authentica Episcopi Monasterienſis cum sigillis, in quibus Litteras Cardinalis ad longum refert *Datas* 4. *Kal. Martii anno Domini* 1280. *Pontif. Nicolai* 3. *anno* 3. Ex quibus quia ejusdem Tenoris sunt, vnum hic exemplar pono.

E. Dei gratiâ Monasterienſis Epiſcopus: Dilectis in Chriſto Ludouico de Vronch, Angelo, & Henrico filio ejus, & Conrado Vrſtebendel, & Cuniperto Piſtori ciuibus in Marcburg, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Dilectioni veſtræ præſentibus innoteſcat, Nos à Venerabili Patre Domino Matthæo S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali recepiſſe litteras in hunc modum: Venerabili in Chriſto Patri Dei gratiâ Epiſcopo Monaſterienſi, Matthæus miſeratione diuinâ S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis ſalutem in Domino. Cum Ordinis Fratrum Minorum, quem glorioſus Chriſti Confeſſor B. Franciſcus inſtituit, Gubernatio ſit nobis ab Apoſtolica Sede commiſſa: Paternitati veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, præſentium tenore committimus, damus, & concedimus poteſtatem ordinandi & conſtituendi Procuratorem ſeu Procuratores quot & quos & quotiens videris expedire, in Prouincia Coloniæ, ad recipiendum pretium ſeu pecuniam, quæ de libris & aliis mobilibus, quibus tam Ordo, quàm Fratres prædicti vtuntur, ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus, eorundem Fratrum vſibus deputatis, pretio æſtimato vendendis recipienda fuerint, & ad expendendum hujuſmodi pretium, ſeu pecuniam in rem licitam, cujus vſum Fratribus habere liceat, & in aliis vſibus licitis & honeſtis ſecundum Conſtitutionem à Sanctiſſimo Patre Domino N. diuinâ prouidentiâ Summo Pontifice ſuper nonnullis eorundem Fratrum Regulam contingentibus promulgatam. Ita vt per quoſcumque manus pecunia ſeu pretium hujuſmodi tranſierint, aut ad quoſcumque pertinuerint, poſſint in re & caſibus prædictis expendi; Nihilominùs pecuniâ & pretio memoratis, quouſque expenſa fuerint, pertinentibus ad Romanam Eccleſiam ſupradictam. Concedentes plenam poteſtatem reuocandi hujuſmodi Procuratores, quos inſtituendos duxeritis, & in locum ipſorum alios ſubrogandi quoſcumque & quandocumque videritis expedire Præſentibus valituris quouſque per Sedem Apoſtolicam, aut per nos ſuper hoc aliud fuerit ordinatum. Datum Romæ 4. Kal. Martii anno Domini 1280. Pontif. prædicti Domini N. Papæ 3. anno 3. Volentes igitur mandatum commiſſum hujuſmodi adimplere, efficaciter exequi, ac proſequi reuerenter, vos & quemlibet veſtrum in ſolidum; Ita quòd non ſit melior conditio occupantis, facimus, conſtituimus, & ordinamus ipſius Domini Matthæi, & Eccleſiæ Romanæ, cuius vice fungitur in hac parte, Procuratores & Nuntios ſpeciales ad dictam pecuniam, & pretia dictarum rerum recipienda & expendenda per vos & quoſcumque alios iuxta formam litterarum ipſarum, & Conſtitutionis prædictæ, donec eàdem auctoritate fueritis reuocati: In quorum teſtimonium præſentes litteras noſtro ſigillo fecimus roborari: Datum Monaſterii anno Domini 1282.

Alia amplior Epiſtola ejuſdem Cardinalis Protectoris ad Henricum Treuirenſem Archiepiſcopum, quam idem ſuis inſeruit, quam etiam hic ſubjicio, quia nonnulla continet, quæ in prioribus non ita ſpecificantur. Hic autem eſt Tenor, H. Dei gratiâ Treuirorum Archiepiſcopus: Dilectis ſibi in Chriſto Gerardo dicto Lupus, & Gerardo de Buwinhcym militibus in Dietz: Ludouico monetario, ac Ludouico filio VVarlonis oppidanis in Limburgh, Hermanno dicto Vremede & Nicolao ante caſtrum oppidanis in Montabur, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Dilectioni veſtræ præſentibus innoteſcat, nos à Venerabili Patre Domino Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinale recepiſſe litteras in hunc modum: Venerabilibus in Chriſto Patribus vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Alemanniæ conſtitutis, Matthæus miſeratione diuinâ Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis ſalutem in Domino. Cum Ordinis Fratrum Minorum, quem glorioſus Chriſti Confeſſor B. Franciſcus inſtituit Gubernatio ſit nobis à Sede Apoſtolica commiſſa, præſentium tenore committimus, damus, & concedimus vnicuique veſtrum in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, poteſtatem ordinandi, & conſtituendi Procuratorem ſeu Procuratores in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, quos & quot ſinguli Miniſtri Prouinciales eorundem Fratrum Minorum, qui ſunt vel erunt pro tempore in Prouinciis ſibi commiſſis per ſe, vel per alium ſeu alios duxerint nominandos, & quotieſcumque & quandocumque eis videbitur expedire, ad recipiendum pretium ſiue pecuniam, quæ de libris & aliis mobilibus, quibus tam Ordo, quàm Fratres prædicti vtuntur, ad Romanam Eccleſiam ſpectantibus, vſibus Fratrum dicti Ordinis in eiſdem Prouinciis deputatis, vel etiam deputandis, pretio æſtimato vendendis recipienda fuerint, & ad expendēdum de voluntate ſingulorum Miniſtrorum prædictorum in Prouinciis ſibi commiſſis, hujuſmodi pretium ſiue pecuniam in rem licitam, cujus vſum Fratribus habere liceat, & in aliis caſibus licitis & honeſtis ſecundum Conſtitutionem à ſanctiſſimo Patre Domino Nicolao diuinâ prouidentia ſummo Pontifice ſuper nonnullis prædictorum Fratrum Regulam contingentibus promulgatam: Conſtituendi quoque vnum vel plures Procuratores in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, quos vel quot eiſdem ſingulis Miniſtris vel alii vel aliis, quibus hoc commiſerint, viſum fuerit, ad recipiendum hujuſmodi pretium, ſeu pecuniam ab vniuerſis & ſingulis Procuratoribus aliarum litterarum noſtrarum auctoritate inſtitutis vel inſtituendis, nec non & quos præſentium auctoritate inſtitui vel reuocari

uocari contigerit, & ad expendendum nihilominùs illa in rem licitam, & aliis casibus honestis & licitis, vt præmittitur, ita vt per quotcumque manus pecunia seu pretium hujusmodi transierint, aut ad quoscunque pervenerint, possint in re, & casibus prædictis expendi, nihilominus pecunia & pretio memoratis, quousque expensa fuerint, pertinentibus ad Romanam Ecclesiam supradictam. Concedentes vobis & cuilibet vestrum in solidum plenariam potestatem revocandi hujusmodi Procuratores, quos instituendos duxeritis, vel instituti fuerint per quoscunque, & in locum ipsorum similiter alios subrogandi, quotiescumque singulis Ministris præfatis in Provinciis sibi commissis, vel alii seu aliis, quibus hoc commiserint, videbitur expedire: Omnes insuper Procuratores aliarum vestrarum litterarum authoritate per quoscunque, seu à quocunque institutos, vel instituendos, & etiam quos auctoritate præsentium contingit institui eò ipsò intelligimus & à nobis volumus esse revocatos, ac per nos expresse revocamus ex tunc, quo vel à constituentibus ipsos seu à nobis, vel à vestrum aliquo singulis Ministris per se in sibi commissis Provinciis, sive per alium seu per alios, quibus hoc commeserint, eos petierint revocari, vel hujusmodi Procuratoribus constitutis vel constituendis denuntiaverint, vt hujusmodi procurationis officio non vtantur. Caterum ideò illos dumtaxat Procuratores constitui, & illos revocari posse, & revocatos intelligi volumus, quos singulis Ministris in commissis sibi Provinciis, vel alius seu alii, quibus hoc commiserint, duxerint seu revocari petierint, vel de quibus denuntiaverint, vt superius est expressum. Quia firmiter creditur & speratur, quòd per eos sollicitudo diligens adhibetur & cautela, vt de rebus pretio & pecuniâ supradictis bene placitum præfatæ Romanæ Ecclesiæ, cujus sunt, impleatur & fiat. Præsentibus valituris quousque per Sedem Apostolicam, aut per nos super hoc aliud fuerit ordinatum. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Kal. Maii anno Domini 1280. Pontific. prædicti Domini Nicolai Papæ 3. anno 3. Volentes igitur mandatum & commissionem hujusmodi fideliter adimplere, efficaciter exequi, & prosequi reverenter, vos in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, facimus, constituimus, & ordinamus ipsius Domini Matthæi & Ecclesiæ Romanæ, cujus vice fungitur in hac parte, Procuratores & nuntios speciales ad dictam pecuniam & pretia dictarum rerum recipienda & expendenda per vos & quoscunque alios iuxta formam litterarum ipsarum, & Constitutionis prædictæ, donec eâdem auctoritate fueritis revocati. In cuius rei testimonium præsentes litteras nostro sigillo fecimus roborari. Datum anno Domini 1281. in crastino omnium animarum.

Ex quibus constat conformiter ad *Nicolai* 3. Declarationem Regulæ quæ incipit. *Exit qui seminat*, quæ etiam allegatur in illis litteris: Ecclesiam Romanam in suum dominium à principio accepisse pecunias, quæ ex rerum venditarum pretio proveniebant, donec in vsus licitos Fratrum essent conuersæ. Et quidem immediatè ad effectum eorum, quæ in ipsa Declaratione ab ipso Pontifice constituta erant, cum Declaratio data fuerit Suriani 18. *Kal. Septemb. Pontif. anno* 2. litteræ autem Cardinalis Protectoris anno sequenti in Martio.

2. *Prouisio* fuit: Quod cùm non esset prouisum super pecuniis quæ in necessitates Fratrum offerebantur, seu donabantur, absque retentione dominii: Nec in speciali de modis, quibus hæredum cupiditas ad solutionem piorum legatorum cogeretur, seruatâ puritate conscientiæ & Regulæ Fratrum, quam Prouisionem promiserat *Nicolaus* 3. in sua Declaratione art. 5. Posteriores Pontifices ampliorem *Prouisionem* dederunt, in quo executio omnium continetur, quæ ratione dominii ad Ecclesiam Romanam spectant ob oblationes, donationes, legationes pro veris necessitatibus Ordinis & Fratrum factas. His verò terminis hæc Prouisio ferè continetur.

1. Vt Institutio Syndicorum (per quos pecunia illa administrari debebat) non jam fieret per Protectorem Ordinis vel Episcopos, quia Episcopi conquerebantur se grauari, sed auctoritate Apostolicâ à Ministris Generalibus vel Prouincialibus (cum prius ad eorum postulationem fieret) immediatè nominarentur seu instituerentur. *Syndicorum institutio ad Generales vel Prouinciales jam spectat.*

2. Quia præter pecunias, quæ ex rebus ad vsum Fratrum pertinentibus diuenditis, vel ex legatis proveniebant, aliæ multæ in necessitates quotidianas offerebantur, vel in stipendium Missarum, Prædicationum, Officiorum diuinorum &c. consignabantur, quarum dominium fideles à se ablegabant, aut ablegare se credebant: Ne illæ pecuniæ sub incerto dominio remanerent, aut earum administratio in scandalum, vel Regulæ impuritatem cederet: Ecclesia Romana dominium illarum (quarum domini non apparerent, vel de eis non constaret) in se & suam absolutam dispositionem suscepit, & illarum receptionem, administrationem, & expensionem Syndicis siue Procuratoribus suis legitimè institutis commisit. *Pecuniarum Fratrum necessitati oblatarum Dominiũ apud Papam.*

3. Nè aliter quàm Regula præscribit, illæ pecuniæ, aut sine legitima necessitate præterita, præsenti, vel imminenti velut ad thesaurisationem reciperentur, aut in superfluos vsus expenderentur, aut aliæ impuri-

Pecunia illa an possint recipi & expendi sine consensu Ministrorum seu Guardianorum.

puritates subintrarent. Ita voluit hujusmodi pecunias auctoritate Romanæ Ecclesiæ per Syndicos siue Procuratores S. Romanæ Ecclesiæ recipi, & expendi siue administrari, vt de consensu & conscientia Ministrorum siue Guardianorum reciperentur & expenderentur, quorum vtique conscientiæ coram Deo & ex Regula onerantur; ne aliqua impuritas contra Regulam ex ignorantia vel inaduertentia Syndicorum ex hujusmodi ministerio subintraret.

Quid Syndici possint circa illas pecunias.

4. Quia istæ pecuniæ, sicut & res aliæ omnes, pertinent ad Romanam Ecclesiam: Prouiderunt Pontifices, ad vitandos varios & intricatos multis difficultatibus recursus: Vt Syndici siue Procuratores omnia circa pecuniarum conseruationem, repetionem, recuperationem, agerent nomine semper & auctoritate Ecclesiæ, quidquid Domini solent, tam in judicio, quam extra, absque eo tamen, quòd Fratres se omnino talibus immiscerent.

Hæc omnia patent ex Bullis Pontificum ab *Innocentio* 4. vsque ad hæc ferè tempora. Præcipuè *Ex Bulla Martini* 4. quæ incipit: *Exultantes in Domino. Data apud Vrbem veterem* 15. *Kalend. Febr. Pontif. anno* 2. Quam de verbo ad verbum retulit, & confirmauit ac auxit *Martinus* 5. in Bulla quæ incipit: *Amabiles fructus*, &c. *Data Romæ apud SS. Apostolos Kal. Nouemb. Pontif. anno* 11. Quam vtramque iterum confirmauit. *Eugenius* 4. in Bulla quæ incipit: *Prouisionis nostræ. Data apud S. Petrũ anno Incarnationis Dominii* 1432. *Idibus Febr. Pontif. anno* 2. Quam *Eugenii* cum cæteris laudauit & innouauit. *Paulus* 4. in Bulla quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ Prouisione. Data Romæ apud S. Mariam, sub annulo Piscatoris die* 1. *Iulii* 1551. *Pontif. anno* 1.

Iustificatio Prouisionis super Dominio pecuniarum, & earum expensione ac administratione per Syndicos: Qualiter nihil Priuilegii relaxatiui contineat respectu Fratrum Minorum.

PRouisiones sanè Apostolicas superiùs relatas nil à Regulæ à Christo dictatæ littera dissidere, nil Priuilegii relaxatiui sapere, nil Fratri Minori libertatis in rigore suæ obseruantiæ conferre, penitius rem consideranti manifestum est, si ponderè sanctuarii omnia expendantur, & arundine aureâ hominis quæ est Angeli mensurentur. Quamuis nonnulli timore concussi, vbi non fuit timor, scrupulis nonnullis agitati sunt ob pecuniæ honorem, idque quia piè quidem ab hominum siue fragilitate, siue malitia timentes, non tam Prouisionum substantiam, quàm hominum malè vtentium imbecillitates respexerunt.

Hanc porrò Prouisionem super pecuniis à Syndicis nomine Ecclesiæ recipiendis, & eiusdem S. Sedis auctoritate in necessitates Fratrum Minorum expendendis, cum indictis suæ administrationis terminis & limitibus, nihil de rigore Regulæ remittere, Pontifices summi apertè declararunt.

Receptio pecuniarum per Syndicos nec est contra Regulam, nec est Priuilegium.

Et quidem *Innocentius* 4. qui primus super Institutione Procuratorum siue Syndicorum ad res vendendas, & pretium earum recipiendum nomine Romanæ Ecclesiæ Bullam dedit, apertè exprimit, se hanc Prouisionem dare, vt *Fratrum quietis prouideret, ne pedes* (ait) *quos lauisse videbantur, affectu & effectu omnia relinquendo, cogerentur* (quod absit) *iterum inquinare.* Vide Bullam suprà citatam quæ incipit: *Quantò studiosius* &c.

Nicolaus 3. etiam in sua Declaratione, cùm de rebus in vltimis voluntatibus in necessitates Fratrum relictis vendendis, & pretio à Procuratoribus recipiendo agit: Expressè ponit se ita de illis disponere: *Prouidendo legantibus, & Fratrum Conscientiis præcauendo* &c. Iterum: *Ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes oportunis auxiliis non fraudentur* &c.

Martinus 4. in Bulla: *Exultantes*, profitetur ad suam Prouisionem inductum se esse, tamquam ad *honesta remedia, quibus Ordinis puræ obseruantiæ in suo vigore seruaretur, sidemque Fratres* &c. *Liberius & quietiùs diuinis vacarent obsequiis* &c.

Martinus 5. iterum in Bulla quæ incipit: *Amabiles fructus* protestatur se in sua Prouisione non intendere, nisi: *Statum Ordinis prosperè conseruare, & Professores illius ab exteris & secularibus curis relevare, vt in humilitatis spiritu, & contemplationis suauitate, sinceriùs & quietius possint Domino famulari.*

Clarissimè, amplissimè, & resolutissimè Prouisionum dictarum naturam ab omni vel modico scrupulo relaxationis liberam declarauit *Paulus* 4. in Bulla quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ Prouisione*; de qua suprà: Vbi postquam confirmauit omnia quæ Syndicis siue Procuratoribus Sedis Apostolicæ à Brædecessoribus suis commissa erant, tandem concludit: *Nec propter præmissa* (ait) *Fratres Minores hujusmodi contra Regulam S. Francisci quam professi sunt, siue contra statuta Regularia sui Ordinis hujusmodi, in aliquo facere nec fecisse: Imò cum illius obseruatione*

tione quoad hoc, & pura & sana conscientia, sine alicuius conscientiæ scrupulo vixisse, eatenùs & in posterum viuere &c. declaramus.

Ex quibus omnibus manifestum est Constitutiones illas Summorum Pontificum, non habendas pro Priuilegiis Regulam vel statum Fratrum Minorum in aliquo relaxantibus, sed pro meris Prouisionibus, ad majorem puritatem conscientiarum conseruandam collimantibus, modò benè, & integrè obseruentur.

Quòd enim Pontifices potuerint dominium omnium rerum, quarum vsum Fratribus Minoribus licet habere, in se recipere, extra controuersiam est. Quòd iterum potuerint pecuniarum in res vsui Fratrum Minorum licitas suo tempore conuertendarum, aut ex rebus Fratribus Minoribus, vbi vendi &c. contigerit, prouenientium, vbi Domini sibi illud non reseruarunt, dominium sibi reseruare, ex eorum factis à principio constat, & ex jure communi, quo Bona pro Pauperibus Deo oblata Ecclesiæ administrationi cedunt.

Quòd tandem tum rerum, tum pecuniarum Administratores, & Syndicos constituere potuerint, qui illas reciperent, eas in Judicio repeterent, & defenderent &c. ipsa ratio Dominii & Proprietatis expostulat.

Quòd denique illa Fratrum Minorum Regulam non tangant, ex ipsismet conditionibus à Pontificibus expressis luce meridianâ clariùs probatur: Nam 1. Fratres Minores per hoc ab omni dominio, proprietate, possessione, & qualibet Politica administratione sequestrantur. 2. Omnis vsus Juris Fratri Minori interdicitur, dum non nisi de licentia S. Sedis vtuntur. 3. Omnis abusus prohibetur: Dum respectu Fratrum Minorum, Pontifices illa tantùm in suum dominium recipiunt, *quorum vsum Fratribus licet habere.* Quòd si aliqua superfluant, quæ in res necessarias transmutari nequeunt, si Domini sibi proprietatem non reseruauerint, in sortem communium Bonorum Pauperum sub beneplacito Pontificum relabuntur: Ita vt nullo modo Fratres Minores contingant, qui expresè prohibentur aliquibus vti, ad superfluitatem, curiositatem, vel pretiositatem. Quòd verò spectat ad pecunias; Nec possunt permittere illas deponi, etiam apud Syndicos, nec vllo modo ad eas recurrere, nisi pro vera, præterita, præsenti vel imminenti necessitate, idque de sensu & consensu siue ex voluntate Ministrorum & Custodum. Et ne rerum per Syndicos repetitio in Judicio illos commaculet: Declararunt Pontifices, Fratres sub peccato mortali *non posse assistere in Curiis*, vel se hujusmodi repetitionibus Judiciariis immiscere. Quia quod Syndicus agit, auctoritate & nomine S. Sedis agit. Remanet itaque non obstantibus omnibus Apostolicis Prouisionibus Frater Minor omnibus rebus mundanis spoliatus, non habens cum Christo vbi caput reclinet; alieno vtens, alieno viuens, in alieno moriens, nil commune cum mundo possidens. *Fratres qua obligatione arceantur à Curiis.*

CLASSIS

ET

SECTIO III.

Prouisiones Apostolicæ spectantes votum Castitatis.

CAndidissimum illud lilium Castitatis Franciscanæ, quod ex Regula Fratrum Minorum omne suspectum consortium, consiliumque mulierum refugit, à Monialium Cœnobiis arcet, & Compaternitates etiam ex Sacro Baptismate prohibet, nonnullis debuit vestiri Prouisionibus, ne viderentur Fratres suæ Regulæ Transgressores.

1. itaque *Prouisio* fuit *Gregorii* 9. qua concessit Fratribus Minoribus ad terras Saracenorum, & Paganorum proficiscentibus, vt quos Ministerio Verbi Dei ad fidem conuerterent, baptizare possent. Data est Bulla 16. *Kal. Iunii Pontif. anno* 7. Et hæc Prouisio postea apud Missionarios inualuit; Nec vllatenùs Priuilegium sapit, sed opus Charitatis ad vtilitatem Matris Ecclesiæ commendat. Vnde & in Capitulo Generali Mechlinienſi, etsi Ordo vniuersaliter à Ministerio Baptismi abstineat, declaratum tamen fuit, Compaternitatem quidem, quæ ex Ministerio Baptismatis oritur, non prohiberi Fratribus per Regulam; ad majorem tamen puritatem, non permitti Fratribus extra casum necessitatis baptizare. *An & qualiter Fratres possint baptizare.*

2. *Prouisio* fuit circa curam Monialium S. Claræ: à qua recipienda *Alexander* 4. Fratres Minores liberat, nisi speciali mandato Apostolico hæc eis imponatur; & ita quidem vt dictæ Moniales, immediatè semper remaneant subjectæ Sedi Apostolicæ. Bulla incipit: *Petitio vestra. Data Anagniæ* 15. *Kal. Septemb. Pontif. anno* 1. *Fratres qualiter fuerint liberati à Cura Clarissarum.*

Similiter *Clemens* 4. declarauit: Fratres Minores non posse à Legatis Apostolicis, vel Episcopis cogi ad visitanda aliqua Monasteria Monialium, vel ad audiendas earum Confessiones.

Iulius 2. etiam Regulari Obſeruantiæ eadem conceſſit: Non poſſe, nimirùm, compelli ad ſuſcipiendam curam Monialium, niſi per ſpeciales litteras Apoſtolicas à Protectore vel Generali ſigillatim impetratas aliud decernatur. Ita refert hanc & præcedentem Compendium Priuilegiorum V. Moniales n. 2. & 20.

Iuſtificatio Prouiſionum ſupradictarum qualiter in nullo relaxent Regulam ſed confirment.

ET quidem de poteſtate baptizandi id ſuperiùs explicatũ eſt; Ne verò quies Fratrũ in Cura Monialium turbaretur, aut ex obligatione nimĩa ad illas decor Caſtitatis aliquâ nebulâ inficeretur: Pontifices ita neceſſitati per ſeipſos immediatè voluerunt prouidere, vt non liceret Fratribus abſque auctoritate & Obedientia Apoſtolica earum Curam ſuſcipere; Nec à Prælatis Eccleſiaſticis ad id poſſent cogi: Vnde *Innocentius* 4. in quadam Bulla quæ incipit: *Licet olim* &c. *Datæ Lugduni* 4. *Idus Iulii Pontif. anno* 4. nolens Moniales S. Claræ ordinariæ Juriſdictioni Ordinis ex vi ſtatus habeni ſubjectas, ſed ſi quando ſubjiciantur, id fieri per meram delegationem, & ad certa munia: Declarat: Moniales S. Claræ, vel alias quæ Ordini ſub quacumque forma committi contigerit &c. Hoc ſolum ab Ordine Commiſſionis Apoſtolicæ beneficio conſequantur: *Vt ipſæ Moniales ſub Magiſterio ac doctrina Ordinis, & eorum qui pro tempore Miniſtri fuerint debeant permanere: Illis gaudentes Priuilegiis, quæ Ordini ſunt conceſſa vel concedenda &c.* Vbi & curam Viſitationis, Directionis, Correctionis illarum &c. ita ſuperioribus Ordinis committit, *vt eas per hoc Ordini Fratrum Minorum incorporari non velit*, ſed tantùm vt circa eas, illa quæ à Sede Apoſtolica illis commiſſa ſunt, *diligenter & ſollicitè adimpleant.* Quam Conſtitutionem *Bonifacius* 8. per aliam Bullam quæ incipit: *Quaſdam litteras* &c. confirmauit, & ſuæ Bullæ inſeruit: Data autem erat *Bonifacii* 8. Bulla *Anagniæ* 5. *Nonas Iulii Pontif. anno* 2.

Per hoc quod Monialium cura Fratribus committatur non incorporantur Ordini Minorum.

Quæ omnia de ſubjectione Monialium Ordini Minorum, vt benè intelligantur & penetrentur, repetenda ſunt quæ de illa à principio Ordinis inſtituta fuerunt: Etſi enim Ordo S. Claræ ſiue Pauperum Dominarum S. Damiani à S. P. N. Francisco inſtitutus ſit: Non tamen fuit ex Inſtitutione ſua Ordini ſubjectus, ſed immediate Cardinali Protectori: Vnde proficiſcenti ad Soldanum Seraphico Patre, cùm Cardinalis Hugolinus Ordinis Protector, ad *annum* Ordinis 12. de regimine Monaſterii S. Damiani & aliorum quæ jam multiplicata erant, ſeriò ageret: S. Pater mentem ſuam aperiens: Se vnicum & ſolum *Conuentum S. Damiani* extruxiſſe, ſiue extrui procuraſſe aſſeruit, in quo primam Plantulam Claram recluſit; Et cum illius prima vocatio diuino ſpiritu ejus directioni commiſſa eſſet, illius ſoliùs & Sociarum primarum curam aſſumpſiſſe, tam quoad diſciplinam Regularem, quàm quoad victum tenuem per Fratrum mendicationem illis procurandum: Cæterùm non fuiſſe vnquam intentionis illius, quòd Fratres extruendis aliis Conuentibus, aut eorum regimini ſe immiſcerent: Diſplicentiam verò non mediocrem oſtendebat, quòd Fratres in tantum iſtarum Monialium directionem in ſe ſuſciperent, vt jam à principio anticipato velut nomine *Minoriſſæ* vocarentur. Inſtanter itaque agebat cum Eminentiſſimo Cardinale Protectore, vt ſanctimonialium cura, & familiaritas à Fratribus elongaretur, ſi volebat ipſorum famæ, & quieti benè conſultum. Sæpiùs etiam turbato animo coram Fratribus ſuſpirans ingeminabat: *Timeo* (inquiens) *ne dum Deus nobis abſtulit vxores, Diabolus nobis procuraverit Sorores.* Vnde & Fratrum acceſſum ad Moniales, Clariſſas potiſsimùm, abhorrebat, niſi Apoſtolicâ auctoritate & obedientiâ mitterentur.

Nec erat intentio S. Franciſci.

Vnde inſtat vt Ordo liberetur ab illarum cura.

Ejus dictum notabile.

Quo quidem colloquio Seraphici Patriarchæ commotus Protector; re cum Pontifice maturiùs collatâ: Relicto primario & Originali Conuentu S. Damiani (cui ſuam operam tamquam Ordinis fundator S. Pater addixerat) cæterorum Conuentuum regimen immediatum in ſe recepit, delegato illorum viſitatore quodam *Fratre Ambroſio* Ordinis Ciſtercienſis Religioſo: Vnde & modum viuendi Clariſſis ſub S. Benedicti Regula ſuis conſtitutionibus tradidit, quas *Innocentius* 4. à Regula S. Benedicti non multum diſtinctis diu poſt pro aliquibus Clariſsis approbauit per Bullam quæ incipit. *Solet annuere* &c. *Data Lugduni Idibus Nouemb. Pontif. anno* 3. quam R.P. Lucas Waddingus ad *annum* 1219. n. 46. refert.

Liberatur Ordo à cura Clariſſarum exceptis Damianitis.

Vnde Clariſſæ in multo vixerunt ſub Regula & Conſtitutionibus S. Benedicti.

Sub qua Regula, & Conſtitutionibus vixiſſe à principio Clariſſarum Conuentus (præter illum S. Damiani primarium) verisimile eſt, ſaltem tempore quo ſub præfato Fratre Ambroſio Viſitatore vixerunt: donec ad *annum* 1224. S. Franciſcus ſollicitatus à S. Clara & filiabus quæ in primario Conuentu S. Damiani ſub directionibus à S. Franciſco præſcriptis viuebant, nec Regulam S. Benedicti ſuſceperant, vt illis pro Ordine ſuo ſingularis Regula ad nor-

Clariſſæ in initio non ſubdebantur Ordini.

normam Fratrum Minorum firmiter pro futuris temporibus concederetur: Ipse S. Pater cum Cardinale Hugolino huic Ordini propriam conscripsit duodecim capitibus, eamque *Regulam & vitam sororum Pauperum* nuncupauit, in cujus compositione & scriptione (referente *Philippo de Perusio in Epistola quam scripsit ad Gonsalvum Ordinis Minorum Generalem*) Cardinalis præ deuotione & compassione totus in lachrymas resoluebatur. Hanc Regulam *Pauperes Clarissæ S. Damiani* dictæ susceperunt, & quæ Paupertatis S. Claræ postea Sectatrices fuerunt in vniuerso orbe eandem amplexæ sunt, & sub illa Regula S. Coletæ Reformatio surrexit, & vniuersaliter quæ Pauperes Clarissæ dicuntur vsque modo dictam Regulam obseruant.

Regula Clarissarum pauperum quando & quomodo scripta.

Confusio Clarissarum quoad nomen & Regulam.

Erat porrò à principio magna confusio Monialium quæ illius Instituti S. Claræ Sectatrices se nuncupabant, quarum aliæ *Sorores Recluſa*, aliæ *Pauperes Domine*, aliæ *Minoriſſe*, aliæ *S. Damiani*, aliæ *Clariſſe* nuncupabantur. Ex quibus aliquæ Regulam à *S. Francisco* traditam, aliquæ à *Gregorio* 9. præscriptam, aliæ Constitutiones ab *Innocentio* 4. aliæ ab *Alexandro* 4. traditas obseruabant. Quæ diuersitas sub *Vrbano* 4. finem accepit, magno zelo id procurante Eminentissimo Cardinale *Ioanne Cæetano Ordinis Minorum & S. Claræ Protectore*, qui auctoritate *Vrbani* 4. Pontificis Ordinem S. Claræ ad duas Classes reduxit: quarum Prima *Regulam à S. Francisco traditam* in suo rigore obseruarent, & nomine *Pauperum Sororum S. Claræ* gauderent: Altera autem Classis Regulam ab *Vrbano* datam assumerent, à qua & Vrbanistæ sint dictæ.

Sepita per Vrbanum 4. vnde Vrbaniſte.

Porrò vt ad ea à quibus supra digressi sumus, & ad Monialium regimen reuertamur: sicut *S. Franciscus* ab illo abhorruit, ita suos Fratres ab illo absterrere semper conatus fuit: Vnde Philippo Longo suo discipulo, cui vtique tamquam viro pio, & zeloso Apostolicâ auctoritate, procurante Protectore Hugolino commissa fuerat, post Fratrem Ambrosium Cisterciensem, Clarissarum visitatio, grauissimis verbis susceptam Commissionem condemnauit: *Male* (ajebat) *feciſti, F. Philippe, malè feciſti: Huc vſque fiſtula fuit in carne, eratque curationis ſpes, ſed nunc in oſſibus radicata euaſit incurabilis.* Quod, vt prædixit, euenit; Ex regimine enim Monialium, Ordo tanta incurrit incommoda, vt sancti Patres nostri semper tentauerint hanc curam velut jugum intolerabile ab Ordine excutere: prout ex variis ad S. Sedem recursibus & litteris Apostolicis constat.

S. Franciſcus quantum abhorruerit à regimine Monialium.

Vnde increpat eum qui in ſe ſuſceperat munus eas viſitandi.

Nota bene

Vnde tempore S. Bonauenturæ solemnis illa controuersia emersit, in qua etsi ob S. Sedis & Eminentissimi Protectoris reuerentiam conniuere debuerit zelosissimus Ordinis Generalis, in hoc tamen cuicit, vt & summus Pontifex declararet, Ordinem ad directionem & obsequia Monialium non teneri, & Conuentus Ordinis S. Claræ subscriberent, se nullam in ipsis obligationem agnoscere. Historiam ex probatissimis Auctoribus refert R. P. Waddingus ad annum Christi 1263. n. 17. & 1264. n. 3.

S. Bonauentura quid fecerit vt Ordo liberaretur à Regimine Monialium.

Ex quibus omnibus deducitur: Omnia quæ à summis Pontificibus pro libertate Ordinis à regimine Monialiũ sunt decreta, sanctas fuisse pro puritate S. Castitatis Prouisiones. Et conatus omnes quos veri Regulæ relatores pro exemptione à cura Monialium adhibuerunt, de spiritu Seraphici Patris processisse, in Regulæ & vitæ Fratrum Minorum conseruationem.

CLASSIS,

ET

SECTIO IV.

Prouisiones Apostolicæ concernentes Exercitationes Fratribus Minoribus in Regula præscriptas.

PRæter Obedientiam ad Romanam Ecclesiam & vota Religiosa in Regula Fratrum Minorum præscripta, sunt nonnullæ Exercitationes Ordini demandatæ, quæ trifariam diuidi possunt: Aliæ enim *Orationem & diuina Officia* respiciunt: Aliæ *Mortificationes* & cuntium per mundum *Obseruantias*: Aliæ *Prædicationum, Confessionum, & sacrorum Ministeriorum delegatam Administrationem.* Super quibus variæ à S. Sede Prouisiones pro ratione temporum & circumstantiarum emanarunt: de quibus Sigillatim infrà. Ne autem prolixior fiam, non est meæ intentionis, personalia Priuilegia, seu Prouisiones examinare, quæ vel ad sedandos Fratrum scrupulos, vel ad aliquas deuotiones, solemnitates, indulgentias, & libertates Spiritus intra Ordinem datæ sunt, nec Jus commune Ecclesiæ aut Tertii tangunt: Sed tantùm Prouisiones, quæ videntur commune Ecclesiæ regimen, & Episcoporum, Prælatorum, ac aliorum jura tangere. De his enim solis quæstio est. Domestica enim, & quæ solum domesticum regimen absque alio res-

pectu tangunt: intra domesticos lares sufficienter examinantur & nostrum intentum superant.

§. I.

Prouisiones diuina Officia contingentes.

S. Francisci zelus ad Officium diuinum.

TAntus fuit zelus celebrandi diuina Officia juxta Ritum S. Matris Ecclesiæ in Seraphico Patre *S. Francisco*, vt quamuis à principio vix illi socii aliqui adhæsissent, nihilominùs & se & illos ad diuina Officia horis nocturnis, pariter & diurnis persoluenda exhortaretur, illisque velut in seruitutis diuinæ signum imponeret. Vnde S. *Bonauentura* c. 4. vitæ illius

S. Bonau. c. 4. vita.

describens exercitia S. Patris, dum cum aliquot sociis in Tugurioli circa Assisium se recepisset: *Vacabant* (inquit) *diuinis precibus inceßanter, mentaliter potiùs quàm vocaliter studio intendentes Orationis deuotæ.* Et de Oratione vocali subjungens: *Pro eo* (inquit) *quòd nondum Ecclesiasticos libros habebant, in quibus Horas Canonicas decantare possent: loco tamen illorum librum Crucis Christi, contemplatu aspectibus diebus ac noctibus reuoluebant, exemplo Patris & eloquio eruditis, qui jugiter faciebat ex de Cruce Christi sermonem.*

Marc. 9. vers. 28.

Hæc sanè fuit prima in fundamentis sui Ordinis jaciendis S. Patris sollicitudo. Vnde in 1. Regula c. 3. cùm allegasset dictum Christi Marci 9. *Hoc damonium non potest exire, nisi in iejunio & oratione* subdit: *Propter hoc omnes fratres sive Clerici sive Laici faciant diuinum Officium, Laudes, & Orationes secundum quod debent facere. Clerici faciant Officium, & dicant pro vivis & pro mortuis secundùm consuetudinem Clericorum* &c. Quod in 2. Regula expressiùs declarans: *Clerici* (ait) *faciant Officium diuinum secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria.* Vbi Hugo de Dina: *Secundùm Ordinem* id est, *secundum Ordinarium S. Romanæ Ecclesiæ, prout est in eius Breuiariis ordinatum* &c. *Ex quo habere poterunt Breuiaria: Plura liter vtique dicitur,* scilicet: *Breuiarium Diurnum quod est Missale, & Nocturnum quod est Horarium* &c. Infrà: *Officium S. Romanæ Ecclesiæ tamquam valdè authenticum impositum, magnâ nobis est curâ seruandum.* Et subdit: *B. Franciscus Fratrum qui non esset catholicus non & faceret Officium secundum Romanam Ecclesiam suis jußit præsentari Majoribus in vinculis custoditum, vbi criminis & pœnæ collationem, & legis etiam voluntatem, ac culpæ infinuat quantitatem* &c. Hæc Hugo. Quæ omnia arguunt sollicitudinem Ordinis in

Officium diuinum debet Frater Minor facere juxta Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ.

persoluendis diuinis Officiis ad Ecclesiæ Romanæ Matris omnium Ecclesiarum conformitatem. Cùm & ipse *S. Franciscus* etsi in priuato esset, *voluerit tamen semper habere secum Clericum, qui sibi faceret Officium, sicut in Regula continetur.* Vnde & in Epistola quam paulò ante obitum scripsit ad Capitulum Generale, cùm singulariter exhortatus fuisset Ministrum Generalem, vt Regulam ab omnibus inuiolabiliter obseruari faceret, specialiter subjungit: *Et Clerici dicant Officium diuinum cum deuotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis.*

Vnde Ecclesia magis sollicita vt prouideret FF. Minoribus.

Cùm igitur Ordo Minorum ad Officia diuina secundùm formam S. Romanæ Ecclesiæ teneretur, non mirum si Romana Ecclesia singulari curâ, huic Ordini adfuerit, vt quæ prouidè pro Ecclesiis immediatè S. Sedi subjectis disposuit, ea ampliore etiam fruge Ecclesiis Fratrum Minorum attribueret, in quibus ex vi Regulæ & Professionis diuina Officia secundùm Institutum Romanæ Ecclesiæ majori solemnitate fieri debebant, & in ista Religione conseruari. Prout & factum est, dum & Correctiones & Dispositiones Rituum, vt plurimùm Ordini Minorum S. Sedes à principio commisit. Sic enim *Patri Haymoni Anglico* sexto post *S. Franciscum* Generali, commisit *Gregorius* 9. Breuiarii & Missalis Romani correctionem, teste Waddingo ad annum 1244. num. 2. Et vt refert *Radulphus de Riuo* Decanus Tungrensis L. de Canonum Obseruantia propos. 26. *Nicolaus* 3. ad annum 1277. ob incorrectiones & menda: *Fecit* (inquit) *in Ecclesiis Vrbis amoueri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta: & mandauit, vt de cætero Ecclesiæ Vrbis vterentur libris & Breuiariis Fratrum Minorum* &c. *Vnde hodiè omnes libri sunt noui & Franciscani* &c.

Correctiones & dispositiones Rituum Officii Diuini commissa sæpius FF. Minoribus.

Itaque cùm vt Officium Diuinum secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ juxta Ritus suos fiat, requirat *Oratoria* sive *Ecclesias*, & in *Oratoriis* sive *Ecclesiis Altaria*, Ecclesiæ autem & Oratoria, sive etiam Altaria *Benedictiones* suas & *Consecrationes*, demùm *Immunitates*, & pro sepeliendis corporibus defunctorum sub Ecclesiæ sacris cæremoniis desiderentur *Cæmeteria*, & alia Ecclesiasticam in sacris Oeconomiam pro salute & ædificatione populi comitentur, S. Sedes Romana sequentes dispositiones circa hujusmodi prouidè sanxit.

De

De Oratoriis, Altaribus, & Ecclesiis Fratrum Minorum.

PRimò igitur Pontifex Honorius 3. qui Regulam *S. Francisci* anno 8. sui Pontificatus approbauerat, sequenti anno viuente *S. Francisco*, non tantùm decreuit vt *Oratoria* haberent, sed etiam cùm Fratres tunc tantùm paruulas casas sibi extruerent, & consequenter *Oratoria* parua, in quibus Altaria fixa non erant, prouidit: vt in locis suis & Oratoriis *Viatica* siue *Portatilia Altaria* habere possent. *Deuotionis* (ait) *vestræ, cùm professi paupertatem sitis, pariter & amplexi &c. auctoritate præsentium indulgemus, vt in locis & Oratoriis vestris cum viatico Altari portatili Missarum solemnia, & alia diuina Officia celebrare, omni Parochiali Iure Parochialibus Ecclesiis reseruato.* Bulla incipit: *Quia populares tumultus. Data 3. Nonas Decemb. Pontif. anno 9.* Quam Bullam confirmauit per alias Litteras Apostolicas Missas ad Episcopum Tornacensem, cui præcipit vt impediat Prælatos Franciæ, ne super his Fratres inquietent. Incipiunt: *Non deberent &c. Data autem sunt Romæ Non. Octob. Pontif. anno 10.* Eandem Prouisionem fecit *Clemens 4.* apud Compendium *V. Altare num. 3.* Quam Concessionem ampliauit & extendit *Sixtus 4:* Fratribus Minoribus concedens, vt non solùm in Oratoriis, & locis in quibus degunt, sed etiam in quouis alio loco congruenti & honesto, possint super *Altari portatili* Missas libere & licitè celebrare. Ita habetur in Bulla quæ incipit: *Regiminis vniuersalis Ecclesiæ. Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1474. pridie Kal. Septemb. Pontif. anno 4.*

Prouisio de Altari portatili.

De Ecclesiis.

Cum autem initio Ordinis Fratres etiam ad Ciuitates vocarentur, & in iisdem pro diuinis Officiis & aliis Exercitiis, ampliores Ecclesias ædificare cogerentur: Attendens *Innocentius 4.* In illis solemniter Ritu Romanæ Ecclesiæ Officia diuina celebrari: declarauit, Omnes Ecclesias Fratrum Minorum gaudere omnibus Prærogatiuis Ecclesiarum Collegiatarum, siue Conuentualium, in quibus Congregationes Clericorum & Canonicorum sunt, & à quibus diuina Officia celebrari solent: Insuper & addidit vt possent habere Cœmeteria pro Fratribus. Bulla sic habet: *Cum* (inquit) *tanquam veri & fideles Ministri Christi elegeritis vobis in domo Domini mansiones: dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuamus. Hinc est igitur quod vestris supplicationibus inclinati præsentium auctoritate decernimus: vt Ecclesiæ vestræ omnes, vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur, concedentes vobis nihilominus licentiam, vt in ipsis Ecclesiis ad opus Fratrum & Conuersorum vestrorum habere libere Cœmeteria valeatis: Nulli ergo omninò hominum &c. Data* erat 2. *Nonas Martii Pontif. anno 7.*

Ex qua Bulla & Concessione patet abusus eorum qui nomen *Conuentualis* asserunt Fratribus Minoribus impositum ab *Innocentio 4.* Non enim Fratribus impositum est, sed Ecclesiis eorum, vt distinguerentur ab Oratoriis Eremitoriorum, siue Casarum, quæ in locis desertis vt plurimùm ædificabantur: Et vt *Ecclesiæ* Fratrum in quibus diuina persoluebantur solemniter Officia, Prærogatiuis, Priuilegiis, & Indemnitatibus Ecclesiarum Collegiatarum honorarentur: vnde dicuntur *Conuentuales* quia Fratres Collegialiter siue Conuentualiter ad Ecclesias illas habitabant, & ad eas conueniebant, ad distinctionem Hospitiorum & Casularum siue Eremitoriorum, in quibus pauci erant, qui Conuentum non faciebant nec Diuina solemniter celebrabant.

Nominis Conuentualis ortus.

Hinc etiam Ecclesiis Fratrum Minorum *Immunitates* sunt concessæ, vt nimirum, nullæ violentiæ in illis exerceri possint etiam à Judicibus & Magistratibus sæcularibus, vt in extractione Reorum ab illis, & in similibus aliis. Videnda Bulla *Clementis 4.* quæ incipit: *In quibusdam locis. Data Perusii 7. Idus Maii Pontif. anno 1.* Videnda etiam Bulla *Gregorii 14.* quæ incipit: *Cum alias nonnulli. Data Romæ in Monte Quirinali anno 1591. 9. Kal. Iunii Pontificatus anno 1.*

Immunitates Ecclesiarum FF. Minorum.

Hinc etiam concessum est: Vt in Ecclesiis & Oratoriis Fratrum sæculares possint Officiis diuinis interesse, Missas etiam in Festis & Dominicis ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico audire: In illis Eucharistiam præterquam in die Resurrectionis suscipere &c. Vt ex variis Pontificum Bullis constat. Ita enim expresse *Leo 10.* in Constitutione quæ incipit: *Intelleximus. Data Romæ apud S. Petrum die 13. Nou. 1517. Pontif. anno 5.* & est 12. Constit. apud Confectium: Amplissimè autem *Pius 5.* in Bulla quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines.* Et extat Decretum *Clementis 8.* ad Episcopum Tricaricensem Nuntium Apostolicum in Belgio & Prouinciis vicinis, *sub data 22. Decemb. 1592.*

In Ecclesiis FF. Minorum audientes Missam satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.

Ex his demùm ad majorem Fratrum commoditatem, & euitandas varias, quæ euenire possent, difficultates, prouenerunt Concessiones factæ circa Benedictiones: Qualis est illa amplissima *Leonis 10.* in Bulla: *Religionis honestas. Data Romæ apud*

S. Petrum 3. Feb. anno 1514. Pontif. anno 1. facta Fratribus Minoribus de Obſeruantia : In qua recenſitis Prouiſionibus *Sixti* 4. ac *Iulii* 2. antea factis ſuper Benedictionibus Paramentorum & Ornamentorum Eccleſiaſticorum ac Corporalium ; Et *Iulii* 2. circa Benedictiones & reconciliationes Eccleſiarum ac Cœmeteriorum, omnia ſimul jungens, ampliſſimè ſuper hujuſmodi proniđet : *Vobis* (inquit) *& pro tempore exiſtentibus Generalibus & Prouincialibus, ac Guardianis, & Fratribus veſtri Ordinis, & Obſeruantiæ, vt Eccleſias, Oratoria, & loca quæcunque recepta & recipienda nondum conſecrata, factâ prius requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſque recuſantibus vel negligentibus, per quemcunque alium Catholicum Epiſcopum gratiam & communionem dictæ Sedis habentem conſecrari facere.* (Hæc quoad Conſecrationem : ſequitur pro Benedictionibus.) *Ac veſtris Generalibus & Prouincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, ac Guardianis pro tempore exiſtentibus præfatu : Vt omnia & ſingula ejuſdem Ordinis & Obſeruantiæ Eccleſias, Cœmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicunque exiſtentia receptas & recepta, & recipiendas ſeu recipienda, ac paramenta & ornamenta, ac alia quæcunque ad diuinum cultum & vſum veſtrum neceſſaria (in quibus Chriſma non interuenit) pro veſtro vſu tantùm ſolemni Benedictione, ac etiam per Vicarium ſeu Guardianum, ac alios ad hoc à vobis in Capitulis Generalibus deputandos benedicere.* (Iterum de Reconciliatione) *Ac illud ſeu illa, & eorum quodlibet, ſanguinis ſeu ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas ſeu pollutæ, quoties opus fuerit, aquâ per vos (præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem adire non poteritis) benedictâ, reconciliare liberè & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus & indulgemus : Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis &c. Conſtitutionibus & Ordinationibus &c.*

FF. Minores quid poſſint quoad Conſecrationem Eccleſiarum ſuarum &c.

Quid poſſint quoad Benedictiones ad Cultum diuinum pertinentium.

Ex quia Conceſſione ſeu Prouiſione conſtat 1. Generales, Prouinciales, Vicarios Prouinciales, Cuſtodes, Guardianos, & per delegationem Capituli Generalis Vicarios, & alios Fratres, poſſe omnia ad cultum diuinum quouis modo pertinentia, vbi Chriſma non interuenit, benedicere &c. Inter quæ Corporalia computantur, etſi in ſpeciali non exprimantur : Expreſſerat enim initio Bullæ referens *Sixti* 4. Conceſſionem. Sub verbo ergo iſto : *Et alia quæcunque ad diuinum Cultum &c. neceſſaria*, comprehendit Corporalia, & etiam lapidis primi in erigendis Eccleſiis noſtris Benedictionem, quia in illis non interuenit Chriſma.

2. Ex vi hujus Prouiſionis poſſunt Fratres Minores benedicere duntaxat ea quæ ad vſum Ordinis neceſſaria ſunt : ſub quibus etiam intelliguntur ea quæ ſunt Monialibus S. Claræ & etiam Tertiariis neceſſaria, quia pertinent ad Ordinem ſiue Ordinis regimen, vt declaratum eſt in Capitulo Generali Mechlinienſi : de quo Compend. Priuilegiorum *V. Benedicere.*

3. Poſſunt delegari, Fratres quicunque à Capitulis Generalibus idque vel perſonaliter, vel per deſignationem.

4. Notabile eſt quòd poſſint Fratres reconciliare Eccleſias, etiam per aquam ab ipſis benedictam, quando non poteſt facilè haberi aqua benedicta per Epiſcopum.

An poſſint reconciliare Eccleſias pollutas.

Porrò ex hoc quòd Fratres à Capitulis Generalibus ad ſupradictas Benedictiones delegari poſſent : Introductus eſt vſus vt aliqui etiam ad hoc delegentur certis circumſtantiis & conditionibus. Et inualuit etiam in Ordine vt Vicarii in abſentia Guardianorum benedictiones faciant : Et ex eo quòd *Iulius* 2. toti Ordini noſtro communicauit omnes Conceſſiones particularibus Congregationibus factas : In vſum in pluribus Prouinciis venit, vt & Guardiani & Vicarii in eorum abſentia ; ſiue etiam Præſides regimen Guardiani obeuntes benedicant paramenta Eccleſiaſtica, non tantum pro ſe, ſed etiam pro aliis extra Ordinem, per communicationem Prouiſionis factæ ab *Innocentio* 8. anno 1487. Congregationi S. Juſtinæ, de qua in Comp. Priuilegiorum *V. Benedicere*, in Annotatione Capucini. Quia tamen vſus dependet à Capitulis Ordinis, ſiue, vt dictæ Prouiſiones practicentur, ſiue vt reſtringantur : Conſulendæ ſunt conſuetudines Prouinciarum & Regionum, vt infrà latius adnotabimus.

Qui Fratres poſſint benedictiones illas facere.

Dubitatio verò mota eſt non ſine Cauſa : *De benedictionibus Campanarum*, quia in eis interuenit Chriſma. Verum ſuper his aliquando curioſius inquirens, communicata eſt mihi Synodus quædam Antiquiſſima diœceſis Morinenſis, quæ Jpris aſſeruabatur : In qua Vnctio Chriſmatis diuidebatur in *Epiſcopalem & Presbyteralem* : Et quidem *Presbyteralem* vocabat illam quæ fit in vertice Baptizati à Presbytero baptizante, & ad illam reducebat eam quæ fit in *benedictione Campanarum.* Juxta quam notabilem diſtinctionem dicendum eſſet : *Benedictionem Campanarum* non eſſe interdictam Superioribus Fratrum Minorum : Quia inea nõ interuenit *Vnctio Chriſmatis Epiſcopalis*, ſed tantùm *Presbyteralis*, qualis interuenit in Baptiſmo, quæ cum non ſit ſuperioris Ordinis, non videtur negata vel prohibita Fratri Minori, cùm Presbyteris ſit communis, & ita ſeruatur in praxi.

An poſſint benedicere Campanas.

Duplex Chriſma.

Am-

Amplior Prouisio Benedictionum etiam vsque ad Altaria & Calices & Ecclesiarum Consecrationes &c. vbi non sunt Episcopi, facta est Fratribus Minoribus ad infideles pro prædicatione Verbi Dei, & eorum conuersione proficiscentibus. De quibus Bullaria sunt consulenda.

Iustificatio supradictarum Prouisionum.

Prouisiones supradictæ non præjudicant aliis.

QUia supradictæ Prouisiones sunt datæ præter Jus commune, & auctoritatem Episcopalem Diœcesanorum videntur alterare: Non defuerunt, qui eas impugnare voluerunt aliquando, quasi in præjudicium Tertii factas. Quibus dicendum est: Nil hic præjudicii præcisè reperiri ab eo qui æquâ lance & pondere sanctuarii vult omnia expendere & causas attendere singulorum.

Ac 1. advertendum: Nil concedi Fratribus Minoribus quod ad Ordinem Episcopalem omnino spectat, sed tantùm quædam quæ Presbyteris communicari possunt: Imò si quæ videantur ad Episcopum specialiter pertinere, illa non communicantur, nisi in graui necessitate, & vbi Episcoporum præsentia siue copia non potest facilè haberi, vt constat de Benedictionibus in quibus Chrisma interuenit.

2. Omnia penè esse in alleuiationem oneris Episcopalis: si enim ad Oratoriorum Benedictiones deberent semper concurrere, & vbique Altaria fixa consecrare: Item: Benedictionibus ornamentorum semper & vbique se intromittere, esset jugum intolerabile.

3. Si Episcopis omnia reseruata forent, maxima incommoditas Ordinibus inde proueniret, & specialiter Ordini Minorum, qui diffusus per vniuersum orbem Conuentus in locis à residentiis Episcoporum dissitis habet &c. quæ omnes causæ exprimuntur in Bulla *Leonis* 10. vbi Pontifex Causam suarum Concessionum siue Prouisionum indicans: *Nos igitur* (inquit) *qui Religiosarum personarum vota, per quæ eorum dispendiis obuiatur, ac commodis & profectibus prouidetur, studio charitatis libenter prosequimur &c.* Et subdit Concessiones vt suprà relatæ sunt.

A principio etiam Ordinis *Honorius* 3. allegans causas ob quas Fratribus Oratoria, & Altaria viatica permitteret, inter alias addit: *Ad euitandos populares tumultus, ob quietem Fratrum, majorem deuotionem, & rationem paupertatis* &c. Et *Clemens* 4. in Bulla quæ incipit: *Virtute perspicuus.* Rationem Concessionis siue Prouisionis de Altari portatili referens: *Quia* (inquit) *ejusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis transmittuntur & perpetuam in certis ejusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem* &c. Tanta porrò fuit summorum Pontificum in his circumspectio: vt quascumque Prouisiones in supradictis Sedes Apostolica præter Jus commune ordinauit, id se pro communi Ecclesiæ & Religionis bono, & ad fructum ac vtilitatem animarum illas ordinasse manifestet. Prudenter autem subjecit hujusmodi Prouisiones prudentiæ Capitulorum; ita vt Fratres illis vti non possent, nisi juxta *Limitationem inter eos in Capitulis suis factam*: Ne fortè aliqui abusus irreperent: Et hinc factum est: vt quamuis sacerdotibus omnibus ex concessione *Sixti* 4. liceret Paramenta omnia Altaris benedicere &c. id tamen postea restrictum fuerit ad Superiores, vt superiùs explicatum est.

Notabile super Altarium portatilium siue Viaticorum Prouisionibus ex Decretalibus Greg. l. 5. Tit. 33. c. In his.

QUia verò sæpè sæpiùs altercationes fiunt super Prouisionibus Altarium Portatilium, & iis quæ ad diuinum Cultum spectant, solemne est Decretum in Decretalibus *Gregorii* 9. pro Fratribus Prædicatoribus & Minoribus *Tit.* 33. *de Priuilegiis c. In his, Ad Episcopum Bajonensem*, quod ipsis verbis subjungo: *In his* (inquit) *qua ad Cultum diuinum facere dignoscuntur, non maligna sed benigna esset potius interpretatio facienda. Vnde mirari compellimur: quòd cùm Fratribus Minoribus & Prædicatoribus duximus indulgendum: vt vbicumque fuerint, siue Parochialis Iuris præjudicio, cum Altari voluerint Viatico celebrare: Quidam nimis strictè interpretando: Indulgentiam nostram nituntur asserere, quòd per eam prædicti Fratres, præter Prælatorum assensum, facere hoc non possint, propter quod eos celebrare juxta Indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cùm autem nihil eis conferret memorata Indulgentia, siue qua id Prælatis annuentibus liceret eisdem: Fraternitati Tua mandamus, quatenùs interpretatione hujusmodi reprobatâ: dum tamen ab aliis, qua Iure Parochiali proueniunt, abstineant: datam eis sic licentiam celebrandi, auctoritate nostrâ non differas publicare: Ita quòd dicti Fratres aliquam ex Indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.* Hæc ibi.

An FF. Minores vbique possint celebrare in Altari Portatili.

In qua Gregorius 9. ejusdem Decreti Auctor, ne particula illa: *Dum tamen ab aliis qua Iure Parochiali proueniunt, prorsus abstineant*, difficultates moueret, in vna Extrauaganti quæ incipit: *Nos attenden-*

dentes: explicat, *per Iura Parochialia prouenientia quæ prohibet impediri: Decimas, Oblationes, & Primitias intelligi.*

Quid circa hoc decernat Concilium Trid.

Nec obstat Decretum Concilii Tridentini *de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ Sess. 22. Ne Episcopi patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus & Regularibus quibuscunque peragi* &c. Ad cujus Decreti finem ponitur: *Non obstantibus Priuilegiis, Exemptionibus, Appellationibus, ac Consuetudinibus quibuscunque.* Hoc (inquam) Decretum non obstat Prouisionibus Altarium Portatilium Fratribus Minoribus concessorum: quia illæ Prouisiones (vt ex citato Decreto constat) jam in Ius commune & legem transierunt, & cùm sit tantùm monitio ad Episcopos directa ad tollendos abusus, cùm Prouisiones illæ concessæ Minoribus huc vsque in vsu & viridi obseruantia duráuerint, & cum cæteris Prouisionibus, quæ sunt in vsu, sæpiùs confirmatæ censeantur, & innouatæ, non censentur per simplicem monitionem facti abrogatæ. Maxime cùm decernente Pontifice *Tit. de Priuilegiis & Excessibus c. Ex parte*, per innouationem Prouisionis seu Priuilegii: *Non nouum* (ait) *Ius concedere, sed antiquum nos conseruare velimus.*

Nota.

Quæ omnia multum notanda sunt pro similibus quæ sæpius occurrunt in materia Priuilegiorum, quæ in Jus commune transierunt.

§. II.

Prouisiones Apostolicæ super Prædicationibus Verbi Dei.

NEmini qui statum Ordinis Fratrum Minorum vel à limine salutauit, ignotum esse potest: Vnum ex principalibus finibus propter quos hic Ordo institutus est, esse, per vniuersum orbem prædicare Euangelium Regni & Pœnitentiam, Apostolico exemplo, prout suis locis in superioribus declaratum & explicatum est. Quia autem ad prædicationem requiritur legitima & Authentica Missio, & in iis qui mittuntur congrua idoneitas.

FF. Minores Missi ad Prædicandum ab initio.

Primò quidem S. Sedes, siue *Innocentius 3.* auctoritate Apostolicâ per seipsum, primos Fratres, qui inter manus ejus vota & professionem primæ Regulæ emiserunt, ad prædicandam pœnitentiam in mundum absque vlla Regionum restrictione misit, nullo respectu facto ad Ordines sacros siue Presbyterium, cùm tamen numerus major ex duodecim, laicos complecteretur: In hoc manifestè ostendens, Prædicationis Officium per se non esse ministerium Ordinis, sed Jurisdictionis, quamuis illud communiter Ordinem sacrum siue Diaconatus, siue Presbyterii comitetur: Nam & Presbytero Claues Potestatis & scientiæ in Ordinatione committuntur, ad adeundam, scilicet, oportunè, vbi subditos habuerit, Jurisdictionem. Nihilominùs ad Presbyteros & Ordinatos Prædicatio non est ita restricta, quin possit etiam nullo Ordine insignitis committi. Qualiter autem commissa fuerit Prædicatio Laicis Ordinis, aut etiam potuerit committi, consideratâ inidoneitate, & incapacitate eorum cùm illitterati essent, insinuat *S. P. Franciscus* in Regula prima: Primò enim imposuit erat plus vitâ quàm verbis prædicare: Vnde cap. 17. *Omnes Fratres* (inquit) *operibus prædicent* 2. Ministrorum erat judicare de idoneitate eorum, quibus demandatur ibidem: *Vt caueat sibi Minister ne alicui indiscretè concedat.* Simplicitatem autem sermonis & materiarum præscribit idem Sanctus cap. 21. *De laude & exhortatione quam possint facere omnes Fratres: Et hanc* (inquit) *talem exhortationem & laudem, quandocunque placuerit eis, annuntiare possint, & inter quoscunque homines, cum benedictione Dei: Timete & honorate, laudate & benedicite: Gratias agite, & adorate Dominum Deum omnipotentem in Trinitate & Vnitate, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, Creatorem omnium: facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia scitote quòd cito moriemur. Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis, & si non dimiseritis, Dominus non dimittet vobis peccata vestra: Beati qui morientur in pœnitentia, quia erunt in regno cœlorum. Væ illis qui non morientur in pœnitentia, quia erunt filii Diaboli, & ibunt in ignem æternum: Cauete & abstinete ab omni malo, & perseuerate vsque in finem in bono:* Hæc ibi.

An Prædicare sit Ministerium Ordinis.

Qualiter FF. Laici per S. Franciscum Missi sunt ad Prædicandum.

Luc. 9. v. 38.

Ex quibus constat Prædicationes simplicium Fratrum fuisse tantùm quasi breues Catechismos, & exhortationes ad faciendam pœnitentiam, & præparandum se per bona opera ad mortem. Et hoc est quod *S. Bonauentura* narrat c. 3. Vitæ *Innocentium* 3. cum Laicis curasset fieri coronas paruulas: dedisse *de prædicanda Pœnitentia mandatum*: Non enim ad excelsas Prædicationes simplices Fratres mittebantur, sed tantùm, vt vitâ, exemplo, & verbo homines ad Pœnitentiam excitarent, & intentioni S. Patris satisfacerent, de qua *S. Bonauentura* eodem Capite, cùm adhuc tantùm septem Fratres essent: *Iam enim* (ait) *sterilis & pauperculæ simplicitas S. Patris pe-*

Qualiter per Papam.

peritas

peterat septem filios: & desiderabat vniuersitatem fidelium, ad Pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino partarire. Ite (inquit) *dulcis Pater ad Filios: Annuntiate hominibus pacem, Prædicate Pœnitentiam in remissionem peccatorum.* Ad hoc sanè idonei erant primi Fratres quantumcunque simplices: quoniam & eorum vita, & conuersatio, & verba, nil nisi Pœnitentiam sonabant. Addebat autem virtutem: *Qui dat verbum Euangelizantibus virtute multâ.*

Ps. 67. v. 12.

Fratres Minores ex vi Status & Regulæ Apostolicâ auctoritate Missionem Apostolicam decernente & Ordinante, prædicare Euangelium in vniuerso mundo possunt absque vlla ab Inferioribus Prælatis dependentia.

An FF. Minores possint Prædicare independenter à licentia Episcoporũ.

HÆc constant ex *cap.* 9 Regulæ, in quo tota auctoritas committendi Fratribus officium Prædicationis, tam quoad examen, & approbationem, quàm quoad Missionem, & officii commissionem data est *Ministro Generali* hujus *Fraternitatu*: Et si eundem erat ad Infideles, licentia & judicium committitur *cap.* 12. Ministris Prouincialibus, absque vlla concurrentia necessaria auctoritatis Episcopalis: Et quidem *cap.* 9. *Nullus Fratrum* (inquit) *populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali hujus fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo officium sibi Prædicationis concessum.* Item *cap.* 12. *Quicumque Fratrum diuinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios Infideles, petant inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderent idoneos ad mittendum.* Ex quibus patet Potestatem prædicandi sub Vicario Christi totam commissam Ministris Generalibus ex Regula: Et ne hæc commissio dilatato jam Ordine insufficiens esset: Hanc Potestatem, vbi Generalis per se non posset, committendam Ministris Prouincialibus cum Definitoribus in suis Capitulis Prouincialibus, tam quoad examen, quàm quoad approbationem & institutionem sanciuerunt summi Pontifices ab initio, *Innocentius* 4. & *Nicolaus* 3. *Extrau. Exiit qui seminat*: Neque enim securiori modo prouideri poterat tantæ Missioni. Quòd autem S. P. Franciscus initio *cap.* 9. Tamquam in frontispicio totius Missionis præcepto grauissimo monuerit, vt: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illu fuerit contradictum.* Istud nec præsentationem, nec examen, nec approbationem sonat, aut insinuat: Sed tantùm actum reuerentiæ & obseruantiæ Hierarchis debitæ, vt si contradicant positiuè, humiliter Frater Minor acquiescat, nec, quantum est ex se, disputet aut contradicat: Aliàs si formaliter Episcopus non contradicat, Frater Minor Apostolicâ auctoritate verbum Dei aut ex pusillanimitate, aut ex humano respectu non subtrahat. Nam vt benè *S. Bonauentura* in illum locum: *Fratribus iste gradus licentiæ debet sufficere, quia præsumitur eum consentire, si non contradicat.* Quod late ibi probat.

Totæ potestas sub Papa mittendi ad Prædicandum penes quos.

Cum ab eo illu fuerit contradictum. quomodo intelligendum.

In isto enim Regulæ præcepto S. Pater voluit suis Fratribus commendare omnimodam ad Episcopos reuerentiam & obseruantiam: vt quamuis suus Ordo immediate Sedis Romanæ Obedientiæ ex voto subjectus esset, omnem obseruantiam, & reuerentiam Ecclesiæ Prælatis de facto exhiberet: *Qui enim* (vt notat Hugo de Dina in hunc locum) *inuentis sacerdotibus pauperculis huius sæculi* (vt in Testamento scribit) *etsi haberet tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, nolebat in eorum Parochiis contra voluntatem ipsorum prædicare: quomodò passus fuisset eos, contradicentibus Episcopis, in eorum diœcesibus verbum Dei proponere?* Itaque hæc fuit ab initio Ordinis sancta ad Episcopos reuerentia, vt Fratribus ad Ciuitates & loca vbi erant Episcopi venientibus, eis, priusquàm populo prædicarent, reuerentiam omnem exhibere, & benedictionem ab illis expetere, solitum fuerit. Per diœceses autem eorum vbi præsentes non erant, Apostolicâ auctoritate prædicabant, quamdiu Episcopi non contradicebant; non tamen in Ecclesiis Parochialibus nisi consentiret Parochus, sed in locis publicis & domibus particularibus extra Ecclesiam: per Episcopatum enim Episcopi (vt benè notat *Bartholomæus Pisanus*) non intelliguntur nisi Ecclesiæ Episcopo subiectæ. Vnde piè Hugo Dina: *Possunt Fratres verba exhortationis, & salutis hominibus dicere loco & tempore opportuno. Solent Fratres vt Euangelici homines, & grandes, & humiles, in via, in domo, in mensa, & vbique panis ædificare sermonibus, & ad pœnitentiam prouocare &c.* qui luget *quia* (inquit) *aliqui ad vaniloquium conuertuntur, & sua vocationis obliti, facti sunt in vsibus secularibus sicut seculares.*

Reuerentia ab Ordine debita Episcopis.

Per Episcopatum quid intelligatur.

Contradicente igitur Episcopo Fratres, nisi iis aliud desuper fuerit demandatum, non debent in Ecclesiis Episcopo subiectis prædicare. Quod declarauit manifestè *Nicolaus* 3. Extrau. *Exiit qui seminat. a* 6. *de Prædicatoribus*; *Verum* (inquit) *quia ex-*

presse continetur in Regula: Quòd Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: Nos in hoc & defferentes Regulæ, & nihilominùs auctoritatem Apostolicæ Plenitudinis conseruantes: Dicimus quòd prædictum verbum ad litteram, sicut Regula ipsa protulit, obseruetur: Nisi per sedem Apostolicam, circà hoc pro vtilitate populi Christiani sit concessum vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur seu etiam ordinetur. Ex quibus infertur hæc Regula Generalis.

Regula Generalis.

QVidquid Regula super Prædicationibus verbi Dei quoad Missionem, Commissionem, Institutionem, Examinationem ordinauit, totum dependet ab immediata auctoritate S. Sedis, cuius solius Ordinationibus & Decretis se accommodare debet in Prædicationibus Frater Minor.

Hæc Regula deducitur ex verbis *Nicolai* 3. suprà citatis: Qui ita mandat ea quæ de Prædicationis munere in Regula traduntur, ad litteram seruari, vt etiam respectu Episcoporum sibi reseruet auctoritatem ordinandi, quidquid pro vtilitate populi Christiani viderit oportunum. Et ratio est: Quia cùm Materia Prædicationis tota dependeat à potestate & voluntate mittentis, quantumuis aliqua sint in hujusmodi sancita, semper illius potestati & voluntati censentur subjecta, ut ea immutare valeat. Hinc non obstante Regulæ textu variæ secutæ sunt secundùm tempora & circumstantias Prouisiones, quibus & Episcopi, & Fratres se conformare tenentur.

Prouisio Apostolica Bonifacii 8. per Decretum: Super Cathedram.

SAnè omnis boni aduersarius à principio præsentiens Prædicatione Fratrum multas animas conuertendas à peccatis suis ad Deum, non cessauit suscitare difficultates, & verbi Dei semini obsistere etiam superseminando zizania. Vnde non rarò Clerici sæculares à principio Fratribus Minoribus infensos se ostendebant, & eos à suis Ecclesiis, nè verbum Dei prædicarent, excludebant, & vt fieri assolet dolosis informationibus Episcopos ad eadem inducebant.

Contra FF. Minorum in Prædicationibus Aduersarios se opposuerunt Papæ.

Non defuerunt autem summi Pontifices litteris suis Apostolicis Ordinem primùm nascentem commendare omnibus Ecclesiæ Prælatis & specialiter, vt eos permitterent in suis locis verbum Dei annuntiare, quia ex vi vocationis suæ ad hoc instituti erant. *Honorius* namque 3. ante confirmationem Regulæ per Bullam Apostolicam, dum adhuc Fratres sub prima Regula per *Innocentium* 3. Viuæ vocis oraculo approbata militarent, 3. *sui Pontificatus anno* 3. *Idus Iunii*, pertæsus difficultatum quæ mouebantur, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, & alios Ecclesiarum Prælatos litteris Apostolicis scriptis, tamquam Obedientialibus eos munuit sequentis Tenoris: *Cum* (inquit) *dilecti filii Franciscus & Socii ejus, de vita & Religione Minorum Fratrum, abjectu vanitatibus hujus mundi, elegerint vitæ viam à Romana Ecclesia meritò approbatam: ac ferendo semina Verbi Dei, Apostolorum exemplo diuersas circumeant missiones: Vniuersitatem vestram rogamus & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus labores præsentium de prædictorum Fratrum Collegio existentes, cùm ad vos duxerint declinandum, ipsos recipiatis, sicut Catholicos & fideles, aliàs eis ob reuerentiam diuinam & nostram exhibentes vos fauorabiles & benignos* &c.

Cumque litteræ illæ Apostolicæ non viderentur habere plenum effectum maximè in Galliis: Alias dedit ad Archiepiscopos & Episcopos &c. per Regnum Franciæ constitutos, priorum confirmatiuas. Datæ erant *Viterbii* 4. *Kal. Iunii Pontif. a.* 4. Incipiunt: *Pro dilectis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum* &c.

Ampliorem postèà Bullam dedit *Gregorius* 9. *Honorii* successor ad omnes similiter Archiepiscopos, Episcopos & quoscumque Prælatos, quæ incipit: *Quoniam abundauit iniquitas. Data Viterbii* 11. *Kal. Iunii Pontif. anno* 11. In qua 1. ostendit finem istius Ordinis Minorum fuisse Prædicationem Verbi Dei: *Quoniam* (inquit) *abundauit iniquitas & refriguit charitas multorum, sacrum Ordinem Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Dominus suscitauit: qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi quærentes tam contra profugandas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicauerunt Euangelizationi verbi Dei, in abjectione voluntaria paupertatis* &c. 2. *Sanctum illud eorum propositum & necessarium ministerium* (vt ait) *fauore benenolo prosequens:* Mandat omnibus Ecclesiæ Prælatis, *vt ad officium prædicandi, ad quod sunt ex Professione sui Ordinis deputati, eos benignè recipi procurent, ac populos sibi commissos, vt ex ore ipsorum verbi Dei semen deuotè suscipiant, admoneant.* 3. Vt & ipsis Prædicatoribus *in necessitatibus personaliter assistant* &c.

Verùm Episcopis & Prælatis Apostolicis

eis monitis morem gerentibus, ferociùs insurrexerunt *Parochi*, & eò spiritus illorum fascinatus progressus est; Vt quantumuis Fratres Minores Apostolicâ S. Sedis auctoritate, aut Legatorum & Episcoporum facultate ad prædicandum mitterentur: Illos tamen nequaquam posse populis prædicare absque Parochialium sacerdotum assensu, assererent. Quam sententiam vt erroneam & temerariam tandem publico Decreto debuit condemnare *Clemens* 4. prout & condemnauit per Bullam quæ incipit: *Quidam temere sentientes. Datam Perusii* 12. *Kal. Iulii Pontif. anno* 1. declarans Fratres Minores juxta Regulam suam approbatos, tamquam à Romano Pontifice Missos & admissos, posse prædicare verbum Dei populis Rectorum Ecclesiarum ac sacerdotum Parochialium assensu nullatenùs requisito &c. Vbi etiam de Confessionibus audiendis, de quibus posteà suo loco.

Sic concutiebantur in Ministerio verbi Dei Fratres Minores, & quamuis tum Episcopis, tum Parochis & sacerdotibus exemplo S. Patris sui reuerentiâ & obseruantiam debitam exhiberent: Concitatis tamen animis satisficere non poterant, nisi per omnia nutui & obedientiæ eorum se subjicerent, quod Sedes Apostolica prohibebat, nec Euangelii liberæ prædicationi in illis Ecclesiæ afflictæ temporibus conueniebat: Interim dum hæ turbæ non remittuntur *Bonifacius* 8. *anno* 1. *sui Pontif.* malis prouidere volens sequens Decretum dedit.

Summarium decretalis Bonifacii 8. Super Cathedram. Titul. de sepulturis inter Clementinas. In iis quæ spectant ad Prædicationes.

BOnifacius 8. igitur qui ad Pontificatum ad *annum* 1295. ascenderat *anno* 1. *sui Pontificatus* aduertens grauem (vt ait) & periculosam discordiam suscitatam super Prædicationibus fidelium populis faciendis &c. inter Prælatos & Rectores seu Sacerdotes ac Clericos Parochialium Ecclesiarum per diuersas mundi Prouincias constitutos ex vna, & Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres ex altera, pacis æmulo Satore zizaniorum procurante: Et intendens paternæ sollicitudinis studio illam prorsùs euellere, ac omninodè submouere &c. diligenti cum Cardinalibus deliberatione habitâ &c. de ipsorum consilio & auctoritate Apostolica, infra scripta super Prædicationibus statuit & ordinauit.

1. Vt dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis & locis ipsorum, ac in plateis communibus libere valeant Clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, horâ illâ duntaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari: In qua prædicare cessabunt: præterquam si aliud de Prælatorum voluntate processerit, ac licentia speciali (addit) In studiis autem generalibus, vbi sermones ad Clerum ex more fieri solent, diebus illis quibus prædicari consueuit: Ad funera etiam mortuorum, & in festis specialibus, siue peculiaribus Fratrum, possint iidem Fratres, & liceat eis liberè prædicare: nisi fortè illâ horâ, quâ solet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Episcopus vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter conuocaret, vel ex aliqua causa vrgente Clerum ipsum duceret congregandum. *Minores & Prædicatores possunt libere prædicare in suis Ecclesiis & plateis communibus.*

2. In Ecclesiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenùs audeant, vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, nisi Fratres prædicti à Sacerdotibus Parochialibus inuitati fuerint vel vocati, vel de ipsorum beneplacito & assensu, seu petita licentia fuerit, & obtenta. Nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem Fratres prædicari mandaret.

3. Adhortatur Pontifex omnes vt se benignos & fauorabiles exhibeant, in permittendo vt Fratres Prædicatores & Minores in Ecclesiis Parochialibus prædicent, idque sub interminatione Indignationis Dei. Verba sunt: *Cæterum vniuersos Ecclesiarum Prælatos cujuscunque præeminentia, status, vel dignitatis existant, ac Sacerdotes Parochiales & Curatos siue Rectores prædictos, præsentium tenore rogamus & hortamur, nihilominusque eis districtè præcipiendo mandamus, quatenùs pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia, prædictos Ordines & Professores eorum habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipsis non se difficiles, graues, duros, & asperos, sed potiùs fauorabiles, propitios, ac benignos, piaque munificentiâ liberales se studeant exhibere: sic eos in Prædicationis officio & propositionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis, tamquam Cooperatores idoneos, & laborum suorum participes promptâ benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, vt proindè illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur. Nec ipsos lateat, quòd si secùs ab eis agi forsitan contigerit, in hac parte Sedis Apostolicæ benignitas &c. contra eos non immeritò turbaretur &c. Ipsosque nihilominùs cælestis indignatio Principis digna pro meritis*

rependentis &c. minimè præteriret. Hæc *Bonifacius.*

Porrò *Bonifacii* 8. ſucceſſor *Benedictus* 11. qui ad *annum* 170. Pontifex creatus eſt, hanc quidem Conſtitutionem in iis quæ ad Confeſſiones & Sepulturas ac Canonicam Portionem pertinent immutauerat pèr aliam Conſtitutionem quæ incipit: *Inter cunctas*; & habetur inter *Clementinas*, *Tit. de Priuilegiis*: Vèrum *Clemens* 5. in Concilio Viennenſi iterùm illam caſſauit, & priorem *Bonifacii* 8. *Super Cathedram* reſtituit & obſeruari mandauit. Aduertendum tamen Decretum *Benedicti* ſuper Prædicationibus in Conſtitut. *Inter cunctas*, eadem continere, quæ *Bonifacii*, ſaluo quòd loquens de Prædicationibus Fratrum Minorum in locis & Eccleſiis ſuis, & in publicis plateis exprimat. *Fratres prædicare in illis poſſe, abſque* (ait) *Diœceſanorum & aliorum Prælatorum petita licentia*: quam clauſulam etſi *Bonifacius* 8. omiſiſſet, clariſſimè tamen indicauerat, dum pro Prædicationibus nec examen, nec præſentationem, nec facultatem requirebat, ſed tantùm pro Confeſſionibus audiendis aliqua ex illis ſpecificabat: vt conſtat ex Textu dictæ Conſtitutionis, de quibus alias.

Vèrùm denuò ſuſcitatis aliquorum Epiſcoporum querimoniis in Concilio Lateranenſi ſub *Leone* 10. ordinatum fuit: Vt Regulares præcedente ſuorum Prælatorum examine ad munus Prædicatoris electi, quocunque poſteà prædicaturi acceſſiſſent, de ejuſmodi examine & idoneitate ſua per litteras authenticas &c. Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitimam facerent. Nihil autem ordinatum eſt circa licentiam petendam ab illis.

In Concilio tamen Tridentino *Seſſ.* 5. *de Reform. c.* 2. ſub *Paulo* 3. celebrata, poſtquam decreuerat, quòd *Regulares cujuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſent*: Ordinat: *Vt cum dicta licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare*, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. Et nec hic fit aliqua mentio de petenda vel obtinenda licentia ab Epiſcopo, ſed tantùm de perſonali comparitione & oſtenſione licentiæ Superiorum. Imò *Seſſ.* 24. *c.* 4. ſub *Pio* 4. celebrata, etſi generaliter ordinet vt: *Nullus* (ait) *ſæcularis ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat*: Addit tamen quod: *In reliquis, ea, quæ de Prædicationis munere, ſub eodem Paulo* 3. *decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.* Hæc ibi. Circa quæ Concilii Decreta variæ ſunt ſubortæ quæſtiones. Ex eo enim quòd non derogauerit Concilium Tridentinum ſpecialiter *Conſtitutioni Super Cathedram Bonifacii* 8. quæ eſt confirmata in Concilio Viennenſi *Conſtit. Dudum*: Per quam quæ habebantur pro Priuilegiis, tranſiuerunt in legem & Jus commune & Conciliare: Cenſentur ibi conſtituta ſaltem pro Fratribus Prædicatoribus & Minoribus quoad Prædicationes inconcuſſa manere, & conſequenter Fratres Minores non obligari ad poſtulandam licentiam vel benedictionem ab Epiſcopis ſpecialiter dum in Eccleſiis ſuorum Ordinum & plateis publicis prædicant.

Etiam poſt Concilium Trid. non petita licentia ab Epiſcopo.

Vnde & Pontifices poſteriores ſimilibus quæſtionibus commoti Interpretationem Concilii Tridentini ad litteram proſequentes, iſta Decreta ſequentibus Declarationibus explicarunt. Ac in primis *Pius* 5. in Conſtitutione Motus proprii quæ incipit: *Etſi Mendicantium* Decretum *Seſſ.* 24. *& Seſſ.* 5. interpretatus: *Declaramus* (ait) *Can. Seſſ.* 24. *c.* 4. *per quem omnibus Regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, contradicente Epiſcopo, Prædicationis officium interdicitur: Mendicantium Ordinum Fratres hujuſmodi, quando à ſuis Generalibus vel etiam Miniſtris Prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, nec eos afficere: imò volumus quòd in ſuis Eccleſiis quando eis placuerit, licitè & abſque vllo impedimento vel contradictione etiam Epiſcopi* (*niſi ipſe prædicauerit*) *prædicare poſſint.* Et in alia Bulla quæ incipit: *Ad hoc nos Deus prætulit*: facultatem concedit præfatis: vt *in propriis Eccleſiis prædicent abſque eo quòd ſe præſentauerint Epiſcopo, & abſque petita benedictione, eoque contradicente, etiam dum in Eccleſia Cathedrali prædicatur, dummodò non prædicent eo tempore quo ipſe prædicauerit.* Addo ego ex Clementina Dudum, *vel prædicare coram ſe ſolemniter fecerit.* Vbi notanda eſt particula *ſolemniter.* Et quidem illa interpretatio *Pii* 5. benè conſideranti verba Concilii Tridentini juſta, & recta videbitur, quoad loca quæ ſunt ſuorum Ordinum: Hoc enim conforme eſt Juri communi & Conciliari, quod pro Fratribus Minoribus & Prædicatoribus eſt conditum; vnde etſi ordinatio Concilii Tridentini pro Regularibus aliquid concluderet, non tamen pro Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, qui Jure communi, & ex Concilio Viennenſi alias leges ſibi præſcriptas habent, quibus per clauſulas generales non cenſetur derogatū; vt latiùs poſtea dicetur. *Nota.*

Ex his breuitatis gratiâ ſequentia Corollaria inferuntur ad euitandas contentiones & altercationes inutiles.

COR-

COROLLARIA.

VV FF. Minores prædicent in suis Ecclesiis debent esse approbati à suis superioribus.

1. FRatres Minores in suis Ecclesiis & locis, ac in plateis communibus & publicis, si modò à suis superioribus sint ad illud officium approbati & admissi possè prædicare: Exceptâ dumtaxat horâ, in qua Episcopus vel loci Prælatus per se prædicaret, vel prædicari coram se solemniter faceret. Hoc patet ex Constitutione *Super Cathedram*, in Concilio Viennensi renouata *c. Dudum* de Sepulturis.

Non requiritur Examen Episcopi, qui nec potest examinare.

2. Ad hujusmodi prædicationes faciendas non requiri aliquod examen Episcopi sicut nec ad aliquas quascunque prædicationes quouis loco faciendas. Hoc constat ex Iure communi, etiam Concilii Tridentini: nusquam enim nec in Concilio Tridentino aliquod examen requisitum fuit in Regularibus ad prædicationes faciendas, nisi examen & approbatio propriorum Superiorum, vt expressè ponitur *Sess. 5. de Reform. c. 2.* sufficit enim cuiuis Regulari, vt Episcopo præsentet Approbationem & licentiam Superiorum: nec aliqua vsquam fit mentio examinis Episcopi. Quapropter abuntur Episcopi suâ auctoritate, cùm Regularem pro solis Prædicationibus præsentatum examinare præsumunt: Ex Concilio enim Tridentino debent contenti esse Approbatione, & examine suorum superiorum.

Nec licentia nec Benedictio Episcopi.

3. Fratres Minores & Prædicatores, vt prædicent in Ecclesiis suorum Ordinum, & publicis plateis, non indigent aliquâ licentiâ, aut benedictione Episcopi. Ratio est: Quia etsi Concilium Tridentinum Sess. 5. imponat Regularibus, vt cum licentia Superiorum personaliter se præsentent coram Episcopis, & ab eis benedictionem petere teneantur: Illud tamen Decretum (quidquid sit de aliis Regularibus) non concernit Fratres Minores, quia, vt jam sæpè repetitum est, Concilium Tridentinum non derogauit Juri communi & Conciliari Concilii Viennensis. Et ita declarauit *Pius 5.* in Bulla: *Etsi Mendicantium*, pro omnibus Mendicantibus: de qua Bulla suo loco latiùs.

Offendenda tamen Episcopo petenti approbatio suorum Superiorum.

4. Episcopo postulante siue requirente, tenentur Fratres Minores exhibere Approbationem, & licentiam suorum superiorum super idoneitate & officio Prædicationis sibi commisso, antequàm per loca sui Episcopatus prædicent. Ratio est: Quia ad Episcopalem curam pertinet scire: Quales sint qui ministerium istud obeunt in locis suæ Jurisdictionis. Et hoc modo intelligendum est, quod Concilium Trid. *dixit Sess. 5.* vbi postquam de licentia & Approbatione Superiorum locutum est; Addit: *Cum dicta licentia Superiorum debere se præsentare Episcopis &c.* Quod quidem etsi ex vi Concilii Fratrem Minorem non obliget: Ex natura tamen rei & officio Episcopali obligat, vt Episcopo aliquâ ratione constet de idoneitate Ministrorum.

5. Fratres Minores non possunt prædicare in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, sine consensu Parochorum, & eorum qui Ecclesiarum administrationem gerunt. Ita Constitutio *Super Cathedram* in cap. *Dudum de sepulturis*. Excipitur tamen, nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem Fratres specialiter prædicari demandaret.

Qualiter peccent Parochi recusantes FF. Minoribus licentiam Prædicandi.

6. Peccant mortaliter Parochi qui rogati à Fratribus legitimè ad Prædicationes approbatis ac legitimè missis ad prædicandum in eorum Ecclesiis; ex aliqua indignatione, odio vel auersione absque causa illos repellunt. Constat ex Constitutione & cap. *Dudum* supra citato. In quibus Pontifex: *districtè mandat & sub interminatione diuinæ indignationis*, vt Fratres se ad Prædicationes offerentes recipiant. Dixi (*absque causa*) ipsorum enim prudentiæ sine dubio licentia illa relicta est, si superiori mandato, vel aliunde non obligentur.

Digressio de stationibus ordinariis quibus Fratres Minores in Ecclesiis alienis deseruiunt.

Cur FF. Minores in alienis Ecclesiis prædicent etiã cum pacto.

DUbitauit non sine causa quispiam: Cùm ad concordiam Fratrum Minorum cum Clericis S. Sedes maturâ deliberatione Concilii Generalis Viennensis vnicuique terminos jam constituisset, vt nimirùm, Regulares, in Ecclesiis suorum Ordinum, aut in plateis communibus & publicis, congregato populo verbum Dei annuntiarent: Parochi verò & Clerici, quibus officium prædicandi competebat, in suis Parochialibus Ecclesiis munus obirent. Cur (inquam) terminis sibi constitutis non contenti, post hanc Constitutionem: In Ecclesiis Parochialibus & Collegiatis tot reperiantur stationes fixæ, in quibus Fratres Minores prædicant tum in Dominicis tum in Festis, & Solemnitatibus, nec non tempore sancto Aduentus & Quadragesimæ, etiam cum certis obligationibus & pactis?

Plures hujus rei causas referunt Doctores Sancti Thomas & Bonauentura.

1. Causa Parochorum alleuiatio.

1. *Oneris Parochorum alleuiatio*: Cùm enim Parochi curis & sollicitudinibus variis, quas secum pastorale onus inuoluit, di-

distracti & implicati essent, perpetuò verbi Dei prædicationibus insistere non potuerunt, adeoque subsidium Fratrum Minorum & aliorum Mendicantium expetierunt. Quod cùm potissimùm in Festis solemnioribus & tempore Aduentus & Quadragesimæ vrgeret: Hinc factum est, vt ad majorem securitatem, vtrimque de certis diebus velut paciscerentur: Ne Regulares temporibus illis aliis impediti, Parochis deficerent: & aliunde ne inutiliter, & sub incertum suos Concionatores à suis laboribus suspensos tenerent, expectando donec pro beneplacito à Parochis inuitarentur & vocarentur.

2. *Supplementum alicujus impedimenti.*

2. *Supplementum alicujus impedimenti*, Vt imperitiæ sermonis, eò quòd Parochi non semper habent gratiam verbi, vel talentum prædicationis, etiamsi aliàs sufficienter litterati & docti; vnde in eorum locum aduocantur Regulares Mendicantes, vt certis diebus eorum suppleant vices.

3. *Populi deuotio.*

3. *Populorum deuotio.* Qui vel pro sua pietate volunt multiplicari apud se verbum Dei, vel interdùm Parochorum cibum quotidianum velut fastidientes, postulant sibi ab aliis prædicari. Et ad hoc Prædicationes per Aduentus & Quadragesimas Ecclesia sic mandante, & Episcopis ac Magistratibus idipsum requirentibus sunt institutæ, vt constat ex Concilio Tridentino. Quæ cùm requirant continuum studium, cui non possent vacare Pastores: Conuentiones cum Fratribus Minoribus & aliis fiunt, vt ad tempora indicta sint parati.

4. *Vt seruetur charitas & concordia.*

4. *Ad Charitatem & Concordiam seruandam*: Cùm enim ex Constit. *Super Cathedram* confirmata per *Caput, Dudum de Sepulturis*, ordinatum esset, vt Fratres Minores & Prædicatores non solum in locis suis, sed etiam in plateis communibus & publicis absque alia licentia prædicarent verbum Dei: Cùm ex hoc viderent Parochi suas Ecclesias pro prædicationibus minùs frequentari, & populum sequi prædicationes Fratrum in plateis & locis communibus prædicantium: Maluerunt illos ad suas Ecclesias inuitare, vel eis locum prædicandi in suis Ecclesiis statò tempore concedere, quàm vt prò libitu suo populum ad loca publica conuocarent, & eis verbum Dei pro beneplacito proponerent: Eò maximè quòd sub pœna Excommunicationis Parochis & Ecclesiarum Prælatis à S. Sede prohibitum esset; ne populum ab audiendis hujusmodi prædicationibus Fratrum auerterent, aut Concionantes impedirent; vt ex *Bonifacio 9.* refert *Hieronymus Rodrigues in Compendio Resol. 112. de prædicatoribus num. 11.* Ex quo factum est vt in Belgio & aliis Regionibus multis cessauerit illa consuetudo prædicandi in plateis publicis & communibus extra Ecclesias; quia communi consensu eorum ad quos pertinet res illa, Fratribus datus est locus tempore oportuno in Ecclesiis Parochialibus & Collegiatis prædicandi.

APPENDIX.

EX quibus infertur: Quæstiones quas quidam inconsideratè mouent super Stationibus & Prædicationibus Mendicantium, quasi *Precariæ* essent & à nutu & beneplacito Parochorum dependerent, falso vt plurimùm fundamento inniti. Duplices enim debent distingui Stationes & Conciones quæ à Fratribus Minoribus & Mendicantibus fiunt: Aliæ enim sunt *Liberæ*, quæ nimirùm vel ad preces & rogatum Fratrum toties quoties à Parochis conceduntur, vel ex Parochorum gratiosa & liberali inuitatione proueniunt: Aliæ sunt *Onerosæ*, quæ titulo onerosò velut ex conuentione partium institutæ sunt: vt sunt Stationes & Conciones fixæ & determinatæ ad certas solemnitates, & dies anni, & ad Aduentus & Quadragesimas: Cùm enim ad supplendum onus vel alleuiationem Parochorum, vel ad populi vtilitatem ex ipsorum concordatis fiant: & titulo onerosò illas Conciones Conuentus Fratrum in se suscipiant, & se obligent ad præstandum illis temporibus Concionatorem idoneum: *Precariæ* nullatenùs censendæ sunt, sed ex pacto, concordato, ac conuentione justitiæ procedunt. Vnde etiam obligatio vtrimque nascitur sustentationis, & aliquorum piorum emolumentorum per modum mercedis pro labore & obligatione continuati operis. Quinimò aliquæ Conciones quæ *precariò* incœperunt, in obligationes successu temporis implicito quodam consensu partium transierunt:.

Stationes seu Conciones aliæ liberæ, aliæ onerosæ.

Onerosæ non sunt Precariæ.

Iustificatio Prouisionum Apostolicarum super Prædicationibus Fratrum Minorum.

SAt superque summi Pontifices Prouisiones suas Apostolicas factas Fratribus Minoribus justificarunt, dum in suis Constitutionibus præmiserunt causas Decretorum suorum, quas ad tria vniuersalia velut Capita potissimùm reduxerunt: *Vtilitatem populi, propter quam Ordo ille institutus est: Fructus Ecclesiæ Dei ex Prædicationibus emergentes. Laborantiũ justum ac necessarium subsi-*

Motiua quibus Papa dederunt FF. Minoribus tales licentias prædicandi.

subsidium & solatium: *Gloriam Dei & Ordinis decorem.* Sic fere in omnibus præfantur Pontifices ab *Honorio* 3. Regulæ approbatore vsque ad *Vrbanum* 8. in Concessionibus, Confirmationibus, & Innouationibus dictarum Prouisionum. Sed nec desunt specialia Motiua in singulis.

Ac 1. quidem: Quod libera data est facultas Fratribus Prædicandi in suis Locis, ac plateis publicis absque alia requisita licentia præterquam suorum Prælatorum: Causam justissimam insinuat *Bonifacius* 8. in Constitutione: *Super Cathedram: Discordiam* (scilicet) *grauem & periculosam plenam periculis, onustam dispendiis, in conspectu diuinæ Majestatis exosam*; quæ oborta erat inter Parochos & Fratres Prædicatores & Minores, quam *Paterna sollicitudinis studio*, intendebat Pontifex hoc medio prorsùs tollere ac *omnimode submouere.* Cùm enim Parochi imò & Prælati sæculares frequentius nollent Regulares admittere ad prædicandum in suis Ecclesiis, imò & prædicandi licentiam dare Prælati renuerent: visum est Pontifici vtrosque ab inuicem separare, & relictis quidem Ecclesiis Parochialibus & Sæcularibus, generalem licentiam dedit Fratribus Minoribus & Prædicatoribus independenter ab ipsis, prædicare in suis Ecclesiis, locis, & plateis publicis, absque vllius inferioris facultate etiam postulanda.

2. Noluit Fratres prædicare in Ecclesiis Parochialibus, absque beneplacito & assensu Parochorum, nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem Fratres prædicari mandaret: vt sic Parochi nullam haberent causam querimoniæ: Interim verbum Dei ab omnibus annuntiaretur.

3. Ne sub titulo examinis & idoneitatis cognoscendæ mouerentur difficultates, prouiderunt plus satis Pontifices; Ne Fratres Minores populo prædicarent, nisi seruato Regulæ Fratrum Minorum rigoroso tenore, quo examen & approbatio committitur Ministro Generali: vel dilatato jam Ordine seruatâ simili Prouisione Apostolicâ, vt examen & approbatio Prædicatorum fieret per Ministrum Prouincialem & Definitores Capitulariter congregatos, eorum Conscientias in hoc onerando. Quibus benè obseruatis, nihil poterat Episcopis scrupuli remanere, nec aliquod dubium idoneitatis, vel capacitatis pro iis qui per examen exactum, intra terminos Conscientiæ à superioribus factum, concurrentibus vnius Prouinciæ Definitoribus, qui semper ex præcipuis Patribus eliguntur, approbati essent. Quid enim potest justi scrupuli vel dubii in his moueri? An examen vnius Episcopi transitorium, etiamsi esset unius & alterius horæ, assistentibus aliquot Canonicis vel sacerdotibus præualebit, aut Conscientiam Episcopi assecurare poterit, plus quàm examen proborum & doctorum Patrum, qui & studia, & mores, & ingenia suorum perspecta habent, & qui in praxi quotidiana experti sunt? Cùm vel maximè in conscientia de eorum quos approbant idoneitate rationem reddere coram Deo teneantur.

Episcopi immerito scrupulisant in admissione Fratrum præsentatorum ad Prædicandum.

Benè igitur, sufficienter, optimè summi Pontifices examen & approbationem Fratrum Minorum & cæterorum Mendicantium ad Prædicationes commiserunt Superioribus suis: Nec minùs prouidè examen illud subtraxerunt ab Episcopis. Rationes darem palpabiles, nisi fragiles aures offendere timerem: sciunt enim qui quotidie hujusmodi examina coguntur contra Decreta Pontificia, subire, quales quæstiones proponantur, & quantum ad finem intentum colliment &c. *Abusus.*

4. Quia tamen oportuit omnes molestiarum occasiones proscribere: *Tridentinum Concilium* ordinauit, vt Regulares cum licentia & approbatione Superiorum se coram Episcopis præsentent, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam incipèrent prædicare, etiam pro Ecclesiis suis, simul autem licentiam pro Ecclesiis alienis: quod reuerentiæ & obseruantiæ est. Vnde non est necessarium vt illam obtineant, sed etiam eâ recusatâ prædicare possunt, absque alia obligationi etiam examinis. Quod enim *sess. 24. ca. 4.* dicitur *Regulares non debere præsumere prædicare etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo*: id intelligendum: de contradictione justa & legitima, quæ fundetur in aliquo defectu ab ipsis commisso. Non enim (vt aiunt Doctores) per hoc voluit Concilium instruere Episcopos aliquo elationis argumento, vt pro libitu agere liceret, neque, vt auctoritate vtantur in destructionem sed in ædificationem: Causæ autem contradictionis exprimuntur *sess. 5. cap. 2.* vt si Prædicator *errores aut scandala disseminaret in populo* &c. Vnde & Portel de contradictione hac Episcopi V. *Prædicator. num. 8.* ex responsione Cardinalium refert hæc verba: *Attendant tamen Episcopi propter quam causam id imperent* (nimirùm cessationem à Prædicatione) *Volumus namque quòd si illicitè jusserint, ad Jus lis deferatur, & interim cessent.*

Qualis contradictio Episcopi juxta Trident. debeat esse, vt Regulares non possint prædicare in suis Ecclesiis.

Et hæc quidem de Regularibus in genere: Nam Fratres Minores & Prædicatores, quorum Prouisiones in *Cap. Dudum* in Concilio Viennensi sunt renouatæ, cùm *Concilium Tridentinum* Juri illi communi specialiter nõ derogauerit, in suo jure permanere dignoscuntur, si res benè perpendatur.

Ex

Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius est: Nullũ relictum alicujus discordiæ vestigium ratione Prædicationis, ad quam ex vi Status assumpti sunt Fratres Minores: Cùm de eorum, qui ad hoc ministerium eliguntur, idoneitate, per examen etiam sub conscientiæ obligatione à Superioribus factum, Episcopis satisfiat, omnisque ad eos reuerentia & obseruantiæ exhibeatur, nec in alienis locis prædicent, aut prædicare valeant absque consensu & licentia eorum: Nec ipsis prædicantibus, vel coram se solemniter prædicare facientibus (nisi aliter ipsi etiam Episcopi disponant) prædicare in suis Ecclesiis vel alibi possint.

Aliæ sunt Prouisiones pro iis qui annuntiant verbum Dei in Terris Infidelium, quibus pro rerum, temporum, & personarum circumstantiis abundè prouisum est à S. Sede, vt verbum Dei fructificare valeat, quæ quia controuersæ non sunt illas à proposito relinquimus.

§. III.

Prouisiones Apostolicæ super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Vnde in Regula FF. Minorum non fiat mentio audiendi Confessiones.

CUm in Regula Fratrum Minorum nulla penitùs mentio facta fuerit super Confessionibus Sæcularium audiendis, & pœnitentiis injungendis, singularem autem concomitantiam habeat hoc Sacramentum Pœnitentiæ cum Prædicatione Verbi Dei: qui enim Verbum Dei annuntiat, seminantis officium præstat, & seminare superfluum quidem foret, si, qui seminat, metere non posset. Cùm & Christus Apostolis Prædicationis Ministerium injungens semper in ordine ad Messem se illud injunxisse insinuauerit: *Messis* (ajebat) *quidem multa, operarii autem pauci, Rogate ergo Dominum Messis vt mittat operarios in Messem suam.* In Messem (inquam) quia semen ad Messem naturali consequentia ordinatur. Vnde & Joan. 4. ab vltimo seminis effectu, qui est manducanti panem præstare, exordium sui Sermonis sumens: *Meus* (ait) *cibus est, vt faciam voluntatem ejus qui misit me, vt perficiam opus ejus.* Et operis finem proponens: *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & Messis venit: Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte Regiones, quia albæ sunt jam ad Messem: Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius qui metit: Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*

Matth. 9. v. 37.

Ioan. 4. v. 34.

Pulchra quidem circumlocutio, qua duplex Seminatio, duplexque Messis describitur: *Prior* quidem Seminatio facta multo labore per Prophetas cujus Messis conseruata fuit Apostolis: Non enim in principio Euangelii metebant quæ seminauerant, sed quæ à Moyse & Prophetis & Justis veteris Testamenti seminata erant: & quæ calore Solis Justitiæ Christi Domini in verbo & miraculis jam ad messem albicabant. Et in hoc fuit verum: *Quia alius fuit qui seminauit, & alius qui messuit:* quamuis communi gaudio spirituali retecti sint, & Prophetæ seminantes, & Apostoli metentes.

Duplex Seminatio & duplex Messis.

Altera verò & posterior Seminatio fuit Apostolica verbi Euangelici per vniuersum orbem, quæ quidem ita facta est ab Apostolis & indies fit à Prædicatoribus, vt etiam eis Messis demandetur. Quibus enim demandatum erat: vt *Euntes docerent omnes gentes*, siue, vt *Prædicarent Euangelium omni creaturæ*, quæ ad seminandum spectant: Eisdẽ datus est Spiritus Sanctus: vt: *Quorum remiserent peccata, remittentur eis*, quod ad messem pertinet, vt *Qui seminant in benedictionibus, de benedictionibus & metant.*

Matt. 28. vers. 19. Marc. 16. vers. 15. Ioan. 20. vers. 23. 2 Cor. 9. vers. 6.

Hæc itaque ministeria Fratribus Minoribus à sua origine sunt commissa, vt Sacerdotibus, quibus ex Regula commissum fuit officium prædicandi, etiam (si idonei essent) eis Confessionum audiendarum potestas committeretur.

De Confessariorum pro sæcularibus approbatione & potestate eorum ordinaria.

I.

Prouisio Apostolica.

FF. Minorum examen & approbatio ad Confessiones audiendas quos.

EXamen & Approbatio Fratrum Minorum ad Confessiones Sæcularium audiendas & Absolutionem à peccatis impertiendam à principio Ordinis commissa fuit à S. Sede Ministro Generali, vel Ministris Prouincialibus cum suis Diffinitoribus in Capitulis suis Prouincialibus, ita vt illis sic approbatis Jurisdictio à S. Sede aduenire absque alia præsentatione Episcopis facienda. Colligitur hæc Prouisio ex Bulla *Gregorii* 9. quæ incipit: *Quoniam abundauit iniquitas. Data Viterbii* 11. *Kal. Junii Pontif. anno* 11. scriptâ ad omnes Archiepiscopos, Episcopos &c.

In

In qua Pontifex mandat Archiepiscopis, Episcopis &c. Ne impediant quò minùs fideles, qui ad Prædicationem Fratrum Minorum accesserint, ipsis valeant confiteri. Sicut itaque approbatio ad Prædicationes pertinebat ad Generales ex Regula, & ex ampliatione postea facta ad Prouinciales & Diffinitores simul in Capitulis congregatos: sic & approbatio ad Confessiones: Frustrà enim Pontifex scripsisset Episcopis, ne impedirent Sæculares ad Fratres Concionatores pro Confessione accedentes, si Episcopis debuissent priùs præsentari, & ab illis admitti: Hòc enim ipsò quò Episcopis præsentati, & ab illis approbati fuissent: Episcopi non tantum non potuissent contradicere, sed magis suas approbationes promouissent. Scribit itaque Pontifex Episcopis, vt à Superioribus ad Confessiones admissos, tamquam à S. Sede approbatos, Confessiones Sæcularium audire permittant. Et hæc fuerunt initia Ordinis. Quæ magis patent ex Constit. *super Cathedram*, & aliis de quibus infrà.

Colligitur etiam ex subsequentibus Prouisionibus in Jure communi contentis, & amplificatis.

II.

Prouisio Apostolica.

IN re tanti momenti crescente & dilatato Ordine: *Clemens* 4. in Bulla quæ incipit: *Quidam temerè sentientes*: *Data Perusii* 12. *Kal. Julii Pontif. anno* 1. Querimoniâ subortâ inter Parochos prohibentes Fratribus Confessiones suorum audire, illos compescuit, & voluit, vt Fratres modò licentiam haberent vel à S. Sede, vel à Legatis Apostolicis, vel ab Ordinariis locorum, vt etiam inuitis Parochis, & Prælatis inferioribus, audirent Confessiones, pœnitentias injungerent, & absoluerent ab omnibus peccatis, exceptis singulariter reseruatis. Similem dederat prius *Alexander* 4. per Bullam quæ incipit. *Cum olim quidam temerè sentientes. Datam Anagniæ* 3. *Idus Martii Pontif. anno* 5.

III.

Prouisio Apostolica.

CUm demùm multiplicarentur quæstiones & discordiæ, emanauit Constitutio illa *Bonifacii* 8. de qua suprà in Prouisionibus pro Fratrum Minorum Prædicationibus, quæ incipit *Super Cathedram*. Posteà confirmata in Concilio Viennensi sub *Clemente* 5. per *Cap. Dudum de Sepulturis*. In qua sequentia quoad Confessionum audientiam ordinata sunt.

Confessariorum institutionis antiqua forma.

1. Confessariorum Institutionem dependere ab Electione Prouincialium & Custodum in suis Prouinciis: quæ hoc modo fieri debebat. Et quidem Prouinciales siue eorum Vicarii, vel Custodes tenebantur vel per se, vel per Fratres deputatos adire Episcopos & humiliter petere: vt Fratres qui ab eis electi forent in eorum Ciuitatibus & diœcesibus Confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire liberè valerent, & hujusmodi confitentibus (prout secundùm Deum expedire cognoscerent) pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem, nimirùm, Episcoporum. Deinde præfati Ministri & eorum Vicarii vel Custodes juxta Ordinis Constitutiones: Eligere tenebantur *personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium & officium exequendum*: Quas sic ab ipsis electas debebant sub scripto præsentare, vel facere præsentari Episcopis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus & diœcesibus eorundem, hujusmodi personæ sic electæ Confessiones confiteri sibi volentium audirent &c.

1. *Electio Prouincialibus & Custodibus scripto præsentabantur Episcopo.*

2. Sic præsentatos in numero competenti absque alio Examine Episcopi admittebant: quòd si tamen aliquem ex eis, ob causas, Episcopus non duceret admittendum, eo amoto alius præsentabatur siue subrogabatur similiter absque examine Episcopi.

2. *Sic præsentatos Episcopi sine alio Examine admittebant.*

3. Quòd si fortè Episcopi siue Prælati præfatis Fratribus ad Confessiones (vt præmittitur) audiendas electis exhibere hujusmodi licentiam recusarent: *Nos* (ait Pontifex) *ex nũc ipsis, vt Confessiones sibi confiteri volentium, libere licitèque audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis.* Ita vt nec licentia, nec beneplacitum Episcopi expectaretur: Jurisdictio enim illis à Capite superiore Ecclesiæ aduenicbat.

3. *Si non admittebãt censebantur admissi absolutè per Papam.*

4. Potestatis hujus terminos posuit Pontifex vt illius virtute, non amplior Fratribus per hoc potestas impenderetur: *Quam Curatis vel Parochialibus Sacerdotibus est à Jure concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam &c.*

4. *Potestas illis data non excedebat potestatem Parochorum.*

Ex quibus omnibus deducitur antiqua

forma qua Ordo vniuersus etiam vsque ad nostra tempora vtebatur, nimirùm: Vt Fratres electi per debitum examen à Prouincialibus, & iis quibus ex Constitutionibus Ordinis committitur, præsentarentur scripto Episcopis, vt de eorum licentia Confessiones in diœcesibus suis simpliciter audirent: Quam licentiam conferre tenebantur Episcopi, absque aliquo examine, stare enim debebant examini & electioni Prouincialium &c. (nisi fortè causam contra aliquem Fratrem in singulari haberent) quòd si Episcopi dare licentiam sic debitè electis & præsentatis renuerent: Ipsi Fratres Apostolicâ auctoritate hoc ipso ad Confessiones Sæcularium audiendas admissi erant, in *Diœcesibus* pro quibus præsentati fuerant. Clarè enim exprimit Constitutio *Bonifacii*, Fratres admitti pro *Diœcesibus* simpliciter in quibus præsentabantur, ita vt extra illas ex vi hujus Constitutionis audire Sæcularium Confessiones non possent, sed de his aliàs.

Et hanc quidem Prouisionem amplificauerat *Benedictus* 11. in Constitutione: *Inter cunctas de Priuilegiis*, sed quia Constitutioni illi per Cap. *Dudum*, in Concilio Viennensi derogatum fuit in pluribus: ad vitandas controuersias, ampliationibus illis supersedemus, remittentes omnia ad Doctores, qui super illas scripserunt.

IV.

Prouisio Apostolica.

Qualiter Fratres admissi pro vna diœcesi possint audire confessiones eorum qui sunt de alia diœcesi.

QUia verò ex Constitutione: *Super Cathedram*, siue *Dudum de Sepulturis*, non erat declaratum: An Fratres in diœcesibus approbati, possent in illa diœcesi, pro qua approbati fuerunt, quoscunque etiam aliarum diœcesum ad se accedentes audire & absoluere: *Nicolaus* 5. in Bulla quæ incipit: *Scimus populos Ciuitatum*, absolutè declarat posse audire Confessiones omnium quarumcunque diœcesum, & quoscunque extraneos ac forenses ad se in diœcesi pro qua erant admissi (vt prædicitur) accedentes absoluere, etiam in Casibus quos diœcesani eis concesserint. Data est Bulla *Romæ* 15. *Aprilis anno* 1458. *Pontif. anno* 2. Quam Bullam sub iisdem terminis confirmauit *Sixtus* 4. in Bulla quæ incipit: *Vestris in hac parte. Data Romæ die* 9. *Julii* 1475. *Pontif. anno* 4.

V.

Prouisio Apostolica.

Item Itinerantes in Diœcesi vbi non sunt admissi.

HAbetur & viuæ vocis Oraculum *Sixti* 4. quod inter Oracula relata *Tract.* 1. Monumentorum Ordinis est 113. quo concedit Confessariis Ordinis: Vt dum in itinere existunt & requiruntur vt audiant Confessiones: Etsi in ista diœcesi non fuerint præsentati secundùm Clement. *Dudum*, posse Confessiones fidelium audire, eosque absoluere. Quod intelligendum est: si in aliqua diœcesi sint admissi priùs, nec habeant copiam Episcopi, cui se præsentent. Et ita concessit etiam *Eugenius* 4. Orac. 13. præter aliam concessionem factam Patribus Jesuitis à *Gregorio* 13.

VI.

Prouisio Apostolica.

SUpra dictis Prouisionibus accessit determinatio magis specifica *Concilii Trid. Sess.* 23. *de Reform. c.* 15. quâ decernit: *Nullum etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat: Priuilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Quæ an in rigore afficiat Fratres Minores & Prædicatores, eosque obliget, etsi jam vrgentibus Episcopis ad praxim sit deducta, controuersia est etiam inter Doctissimos Theologos. Cùm enim *Concilium Tridentinum* non deroget nisi Priuilegiis & consuetudinibus: Non censetur sanè derogare *Juri communi* maximè Conciliari *Concilii Viennensis c. Dudum de Sepulturis*: quod non Priuilegia aut Consuetudines continet, sed veram Juris dispositionem circa Institutionem Confessariorum in Ordinibus Fratrum Minorum & Prædicatorum: quæ benè considerata æquiualet Decreto *Concilii Tridentini*: In quo decernitur duntaxat: *Nullum etiam Regularem* ad Confessiones audiendas idoneum judicari, *nisi per examen ab Episcopis (si necessarium illis videatur) aut aliàs idoneus judicetur.* Qui autem per formam Clementinæ *Dudum* est admissus, verè (nisi aliud obstet) judicatus est à Jure idoneus; quia præuio examine Prælatorum Ordinis, ad hoc per Sedem Apostolicam depu-

An FF. Minores & Prædicatores juxta Concil. Trid. debeant ad Confessiones audiendas examinari ab Episcopis & approbari.

deputatorum, secundùm omnes qualitates à S. Sede requisitas, cum Conscientiæ obligatione ad officium Confessarii est electus, & legitimè Episcopis præsentatus, ac consequenter juxta Textum, *Aliàs* id est, *alio modo à S. Sede approbato*, idoneus reputatus est. In tantum vt etiam recusante Episcopo, à S. Sede accipiat approbationem æqualem cum Curatis & Parochialibus Sacerdotibus qui per beneficium Parochiale idonei judicati sunt. Nec vltima particula Tridentini nimirùm; *Et Approbationem obtineat*, aliquid derogat, Approbatio enim respectu Fratrum Minorum & Prædicatorum juxta Jus commune, Episcoporum tantùm facultatem dicit, cùm illis desuper à S. Sede Jurisdictio adueniat: Et in casu quo Episcopus injustè neget, à S. Sede suppleatur, vt in Superioribus ex ipso *cap. Dudum*, siue Constitutione: *Super Cathedram* (quæ in illo cap. renouatur) ostensum est. Et ita censent plurimi Doctores, quos recensere superuacaneum esset, re ex visceribus Juris satis probatâ: Vnde in rigore Juris sufficeret Confessariis Fratrum Minorum & Prædicatorum examen, Electio & Approbatio Superiorum, ac Præsentatio simpliciter Episcopis legitimè facta, cum Episcoporum facultate, etiam ad rigorem *Concilii Tridentini*: Verum praxis introducta saltem pro externo foro jam præualuit.

§. IV.

Prouisiones Apostolicæ super Potestate Confessariorum approbatorum ad absoluendum.

PROVISIO I.

Confessariorum Ordinis FF. Minorum Potestas ad absoluendum quæ.

CONfessariis Ordinis Minorum Jure communi eadem potestas in absolutione Pœnitentium ad se recurrentium primò competit, quæ eodem jure Parochis siue Curatis competebat. Nec amplior quidem, nisi Episcopus vel summus Pontifex ampliorem concederent. Patet ex sæpè citata Constitutione *Bonifacii* 8. *Super Cathedram*, & aliis Bullis Prouisione 4. §. superiori relatis.

PROVISIO II.

CONfessarii Ordinis Minorum secundùm formam *Innocentii* 8. quæ habetur in Compendio Priuilegiorum Fratrum Minorum. *V. Absolutio quoad Seculares* 1. *n.* 11. præsentati & approbati, potuerunt absoluere ab omnibus casibus reseruatis à Papa vel Episcopis, exceptis iis quæ in Jure Communi continebantur. Vide citatum locum in Compendio.

PROVISIO III.

QUia Fratribus Minoribus suis ministeriis per mundum vacantibus, sæpe occurrebant Casus reseruati, in fauorem Pœnitentium & salutem animarum, *Eugenius* 4. concessit Confessariis Ordinis ejusdem: quòd quando non possent se præsentare Episcopis, vtpote in itinere, vel alibi existentes, ita vt nequirent petere Casus Episcopales, eo casu quoad absolutiones possent vti plenariè auctoritate Episcopali. Ita Sorbo in Compendio sup. n. 3. Estque in Bullario Rodrigues Orac. 13. istius Pontificis. Quod postea etiam concessum est à *Gregorio* 13. Patribus Societatis, vt testatur Guitterez in Expos. Bullæ Cruciatæ §. 9. cujus Concessionis Bullam se vidisse asserit.

PROVISIO IV.

PONtifices necessitatem aduertentes animarum, quæ Casibus reseruatis vel Censuris innodatæ ad Fratres recurrebant: varias Concessiones multiplicarunt tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, quibus licebat eis absoluere ab omnibus peccatis & Censuris non tantùm Episcopis, sed etiam S. Sedi reseruatis (nisi talia essent propter quæ Sedes Apostolica meritò esset consulenda.) Talem concessionem fecit *Pius* 2. Guardianis & Vicariis Fratrum Minorum in terris Ducis Burgundiæ; vt patet ex Bulla quæ incipit: *Injunctum nobis. Data Senis anno* 1459. *pridie Kal. April. Pontif. anno* 1. Quæ per alias Bullas ad totum Ordinem extenditur. Cui similem sed ampliorem pro vniuerso orbe fecerat *Vrbanus* 4. Patribus Carmelitis. Et *Eugenius* 4. Congregationi Vallisoletanæ Ordinis S. Benedicti per Bullam quæ incipit: *Injunctum nobis. Datam Romæ anno* 1430. 3. *Non. Julii Pontif. anno* 3. Nec non Congregationi S. Justinæ siue Cassinensibus per aliam Bullam quæ incipit: *Etsi quaslibet personas. Datam Bononiæ anno* 1436. *pridie Kal. Julu Pontif. anno* 6. Amplissimam tandem Concessionem fecit *Paulus* 3. Patribus Societatis per Bullam quæ incipit: *Cùm inter cunctas. Datam Romæ* 3. *Julii anno* 1545. *Pontif. anno* 11. In qua prouidet vt Confessarii possint quoscunque ad se venientes absoluere *ab omnibus peccatis, criminibus, & excessibus quantuncunque grauibus & enormibus etiam Sedi*

Cardinali Cribello in Bullario Emanuelis Rodriguez.

§. VI.

Prouisiones Apostolicæ super Administratione Eucharistiæ & Extremæ Vnctionis.

PROVISIO I.

FF. Minorum Sacerdotes possunt administrare Eucharistiam omnibus excepto Paschate.

NE de administratione Eucharistiæ, quæ videtur propria Parochis, vel curam Animarum gerentibus, quæstiones mouerentur: *Nicolaus* 5. in Bulla quæ incipit: *Scimus populos.* Et *Sixtus* 4. in Bulla quæ incipit: *Vestris in hac parte*, de quibus suprà, *Prouisione* 4. de Confessariorum approbatione, concesserunt Ordini Minorum, vt Sacerdotes ejusdem Ordinis omnibus ad se recurrentibus omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ licitè administrare possent.

PROVISIO II.

Es vbique.

SUbortis autem difficultatibus quas Rectores Ecclesiarum aliqui mouebant: quasi administratio Sacramenti Eucharistiæ Fratribus Minoribus tantum concessa esset in suis Ecclesiis, & locis, pro eo quòd Pontifices illud ministerium eis concedentes vti essent verbo: quòd Eucharistiam ministrare possent *omnibus ad se recurrentibus*, adeoque dicti Rectores prohibebant, ne extra sua loca Fratres Eucharistiam Sæcularibus ministrarent: *Paulus* 4. super his cõsultus ampliſsimam Declarationem & Prouisionem dedit per Bullam quæ incipit: *Cùm sicut exponi nobis super fecisti.* Datam *Romæ* 20. *Julii anno* 1557. *Pontif. anno* 3. Per quam indulget, declarat, & decernit: Quòd Fratres Minores *à suis Superioribus, vt moris est, deputati Confessores, quarumcunque Prouinciarum, Ciuitatum & Diœcesum, per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium, Confessiones etiam infirmorum, vbilibet etiam extra domos & habitacula eorundem Fratrum audire, eosque à Casibus & Censuris, quibus eis per Priuilegia Sedis Apostolicæ hujusmodi hactenùs concessum est, posse absoluere, & ipsi hactenus absoluere consueuerunt, absoluere, & pœnitentiam salutarem injungere, ac omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quam aliis quibuscuis personis licitè ministrare possint, auctoritate* (ait) *Apostolicâ tenore præsentium, indulgemus ac decernimus & declaramus* &c. Bulla hæc est 3. *Pauli* 4. in Bullario Rodriguez. In qua mouentes in contrarium quæstiones vocat *Juris ignaros*: Et excitatas quæstiones vocat *Cauillationes & molestias*; quas & condemnat.

Quæ quidem Bulla & Declaratio multùm notanda est: Tam ratione Confessionis in omni loco, etiam in cubiculis infirmorum audiendæ, quàm potestatis ampliſsimæ ad Absolutionem a Casibus & Censuris reseruatis: quam supponit Pontifex Fratres ex Priuilegiis ex tunc habuisse, & virtute illius consueuisse absoluere, & quam Apostolicâ auctoritate (prout in consuetudine erat) confirmat: Quod omnes dubietates & scrupulos tollit. Demùm: Quia benè explicat Fratres non tantùm personis, quarum Confessiones audierunt, sed etiam quibuscumque, & vbicumque existentibus etiam in domibus propriis, & vbilibet, etiam infirmis posse Sacramentum Eucharistiæ administrare. *Nota.*

Excipit porrò diem Resurrectionis tantùm: Aliis enim diebus possunt semper Eucharistiam ministrare, imò & in die Resurrectionis, quando non datur ad implendum præceptum, vel datur personis peregrinis, & extra Parochias proprias siue domicilium eo tempore iter agentibus. Excipitur autem per se, Ratio *Communionis* per modum *Viatici*, extra tempus necessitatis & vbi abest Parochus: In tempore enim veræ necesitatis absente proprio Sacerdote Epikeia Christianæ charitatis semper obseruanda est: quamuis cum *Viaticum* non exceperint Pontifices nonnulli arbitrentur non excipi: sed praxis communis aliud docet: Dicitur autem dari per modum Viatici, quando solemniter & pro præparatione ad mortem in Christo datur, alias infirmis quocumque tempore priuatim absque Solemnitate ministrari potest. *An dies Resurrectionis & Viaticum excipiatur.*

PROVISIO. III.

QUinimo quia aliquando Parochi injustè & irrationabiliter denegabant infirmis Eucharistiam pro *Viatico*, aut *Extremam Vnctionem*, aut differebant diutiùs ea administrare cum periculo quòd infirmi absque eis decederent, *Sixtus* 4. in Bulla quæ incipit, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ* prouidit, vt in dictis Casibus Confessarii Ordinis Minorum possent dicta Sacramenta *Eucharistiæ* & *Extremæ Vnctionis* infirmis (vt prædicitur) administrare, & quòd deberet in hoc stari assertioni dictorum Confessariorum. Quod cùm limitatum fuerit pro foro externo à *Leone* 10. *An & quando Extremâ Vnctionem administrare possint.*

in Moderatoria *Concilii Lateranensis*, non facilè practicandum est, quoad Extremam Vnctionem, nisi cùm manifestum est periculum mortis, Jure Christianæ charitatis omninò prævalente.

Iustificatio Administrationis Sacramenti Pœnitentiæ, & supradictarum Prouisionum.

Veri Pastores immeritò se opponunt Prouisionibus factis FF. Minoribus ad administrandam Pœnitentiam.

NEmo quidem sanæ mentis justè conqueri potest: quòd Dominus Messis, ejusque in terris Vicarius, multiplicet & mittat Messores in messem suam, cùm etiam conqueratur Jesus Christus de Operariorum paucitate, & mandet suis vt orent Dominum Messis, vt Operarios multiplicet. Nec Episcopi aut Parochi conqueri possunt, si veri Pastores sint & non Idola, aut Mercenarii, si ouiculæ aliæ errantes, aliæ pauidæ, & trepidæ, aliæ pusillanimes, anxiæ, & turbatæ, aliæ infirmæ inueniant fidelem seruum, qui illas sanatas & confortatas reducat ad ouile, & restituat incolumes suis Pastoribus. Si enim aliquod sibi eripi emolumentum per hoc conquerantur, Mercenarii sunt: si honorem aliquem, Idola sunt, dicente Prophetâ: *O Pastor & Idolum*; Quod si vultum pecoris cognoscere volunt, melius est vt vultum agnoscant gratiosæ speciei restitutum, quàm deturpatum. Nec possunt Episcopi conqueri: Quia, & illis reuerentia debita redditur in præsentatione. In hoc enim in Conscientias Superiorum Ordinis onus deuoluitur: vt mandante *Bonifacio* 8. & *Clemente* 5. studeant eligere *personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium exequendum.* In quibus si deficiant monet *Benedictus* 11. c. *Inter cunctas*, quòd districtam reddent in extremo examine rationem. Quæ quidem plus satis Episcoporum sollicitudini satisfacere debent.. Quomodò enim ipsi transitorio examine aliquot quæstionum possunt deprehendere sufficientiam, idoneitatem, probitatem vitæ, discretionem, modestiam præsentatorum vt suis Conscientiis satisfaciant?

Zach. 11. vers. 17.

Episcopi immeritò scrupulizant in admissione præsentatorum Fratrum Minorum ad Confessiones audiendas.

Benè sanè consulitur Episcopis & Ecclesiæ Dei: Cùm qui ad Confessiones audiendas præsentantur à præcipuis Patribus Prouinciarum Ordinis eliguntur, & maturo judicio coram Ministro Prouinciali & Diffinitoribus, eorum peritia, Doctrina, Mores, vita ventilatur: Nec præsentati & admissi publicè exponuntur, nisi Superiores idipsum judicent expedire.

Nec minùs incondita est querela quæ mouetur contra Prouisiones super Absolutione à reseruatis Casibus & Censuris Dispensatione in Irregularitatibus, in Votis &c. Cùm enim hæc in foro secretissimo Confessionis & Conscientiæ fiant, vbi & causæ, & rationes Conscientiæ testimoniis exagitantur, nec ampliùs concludunt quàm quantum veritas coram Deo, cum Conscientiæ testimonio deprehendi potest; quid inde officere potest Spirituali Animarum regimini? Nisi conquerantur cum Pharisæis: *Quia hic peccata dimittit*; aut Christi Misericordiam reprehendant: qui non tantùm indulsit, vt: *Quodcumque soluerint super terram, sit solutum in Cœlis*, sed & etiam Petrum ad septem vices rem issiones illas reducere cogitantem, *vsque ad septuagies septies*, id est, absque limite toties quoties extenderet. Quam Christi benignitatem Vicarii ejus, Petri successores imitati: Auctoritatem illam Apostolicam extensam, & ad Ministros, & ad pœnitentes voluerunt: Et quia Fratres Minores ex vi sui Status ad extremos terræ angulos penetrant: Illos necessariâ auctoritate & remediis munire voluerunt. Indignetur *Frater Major Natu*: quòd *Prodigum* Pater receperit, quòd primam Stolam ei reddiderit, quòd annulo ei libertatem restituerit. Talis est zelus & indignatio istorum hominum.

Infundata est etiam querela contra Potestatem eorundem in dispensationibus.

Luc. 7. vers. 49.

Matt. 18. vers. 18.

Vers. 22.

Luc. 15. vers. 28.

De Justificatione administrationis S. Eucharistiæ non ago, quia Bulla *Pauli* 4. satis justificat illam: Et quod de *Viatico* & *Extrema Vnctione* conceditur, Casus necessitatis per se totum justificat.

§. VII.

Prouisiones Apostolicæ super Sepulturis in Ecclesiis Fratrum Minorum.

ETsi ex antiquissima Sanctorum Patrum Traditione & Ecclesiæ Canonibus, semper fuerit liberrima morientibus Sepulturæ electio, prout Sacrorum Conciliorum Decreta & Canones successiuè tradiderunt, vt constat ex *Concilio Lateranensi sub Alexandro* 3. prout refertur *l.* 3. *Decretalium cap.* 1. *Tit. de Sepulturis*: Ad cujus libertatis conseruationem *ibidem Tit.* 12. *Bonifacius* 8. In virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtissimè prohibuerat, ne quispiam aliquos ad vouendum, jurandum, vel aliàs promittendum induceret, vt apud suam Ecclesiam Sepulturam eligerent, vel jam electam vlteriùs non immutarent. Nihilominùs non defuerunt quæstiones potissimùm inter Parochos & Regulares, quæ plu-

Libertas eligendi sepulturam antiqua.

plurimorum scandalorum segetes subministrarunt: Parochis quidem aduersùs Regulares insurgentibus, eò quòd frequentiores eligerçntur Sepulturæ apud illos, ac proinde Jura varia sibi ex istis Sepulturis ab Hæredibus & Regularibus deberi prætenderent: quibus vt Summi Pontifices remedia imponerent, varia Decreta condiderunt, & Prouitiones subministrarunt.

PROVISIO I.

PRima itaque fuit *Innocentii* 3. quæ habetur *l.* 3. *Decret. c.* 3. *Tit.* 28. *de Sepulturis*: Qui ob quæstiones motas super Sepulturis in Monasteriis Regularium, sic scribit ad Episcopum Genuensem: *Fraternitatem* (ait) *tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulchra & cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse disposita in quibus Religiosorum Fratrum Conuentus sunt constituti, & orationes atque Missarum solemnia tam pro viuis quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur: Vnde ipsorum deuotioni, & extrema voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est*: Hæc *Innocentius*. Ex qua Prouisione Generali colligitur causa motiua, cur frequentius Sæculares eligant suas Sepulturas in Ecclesiis & locis Regularium, nimirùm vt Animæ eorum participes sint Missarum & Orationum, ac diuinorum officiorum, quæ communiter, & perpetuò ibi celebrantur, & quidem frequentiùs quàm in Ecclesiis Sæcularium.

Sæculares quare eligant sepulturas apud Regulares.

PROVISIO II.

NE Jura quæ ex Sepulturis Parochis siue Parochialibus Ecclesiis obueniunt: detrimentũ paterentur *Quia* (vt inquit *Concilium Later. sub Alexandro* 3. *c.* 2.) *dignus est operarius mercede suâ*; Conseruata est *Portio Canonica* siue *funeralis*, quæ quãuis Corpora alibi extra Parochiam propriam sepelirentur, proprio Parocho debebatur: Et quia juxta varias Consuetudines Prouinciarum variè taxata erat, ita vt (teste *Clemente* 3. *Tit.* 29. *de Sepulturis*) certi nihil esset: Aliquando 3. aliquando media, aliquando 4. pars solueretur. Modò communiter pro Fratribus Minoribus, quando aliquem sepeliunt, taxata est *ad quartam funeralium*, nisi aliud per pacta & conuentiones singulares & legitimas sit constitutum. Ita in Decreto *Bonifacii Super Cathedram* per c. *Dudum* in *Concilio Viennensi* confirmatum. Et in *Concilio Tridentino sess.* 25. *de Reform. c.* 33. vbi pro Ecclesiis, quibus 40. annis ante dictum Concilium quarta pars funeralis solui consueuerat, decernitur, vt non obstantibus quibuscumque Priuilegiis dicta quarta soluatur. Et passim in Bullis Pontificum pro Jure Parochiali de ista quarta mentio fit.

Dum quis sepelitur apud FF. Minores 4. pars funeralium debetur Parochis.

PROVISIO III.

QUia verò propter Decretum *Bonifacii* 8. Super Cathedram, quæstio orta erat: de quibus ista quarta Funeralis deberet desumi, Bonifacio decernente, quòd ex omnibus obuentionibus tam funeralibus quàm quibuscumque &c. desumeretur: Posteriores Pontifices omnibus justè expensis constituerunt, vt solùm de Cereis & aliis quæ deferuntur juxtà cadauer, dum ad Sepulturam defertur, non autem de aliis quibuscumque, *quarta funeralis*, accipiatur. Et ita *Sixtus* 4. in Bulla quæ incipit: *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, quæ est *Mare Magnum* pro Fratribus Minoribus, determinauit; in qua explicans Bullam *Clementu* 4. pro libera apud Fratres Minores Sæcularium Sepultura: Justitiam Ecclesiarum non debere sumi ex obuentionibus, declarat, quinimo excipit etiam à contributione quartæ Funeralium, Candelas, quæ ad Manus Fratribus dantur. Et quidem expressè derogauit propter hoc & alia Constitutioni *Bonifacii* Super Cathedram & *Clementinæ Dudum de Sepulturis*. Idipsum latissimè declarauit *Pius* 5. in Bulla quæ incipit: *Ad hoc nos Deus pratulit in familiam Domus suæ*, quæ in Bullario Angeli Cherubini sub Bulla 4. secundo loco ponitur: In qua taxatâ, vt suprà, quartâ Funeralium quæ de cereis & aliis quæ deferuntur juxta Cadauer ad Sepulturam debet desumi, specificè alia excludit, quæ Conuentibus relinquuntur ratione Anniversariorum, & celebrationis Missarum. Et in Bulla: *Etsi Mendicantium*, interpretans Textum *Concilii Tridentini sess.* 25. *c.* 13. *de quarta Funeralium*: *Nec* (inquit) *ad quartam Funeralium, seu aliam partem omnium eorum quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, pannorum & aliorum quæ dictis, Ecclesiis relinqui vel dari contigerit &c. aliquid contribuere teneantur.* Ac demum in superiori Bulla: *Ad hoc nos Deus* prouidet, vt: *vbi* (ait) *duæ quartæ forsan solui consueuerint*: vna *Parochiali Ecclesiæ*; alia verò *Episcopo* aut *Collegiatæ Ecclesiæ* siue *Canonicis & Capitulo* ejusdem, *vna tantùm* scilicet Episcopo &c. *persoluatur*. Hæc ibi.

Quarta Funeralis vnde deriuanda.

An duæ quartæ soluendæ.

PRO-

PROVISIO IV.

Quid de leuandis & deferendis corporibus Defunctorum apud Regulares sepeliendis constitutum sit.

CUm verò de Ceremoniis & solemnitate funerum orta demùm esset disceptatio: *Benedictus* 11.cap. *Inter cunctas* de Priuilegiis, ordinauit & jussit: *Vt corpora defunctorum qui apud Fratrum Minorum & Prædicatorum loca elegerint, dum viuerent, Sepulturam, processionaliter cum Cruce, Thuribulo, aqua benedicta, cantando seu legendo officium defunctorum vel Psalmos, alienas ingredi possent Parochias;* possent assumere, & ad suas deferre Ecclesias tumulanda. Et *Sixtus* 4. Bullâ supra citatâ eadem confirmans (vbi consuetudo talis vigeret) singulariter vetuit: *Ne Fratres Minores cogerentur inuiti etiam pretextu cujuscumque consuetudinis, ipsi vel defunctorum consanguinei, illa ad Parochiales Ecclesias deferre, vel cum illis, vel sine inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia, ante vel post Sepulturam eorundem.* Hæc ibi. Quã Ordinationem moderari volens. *Leo* 10. in Constit. quæ incipit: *Sacro approbante Concilio* &c. in *Lateranensi Concilio* edita, addidit: *Vt non intrarent Parochiales Ecclesias cum Cruce ad leuanda corpora, nisi prius pramonito & requisito ac recusante Parochiano Presbytero: Et tunc sine ejus & Ordinarii præjudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc* (inquit) *antiqua consuetudo, qua sit in viridi obseruantia cum pacifica possessione, suffragetur.* Et posteà *Pius* 5. in Bulla supra citata: *Ad hoc nos Deus prætulit*, sanciuit: *Fratres posse quascumque corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesiis sepeliri ordinauerint, vel si à defunctorum heredibus, siue curam funeris habentibus vocati fuerint, ipsorum Fratrum Cruce eleuatâ, etiam sine Canonicorum ac Capitularium personarum, nec non Curatorum vel aliorum Presbyterorum interuentu, ex ipsorum defunctorum domibus leuare, eaque accipere, ac ad ipsorum Fratrum Ecclesias directè deferre, & in eorum Ecclesiis (non tamen tempore interdicti) sepelire, saluo duntaxat Jure Parochiali: Nec Fratres ipsos ad alterius cujusuis consuetudinu contraria usus, siue moris obseruationem teneri, vel super premissis à quoquam, quauis auctoritate molestari seu perturbari possint & debeant.* Hæc ibi.

Tandem aliis nascentibus quæstiunculis anno 1636. 14. Ian. signante Cardinale Antonio Barberino, & C. Fachenetto: Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præposita censuit: *Defunctorum cadauera sepelienda, ab adibus defunctorum ad eorundem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri posse, monito tamen & requisito & expectato proprio defunctorum Parocho, à quo benedictionem & viaticum vale recipere possint: Quo venire expressè recusante, possint iidem Fratres etiam ipso inuito cadauera ad suas Ecclesias transportare: Consanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus & aliis Presbyterorum Ecclesiis compelli nullo modo possint. Si qua verò immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitimè probetur, & interim præsens Decretum ad vnguem seruetur, prout eadem Sacra Congregatio seruari mandauit.* Hæc ibi.

PROVISIO V.

Quid de celebrandis exequiis & officiis.

SEd nec ibi quæstiones finitæ sunt, prætendentibus nonnullis Curatis, Officia super Cadaueribus defunctorum in Ecclesiis Regularium celebrare: quamuis *Clemens* 4. in Bulla quæ incipit: *Virtute conspicuus. Data Perusii 12. Kal. Aug. Pontif. anno* 5. Et confirmata à *Sixto* 4. in *Mari Magno* pro Fratribus Minoribus, districtius inhibuisset: *Ne vlli Religiosi aut Seculares Fratribus Minoribus inuitis aliquorum corpora defunctorum in eorum cœmeterio sepelire, aut in Ecclesiis eorum Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad Fratrum loca tumulandi deferuntur, ibidem exequias celebrare, sine ipsorum assensu & voluntate præsumerent.* Nihilominùs quæstionibus illis siue ex ignorantia Iuris, siue ex aliis causis recrudescentibus, Sacra Congregatio Rituum consulta, die 27. Nouembris anno 1638. signantibus C. *Episcopo Portuensi, Cardinale Pio*, & *Julio Cincio Secretario*, in hunc modum respondit: *Sacra Rituum Congregatio juxta alias resoluta respondit: Officium super Cadaueribus in Ecclesiis Regularium, spectare & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos, & ita in posterum seruari mandauit.* Quæ quidem responsio cum præcedenti Juridicè verificata fuit coram Cameræ Apostolicæ *Generali Auditore anno* 1640. *die* 6. *Junii.*

§. VIII.

Prouisiones Apostolicæ super Ædificatione & acceptatione nouorum Conuentuum.

NOta est prohibitio *Bonifacii* 8. c. *Cùm ex eo quod* de Excessibus Prælatorum in 6. quâ prohibet Prædicatoribus, Minoribus & Religiosis aliis Mendicantibus domos vel loca quæcumque de nouo recipere, vel recepta mutare &c. *absque Apostolica Sedis licentia speciali*, non obstantibus Priuilegiis. Non defuerunt tamen

Pon-

Pontifices successores rebus maturè consideratis qui hoc Decreto non obstante aliter prouiderunt.

PROVISIO I.

Quid de ædificatione nouorũ Conuentuum.

IVlius 2. in Bulla quæ incipit: *In militantis Ecclesiæ. Data Romæ anno Incarnationis Dominicæ* 1504. 15. *Kal. Julii*, concessit Fratribus Minoribus: *Si à Principe, Duce, Marchione vt aliquam domum dicti Ordinis ædificent, requisiti fuerint, hujusmodi pro vsu & habitatione perpetua Fratrum dicti Ordinis Regularis Obseruantiæ construi & ædificari, ac locum pro hujusmodi constructione oblatum recipi posse.* Et quia non derogauerat expresse Decreto *Bonifacii* 8. *c. Cum ex eo*, per aliam Bullam quæ incipit: *Exponi nobis fecisti. Datam Romæ die* 15. *Januarii anno* 1512. *Pontif. anno* 6. priorem suam Concessionem explicauit & confirmauit ac addidit: *Vocatos non solùm à Principe, Duce Marchione, sed etiam a populo, posse domos seu loca quæcumque pro eorum vsu & habitatione recipere.* Vbi & mandat vniuersis Prælatis: *Ne prohibeant quòd Fratres ibi pro suis vsibus Ædificia, Ecclesias seu Oratoria construant* &c. cum absoluta derogatione: *Non obstante Bonifacii* 8. *Decreto c. Cum ex eo de Excessibus Prælatorum in* 6.

PROVISIO II.

An & qualiter nouus Conuentus non possit extrui sine Licentia Episcoporum.

PRouisioni priori superaddiderat *Concilium Tridentinum sess.* 25. *de Regularibus c.* 3. de domibus Regularibus loquens: *Ne de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt licentia obtenta.* Quia verò ex affectibus particularibus, vel aliqua humana passione Episcopi poterant in his licentiis à recto declinare.

1. *Pius* 5. in Bulla quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines. Data Romæ Kal. Junii anno* 1567. *Pontif. anno* 2. *Textum Concilii Tridentini* sic declarauit: *Licentias verò* (inquit) *pro construendis domibus Regularibus; quæ* (c. 3. *sess.* 25.) *nisi de licentia Ordinarii construi prohibentur, gratis omninò dari, & non nisi legitimâ subsistente causâ Superioribus explicandâ, illas recusari posse.*

2. *Clemens* 8. in Bulla quæ incipit: *Quoniam ad instituti am. Data Romæ apud S. Marcum* 23. *Julii* 1603. *Pontif. a* 10. constituit: *Episcopos licentiam hujusmodi dare non posse, nisi constet Regulares ipsos in domibus illis construendis commodè ali & sustentari posse, absque aliorum Conuentuum in iis existentium detrimento.* Vndè voluit priùs vocari & audiri, aliorum in iisdem Ciuitatibus & locis existentium Conuentuum Priores seu Procuratores, & alios interesse habentes, ad hujusmodi causam de sufficienti sustentatione absque aliorum detrimento seruatis seruandis cognoscendam. Et in casu prouocationis vel Appellationis, decernit ad Sedem Apostolicam causam hujusmodi deuolui.

3. *Gregorius* 15. aduertens domos Regulares, vt in eis verè regulariter, vivatur dependere a numero competenti Regularũ, & sustentationem expẽdi debere juxta numerũ Regularium in locis illis viuentium. Demum Regulares maximè Mendicantes nõ viuere ex solis eleëmosynis Ciuitatum, aut Municipiorum in quibus domos habent, sed etiam ex locis vicinis: Determinauit numerum Regularium pro quacumque domo de nouo construenda, vt in ea saltem duodecim Fratres siue Religiosi inhabitare, & ex consuetis eleëmosynis, aut aliis sustentari possint. *Item.* Quòd Superiores siue Procuratores domorum Regularium ad quatuor millia passuum inde distantium audiantur & consentiant; Nisi aliàs vel aliundè constaret Ordinariis Religiosos domus sic erigendæ numero duodecim ibi commodè & congruè manuteneri & ali posse. Vbi autem nulli alii Regulares existunt, decernit ut incolæ locorum audiantur, & eorum consensus requiratur: An scilicet duodecim Religiosos commodè alere & sustentare valeant &c. In casu autem Appellationis à Decreto Ordinariorum, causam totam & Negotium Pontifex deuolutum ad S. Congregationem declarat.

4. *Vrbanus* 8. per Bullam quæ incipit: *Romanus Pontifex. Datam Romæ apud S. Mariam Majorem* 28. *Aug.* 1624. *Pontif. a.* 2. derogando omnibus quibuscumque aliis Concessionibus & facultatibus à S. Sede emanatis, supradictis Constitutionibus *Clementis* 8. & *Gregorii* 15. contrariis, mandat, illas omninò ab omnibus obseruari &c. Ex quibus omnibus ponitur vnica pro domibus Regularibus in posterum ædificandis Prouisio Summaria.

PROVISIO GENERALIS.

Quid requiratur ad nouæ Conuentus extructionem.

ADædificandam domum Regularem deinceps requiritur *Licentia Episcopi Ordinarii*: quam Episcopus non potest dare nisi constet duodecim Fratres siue Religiosos in loco ubi est ædificanda, posse ex reditibus, vel eleëmosynis consuetis loci & locorum adiacentium, absque detrimento aliorum Regularium in loco vel vicinia ad quatuor millia passuum (si qui sint) vocatis & auditis eorum Superioribus,

congruè sustentari: Et casu quo ibi Regulares non sint, auditis incolis, nisi aliunde Ordinario certò & absque tergiuersatione prædicta constarent. His porro subsistentibus tenetur Episcopus facultatem gratis dare: Et casu quo impertinenter det, aut non det, posità Appellatione totum negotium & Causa hoc ipso suspenditur, & deuoluitur ad S. Sedem & S. Congregationem.

Episcopi ad hoc facultas qualis.

Ex quo constat 1. Facultatem Episcopi ad ædificandam domum Regularem in sua diœceli, non esse ordinariam nec absolutam, sed vicariam & delegatam, ac dependentem à conditionibus & circumstantiis positis, ita vt quacumque Appellatione posità deuoluatur ad S. Sedem, à qua tota potestas procedit. Non est ergo in arbitrio mero Episcopi concedere vel negare, sed ejus Conscientia in obseruandis conditionibus & circumstantiis à S. Sede positis oneratur.

An sit Episcopi prescribere situm aut modum domus Regularis.

Constat 2. Non esse Episcopi constituere locum, situm aut modum domus Regularis, modò supradicta obseruentur: Regulares tamen teneri obseruare distantiam secundum mensuras Cannarum à summis Pontificibus assignatarum: & si quæ sint legibus Ecclesiasticis vel Ciuilibus circa Ædificationem hujusmodi domorum constituta ad euitandas nonnullas incongruitates vel præjudicia in detrimentum Tertii. Quæ omnia dependent a Constitutionibus Regionum & Ciuitatum.

CLASSIS ET SECTIO V.

Consultatio Generalis super stabilitate Prouisionum Apostolicarum Ordini Fratrum Minorum factarum; siue etiam super earum Reuocatione & Renouatione.

QUi Prouisiones Pontificias Fratribus Minoribus ab incunabilis Ordinis factas negare vel perperam interpretari, aut eludere non potuerunt: Ad Reuocationes illarum, vel Immutationes siue Alterationes à summis Pontificibus successu temporis in illis factas recurrerunt, vt in aliquo saltem eas enervare possent: Aliqui quidem studio aut prætextu inuestigandæ veritatis, & vt quilibet intra terminos indultæ sibi vel restrictæ potestatis cõtineretur: Alii zelo & æmulatione parum Christianâ vel concutiendæ vel euertendæ Pontificiæ Auctoritatis.

Et quidem qui Reuocationes vrgent 1. adferunt Decreta Conciliorum, Bullas Pontificum, quæ vel expresè reuocant, vel Constitutiones posteriores Prouisionibus prioribus contrarias allegant. 2. Si Reuocatorias non inueniant, nituntur ostendere Prouisiones per non vsum vel contrarium vsum abrogatas. 3. Responsiones Eminentissimorum Cardinalium proferunt, quæ Declarationes vel Interpretationes subindicant, Priuilegia siue Prouisiones Regularium alterantes.

Qui verò stabilitatem & perpetuitatem Prouisionum probare contendunt: Quidam quidem 1. ostendere volunt dictas Prouisiones fuisse à summis Pontificibus in mercedem laboris Ordinibus Religiosis concessas: Ita vt transierint in Jus eas possidentium, quo sine demerito priuari nequeunt. Alii 2. Bullas Bullis opponunt, & Confirmationes posteriores prioribus Reuocationibus: Alii 3. disputant super Clausulis Reuocatoriis: Alii viuæ vocis Oracula confirmatiua proferunt; Ita vt tenebris res tota inuoluatur, & ob opinionum varietatem veritas mutari videatur, Et vtrimque Auctoribus variis citatis ad opinionum probabilitatem magis quàm ad certitudinem declinari.

Nos itaque omnem operam adhibere volentes, vt certa ab incertis separemus, ad pleniorem veritatis indagationem ad *Rationale Judicii*, quod ad pectus summi Pontificis appensum est, recurrendum putamus, si quo modo peruenire possimus, dissimulatis Auctorum opinionibus, & sequestratis dubiis (quæ à nonnullis allegantur) Instrumentis.

§. I.

Reuocationes Priuilegiorum quæ à nonnullis allegantur.

Decreta & Bullæ reuocatiuæ Prouisionum Mendicantibus factarum.

IN primis profertur Clementina *Dudum* de Sepulturis, quæ restituens Constitutionem *Bonifacii* 8. Super Cathedram, reuocat & cassat Constitutionem *Benedicti* 11. *Inter Cunctas*, In qua Ordinibus Minorum & Prædicatorum multa concedebantur.

Leo 10.

2. Producitur moderatio quædam Priuilegiorum omnium Ordinum Mendicantium facta in *Concilio Lateranensi* sub *Leone* 10. quæ incipit: *Sacro approbante Concilio, dum intra mentis arcana &c. Data Romæ in publica Sessione* in Lateranensi Basilica solemniter celebrata *Anno Incarnationis Dominicæ*

minica 1516. 19. *Decemb. Pontif. anno* 4. In qua laudibus summis Pontifex extollens fructus qui per Episcopos & Regulares Mendicantes Ecclesiæ Dei proueniebant: Ad concordiam mutuam nonnulla sub moderationis Titulo decernit. Inter quæ nihil inuenio singulare quod Prouisionibus antiquis pro Fratribus Minoribus factis specialiter in Prædicationibus & Confessionibus in aliquo obesse possit: Imò plura quæ Prouisiones illas confirmant, prout infrà examinabuntur.

Concil. Trid. 3. Produci potest *Concilium Tridentinum*, quod *sess. 25. de Regularibus c. 22.* mandat sua de Regularibus Decreta seruari: *Non obstantibus* (ait Textus) *omnium & singulorum Priuilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis* &c. Cui consonat Decretum *Pii* 4. singulariter super obseruatione Concilii factum: quod incipit: *In principis Apostolorum Sede. Datum Romæ apud S. Petrum anno* 1565. 13. *Kal. Martii Pontif. anno* 6. In quo reuocat omnia Priuilegia Regularium: *in quantum Statutis & Decretis Concilii aduersantur.* Et declarat illa: *Ipso Jure reuocata, cassata & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta esse & censeri.*

Gregor. 13. 4. Producitur & vrgetur Constitutio *Gregorii* 13. quæ incipit: *In tantâ negotiorum mole. Data Romæ anno Domini* 1573. *Kal. Martii anno* 1. In qua ob varias lites & scandala suborta inter Episcopos & Mendicantes ratione Bullæ *Pii* 5. quæ incipit: *Etsi Mendicantium* &c. Ac ob nonnullas alias ab eodem Pontifice emanatas: Omnes dicti Pontificis Concessiones factas de materia illa Prouisionum seu Priuilegiorum pro Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium ad terminos Juris reduxit, volens: *Illarum & omnium in eis contentarum dispositionem, atque decisionem, pro subjecta materia futuram esse, quæ siue ex Jure veteri, siue ex Sacri dicti Concilii Decretis, siue aliàs legitimè ante dictarum litterarum & Constitutionum editionem, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, summaque pristinum statum integrum, ac terminum, illa omnia* (inquit) *reducimus* &c. Ex qua nihil aliud deduci potest, quàm Prouisiones & Priuilegia Mendicantium libranda & intelligenda esse juxta statum in quo reperta sunt antequam Bullæ *Pii* 5. emanassent: Vnde Bulla illa *Gregorii* 13. non tam Reuocatoria est, quàm Reductoria ad statum & tempus *Pium* 5. antecedens, & ad ipsum Jus Commune, & Decreta Pontificia, vt tunc erant in integrum restituenda.

Clemens 8. 5. Hic reproduci possunt duo *Decreta* tempore *Clementis* 8. ad annum 1601. & ad annum 1602. In quorum primo omnibus Confessariis tam sæcularibus quàm Regularibus cujusuis Ordinis etiam Mendicantium, *extra Vrbem intra Italiam existentibus*, prohibet ne prætextu cujusuis Priuilegii à Casibus in Bulla Cœnæ, vel aliàs S. Sedi aut etiam Ordinariis locorum reseruatis, excepto mortis articulo, absoluere præsumant: & omnes facultates, Priuilegia & Prouisiones in contrarium *in hâc parte* (ait) *quantum opus est*, reuocat, cassat, & annullat. In 2. autem Decreto modificat & determinat Casus, qui deinceps extra Vrbem intra Italiam reseruati censeri debent, aut reseruari possunt.

Responsa Cardin. 6. Reproducuntur quædam *Responsiones Cardinalium* quæ Prouisiones absoluendi à Casibus quos sibi Episcopi reseruarint, aut cassant, aut reuocant: Inter quas magis authentica videtur illa *Gregorii* 13. facta Cardinali Boromæo Archiepiscopo Mediolanensi, concurrente auctoritate Apostolicâ hujus tenoris: *Illustrissime ac Reuerendissime Domine, cùm à Sacra Congregatione Cardinalium qui præpositi sunt Decretis Concilii Tridentini interpretandis, Illustrissima Amplitudo Tua quæsierit: An Regulares ex Priuilegio à Sede Apostolica impetrato, præsertim autem ex eo quod nominant Mare magnum, possint in Casibus quos sibi Episcopus reseruauerit absoluere confitentes? Hac de re vbi Congregatio egisset, deinde ad sanctissimum Dominum retulisset: Sanctitas sua etiam de sententiâ Congregationis censuit ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliasue Priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluendi in Casibus sibi ab Episcopo reseruatis &c. Romæ die* 11. *Septembris* 1577.

Alia etiam refertur amplior sub *Vrbano* 8. ad *annum* 1628. signante *Cardinale* S. Onuphrii sub sequentibus terminis: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, censuit per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sac. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si qua habebant, absoluendi à Casibus Ordinario loci reseruatis: Quemadmodum nec indulta absoluendi à Casibus contentis in Bulla quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, (vtpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem) vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorum confirmationibus: Ac proinde Regulares cujusuis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Priuilegiorum aut Confirmatio-*

num hujusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœna, aut Ordinario loci reseruatis: Ac si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore: Ab aliis verò Casibus & Censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares habeant a Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis jussu sanctæ memoriæ Clementis 8.

Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouemb. 1628.

De Bulla *Gregorii* 15. quæ incipit: *Inscrutabilis Dei prouidentia. Data Romæ 1622. Nonis Februarii Pontif. anno* 2. hic non ago: quia propriè Reuocatoria non est, sed potiùs nouorum Decretorum etiam contra *Concilium Tridentinum* constitutiua: Cui cùm Hispania tota contradixerit, & in Belgio & aliis Orbis regionibus recepta non fuerit, plus quæstionis quàm doctrinæ inducit, ideoque à proposito illam dissimulandam hic judicaui.

§. II.

Renouationes, & Concessiones nouæ, & Renouatæ sub tempore, vel post Concilium Tridentinum, Prouisionum seu Priuilegiorum Fratribus Minoribus & aliis Mendicantibus factorum, etiam cum Derogationibus omnium Reuocationum.

Decreta & Bulla renouantes Prouisiones FF. Minoribus factas.

QUia potissimus Cardo quæstionum pro permanentia & continuatione antiquorum Priuilegiorum & Prouisionum consistit: In probatione Renouationum & Concessionum nouarum & renouatarum, quæ post Concilium Tridentinum, ab Apostolica Sede emanarunt: Præcipuas Renouationes seu nouas Concessiones hîc perstringo, eas maximè quæ Ordini Minorum sunt factæ vel tempore Concilii, vel post illud.

Paulus 4.

Primò itaque producitur *Innouatio* & iterata *Concessio* ac ampliatio omnium Priuilegiorum tempore *Concilii Tridentini* facta pro Fratribus Minoribus à *Paulo* 4. quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ Prouisione. Data Romæ die* 1. *Julii anno* 1555. *Pontific. anno* 1. decem totis annis ab inchoato *Concilio Tridentino*: In qua amplissimè confirmantur, de nouo conceduntur, & in quacumque forma meliori extenduntur, & interpretanda declarantur omnia & quæcunque Priuilegia quouis modo concessa, siue per communicationem, siue per extensionem, siue per viuæ vocis oracula &c. Fratribus Minoribus facta. Ex pro materia controuersa: decernitur & declaratur: *Confessarios deputatos Ordinis Minorum Obseruantiæ omnium quarumcunque diœcesium vtriusque sexus fidelium ad eos pro tempore recurrentium Confessiones audire, eosque etiam in casibus & censuris quibus eis per Priuilegia Sedis Apostolicæ etiam per modum communicationis & extensionis quorumcumque Ordinum etiam Minimorum (quorum Priuilegia eidem Ordini Minorum sunt communicata & extensa) absoluere consueuerunt, absoluendi, ac pœnitentiam salutarem injungendi &c. Apostolicâ auctoritate indulgemus, ac de nouo concedimus in omnibus & per omnia* &c. In cujus fine addit omnes derogatorias quæ adhiberi possunt, etiam derogando Conciliis quibuscumque. Cujus Bullæ executionem demandat Archiepiscopo Rothomagensi, Episcopo Conchensi, ac Causarum Cameræ Apostolicæ Auditori.

Quam Constitutionem *Pauli* 4. iterum innouauit, confirmauit, & ampliauit ejus successor sub finem Concilii *Trid. Pius* 4. qui Concilio finem imposuit, per Bullam quæ incipit eisdem omnino verbis, quibus anterior *Pauli* 4. nimirùm: *Ex clementi Sedis Apostolicæ Prouisione. Data* similiter *Romæ anno* 1561. *Pontif. anno* 2. Addens in materia controuersa: *Confessores Ordinis Minorum à suis Superioribus* (vt moris est) *deputatos omnium quarumcunque Prouinciarum, Ciuitatum & Diœcesum per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium pro tempore Confessiones, etiam infirmorum vbiliber, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, ac etiam ad eos recurrentium audire, eosque etiam in Casibus & Censuris* &c. (vt suprà in Bulla *Pauli* 4.) *absoluere* &c. Additâ iterum communicatione expressâ cum Minimis. Additis & ampliatis etiam Derogatoriis omnibus quæ in Bulla *Pauli* 4. continentur. Quia verò in vtraque Bulla tam singularis mentio fit Priuilegiorum Minimis concessorum, eaque tam singulariter Fratribus Minoribus dicuntur concessa, & ad eos ampliata: Accipe ex omnibus in materia Absolutionum Priuilegium *Sixti* 4. per *Julium* 2. cum cæteris confirmatum in Bulla quæ incipit: *Dudum ad sacrum Ordinem* &c. *Data Romæ anno Incarnationis Dom.* 1506. 5. *Kalend. Aug. Pontificat. anno* 3. quæ est Bulla 9. apud Confettium: *Nec non* (ait) *Confessiones quarumcumque personarum tam*

Reli-

Religiosarum quàm Ecclesiasticarum & secularium vbilibet audire possint, & illis auditis personas ipsas, & earum quamlibet juxta formam & tenorem Priuilegii per præfatum Sixtum (4) prædecessorem Ordini Minimorum hujusmodi ac illius personis ac Fratribus dudum concessi & confirmati, absoluere ac pœnitentiam salutarem injungere valeant: Priuilegium autem *Sixti* 4. datum Francisco de Paula & Ordini Minimorum in Bulla quæ incipit: *Sedes Apostolica* &c. *Data Roma anno* 1474. 6. *Kal. Junii Pontif. anno* 3. quæ est apud Confettium ejusdem Pontificis 13. in qua facultas absolutionum &c. sic in terminis ponitur: *Confessiones audiendi & ab omnibus Casibus, Excommunicationibus, suspensionibus & Interdictu, ac super quacumque Irregularitate ordinario tam à Jure, quam ab ipso reseruatis, & præmissis, toties quoties opus foret & esset, absoluendi & dispensandi, ac vota quacumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam salutarem injungendi* &c. Quæ latiùs ponere volui vt quæ in Bullis Originalibus expressa sunt manifestiora fiant. Quo etiam pertinent concessa à *Leone* 10 Minimis in
Leo 10. Bulla quæ incipit: *Pastoris æterni* &c. *Data Romæ anno Incarnationis Dominicæ* 1513. *Pridie Nonas Maii Pontif. anno* 1. quæ est 5. apud Confettium in qua concessis nonnullis Indulgentiis visitantibus Ecclesias eorum *in festo omnium Sanctorum, Assumptionis & Annunciationis B. Mariæ ac Pentecostes à singulis Casibus Episcopalibus, nec non vota quæcumque per eos emissa (Religionis & Castitatis, ac Liminum Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera communitandi licentia & facultas conceditur.* Cui quidem Bullæ mira firmitas & perpetuatio adhibetur: *Volumus autem* (inquit) *& decernimus quòd si contingat nos aut Sedem Apostolicam, in posterum hujusmodi Indulgentias & facultates reuocare, cassare, & annullare, seu suspendere, quòd præsentes litteræ, & in eis contenta quæcumque nullatenùs includantur, nec per tales vel alias Reuocationes, cassationes, declarationes, decreta, & suspensiones, sublata quomodolibet intelligantur, etiamsi de hujusmodi intentione nostra & mente non derogandi, specialis expressa, & non per generales Clausulas, quæ hujusmodi specificam mentionem importare viderentur aut importarent, etiam fierent* &c.

Quas quidem Indulgentias ampliauit ad Plenarias, & potestatem Absoluendi ab omnibus Casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis Casibus Bullæ cœnæ Domini) omnimodam concessit visitantibus Ecclesias dicti Ordinis in singulis dominicis diebus Quadragesimæ, & singulis diebus à media Quadragesima vsque ad Octauam Paschæ, nec non festis Domini Sabaoth, vt videre est in Bulla quæ incipit: *Etsi cuncta Orbis Ecclesiæ. Data Romæ anno Domini* 1518. *Kal. Julii Pontif. anno* 7. quæ est 9. ejusdem Pontificis apud Confettium. Et has quidem Concessiones Minimis factas latius hic recensere volui: quia Fratribus Minoribus per *Paulum* 4. & *Pium* 4. singulariter appropriatæ sunt, & perpetuitatem singularem in suis Clausulis confirmatoriis continent, quam posteà ad instar in Reuocatoriis oportebit examinare & expendere.

2. Producitur Confirmatio, Innouatio & Ampliatio omnium Priuilegiorum *Pius* 5. quorumcumque, etiam vitæ vocis Oraculorum facta à *Pio* 5. in Bulla quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines. Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ* 1567. 17. *Kal. Iulii Pontif.* a: 2. In qua singulariter (*quia* (vt ait) *in Concilii Tridentini Decreta, falsa seu minus vera intelligentia irrepserat*) plurima ex illis Decretis explicauit & declarauit auctoritate vtique Apostolicâ & suprema (*quorũ* (inquit) *declaratio non nisi ad nos spectat*) & cùm interim multa simul explicasset, & de nouo concessisset, tamquam Concilio Tridentino non contraria: Tandem illa, & alia omnia Prædecessorum Priuilegia, immunitates, indulta, facultates &c, *quæ* (ait) *Decretis Concilii Tridentini* (*aliàs quam vt supersùs est dictum, concessam & declaratum*) *non contrariantur*, expressè confirmauit, innouauit, & ad singulos Ordines & domos etiam per Communicationem & nouam Concessionem extendit. Specialiter autem expressit se innouare, & de nouo concedere, quæ per *Eugenium* 4. *Sixtum* 4. *Leonem* 10. *Paulum* 3. *Paulum* 4. & *Pium* 4. Ordinibus fuerunt concessa: Et ampliùs derogauit omnibus Apostolicis, Prouincialibus, Synodalibus Conciliis &c. editis aliisque quibuscumque &c. additis Executoribus. Quam Bullam fuisse registratam & promulgatam ostendit Confettius per Testimonium *Michaelis Bonelli Tituli S. Mariæ super Minervam Cardinalis* Alexandrini *eodem anno* 1567. *die* 24. *Julii.*

Quia verò super hac Bulla variæ ortæ sunt contentiones maximè ratione Bullæ *Gregorii* 13. quæ incipit: *In cunctarum rerum & negotiorum mole. Data Romæ anno* 1573. *Kal. Martii Pontif. anno* 1. quæ dictam Constitutionem *Pii* 5. ad terminos Juris antiqui, & *Concilii Tridentini* reduxit; nonnulla hic adnotanda sunt.

1. Constitutionem illam *Pii* 5. *Etsi* *Nota.* *Mendicantium.* Datam esse motu proprio, non ad alicujus instantiam, sed de mera deliberatione & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine: Ita vt de subreptionis, obreptionis, vel alicujus

circumuentionis vitio notari non possit.

2. Continere pro majore sui parte *Declarationes* & *Interpretationes* meras *Canonum* & *Decretorum Concilii Trid.* quæ cùm pertineant ad summum Pontificem ex officio, & vi supremi Apostolatus, in his saltem quæ sunt meræ Declarationes, absque blasphemia nemo sanæ mentis contradicere potest.

3. Si interdum aliqua per modum nouæ Concessionis immisceat, illa ad limam Concessionum à Prædecessoribus factarum expendi debent.

Ex quibus omnibus facilis est reconciliatio Constitutionis *Gregorii* 13. *In tanta rerum & negotiorum mole*, cum hac Constitutione *Pii* 5. *Etsi mendicantium*. Cùm enim (vt testatur *Gregorius*) ad sedandas lites dictam Constitutionem *Pii* intenderit tantum ad Terminos Juris Communis tam veteris quàm *Concilii Tridentini* reducere: Omnes dispositiones & decisiones in Bulla *Pii* contentæ, pro subjectâ materiâ, quæ siue ex Jure veteri, siue ex Sacri *Concilii Tridentini* Decretis futuræ fuissent, integræ in suo Statu manent, & ad integrum suum Statum reducuntur: Quæ ergo meræ Interpretationes & Declarationes sunt in sua virtute quam habent ex vi Declarationis Pontificiæ remanent, sicut & alia omnia Priuilegia, quæ præsupponit *Pius* à suis Prædecessoribus prius concessa.

Gregor. 13. 3. Itaque reproducitur Bulla amplissima *Gregorii* 13. quæ incipit: *Ex benigna Sedis Apostolicæ Prouisione. Data Romæ anno* 1575. *Pontif. anno* 3. In qua latissimè pro Fratribus Minoribus Regularis Obseruantiæ: *Omnia* iterum *Priuilegia, immunitates, declarationes, facultates, dispensationes* &c. *sub quacumque verborum forma, etiam per solam signaturam, vel viuæ vocis Oraculo, à suis quibuscumque Prædecessoribus quocumque modo, quibuscumque Ordinibus concessas, etiam per viam Communicationis, extensionis* &c. *approbat, confirmat, & innouat, perpetuamque roboris firmitatem obtinere declarat de Auctoritatis Apostolicæ plenitudine, & ex certa scientia.* Additis tamen his particulis: *quatenùs sunt in vsu, & Sacris Canonibus & Decretis Sacri Concilii non aduersantur.* Derogat autem latissimè Constitutionibus *Juris Communis*: *Super Cathedram Bonifacii c. Dudum Concilii Viennensis* &c. Imò & Constitutionibus *Lateranensis Concilii*, vbi aliqua moderatio circa Mendicantium Priuilegia facta fuerat: Derogat tandem non tantùm omnibus Constitutionibus suorum Prædecessorum in contrarium factis aliquot Pontifices specificando, sed etiam propriis, *per nos* (inquit) *& Sedem eandem etiam motu proprio, & ex certa scientia & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis recitatiuis, annullatiuis, cassatiuis, etiam Priuilegiorum eorundem reuocatiuis, restrictiuis, reseruatiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, & quibusuis derogatoriarum derogatiuis* &c. Quæ sigillatim prosequitur. Ex qua Bulla constat ipsum derogasse alteri suæ Bullæ: *In tanta rerum & negotiorum mole*, quam duobus annis antea, hoc est 1. sui Pontificatus anno dederat, similiter & aliis Declarationibus si quæ antea emanassent. Dictam Constitutionem vide apud Confectium & Emanuelem Rodriguez.

4. Reproducuntur similes Confirmationes, Innouationes, & Concessiones de nouo omnium similiter Priuilegiorum quouis modo etiam Viuæ Vocis Oraculo datorum, per *Sixtum* 5. per Bullam quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines præsertim Sacrum Ord. Minorum. Datam Romæ anno* 1587. *Pontif. anno* 3. quæ est apud Confectium 5. Item per *Clementem* 8. in Bulla quæ incipit: *Ratio Pastoralis. Data Romæ* 20. *Decemb. anno* 1597. *Pontif. anno* 6. Item per *Paulum* 5. in Bulla quæ incipit: *Injuncti nobis Apostolici muneris. Data Romæ* 1. *Decemb. anno* 1609. *Pontif. anno* 5. In qua confirmauit Bullam præcedentem *Clementis* 8. & denuò innouat ac de nouo concedit, & confirmat omnia Priuilegia, gratias, indulgentias &c. in amplissima formâ, & cum amplissimis clausulis derogatoriis omnium contrariorum: Nec tantùm positis executoribus, sed etiam pœnis aduersus contradictores delignatis, etiam inuocato Brachio sæculari. Hujus Bullæ authenticum exemplar habetur in Conuentu Gandensi Fratrum Minorum Recollectorum. In quibus omnibus excipiuntur illa: quæ Decretis *Concili Tridentini* aduersantur.

Sixtus 5.

Clemens 8.

Paulus 5.

§. III.

Renouationes & Concessiones nouæ factæ pro foro Conscientiæ tantùm.

Concessiones nouæ FF. Minoribus facta pro foro Conscientia.

HIc verò adnotandæ sunt Renouationes factæ pro foro Conscientiæ tantùm, qualis est illa Authentica & solemnis facta à *Pio* 5. 23. Martii anno 1567. de qua Emanuel Rodriguez in ejus Viuæ Vocis Oraculis n. 15. verbis sequentibus: *Ego F. Aloysius de Puteo Torinus Ordinis Minorum Generalis Minister fidem facio, qualiter SS. D. N. Pius Papa* 5. *Die* 23. *Mensis Martii* 1567. *me supplicante S. Sanctitati concessit Confirmationem & concessionem omnium Priuilegiorum, & quarumcumque gratiarum, etiam*

Viuæ

Viuæ Vocis Oraculo Fratribus dicti Ordinis Minorum concessarum, prout de verbo ad verbum hic est inserta, quæ talis est.

Supplicatur Sanctissimo D.N. Pio Papæ 5. vt sua Sanctitas dignetur confirmare & concedere omnia Priuilegia, & quascumque gratias, & Viuæ Vocis Oracula concessa per B. Mem. Paulum Papam 4. & alios Romanos Pontifices prædecessores Sanctitatis suæ, cum singulis clausulis, decretis, & derogationibus in eis contentis, Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ: Ita vt illis gaudere, & vti possint toties quoties opus fuerit & eis videbitur, etiam quoad illa ex eis, quæ sunt restricta, seu derogata per Concilium Tridentinum, & vti possint in foro Conscientiæ tantum. Ita est. Et Pontifex dixit: *Fiat vt habet.*

Cui similem Concessionem fecerat *Leo* 10. teste Eminentissimo Laurentio Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardinale sub his verbis. *Quòd Fratres Minores Regularis Obseruantiæ securâ Conscientiâ possent vti omnibus concessis a Sede Apostolica & Romanis Pontificibus per Bullas vel Breuia aut viuæ vocis Oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac si omnia specificè exprimerentur, & pro majori Conscientiarum securitate, omnia de nouo concederet Sanctitas sua & quod non sint minoris efficaciæ, quàm si per Bullam aut Breue ad perpetuam rei memoriam essent concessa, & hoc in foro Conscientiæ tantum.*

Huc etiam pertinet Declaratio *Gregorii* 13. qui post Responsionem Cardinalium factam Cardinali Boromæo Archiepiscopo Mediolanensi 10. *Septemb. anno* 1577. quòd ex Priuilegiis Mendicantes non possent absoluere à Casibus, quos sibi Episcopus reseruasset, posteà ad *annum* 1583. die 10. May declarauit per prædictam Epistolam siue Declarationem non fuisse suæ intentionis derogare facultati factæ Confessariis Societatis Jesu absoluendi in Casibus Episcopo reseruatis, imò eam de nouo confirmare, & concedere, prout refert Compendium Societatis V. *Absolutio.* De quo & in Resolutionibus Cappucini V. *Absolutio quoad Sæculares* 2. quæ videtur quia Viuæ Vocis Oraculo data, respicere forum Conscientiæ dumtaxat.

§. IV.

Examen Syncerum & accuratum, Concessionum, Reuocationum, Renouationum, & Interpretationum, Prouisionum siue Priuilegiorum Fratribus Minoribus & aliis Mendicantibus concreditarum; siue de eorum Perpetuatione vel Cessatione.

IN tanta varietate Bullarum, Constitutionum, Responsionum, Interpretationum, quæ vel à S. Sede, vel à SS. Congregationibus emanarunt, & diuersis aduersisque Doctorum sententiis agitatæ hactenùs fuerunt: Mihi omnium minimo visum est, ad ipsos Originales Textus tum SS. Conciliorum maximè *S. Concilii Tridentini*, tum Pontificiarum Constitutionum, & Interpretationum recurrendum, si quid fortè sinceriori & accuratiori indagine certius accipere possimus: & ante omnia repetendum mihi principium super quo tamquam super solida fundamenti petra fundatas Prouisiones siue Priuilegia, de quibus potissimum quæstio est, initiò annotauimus, nimirùm:

Prouisiones factas Fratribus Minoribus & aliis Mendicantibus in Exemptionibus, vel Administrationibus Sacramentorum, & aliis Ministeriis Sacris Ecclesiæ vocari Priuilegia: *Non quia:* Fauores *sint leges eneruantes, aut relaxantes, sed ex eo quòd (Stante lege Communi & consideratâ Rationis æquitate quæ est Mater Iustitiæ) sint quædam Exceptiones à Lege Communi, siue priuatæ & prouidæ Prouisiones, pro Ecclesiæ bono, & Operariorum necessitate, vt saluti fidelium, ac necessitati consuleretur, per Operariorum sufficientiam, absque vllius præjudicio tertii, aut Legis Communis injuria: vt latissimè*

sinè ostendimus in singulis Prouisionibus siue Priuilegiis incipiendo à Classe 1. *vsque ad finem.*

QUod quidem Principium singulariter in memoriam reuocandum est: Cum enim contineat finem & Intentionem Legislatoris, quæ sunt Anima Legis, & priuatarum Prouisionum & Exceptionum, quæ sub nomine Priuilegiorum reproducuntur: facilè ex iis mens & voluntas Pontificum, vbi dubia erit Textuũ interpretatio, elici poterit. Igitur primo Certa ab Incertis per Propositiones diuidam, & demùm Quæstiones cum Resolutionibus ex suis fundamentis subjungam.

PROPOSITIO I.

Tempore Concilii Trid. omnes Prouisiones Ordini Minorum facta erant in vigore.

TEmpore toto quo *Concilium Tridentinum* celebratum est, omnia Priuilegia omnesque Prouisiones prius factæ Ordini Minorum, siue per se, siue per Communicationem cum cæteris Ordinibus, fuerunt in vigore absque vllius derogatione, vel reuocatione.

Hæc Propositio 1. certissima est ex Bulla *Pauli* 4. quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ Prouisione. Data Romæ anno* 1555. *Pontif. anno* 1. Decem scilicet annis ab inchoato *Concilio Tridentino*. In qua amplissimè confirmat, de nouo cõcedit, & innouat, & in quacumque forma meliori extendit & interpretanda declarat omnia & quæcumque Priuilegia quouis modo concessa siue per communicationem, siue per extensionem, siue per Bullas, siue per viuæ vocis Oracula; cum derogationibus amplissimis Constitutionum *Super Cathedram Bonifacii* 8. & *Dudum* Viennensis Concilii, Clementinæ *Religiosi* de Priuilegiis &c. nec non Moderationibus factis à *Leone* 10. *in Concilio Lateranensi*. & aliis quibuscumque Apostolicis Ordinationibus &c.

2. Propositio constat: Ex Bulla simili *Pii* 4. sub finem ejusdem Concilii data similiter Romæ *anno* 1561. *Pontif. anno* 2. quæ eisdem verbis, quibus prior, incipit: *Ex clementi Sedis* &c. In qua iterum confirmat, innouat, & de nouo concedit vt suprà omnia Priuilegia Fratribus Minoribus facta, ratificans specialiter Bullam supradictam *Pauli* 4. Prædecessoris sui, additis etiam amplissimis derogationibus. Vide quæ de his duabus Bullis diximus suprà §. 2.

PROPOSITIO II.

Promulgato Concilio Trid. omnia Priuilegia &c. in quãtum Concilio contraria, reuocata.

COncluso & promulgato *Concilio Tridentino*, declarata sunt omnia Priuilegia, Exemptiones, Immunitates, Facultates, Dispensationes, Conseruatoriæ, Indulta, Confessionalia, Mare Magnum, & aliæ gratiæ &c. factæ Mendicantibus & aliis: *In omnibus & singulis, in quibus illa statutis & Decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipso Jure reuocata, cassata & nulla* &c. *& ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta* &c. Ita expressè *Pius* 4. in Bulla quæ incipit: *In Principis Apostolorum Sede. Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1565. 13. *Kal. Martii Pontif. anno* 1. Quæ quidem Declaratio quoad ea quæ aduersantur Decretis Concilii *Sess.* 25. *de Regularibus* facta fuerat in ipso Concilio, ad finem dictæ *Sess.* 25. *c.* 22. de quibus supra §. 1.

PROPOSITIO III.

Post Concilium omnia Priuilegia non contraria Concilio confirmata, & aucta.

NE occasione hujusmodi Reuocationum, putarentur omnia Priuilegia Mendicantium post Concilium abrogata: Posteriores Pontifices post *Concilium Tridentinum* Confirmauerunt, innouauerunt, seu de nouo concesserunt omnia Priuilegia ante Concilium, & tempore ipsius Concilii à summis Pontificibus quouis modo, etiam per Viuæ Vocis Oracula facta cum hac clausula (*quatenùs S. Concilii Tridentini Decretis & Statutis non sunt contraria, siue non aduersantur*) quinimò & alia addiderunt, cum derogationibus amplissimis omnium in contrarium facientium. Ita *Pius* 5. in amplissima Bulla pro omnibus Mendicantibus facta quæ incipit: *Ersi Mendicantium. Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis* 1567. 17. *Kal. Julii Pontif. anno* 2. Et *Gregorius* 13. in Bulla quæ incipit: *Ex benigna Sedis Apostolicæ Prouisione data* pro Fratribus Minoribus *Romæ anno* 1575. *Pontif. anno* 3. Quales Confirmationes pro iisdem Fratribus Minoribus postea cùm eadem clausula fecerunt *Sixtus* 5. & *Clemens* 8. & *Paulus* 5. de quibus omnibus latiùs suprà §. 2.

SVMMA EXAMINIS.

HIs igitur Propositionibus quæ certæ & extra omne dubium sunt, maturè suppositis ad cognoscendam continuationem vel abrogationem duæ tantùm Quæstiones resoluendæ sunt, nimirum:

1. *Quæ*

1. *Quæ Priuilegia seu Prouisiones debeant dici contrariari seu aduersari Canonibus, Statutis vel Decretis Concilii Tridentini?*

2. *Quæ determinatè Priuilegia ratione hujusmodi contrarietatis, quam contra Concilii Tridentini Decreta habent, censeantur de facto abrogata & reuocata?*

CUm enim hæ duæ Quæstiones fuerint clarè resolutæ nihil ampliùs remanebit disputandum.

QVÆSTIO I.

Quæ Priuilegia siue Prouisiones debeant dici contrariari seu aduersari Canonibus, Statutis vel Decretis Concilii Tridentini?

PRo vera hujus Quæstionis Resolutione ad Intricationes multas euitandas aduertenda est Protestatio & Declaratio Patrum *Concilu Tridentini Sess. 25. de Reform. c. 21.* his verbis: *Postremò S. Synodus omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina tam sub Fel. record. Paulo 3. ac Julio 3. quàm sub Beatissimo Pio 4. Pontificibus Maximis in hoc Sacro Concilio Statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, vt in his salua semper Auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Cujus similem Protestationem iidem Patres fecerunt in Decreto Proœmiali *Sess. 7. de Reformatione.*

Protestatio Patrum Concilii Tridentini de auctoritate Papæ.

Ex qua Declaratione siue Protestatione Duo infero; 1. Omnia sancita, concessa, & indulta Auctoritate Apostolicâ, tam per Leges Conciliares, quàm per Decreta, Constitutiones, Bullas, Breuia Pontificia clara & authentica, ante *Concilium Tridentinum*, vel tempore Concilii, remanere in suo vigore, nisi Pontificis seu Sedis Apostolicæ auctoritate illa expressè per Decreta Concilii, vel authentico aliquo Decreto sint abrogata, siue sit eis per clausulas expressas derogatum.

Concessa, decreta &c. ante Trid. vel illo durante per Pontifices, non sunt reuocata nisi per clausulas expressas.

Ratio clara & manifesta est. Quia Patres quæcumque in Reformatione morum, vel pro Ecclesiastica disciplina sanciuerunt, in his Auctoritatem Apostolicam saluam esse & intelligi debere declarant. Ergo nulli Decreto Apostolicâ auctoritate prius facto derogare intenderunt, nisi ipsâ auctoritate Apostolica interueniente idipsum per clausulas expressè & sufficienter illi derogatum esse manifestauerint. Tandiu enim in Legibus, Decretis, Constitutionibus, Indultis Apostolicis censetur Apostolica auctoritas permanere, donec per derogationem, cassationem vel reuocationem censeantur abrogata, quod (vt dixi) non tantùm in Legibus & Constitutionibus Cõciliaribus, sed etiam in Constitutionibus & Decretis per Bullas & Breuia intelligendum est: Cùm enim illa in quacumque materia etiam Priuilegiorum & Gratiarum ab Apostolica auctoritate procedant, & illi quibus data sunt jam Jus quæsitum in illis habeant: Non censentur ne quidem per *Concilium Tridentinum* juxta Declarationem Patrum Concilii, abrogata, nisi doceatur Apostolica auctoritas in abrogatione illorum interuenisse: Quod non potest constare nisi per clausulas sufficienter derogatorias: Aliàs enim etiam fatentibus Patribus auctoritas Apostolica à qua dicta Priuilegia processerunt, semper in illis salua remanet, & intelligi debet remanere quod singulariter adnotandum est.

2. Quod infertur est: Post *Concilium Tridentinum*, Apostolicam auctoritatem semper liberam & saluam remanere: vt possit quæcumque Priuilegia & facultates, etiam *Concilio Tridentino* in materia Morum & Disciplinæ Ecclesiasticæ contrarias, denuò confirmare, innouare, vel de nouo concedere etiam cum derogatione Decretorum Concilii, vbi judicauerit expedire. Ratio est eadem quæ prioris illati: Quia Patres declararunt ita omnia in dicto Concilio statuta & decreta fuisse, vt in his salua semper Auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur: His ita prænotatis pono vnam Conclusionem.

Post Conc. Trid. Papa possunt dare & confirmare Priuilegia etiam Concilio contraria.

CONCLVSIO.

NUllæ Prouisiones, Priuilegia, Fauores, Gratiæ Apostolicâ Auctoritate concessæ pro Fratribus Minoribus, cæteris(que) Mendicantibus, vel etiam innouatæ aut confirmatæ ante vel post Cõcilium censentur *Concilio Tridentino* aduersari vel contrariari, nisi illæ quibus *Concilium Tridentinum* apertè & manifestè auctoritate Apostolicâ interueniente per Clausulas expressas, & sufficientes derogat. Ratio est: Quia (vt in superioribus diximus) in omnibus decretis *Concilii*

Nullæ Prouisiones &c. Mendicantibus concessa Tridentino contrariantur, nisi Concilium expresse exprimat.

Tridentini, semper salua Auctoritas Apostolicæ Sedis in omnibus quæ antè Concilium decreuit vel constituit, vel posteà constituet, intelligenda est permanere, & consequenter permanet: Nisi ipsamet S. Sedes Apostolicâ Auctoritate suis Decretis deroget. Ergo vbi Apostolicâ Auctoritate Priuilegiis &c. per *Concilium Tridentinum* sufficienter derogatum non est; illa *Concilio Tridentino* non possunt existimari contrariari vel aduersari: Ergò in vigore permanserunt, nec per posteriores Pontifices reuocata sunt: Cùm (vt ex dictis constat) *Concilii Tridentini* Decretis non aduersentur. Ex quibus deduco has Regulas Generales.

Regulæ Generales I.

SOla illa Priuilegia, Prouisiones, Concessiones, Gratiæ, fauores & hujusmodi facta Fratribus Minoribus & Mendicantibus censentur aduersari contrariari *Concilio Tridentino*, & consequenter illius virtute reuocata, quæ per expressas clausulas Auctoritate Apostolicâ interueniente ab ipso Concilio abrogata & reuocata sunt.

Regula II.

IN omnibus Decretis & statutis *Concilii Tridentini* disciplinam Ecclesiasticam concernentibus, in quibus nulla derogatoria ponitur, quantumuis generalia sint, subintelligitur exceptiua: *Nisi Apostolicâ Auctoritate in speciali alicui aliter concessum sit, vel in futurum concedatur.*

Nota.

Hæc Regula necessario infertur ex Declaratione Patrum Concilii initio hujus Quæstionis posita: qua in omnibus Decretis Concilii volunt: *saluam semper intelligi manere Auctoritatem Apostolicam.* Ergò vbi nulla apponitur derogatoria, censetur Auctoritas in iis quæ priùs concessa, vel posteriùs concedentur, salua. Vbi etiam expressè non derogatur Prouisionibus Apostolicis: jam illæ non censentur contrariæ vel aduersæ, sed ad summum præter Decreta, siue, excepta à Decretis.

QVÆSTIO II.

Quæ sint illa Priuilegia siue Prouisiones quibus per sufficientes clausulas Concilium Tridentinum derogauit?

VT absque contentione manifestius appareant derogationes Prouisionum siue Priuilegiorum, quæ in *Concilio Tridentino* continentur, illas ordine Sessionum & Capitum Concilii, in quibus illæ reperiuntur, expendemus.

Decreta Sessionis 5. c. 2. contrà Priuilegia Mendicantium.

PRimò igitur allegantur quæ *Sess. 5. c. 2.* à Concilio decernuntur, & quæ partim Prædicationis Officium, partim Exemptionem Concionatorum concernunt. Decernit itaque Concilium 1. *Regulares quamtumuis à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinatos & approbatos, de licentia Superiorum, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non posse, nisi se cum dicta licentia personaliter coram Episcopis præsentauerint, & ab eo benedictionem petierint, antequam prædicare incipiant: In Ecclesiis verò quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur.*

Examen Textus Concilii conformiter ad Priuilegia & Prouisiones pro Mendicantibus.

REpetendum hîc circa hunc Textum: Ab initio Institutionis Ordinum Minorum & Prædicatorum ex Missione Apostolica summorum Pontificum, licuisse Fratribus dictorum Ordinum vbique prædicare, si modò per examen suorum Superiorum judicati essent idonei, & ad hujusmodi officium approbati absque alia licentia Episcoporum. Constat ex ipso Textu Regulæ Fratrum Minorum c. 9. In quo tantum prohibetur illis prædicare, *contradicente Episcopo.* Ceterùm præscribitur illis examen & approbatio Generalis Ministri, quæ posteà est deuoluta ad Ministros Prouinciales cum suo Diffinitorio. Constat etiam ex Constit. *Super Cathedram Bonifacii* 8. & Constit. *Dudum de Sepulturis* in Concilio Viennensi pro vtroque Ordine, vbi nulla facta mentione de li-

FF. Min. & Prædicatoribus ab initio licitum fuit Prædicare vbique modo approbati à suis Superioribus essent.

de licentia vel præsentatione, aut benedictione ab Episcopis obtinenda: *Auctoritate Apostolicâ* (inquiunt Pontifices) *statuimus & ordinamus vt dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis ac locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant Clero & populo prædicare ac proponere Verbum Dei, horâ illâ dumtaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint* &c.

Textus igitur *Concilii Tridentini*: Relinquens Regulares in possessione antiqui Juris quoad approbationem Prædicatorum: superaddit: quòd Regulares de vita, moribus, scientia à suis Superioribus examinati, & approbati, & licentiam prædicandi habentes pro suis Ecclesiis *debeant se præsentare personaliter Episcopis* cum dicta licentia Superiorum, & *benedictionem petere ab illis*, antequam prædicare incipiant: Pro Ecclesiis autem quæ suorum Ordinum non sunt, non tantùm benedictionem petere, sed etiam licentiam ab Episcopis obtinere teneantur. Cui Decreto Concilii *Sess.* 24. *cap.* 4. sub *Pio* 4. superadditum est: *Nullus* (ait Concilium) *sæcularis sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat: In reliquis ea quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo* 3. *decreta fuerunt suum robur obtineant.*

Dubium an per supradictum Textum Concilii Tridentini sit derogatum Iuri Communi Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium.

FF. Minores & Prædicatores à suis Superioribus approbati possunt prædicare in suis Ecclesiis & communibus plateis sine benedictione Episcopi.

REspondeo 1. non esse derogatum Juri Communi Conftit. *Super Cathedram*, & *Constit. Dudum Concilii Viennensis* quoad Ecclesias Ordinis, & plateas communes, adeoque Fratres Prædicatores & Minores approbatos à Superioribus posse in Ecclesiis suorum Ordinum, ac plateis communibus liberè prædicare, etiam benedictione ab Episcopo non petitâ, & absque personali comparitione. Ratio est quia nulla particula derogans huic Textui est apposita, & consequenter saltem Lex *Concilii Viennensis in cap. Dudum de sepulturis* illibata manet, ratione fundamentali suprapositâ: Quòd *Concilium Tridentinum* vult Auctoritatem Apostolicam non obstantibus suis Decretis saluam permanere, vbi sufficienter eidem non derogaretur. Vnde & *Pius* 5. in Bulla: *Etsi Mendicantium* Decretum illud *Sess.* 24. *cap.* 4. declarans: *Declaramus* (ait) *Canonem Sess.* 24. *c.* 4. *per quem omnibus Regularibus etiam in suorum Ordinum Ecclesiis contradicente Episcopo Officium prædicationis interdicitur: Mendicantium Ordinum Fratres hujusmodi non comprehendere, nec afficere: Imò volumus quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit licitè & absque vllo impedimento vel contradictione etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit, prædicare possint.* Quod cum sit merè declaratorium *Concilii Tridentini*, apertè insinuat Decretum Concilii non aduersari Priuilegiis & Juribus, Mendicantibus priùs concessis, ac consequenter non esse derogatum, idque sine dubio defectu particulæ derogatoriæ. Quam suam Concilii declaratiuam latiùs resumens pro Dominicanis idem *Pius* 5. in Bulla quæ incipit: *Ad hoc nos Deus. Data Romæ anno* 1571. *die* 23. *Septemb. Pontif. anno* 6. quæ in Bullario Romano Cherubini adjungitur tanquam explicatiua Bullæ: *Etsi Mendicantium*; sic loquitur: *Et insuper* (ait) *quòd Fratres dicti Ordinis* (*ab eorum Superioribus tamen approbati*) *in eorum Ecclesiis quando eis placuerit, etiam quod in Cathedrali Ecclesia* (*non tamen ab Episcopo met*) *prædicetur, libere & licitè absque aliquo impedimento, sive etiam ipsius Episcopi contradictione, & absque eo quòd coram dicto Episcopo se non præsentauerint, nec eidem licentiam muneris prædicationis hujusmodi exhibuerint, & ab eodem Episcopo benedictionem* (*vt præfertur*) *non obtinuerint, prædicare & munus prædicationis hujusmodi exequi possint.*

Nec hic recurri potest ad Bullam *Gregorii* 13. *In tanta rerum mole*, quæ vt sæpè dictum est, est tantùm Reductiua ad Terminos Juris & Concilii: Pontifex autem *Pius* 5. in prædictis cum (vt ipse testatur) potissimùm sit *Declarator Terminorum Concilii, tanquam Ecclesiæ Caput ex officio: & Terminorum Concilii declaratio ex Auctoritate S. Sedis facta, pro genuino intellectu Concilii sit habenda: Gregorius* 13. in præfata Bulla *In tanta rerum mole*: Omnia ad Terminos Juris Communis & *Concilii Tridentini* reducens: nil voluit nec potuit derogare Bullæ: *Etsi Mendicantium*, in iis quæ Decretorum Concilii merè declaratiua sunt, quale est Decretum supracitatum *Sess.* 24. *c.* 4. quod non comprehendisse Mendicantes asserit, defectu sine dubio particulæ derogatoriæ *c. Dudum, Concilii Viennensis.*

Tenentur tamen Episcopo petenti exhibere Approbationem Superiorum.

Resp. 2. si Episcopi petierint certificari de sufficientia, idoneitate & probitate Concionatoris Regularis: Tenebitur Regularis absque tamen personali præsentatione Superiorum facultatem & approbationem exhibere, antequàm in suis Ecclesiis vel plateis communibus prædicet. Ratio petenda est ex natura rei: Cùm enim teneatur Episcopus inuigilare, nè inidonei Ministri suo populo prædicent, consequenter te-

neritur qui Verbum Dei populo suo annunciant, exhibere Episcopo idoneitatis, & missionis suæ legitimum testimonium, si postulet. Et hoc ipsum conforme est omnibus Privilegiis, quæ in favorem Regularium singulariter Mendicantium pro Prædicationibus sunt data: Omnia enim præsupponunt, Concionatores præuio examine de vita, moribus, & scientia per Superiores adhibito, illi officio applicatos: Vnde etsi non Episcopis, sed Superioribus illud examen à S. Sede reseruatum fuerit: Possunt tamen Episcopi, si volunt, postulare certificationem debitæ per examen approbationis, & illam tenentur exhibere. Et hoc ipsum est quod cauetur in Regula Fratrum Minorum: nè populo audeant prædicare, *nisi à Ministro Generali fuerint examinati & approbati*, &c. Itē *Nè contradicente Episcopo prædicent*: Quod quidem de legitima contradictione intelligit *S. Bonau.* & nisi desuper à S. Sede eis prædicatio sit commissa, absque alia dependentia.

Vt prædicent in alienis Ecclesiis, quæ requirantur.

Resp. 3. quoad alienas Ecclesias Episcopis subjectas requiri modò in Regularibus & personalem præsentationem, & ostensionem facultatis & approbationis Superiorum, & licentiam Episcopi, nisi aut singulari Sedis Apostolicæ, aut Episcopi, vel Legati Apostolici dispensatio interueniat. Ita Textus *Concilii Tridentini Sess. 5. c. 2. de reformatione.* Cui consonant antiqua Jura *c. Dudum.* Et hoc constitutum fuerat in Concilio Lateranensi sub *Leone 10. Sess. 11.* vbi decernitur: *Vt Regularis præcedente examine à suis Prælatis electus, quocumque posteà prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine & id idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris & approbatoris, Episcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitimam faciat.* Et hæc omnia bene sunt notanda: Sic enim sat superque satisfactum est Episcopis & intentioni Concilii per summos Pontifices declaratæ: & consultum est grauamini nimio Mendicantium, contra Prouisiones Conciliorum, & antiqua Jura ipsis quæsita.

Examen Decreti 2. Concilii eâdem Sess. & cap. contra Exemptionem Regularium in materia correctionis super Prædicationibus.

TExtus Concilii: *Si verò (quod absit) Prædicator errores aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet: Episcopus ei prædicationem interdicat: quòd si hæreses prædicauerit, contra eum secundum Juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generalis vel specialis priuilegio exemptum se esse prætenderet &c.*

Dubium quid de hoc Decreto?

Quid possit Episcopus in Regularem exemptum prædicantem errores &c.

RESP. 1. Decreto illo omnem Exemptionem Regularis Concionatoris a Judicio Episcopi sublatam esse in dictis Casibus à Regulari quouis modo priuilegiato. Constat ex derogatione clara & manifesta cujusuis Priuilegii.

Episcopus tales casus est delegatus Papæ.

Resp. 2. Per dictas tamen clausulas Regularium Exemptioni simpliciter derogatum non esse: quia Judicium contra Regularem Hæreses prædicantem, non committitur Episcopo vt Ordinario, sed vt Sedis Apostolicæ delegato. *Quo casu* (ait Textus) *Episcopus Auctoritate Apostolicâ, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat.* Monentur autem Episcopi vt caueant: *Ne quis Prædicator ex falsis informationibus vel aliàs calumniosè vexetur, & justam de eis conquerendi occasionem habeat.* Personam ergo summi Pontificis in his Casibus gerit Episcopus vt S. Sedis delegatus: quòd Exemptioni simpliciter non præjudicat, sed illam ostendit.

Punitio in tali Casu ad quem spectet.

Notandum verò est: Etsi Episcopo in supradictis Casibus Processus Iudicialis contra Regulares Concionatores committatur secundum Juris dispositionem &c. cum derogatione Priuilegiorum; Inflictionem tamen pœnarum relinqui executioni Superiorum juxta *cap. 14. Sess. 25. de Regularibus*: Vbi demandatur vt Regularis non subditus Episcopo qui populo scandalo fuit *Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat*: Imponiturque Superiori negligenti *priuatio ab officio*; Et *punitio delinquentis* tunc primùm Episcopo relinquitur. Et hæc est praxis ex vi Concilii obseruanda: Vnde benè Concilium in Textu de quo modò voluit Episcopos procedere secundum *Juris dispositionem* & *loci consuetudinem*. *Juris* autem *dispositio* est, vt Regularis per Superiores suos etiam Episcoporum judicio relicti puniantur, *pœnâ* tamen ab Episcopo decretâ, nisi aliud ordinet.

Exa-

Examen Decreti 3. Concilii eâdem Seſſ. & cap. Exemptionem Regularium contingentis.

TExtus Concilii: *Caueant præterea Epiſcopi ne aliquem vel eorum, qui cùm ſint nomine Regulares, extra claustra tamen & obedientiam ſuarum Religionum viuunt &c. Niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrinâ probati, etiam quorumlibet Priuilegiorum prætextu in ſua Ciuitate vel diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis ſuper eâ re S. Sedes conſulatur &c.*

Quid de hoc Decreto?

Vagabundi Fratres Priuilegia non juuant.

RESP. Hoc Decretum ſtatuere quod eſt Juris Communis, nec vllius Religionis Priuilegio derogare: Neque enim vlla Religio admittit Priuilegia aliqua ſuis Regularibus extra Obedientiam vagantibus conceſſa. Vnde ſi qui Miſſionarii extra Obedientiam ſuarum Religionum viuant, quamtumuis Priuilegiis ſe tueantur illos Religiones vt ſuos non agnoſcunt, minus illorum ſi quæ habent Priuilegia, admittunt vel approbant, ſed ſi S. Sedis auctoritati innituntur, illa diſſimulant, eoſque ſuperiori auctoritati relinquunt.

Examen Decreti Seſſ. 6. c. 3. de Regularibus extra claustra degentibus.

NVllus Clericus vel cujuſuis Ordinis Regularis, extra Monaſterium degens etiam ſui Ordinis Priuilegii prætextu tutus cenſeatur, quo minus, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.

Quid de hoc Decreto?

Epiſcopi tamquam Papæ delegati poſſunt quandoque punire Regulares exemptos ſine præjudicio Exemptionis.

HOc Decretum non derogat Exemptioni Regularium, ſed tantum ſupplementum eſt Correctionis debitæ: vt nimirùm, Regularis extra Monaſterium degens non effugiat virgam Correctionis: ac ideò: ſi oculos Regularis Prælati effugiat, abſque præjudicio Exemptionis, ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato coërceatur. Neque eorum Exemptioni derogatur, cùm Pontifex ipſe per Epiſcopos ſuppleat, quòd Regularem Prælatum ob abſentiam ſui ſubditi effugere præſumitur: quòd vbique per totum Concilium ſupremi Paſtoris vigilantia ſolectiſſimè cauit.

Et ad hæc Decreta referenda ſunt, & eodem modo explicanda omnia alia quæ ſparſim per *Seſſ. 25. de Regul.* continentur ſuper punitione Regularium extra Clauſtra vel domus Regulares degentium; vt *cap. 4.* vbi cauetur: *Ne Religioſus exeat ex ſuo Conuentu etiam prætextu adeundi Prælatum, niſi licentiâ in ſcriptis obtentâ: aliter facientes poſſint puniri ab Epiſcopis.* Et ibi mandat: *Vt Regularis miſſus ad Vniuerſitates, habitet intra Conuentum, alioquin ab Ordinariis contra ipſum procedatur.* Et *c. 14.* præcipitur: *Vt Regularis viuens intra clauſtrum, & ſcandaloſè extra illud viuens à Prælato inſtante Epiſcopo, intra tempus aſſignatum ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur &c.* Quæ omnia non Exemptionem aliquam dicunt, ſed ſupplementum Correctionis & Juſtitiæ, tam pro bono Religionis, quàm ad euitandas in Eccleſia Dei confuſiones: Nec propriè Priuilegiis derogant, nullum enim Priuilegium a S. Sede datum, cenſetur dolo, fraudi vel iniquitati fauere.

Examen Decreti, Seſsionis 22. de obſeruandis in celebratione Miſſæ.

MAndatur Epiſcopis: *Ne patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultùm dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuſcunque peragi &c.* Et ad finem Decreti ſuper omnibus in Decreto ſtatutis additur: *Non obſtantibus Priuilegiis, Exemptionibus, Appellationibus ac Conſuetudinibus quibuſcumque.*

Quid de hoc Decreto.

RAtio dubii eſt: Ob Prouiſiones Apoſtolicas etiam Juris Communis factas ſingulariter Minoribus & Dominicanis, quibus permittitur in quouis loco decenti, & honeſto, in altari Portatili ſiue Viatico celebrare: vt habetur *c. Inter, de Priuilegiis.* Vbi *Innocentius* conferens hoc Indultum factum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, prohibet per Interpretationes voluntarias alterari, & ſpecialiter quòd aliqui aſſererent ad hoc *interuenire debere licentiam Epiſcopi*, quam interpretationem condemnat. Juri autem Communi non derogatur, niſi per expreſſam clauſulam de hoc Jure facientem mentionem

Aliunde Textus generaliſſimus eſt, & amplas derogationes continet.

PROPOSITIO I.

HOc Decreto vniuersalis Cura demandata est Episcopis inuigilandi super omnibus quæ in Decreto illo statuuntur, vt nimirum: omnia obseruentur, & consequenter super celebratione extra Ecclesias vel Oratoria dedicata, *&c.* Ita vt possint tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, prohibere etiam Privilegiatis: *Nè in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam*, &c. *in altari viatico Missas celebrent.* Ita ad finem Decreti: *Hæc igitur* (inquit) *omnia quæ summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis, ita proponuntur* &c. *Vt pro data sibi à S. Synodo potestate, ac etiam, vt delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inuiolatè seruanda Censuris & Pœnis Ecclesiasticis quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant.*

In quibus verbis notandum est: Hoc Decretum ita in executione commissum Episcopo, vt tamen ejus judicio & arbitrio modus executionis commissus sit: Ita vt pro Circumstantiis interdum aliquid indulgere, ac dissimulare possit.

PROPOSITIO. II.

FF. Minores possunt celebrare cum altari portatili in suis Infirmariis, Claustris, &c. non obstante Conc. Trid.

PEr hoc Decretum non est derogatum Privilegiis Fratrum Minorum & aliorum Regularium: quin possint, in locis suorum Conuentuum, vt in Infirmariis, Claustris, Ambitibus, & aliis locis cum altari viatico in loco honesto, & Oratorio ad id deputato celebrare *&c.* Ratio est: quia illa loca non sunt nec intelligi possunt sub *domibus priuatis, & omninò extra Ecclesiam.* Cùm enim Domus illæ sint publicæ & religiosæ ac loca ad cultum Dei ordinata, & communem Immunitatem Ecclesiarum participent, sub nomine Ecclesiæ communiter intelliguntur. Et ita passim Scriptores: qui etiam volunt non sublatum Privilegium factum Cistercien sibus erigendi Capellas & altaria ruri in suis Grangiis. Vbitaque Fratres Minores & alii participantes, habitant, siue in Eremitoriis, Hospitiis, & Refugiis, Infirmariis (saluo *Concilio Tridentino*) Altaria portatilia habere possunt, & in iis celebrare, quia priuatæ domus non sunt, sed religiosæ, & ob religiosam habitationem Oratoria in illis erecta ad Monasterium & Ecclesiam referuntur. Et hoc Priuilegium post *Concilium Tridentinum* de nouo ratificauit *Gregorius* 13. in Bulla quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem. Data Romæ* 1575. Societati Jesu: Vt nimirum: *In Oratoriis & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, collegiis, & aliis locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum duntaxat cultum deputauerint, Missæ & alia diuina Officia celebrari possint.* In qua renouatione communicant alii Mendicantes, Estque potius declaratio antiqui Priuilegii, quàm concessio noui, cum priores Concessiones (vti dictum est) *Concilio Tridentino* non aduersentur.

PROPOSITIO III.

Possunt & in locis honestis sub dio.

IN Casibus necessitatis vel magnæ vtilitatis possunt Fratres Minores & cum eis communicantes, extra Ecclesiam in locis honestis, imò & sub dio celebrare, modò Episcopi rationabiliter non contradicant. Ratio est: quia hæ causæ necessitatis & magnæ vtilitatis exceptæ intelliguntur ex natura rei. Constat ex *Can.* 1. *dist.* 1. *de Consecratione*, qui est *Felicis Papæ*: *Missarum* (inquit) *celebrationem non alibi quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota veteris & noui Testamenti præcepta.* In quibus notanda sunt verba (*absque magna necessitate*) Causæ autem, necessitatis sufficientis exprimuntur ibidem *Can. Cognoscimus* ex *Concilio Triburiensi*, vbi permittitur celebratio in Capellis non consecratis: *quando Ecclesia sunt combustæ, donec Ecclesiæ restaurentur.* Item: *In itinere* (inquit) *positus, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, cæteraque sacra Ministeriis ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus.* Est hæc est communis praxis, vt in magno concursu populi ad aliquas solemnitates, & non capiente populum Ecclesiâ, sub dio Capella præparetur & celebretur: Ita & in militia: Et Missionarii inter Hæreticos Altaria in domibus priuatis sibi struunt, Ecclesiâ id tacitè vel etiam expressè per facultates vel aliter permittente: de quibus videantur Scriptores.

Dixi (*modò Episcopi rationabiliter non contradicant*) Hoc enim ad litteram indicatur in Textu *Concilii Tridentini*, in quo tantùm demandatur Episcopis: *Vt non patiantur in domibus priuatis extra Ecclesiam omninò* &c. *sacrificium à sæcularibus vel Regularibus quibuscumque peragi*: subintelligendo, quod in omni humana lege positiua subintelligendum est: *Nisi grauis necessitas vel magna Ecclesiæ vtilitas, aliud requirat.* In his enim Casibus Epikeja rationabilis legem interpretatur: Et Episcopi non obstante Mandato *Tridentini*, censen-

tum

tur rationabiliter permittere, aut dissimulare, cùm in his Casibus omninò irrationabile esset contradicere.

Dico ergò: licere Fratribus Minoribus in loco decenti & honesto quolibet, vbi necessitas vel magna vtilitas concurrit, Missam ex Concessionibus Apostolicis, quando Episcopus patitur, & non contradicit, celebrare. Hoc enim concedunt Concessiones Apostolicæ antiquæ. Nec aduersatur *Concilium Tridentinum*, quod solùm prohibet: *Ne id patiantur Episcopi*, scilicet quando judicant ex causis & circumstantiis non permittendum: Vide quæ diximus suprà Sect. 4. §. 1. in Notabili de *Altaribus Portatilibus.*

Examen Decreti Sess. 23. c. 12. de Ordinandis.

REgulares quoque (ait) *nec in minori ætate, nec sine diligenti examine ordinentur Priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitùs exclusis.* Item *c.* 13. *Duo sacri Ordines non eâdem die etiam Regularibus conferantur, Priuilegiis & Indultis quibuslibet concessis non obstantibus quibuscumque.*

Ponitur autem *c.* 12. ætas ordinandorum, vt: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22. *ætatis annum, ad Diaconatum ante* 23. *ad Presbyteratum ante* 25. *ætatis suæ annum promoueatur* qui anni de inchoatis intelliguntur.

Dubium quid operetur hoc Decretum circa Regularium Priuilegia?

Regulares non possunt ordinari ante taxatam ætatem. Neque duos Sacros Ordines vno die suscipere.

RESP. 1. Priuilegia Regularium quoad promotiones ante taxatam ætatem: Item: De susceptione plurium Ordinum Sacrorum eodem die, de quibus in Compendio Priuilegiorum *V. Ordines Sacri* esse omninò abrogata. Textus sunt clari. Quos postea resumpsit, ampliauit, & pœnis impositis auxit *Sixtus* 5. in quodam *Motu proprio* contra Clericos malè promotos *anno* 1588. In quo prohibet præter Clericos Sæculares *Cujuslibet Ordinis aut Militiæ Regulares extra tempora à Jure Statuta, vel absque veris dimissoriis suorum Prælatorum, aut antè ætatem per Sacri Generalis Concilii Trident. Decreta, prima Tonsura aut cuique Ordini præscriptam, aut non seruatis temporum Interstitiis &c. ab Episcopis ordinari &c.* derogans quibuscumque Priuilegiis, & graues imponens pœnas tam Ordinantibus, quàm aliter (vt ibi dicitur) ordinatis.

Ex quibus videntur omnia Priuilegia circa Ordinationes priùs facta Regularibus jam cassata & reuocata esse.

Resp. nihilominus 2. Plura Priuilegia quæ Ordines Sacros contingunt, post *Concilium Tridentinum* illibata remansisse.

Possunt ordinari a quocumque Episcopo.

1. Quod Regulares à quocumque Episcopo Catholico, modò dimissoriales legitimas à propriis Superioribus habeant, recipere Sacros Ordines possint.

Etiam extra tempora indicta.

2. Quòd etiam recipere possint Ordines extra tempora ab Ecclesia indicta.

Nullum Regularem potest Episcopus ordinare absque litteris sui Superioris.

3. Quòd Episcopi nullatenùs possint Fratres Minores ordinare etiam quantumuis idoneos, absque legitimis litteris suorum Superiorum.

Ratio omnium horum: Quia illis Priuilegiis non est derogatum per *Concilium Tridentinum*. Et quidem de primo patet ex *cap.* 8. *sess.* 23. in quo etsi ordinatum fuerit, vt vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur, nulla tamen derogatio fit, sed tantùm restringitur, vt *si quis ab alio promoueri petat, litteras testimoniales habeat ab Ordinario de probitate & moribus.* Et has ex Priuilegio solent & debent Prælati Regularium præstare. Superiores enim Religionum haberi in isto casu à Concilio pro *Ordinariis* manifestè patet ex *cap.* 10. vbi prohibet Abbatibus & aliis Superioribus, ne dent litteras dimissoriales Clericis Secularibus, vt ab alieno Episcopo ordinentur: supponens posse dare Regularibus subditis suis. Quinimò *Pius* 5. in sua Constitutione. *Etsi Mendicantium*, dictum Textum *sess.* 23. *cap.* 8. declarans, expresè verba illa Concilii (*Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuimus*) sic exponit: *In Regularibus* (inquit) *illa locum non habere declaramus: Ita quòd Fratres hujusmodi, præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente (Ordinarii loci minimè requisitâ licentiâ) in locis seu domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere possint.* Qui Textus cùm sit merè declaratiuus Concilii à Capite Ecclesiæ factus, illi derogari nequit. Nec obstat alia declaratio posterior *Clementis* 8. de qua *Quæstio V. Ordo* sub finem: Qua Pontifex non permittit Regulares ab alienæ diœcesis Episcopo ordinari, nisi in absentia proprii, vel quando Ordines collaturus non esset: quo casu indulget vt Superiores Regulares dimissorias dare possint ad quemcumque Episcopum: Non (inquam) obstat, quia cùm hæc declaratio data sit 15. *Martii* 1596. illi derogatum est ab eodem Pontifice per Bullam quæ incipit: *Ratio Pastoralis. Datam sequenti anno* 1597. 2. Die Decembris: In qua confirmat ex certa scientia, & innouat Priuilegia Fratrum Minorum in omnibus in quibus Decretis *Concilii Tridentini* non aduersantur.

Clarum

Clarum est autem ex declaratione Pii 5. hoc Priuilegium *Tridentino* non aduersari.

De 2. etiam patet ex *eadem sess. & cap. eodem*: In quo etsi Ordinetur: Vt *Ordines conferantur statutis à Jure temporibus* nulla tamen derogatio additur.

Tertium de litteris Dimissorialibus Superiorum ad Ordinationem legitimam requisitis, manifesta res est etiam ex ipso *Tridentino* quod *eâdem sess. c. 7.* mandat Ordinandorum genus, personam, ætatem institutionem, mores, doctrinam, fidem diligenter prius inuestigandam: Quod congruè fieri non posset absque Testimonialibus suorum Superiorum: Et cùm Regularis sub aliena Obedientia viuat, manifestum est absque sui Superioribus voluntate non posse licitè ordinari.

Examen Decreti sess. 23. cap. 15. De approbatione Confessariorum Textus.

QUamuis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus: Nullum etiam Regularem, posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopo per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, Priuilegiis & Consuetudine quâcumque etiam immemorabili non obstantibus.

Quid de hoc Decreto respectu Fratrum Minorum, & Prædicatorum.

RAtio dubitandi plurimorum est: quia in *Concilio Viennensi c. Dudum sub Clemente* 5. constitutum erat: 1. *vt per diligens examen Superiorum, eligerentur ab ipsis ex suis subditis personæ sufficientes, idoneæ, vitâ probatæ, discretæ, modestæ atque peritæ ad tam salubre ministerium & officium exequendum.* In qua electione, vt esset sincera, onerabantur Conscientiæ Superiorum.

Secundò *vt Persona sic electa cum Testimonialibus veris & legitimis præsentaretur Episcopis*: quas sic præsentatas absque examine Episcopi admittebant. Et in casu quo absque causa legitima recusarent, Fratres sic præsentati censebantur admissi (vt latiùs deduximus §. 4. in Prouisionibus Apostolicis super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Prouisione 4.) vbi etiam docuimus, quod cum *Concilium Tridentinum* loco allegato non deroget nisi *Priuilegiis & Consuetudinibus*, non censetur *legi & statuto Concilii Generalis Viennensis derogasse.*

FF. Minores & Prædicatores non debent Episcopis præsentari examinandi in ordine ad Confessiones.

Resp. itaque 1. In rigore non esse derogatum pro Fratribus Minoribus & Prædicatoribus Decreto *Dudum*, *Concilii Viennensis*, sed illud magis per *Tridentinum* confirmatum fuisse. Quod ex ipso Textu manifestum reddo: Tria exprimuntur à Concilio ad idoneitatem Confessariorum pro sæcularibus approbandorum, quæ singula sufficiunt 1. Si Parochiale beneficium quis obtineat: 2. si per examen ab Episcopis (*si illis videatur necessarium*) quis probatus fuerit idoneus: 3. si aut aliàs (*aliâ* scilicet viâ certa & legitimâ) idoneitas constet: Atqui per viam legitimam & certam ac à Concilio vniuersali Viennensi approbatam, nimirum, per electionem à Superioribus præuio examine, & sub Conscientiæ grauamine super omnibus conditionibus, quæ ad idoneitatem pertinent judicatus est Frater Minor vel Dominicanus idoneus, & vt talis, Episcopo legitimè præsentatus: ergo plenissimè satisfactum est Concilio: quia *alias* (vt ait Concilium) *judicatus est idoneus.* Nec video quid contrà allegari possit: Nisi Episcopi suspectas habuerint vel habeant Electiones, Examina, & Præsentationes à Superioribus factas, adeoque velle per se Regulares examinare; prout jam ad praxim reducunt. In quo tamen aduertere deberent, assumpto in se isto Examine Regularium, liberari Superiores Regulares ab onere grauissimo Conscientiæ, & Episcopos in se suscipere jugũ intolerabile per examen transitiuum personarum, aliàs sibi ignotarum. Sanè post *Concilium Trid.* vsque ad annum 1615. *Præsentatio Confessariorum à Prælatis Regularibus secundum c. Dudum Concilii Viennensis* practicata fuit in Belgio absque querela: A quo tempore cæperunt Examina Episcoporum, quod felix faustumque vtrisque sit.

Dum hoc faciunt liberant Superiores à graui onere.

Resp. 2. Seruato illibato Textu *Concilii Tridentini* Fratres Minores & Prædicatores verè idonei secundum *Clementinam Dudum Concilii Viennensis* judicati, si forte post examen ab Episcopis ad Confessiones non approbentur, eò ipso censentur à summo Pontifice approbati, & accipere Jurisdictionem. Constat ex Textu *Clementinæ*, cui non derogauit *Tridentinum* (vt dictum est) Quod autem in Textu *Tridentini* dicitur, quòd idonei judicati debeant *Approbationem quæ gratis detur ab Episcopis obtinere*: id non arbitrio Episcopi vniuersaliter est relictum, sed saluâ justitiâ & æquitate, ac sublatâ omni maleuolentiâ & fraude. Vnde etiam posito examine Episcopi, si Fratrem Minorem aut

Si post examen repellantur judicati idonei à Superioribus, censentur approbati à Papa.

Præ-

Prædicatorem aliàs verè idoneum Episcopus non approbet, hoc ipso resurgit *Decretum Concilii Viennensis*, quòd à Summo Pontifice talis censeatur approbatus. Vnde sicut per Parochiale beneficium inuento idonco tenetur Episcopus Approbationem dare, imò talis hoc ipso Approbationem recipit; Ita Fratribus Minoribus & Prædicatoribus quibus à Summo Pontifice Iurisdictio aduenit, & cognitio idoneitatis, tantùm per modum circumstantiæ Episcopo est commissa: eò ipso quo vere idonei censentur, & reperti sunt illos admittere tenetur Episcopus; Jam enim *Alias*, virtute *Concilii Viennensis*, judicantur idonei, decernente sumuo Pontifice, & quantumuis renitente Episcopo, Approbatio & Jurisdictio illis à supremo Capite aduenit. Aliud est de iis qui arbitrio Episcoporum non obstante quacumque idoneitate sunt relicti. Vndè iterum quamuis de Regularibus examinatis à Prædecessoribus Episcopis statuerit aliquando *Pius* 5. posse pro Conscientiæ tranquillitate dénuò à Successore examinari: Clarum est pro libitu & arbitrio non posse, & inquietudinem Conscientiæ Episcopi, præsupponere non scrupulos, non passiones animi tumultuantis, sed veras & solidas rationes: In quibus Jure diuino & naturali Pastoralis vigilantia non tantum adhiberi potest, sed & debet; Aliud itaque est non idoneo denegare Approbationem siue potius Admissionem, aliud idoneum absque Admissione remittere: hoc enim vltimum à *Concilio Viennensi* condemnatur & abusui prouisum est.

Tales tenetur Episcopus approbare.

Examen Decreti Sess. 14. de Pœnitentia c. 7. de Casuum reseruatione.

GRauis admodum & sancta Doctrina de potestate reseruandi Casus tradita est Sess. 14. de Pœnitentia c. 7. In quo hæc sequentia continentur.

1. *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibuslibet, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolueréntur.*

2. *Meritò Pontifices Maximos pro Suprema Potestate sibi in Ecclesia vniuersali tradita, causas aliquas criminum graniores suo potuisse peculiari Judicio reseruare.*

3. *Hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem licere pro illis in subditos tradita super reliquos Sacerdotes auctoritate &c.*

4. *Hanc delictorum reservationem non tantum in externa Politia, sed etiam coram Deo vim habere.*

5. *Semper in Ecclesia Dei custoditum fuisse, vt nulla esset reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuscunq; peccatis & Censuris absoluere posse.*

6. *Extra articulum mortis Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis, adeoque id vnum pœnitentibus persuadere niti, vt ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.*

Super quibus emanauit Canon 11. ejusdem Sessionis: *Si quis dixerit Episcopos non habere Jus reseruandi sibi Casus, nisi quoad externam Politiam, atque ideo Casuum reseruationem non prohibere, quò minùs Sacerdos a Reseruato verè absoluat, Anathema sit.* Super his Dubium graue excitatum est, quod adhuc modo perdurat.

Dubium an post Concilium Tridentinum Priuilegia Fratribus Minoribus, & aliis Mendicantibus concessa, absoluendi à casibus reseruatis Papæ & Episcopis in vigore perseuerent.

RAtionem dubitandi mouerunt quædam Declarationes siue Responsiones Cardinalium, quæ innuunt potestatem absoluendi à Casibus Episcopis reseruatis factam Regularibus, per *Concilium Tridentinum* reuocatam, nec per Confirmationes, & nouas Concessiones Priuilegiorum post Concilium à Summis Pontificibus factas reuixisse, imò nec renouatas esse, nec censeri obtentas, aut obtineri potuisse post *Concilium Tridentinum*. Quæ Decreta seu Declarationes retulimus suprà in hac Consultatione §. 1. vbi Reuocationes Priuilegiorum retulimus, quarum contentum iterum repetendum erit, dum infrà ad illas respondebimus. Vt autem Dubio huic plene satisfiat, pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Tridentinum non reuocauit Potestatem Mendicantium absoluendi à Casibus Reseruatis.

PEr *Concilium Tridentinum* nullatenus reuocatæ sunt facultates, si quas Regulares per Priuilegia & Prouisiones sibi factas habebant, absoluendi à Casibus Papæ vel Episcopo reseruatis ante Concilium, nec eis in aliquo in dicto Concilio derogatum fuit.

Hæc Propositio ex Textu *Concilii Tridentini* c. 7. in allegata *Sessione* clara est: In illo enim cap. vt suprà annotatum est Tantùm decernitur Papam pro tota Ec-

cleſia, & Epiſcopos pro ſuis diœceſibus poſſe aliquos atrociores Caſus reſeruare: Nec extra articulum mortis, Sacerdotes poſſe aliquid in dictis Caſibus ſic reſeruatis, *auctoritate* ſcilicet *ordinariâ*, & niſi eis à Papa vel Epiſcopis fuerit conceſſum vel in poſterum concedatur. Quòd enim hæ clauſulæ ex natura rei ſic intelligendæ ſint, manifeſtè patet: quia cùm nec Papa nec Epiſcopi ordinariè per ſe pœnitentes audiant, etiam in Reſeruatis, ſed ſuam Auctoritatem committere ſoleant: quando dicitur quòd Sacerdotes extra mortis articulum nihil habeant in Reſeruatis à Papa vel Epiſcopis, intelligendum eſt præter eos, quibus Auctoritas illa extraordinaria eſt à Papa vel Epiſcopis commiſſa, qui & ibidem vocantur *Legitimi Judices*. Cùm ergo nulla fiat ibi derogatio ſuper delegationibus ſiue facultatibus jam factis aut deinceps faciendis: intelliguntur illi quibus factæ ſunt facultates abſoluendi à Reſeruatis vel deinceps fient, vt Iudices legitimè delegati permanere. Nec eſt verbum in tóto Concilio quod huic facultati in ſingulari deroget.

PROPOSITIO II.

Nec poſt Tridentinum vllus Papa ante Clementem 8.

NUlla reuocatio vniuerſalis facultatum abſoluendi à Caſibus reſeruatis pro Regularibus fuit facta à S. Sede antè tempora *Clementis* 8. ſiue ante annum 1601.

Hæc iterum Propoſitio manifeſta eſt ex Decreto *Clementis* 8. juſſu per Sacram Congregationem edito *anno* 1601, In quo præcipitur omnibus Confeſſariis *tam ſeculariбus quàm Regularibus, per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus, ad Confeſſiones audiendas approbatis, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium* &c. Ne quis *prætextu Priuilegiorum, Indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto vel viua voce Oraculo, vel per communicationem* &c. *etiam ſingularibus perſonis* &c. *ab vllo ex caſibus clarè vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini legi ſolita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per ſuam Sanctitatem ejuſque ſucceſſores pro tempore in eadem Bulla vel aliter reſeruandis, nec etiam a caſibus quos Ordinarii locorum hactenus reſeruarunt, vel in poſterum reſeruabunt: Nullo caſu etiam neceſſitatis vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua, vel ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum; quoad Caſus ab ipſis tantùm reſeruatos reſpectiue, impetrata licentiâ Ordinariis locorum exhibendâ, Abſolutionis beneficium de cætero impendere audeant, vel præſumant* &c. *non obſtantibus quibuſcumque* &c.

Ex quo Decreto ſic infero: Omnibus Regularibus *extra Vrbem intra Italiam* nouo præcepto ad annum 1601. à *Clemente* 8. inhibitum eſt, ne à Caſibus Summo Pontifici vel quos ſibi reſeruarunt Ordinarii abſque noua facultate abſoluant, non obſtantibus Priuilegiis &c. ergo ante illud tempus non fuit derogatum Priuilegiis etiam intra Italiam: ergo cum Regula firmet exceptionem in contrarium, nec antè nec tunc fuit derogatum Priuilegiis & facultatibus cæterorum Regularium ſi quæ habebant, abſoluendi à Caſibus reſeruatis extrà Italiam per vniuerſum Orbem: quinimò illa ſupponuntur valida, & vi Decreti ſuo vigori relinquuntur.

Notanda circa hoc Decretum.

Notabilia circa Decretum Clem. 8. quoad Abſolutiones à Caſibus reſeruatis.

PLura autem nota tu digna occurrunt circa hoc Decretum quæ ad extricandas multas alias difficultates deſeruient.

Primo. Decretum illud nullatenus explicatiuum eſſe aut declaratiuum *Concilii Tridentini*, ſed eſſe nouum Mandatum, juſtis & grauibus cauſis id exigentibus, quod præcepit *Clemens* 8. per Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitam, fieri, & promulgari pro Confeſſariis omnibus *tam ſæcularibus quàm Regularibus extra Vrbem intra Italiam degentibus.*

1. Decretum illud non eſt declaratiuum Concilii Tridentini.

2. Quoad Caſus Epiſcopis reſeruatos: reſtringi ad Caſus *quos ſibi Epiſcopi reſeruarunt* vel reſeruabunt: Super quò benè & docte animaduertit *Stephanus Quarantа V. Caſus Reſeruati* in fine: dupliciter Caſus ab Epiſcopis reſeruari 1. Jure communi vel Statuto Synodali per modum Juris ſcripti. 2. Perſonali reſeruatione per Mandatum vel Decretum ſpeciale, & potiſſimum quando vtitur his verbis: *Nobis reſeruamus.* Interdum enim contingere poteſt vt Epiſcopus ob cauſas ſuo tempore vigentes aliquem vel aliquos Caſus reſeruet: Quorum reſeruatio ipſius morte expirat niſi à Succeſſore confirmetur, & continuetur. Vnde dicti Caſus qui in Synodali Statuto vel Lege ab Epiſcopis reſeruantur, dicuntur, Reſeruati à Jure: Illi autem qui ſpeciali Decreto vel mandato reſeruantur, dicuntur: *Reſeruati ab homine.* In Decreto autem *Clementis* 8. *per Italiam & extra Vrbem* tantùm poteſtas abſoluendi à Caſibus ab *Epiſcopo ſibi reſeruatis* vel reſeruandis reuocatur. Quod Pontifex ipſe clarè explicauit, in eodem Decreto: *Ne ſeculares vel Regulares hujuſmodi, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua & ſpeciali Sanctitatis*

2. Eſt ſtrictum quoad Caſus Epiſcoporum.

Caſuum reſeruatio ſit Epiſcopis dupliciter: A Jure & ab homine.

clitatis sue aut Successorum vel Ordinariorum (quoad Casus (inquit) *ipsis tantùm reseruatos &c.) impetratâ licentiâ absoluant &c.* Vbi notanda verba illa: *(quoad Casus ipsis tantùm reseruatos)* vt excludat reseruatos à Jure. De qua Expositione iterum infrà agemus in expositione Decreti *Vrbani* 8.

3. Est postea moderatum.

3. Notandum, Decretum illud *Clementis* 8. anno sequenti 1602. fuisse moderatum: Et quidem quoad Casus Papales, restrictum ad quinque qui ibi ponuntur: Et quoad Casus Episcopales, prohibentur Episcopi reseruare sibi Casus, *nisi pauciss imos, & maxime necessarios, eosque atrociores & grauissimos, consideratâ necessitate cujusque Prouinciæ pro cujusque Diœcesis Statu & conditione.* Vide Decretum.

4. Notanda est *Epistola* grauissima *Sacræ Congregationis* ad Cardinalem & Archiepiscopum Neapolitanum super Executione illius Decreti: In qua illi mandatur: *Vt moneat Ordinarios specialiter, vt adhibitis doctissimis Theologis deliberent super Casibus in sua Diœcesi necessariò reseruandis: Eorum Catalogum mittat iterum ad S. Sedem examinandum, & dijudicandum.* Demum mandat, vt Ordinarii per totam suam Diœcesim, *ac præsertim in iis Locis, qui à Ciuitate & Cathedrali Sede longiùs remoti sunt, Pœnitentiarios, aliosque sacerdotes constituant ac delegent, quibus Facultatem absoluendi à Casibus sibi reseruatis concedant: Ita vt his quoque liceat aliis Confessariis, si opus sit, etiam viua voce impartiri, ulque maxime in solemnioribus & præcipuis anni festiuitatibus, vt peccatores quibus obuia & facilis fuerit hujusmodi Sacerdotum Copia ad peragendam Confessionem alliciantur* (cujus rationem reddens) *quia* (inquit) *alioquin plerique vel ob idipsum omittere possent si necesse haberent, Pœnitentiæ Ministros quibus indigent, longiùs quærere* &c. Vide tenorem hujus Epistolæ apud Quarantam V. Casus Reseruati post Decreta *Clementis* 8. & benè lege. Data autem est dicta Epistola Romæ die 26. Nouemb. anno 1602. signata ab Alexandro Cardinale Florentino, quæ multùm confert ad intentionem S. Sedis in Casuum reseruatione interpretandam.

PROPOSITIO III.

Post Clementem 8. nullus reuocauit potestatem Mendicantium absoluendi à Reseruatis.

A *Clemente* 8. & ejus tempore nulla emanauit Bulla aut Decretum Authenticum, quo reuocarentur facultates siue Priuilegia Regularibus concessa *extra Italiam* absoluendi à Casibus à Papa vel Episcopis reseruatis, exceptis Bullæ Cœnæ Domini, quinimò per Confirmationes & nouas Concessiones omnium Priuilegiorum, Facultatum & Indultorum, Illæ quas priùs habebant censentur confirmatæ: Nisi per Bullas vel Decreta particularia aliqui Casus expressè excipiantur.

Hæc Propositio est facti: Vnde nisi exhibeantur Instrumenta Authentica & Juridica alicujus Reuocationis, manent Regulares, singulariter Mendicantes, in Possessione antiquarum Facultatum & Priuilegiorum.

Restant porrò duæ Responsiones siue Declarationes S. Congregationis hîc examinandæ & resoluendæ.

Examinatur Responsio Cardinalium ad Eminentissimum Cardinalem Boromæum Archiepiscopum Mediolanensem sub Gregorio 13. Romæ data 10. Septemb. anno 1577.

HÆc Responsio Cardinalium quam ad longum retulimus in Consultatione Generali §. 1. inter reuocationes 1. continet quæstionem quæ erat: *An Regulares ex Priuilegio à Sede Apostolica impetrato præsertim ex eo, quod Mare Magnum nominat, possint absoluere sibi confitentes in Casibus quos sibi Episcopus reseruauerit* 2. complectitur responsionem in iisdem terminis, nimirùm: *Regulares neque per Mare Magnum, neque per alia Priuilegia posse absoluere à peccatis quæ sibi Episcopus reseruauerat.*

Quid de hac Responsione?

Regulares possunt absoluere à Reseruatis Episcopi.

RESP. 1. Cùm sit res facti, *nullũ dubium esse Regularibus factam aliquando potestatem absoluendi à Casibus Episcopis reseruatis*: Hoc satis à nobis ostensum est in Prouisionibus Apostolicis §. 5. Prouisione 4. ex *Bulla Pauli* 3. facta *Patribus Societatis*, quæ & aliis Regularibus communicata fuit. Similiter & specialissimè per *Bullam Pauli* 4. in qua hanc facultatem pro Fratribus Minoribus concedit, & ex Priuilegiis Minimorum innouat. Quam etiam facultatem fecit ipsemet *Gregorius* 13. Confessariis Regularibus dum sunt in via, nec habent copiam Episcopi. Et alia ibidem vide. Vnde etsi in Mari magno singulorum Ordinum tale Priuilegium non semper reperiatur, saltem in allegatis Bullis absque vlla tergiuersatione continetur: Et has facultates factas Regularibus *Clemens* 8. agnouit in Decreto, de quo suprà, & extra Italiam perseuerare, vt priùs supposuit. Vnde dicendum esset: Hanc quæstionem ab Eminentissimo Cardinali Boromæo aut ob aliquas alias reuocatio-

neritur qui Verbum Dei populo suo annunciant, exhibere Episcopo idoneitatis, & missionis suæ legitimum testimonium, si postulet. Et hoc ipsum conforme est omnibus Privilegiis, quæ in favorem Regularium singulariter Mendicantium pro Prædicationibus sunt data: Omnia enim præsupponunt, Concionatores prævio examine de vita, moribus, & scientia per Superiores adhibito, illi officio applicatos: Vnde etsi non Episcopis, sed Superioribus illud examen à S. Sede reservatum fuerit: Possunt tamen Episcopi, si volunt, postulare certificationem debitæ per examen approbationis, & illam tenentur exhibere. Et hoc ipsum est quod cavetur in Regula Fratrum Minorum: nè populo audeant prædicare, *nisi à Ministro Generali fuerint examinati & approbati*, &c. Itē *Nè contradicente Episcopo prædicent*: Quod quidam de legitima contradictione intelligit *S. Bonav.* & nisi desuper à S. Sede eis prædicatio sit commissa, absque alia dependentia.

Vt prædicent in alienis Ecclesiis, qua requirantur.

Resp. 3. quoad alienas Ecclesias Episcopis subjectas requiri modò in Regularibus & personalem præsentationem, & ostensionem facultatis & approbationis Superiorum, & licentiam Episcopi, nisi aut singulari Sedis Apostolicæ, aut Episcopi, vel Legati Apostolici dispensatio interveniat. Ita Textus *Concilii Tridentini Sess. 5. c. 2. de reformatione.* Cui consonant antiqua Jura *c. Dudum.* Et hoc constitutum fuerat in Concilio Lateranensi sub *Leone 10. Sess. 11.* vbi decernitur: *Vt Regulares præcedente examine à suis Prælatis electis, quocumque postea præcatarum accesserit, de hujusmodi examine & id idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris & approbatoris, Episcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitimam faciat.* Et hæc omnia benè sunt notanda: Sic enim sat superque satisfactum est Episcopis & intentioni Concilii per summos Pontifices declaratæ: & consultum est gravamini nimio Mendicantium, contra Provisiones Conciliorum, & antiqua Jura ipsis quæsita.

Examen Decreti 2. Concilii eâdem Sess. & cap. contra Exemptionem Regularium in materia correctionis super Prædicationibus.

TExtus Concilii: *Si verò (quod absit) Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet: Episcopus ei prædicationem interdicat: quòd si hæreses prædicaverit, contra eum secundum Jura dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generalis vel specialis privilegio exemptum se esse prætenderet &c.*

Dubium quid de hoc Decreto?

Quid possit Episcopus in Regularem exemptum prædicantem errores &c.

Resp. 1. Decreto illo omnem Exemptionem Regularis Concionatoris a Judicio Episcopi sublatam esse in dictis Casibus à Regulari quovis modo privilegiato. Constat ex derogatione clara & manifesta cujusvis Privilegii.

Episcopus talis casu est delegatus Papæ.

Resp. 2. Per dictas tamen clausulas Regularium Exemptioni simpliciter derogatum non esse: quia Judicium contra Regularem Hæreses prædicantem, non committitur Episcopo vt Ordinario, sed vt Sedis Apostolicæ delegato. *Quo casu* (ait Textus) *Episcopus Auctoritate Apostolicâ, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat.* Monentur autem Episcopi vt caveant: *Ne quis Prædicator ex falsis informationibus vel aliàs calumniosè vexetur, & justam de eis conquerendi occasionem habeat.* Personam ergo summi Pontificis in his Casibus gerit Episcopus vt S. Sedis delegatus: quòd Exemptioni simpliciter non præjudicat, sed illam ostendit.

Pœnitio in tali Casu ad quem spectet.

Notandum verò est: Etsi Episcopo in supradictis Casibus Processus Judicialis contra Regulares Concionatores committatur secundum Juris dispositionem &c. cum derogatione Privilegiorum; Inflictionem tamen pœnarum relinqui executioni Superiorum juxta *cap. 14. Sess. 25. de Regularibus*: Vbi demandatur vt Regularis non subditus Episcopo qui populo scandalo fuit *Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat*: Imponiturque Superiori negligenti *privatio ab officio*; Et *punitio delinquentis* tunc primùm Episcopo relinquitur. Et hæc est praxis ex vi Concilii observanda: Vnde benè Concilium in Textu de quo modò voluit Episcopos procedere secundum *Juris dispositionem & loci consuetudinem. Juris* autem *dispositio* est, vt Regularis per Superiores suos etiam Episcoporum judicio relicti puniantur, *pœnâ* tamen ab Episcopo decretâ, nisi aliud ordinet.

Exa-

Examen Decreti 3. Concilii eâdem Seſs. & cap. Exemptionem Regularium contingentis.

TExtus Concilii: *Caueant præterea Epiſcopi nè aliquem vel eorum, qui cùm ſint nomine Regulares, extra claustra tamen & obedientiam ſuarum Religionum viuunt &c. Niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrinâ probati, etiam quorumlibet Priuilegiorum prætextu in ſua Ciuitate vel diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis ſuper ea re S. Sedes conſulatur &c.*

Quid de hoc Decreto?

Vagabundi Fratres Priuilegia non habent.

RESp. Hoc Decretum ſtatuere quod eſt Juris Communis, nec vllius Religionis Priuilegio derogare: Neque enim vlla Religio admittit Priuilegia aliqua ſuis Regularibus extra Obedientiam vagantibus conceſſa. Vnde ſi qui Miſſionarii extra Obedientiam ſuarum Religionum viuant, quamtumuis Priuilegiis ſe tueantur illos Religiones vt ſuos non agnoſcunt, minus illorum ſi quæ habent Priuilegia, admittunt vel approbant, ſed ſi S. Sedis auctoritati innituntur, illa diſſimulant, eoſque ſuperiori auctoritati relinquunt.

Examen Decreti Seſſ. 6. c. 3. de Regularibus extra claustra degentibus.

NVllus Clericus vel cujuſuis Ordinis Regularis, extra Monaſterium degens etiam ſui Ordinis Priuilegii prætextu tutus cenſeatur, quo minus, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.

Quid de hoc Decreto?

Epiſcopi tamquam Papæ delegati poſſunt quandoque punire Regulares exemptos ſine præjudicio Exemptionis.

HOc Decretum non derogat Exemptioni Regularium, ſed tantum ſupplementum eſt Correctionis debitæ: vt nimirùm, Regularis extra Monaſterium degens non effugiat virgam Correctionis: ac ideò: ſi oculos Regularis Prælati effugiat, abſque præjudicio Exemptionis, ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato coërceatur. Neque eorum Exemptioni derogatur, cùm Pontifex ipſe per Epiſcopos ſuppleat, quòd Regularem Prælatum ob abſentiam ſui ſubditi effugere præſumunt: quòd vbique per totum Concilium ſupremi Paſtoris vigilantia ſolectiſſimè cauit.

Et ad hæc Decreta referenda ſunt, & eodem modo explicanda omnia alia quæ ſparſim per *Seſſ. 25. de Regul.* continentur ſuper punitione Regularium extra Clauſtra vel domus Regulares degentium; vt *cap. 4.* vbi cauetur: *Ne Religioſus exeat ex ſuo Conuentu etiam prætextu adeundi Prælatum, niſi licentiâ in ſcriptis obtentâ: aliter facientes poſſint puniri ab Epiſcopis.* Et ibi mandat: *Vt Regularis miſſus ad Vniuerſitates, habitet intra Conuentum, alioquin ab Ordinariis contra ipſum procedatur.* Et *c. 14.* præcipitur: *Vt Regularis viuens intra clauſtrum, & ſcandalose extra illud viuens à Prælato inſtante Epiſcopo, intra tempus aſſignatum ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur &c.* Quæ omnia non Exemptionem aliquam dicunt, ſed ſupplementum Correctionis & Juſtitiæ, tam pro bono Religionis, quàm ad euitandas in Eccleſia Dei confuſiones: Nec propriè Priuilegiis derogant, nullum enim Priuilegium à S. Sede datum, cenſetur dolo, fraudi vel iniquitati fauere.

Examen Decreti, Seſsionis 22. de obſeruandis in celebratione Miſſæ.

MAndatur Epiſcopis: *Ne patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi &c.* Et ad finem Decreti ſuper omnibus in Decreto ſtatutis additur: *Non obſtantibus Priuilegiis, Exemptionibus, Appellationibus ac Conſuetudinibus quibuſcumque.*

Quid de hoc Decreto.

RAtio dubii eſt: Ob Prouiſiones Apoſtolicas etiam Juris Communis factas ſingulariter Minoribus & Dominicanis, quibus permittitur in quouis loco decenti, & honeſto, in altari Portatili ſiue Viatico celebrare: vt habetur *c. In his, de Priuilegiis.* Vbi *Innocentius* conferens hoc Indultum factum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, prohibet per Interpretationes voluntarias alterari, & ſpecialiter quòd aliqui aſſererent ad hoc *interuenire debere licentiam Epiſcopi*, quam interpretationem condemnat. Juri autem Communi non derogatur, niſi per expreſſam clauſulam de hoc Jure facientem mentionem

Aliunde Textus generaliſſimus eſt, & amplas derogationes continet.

PROPOSITIO I.

HOc Decreto vniuersalis Cura demandata est Episcopis inuigilandi super omnibus quæ in Decreto illo statuuntur, vt nimirum: omnia obseruentur, & consequenter super celebratione extra Ecclesias vel Oratoria dedicata, *&c.* Ita vt possint tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, prohibere etiam Privilegiatis: *Nè in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam*, &c. *in altari viatico Missas celebrent.* Ita ad finem Decreti: *Hæc igitur* (inquit) *omnia quæ summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis, ita proponuntur* &c. *Vt pro data sibi à S. Synodo potestate, ac etiam, vt delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inuiolatè seruanda Censuris & Pœnis Ecclesiasticis quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant.*

In quibus verbis notandum est: Hoc Decretum ita in executione commissum Episcopo, vt tamen ejus judicio & arbitrio modus executionis commissus sit: Ita vt pro Circumstantiis interdum aliquid indulgere, ac dissimulare possit.

PROPOSITIO. II.

FF. Minores possunt celebrare cum altari portatili in suis Infirmariis, Claustris, &c. non obstante Conc. Trid.

PEr hoc Decretum non est derogatum Privilegiis Fratrum Minorum & aliorum Regularium: quin possint, in locis suorum Conuentuum, vt in Infirmariis, Claustris, Ambitibus, & aliis locis cum altari viatico in loco honesto, & Oratorio ad id deputato celebrare *&c.* Ratio est: quia illa loca non sunt nec intelligi possunt sub *domibus priuatis, & omninò extra Ecclesiam.* Cùm enim Domus illæ sint publicæ & religiosæ ac loca ad cultum Dei ordinata, & communem Immunitatem Ecclesiarum participent, sub nomine Ecclesiæ communiter intelliguntur. Et ita passim Scriptores: qui etiam volunt non sublatum Privilegium factum Cisterciensibus erigendi Capellas & altaria ruri in suis Grangiis. Vbitaque Fratres Minores & alii participantes, habitant, siue in Eremitoriis, Hospitiis, & Refugiis, Infirmariis (saluo *Concilio Tridentino*) Altaria portatilia habere possunt, & in iis celebrare, quia priuatæ domus non sunt, sed religiosæ, & ob religiosam habitationem Oratoria in illis erecta ad Monasterium & Ecclesiam referuntur. Et hoc Priuilegium post *Concilium Tridentinum* de nouo ratificauit *Gregorius* 13. in Bulla quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem. Data Romæ* 1575. Societati Jesu: Vt nimirum: *In Oratoriis & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, collegiis, & aliis locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ & aliæ diuinæ Officia celebrari possint.* In qua renouatione communicant alii Mendicantes, Estque potius declaratio antiqui Priuilegii, quàm concessio noui, cum priores Concessiones (vti dictum est) *Concilio Tridentino* non aduersentur.

PROPOSITIO III.

Possunt & in loco honesto sub dio.

IN Casibus necessitatis vel magnæ vtilitatis possunt Fratres Minores & cum eis communicantes, extra Ecclesiam in locis honestis, imò & sub dio celebrare, modò Episcopi rationabiliter non contradicant. Ratio est: quia hæ causæ necessitatis & magnæ vtilitatis exceptæ intelliguntur ex natura rei. Constat ex *Can.* 1. *dist.* 1. *de Consecratione*, qui est *Felicis Papæ*: *Missarum* (inquit) *celebrationem non alibi quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota veteris & noui Testamenti præcepta.* In quibus notanda sunt verba (*absque magna necessitate*) Causæ autem, necessitatis sufficientis exprimuntur ibidem *Can. Cognoscimus* ex *Concilio Triburiensi*, vbi permittitur celebratio in Capellis non consecratis: *quando Ecclesiæ sunt combustæ, donec Ecclesiæ restaurentur.* Item: *In itinere* (inquit) *positus, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorio, si tabula Altaris consecrata, cæteraque sacra Ministerio ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus.* Est hæc est communis praxis, vt in magno concursu populi ad aliquas solemnitates, & non capiente populum Ecclesiâ, sub dio Capella præparetur & celebretur: Ita & in militia: Et Missionarii inter Hæreticos Altaria in domibus priuatis sibi struunt, Ecclesiâ id tacitè vel etiam expressè per facultates vel aliter permittente: de quibus videantur Scriptores.

Dixi (*modò Episcopi rationabiliter non contradicant*) Hoc enim ad litteram indicatur in Textu *Concilii Tridentini*, in quo tantùm demandatur Episcopis: *Vt non patiantur in domibus priuatis extra Ecclesiam omninò* &c. *sacrificium a sæcularibus vel Regularibus quibuscumque peragi*: subintelligendo, quod in omni humana lege positiua subintelligendum est: *Nisi grauis necessitas vel magna Ecclesiæ vtilitas, aliud requirat.* In his enim Casibus Epikeja rationabilis legem interpretatur: Et Episcopi non obstante Mandato *Tridentino*, censen-

tur rationabiliter permittere, aut dissimulare, cùm in his Casibus omninò irrationabile esset contradicere.

Dico ergò: licere Fratribus Minoribus in loco decenti & honesto quolibet, vbi necessitas vel magna vtilitas concurrit, Missam ex Concessionibus Apostolicis, quando Episcopus patitur, & non contradicit, celebrare. Hoc enim concedunt Concessiones Apostolicæ antiquæ. Nec aduersatur *Concilium Tridentinum*, quod solùm prohibet: *Ne id patiantur Episcopi*, scilicet quando judicant ex causis & circumstantiis non permittendum: Vide quæ diximus suprà Sect. 4. *§:* 1. in Notabili de *Altaribus Portatilibus.*

Examen Decreti Sess. 23. c. 12. de Ordinandis.

REgulares quoque (ait) *nec in minori ætate, nec sine diligenti examine ordinentur Priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitùs exclusis.* Item *c.* 13. *Duo sacri Ordines non eádem die etiam Regularibus conferantur, Priuilegiis & Indultis quibuscuis concessis non obstantibus quibuscumque.*

Ponitur autem *c.* 12. ætas ordinandorum, vt: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22. *ætatis annum, ad Diaconatum ante* 23. *ad Presbyteratum ante* 25. *ætatis suæ annum promoueatur* qui anni de inchoatis intelliguntur.

Dubium quid operetur hoc Decretum circa Regularium Priuilegia?

Regulares non possunt ordinari ante taxatam ætatem Nequeunt Sacros Ordines vno die suscipere.

RESP. 1. Priuilegia Regularium quoad promotiones ante taxatam ætatem: Item: De susceptione plurium Ordinum Sacrorum eodem die, de quibus in Compendio Priuilegiorum *V. Ordines Sacri* esse omninò abrogata. Textus sunt clari. Quos posteà resumpsit, ampliauit, & pœnis impositis auxit *Sixtus* 5. in quodam *Motu proprio* contra Clericos malè promotos *anno* 1588. In quo prohibet præter Clericos Sæculares *Cujuscuis Ordinis aut Militiæ Regulares extra tempora à Jure statuta, vel absque vetis dimissoriis suorum Prælatorum, aut antè ætatem per Sacri Generalis Concilii Trident. Decreta, prima Tonsura aut cuique Ordini præscriptam, aut non seruatis temporum Interstitiis &c. ab Episcopis ordinari &c.* derogans quibuscumque Priuilegiis, & graues imponens pœnas tam Ordinantibus, quàm aliter (vt ibi dicitur) ordinatis.

Ex quibus videntur omnia Priuilegia circa Ordinationes priùs facta Regularibus jam cassata & reuocata esse.

RESP. nihilominus 2. Plura Priuilegia quæ Ordines Sacros contingunt, post *Concilium Tridentinum* illibata remansisse.

Possunt ordinari a quocumque Episcopo.

1. Quod Regulares à quocumque Episcopo Catholico, modò dimissoriales legitimas à propriis Superioribus habeant, recipere Sacros Ordines possint.

Etiam extra tempora indicta.

2. Quòd etiam recipere possint Ordines extra tempora ab Ecclesia indicta.

Nullum Regularem potest Episcopus ordinare absque litteris sui Superioris.

3. Quòd Episcopi nullatenùs possint Fratres Minores ordinare etiam quantumuis idoneos, absque legitimis litteris suorum Superiorum.

Ratio omnium horum: Quia illis Priuilegiis non est derogatum per *Concilium Tridentinum*. Et quidem de primo patet ex *cap.* 8. *sess.* 23. in quo etsi ordinatum fuerit, vt vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur, nulla tamen derogatio fit, sed tantùm restringitur, vt *si quis ab alio promoueri petat, litteras testimoniales habeat ab Ordinario de probitate & moribus.* Et has ex Priuilegio solent & debent Prælati Regularium præstare. Superiores enim Religionum haberi in isto casu à Concilio pro *Ordinariis* manifeste patet ex *cap.* 10. vbi prohibet Abbatibus & aliis Superioribus, ne dent litteras dimissoriales Clericis Secularibus, vt ab alieno Episcopo ordinentur: supponens posse dare Regularibus subditis suis. Quinimò *Pius* 5. in sua Constitutione. *Etsi Mendicantum*, dictum Textum *sess.* 23. *cap.* 8. declarans, expresse verba illa Concilii (*Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuimus*) sic exponit: *In Regularibus* (inquit) *illa locum non habere declaramus: Ita quòd Fratres hujusmodi, præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente (Ordinarii loci minimè requisitâ licentiâ) in locis seu domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere possint.* Qui Textus cùm sit merè declaratiuus Concilii à Capite Ecclesiæ factus, illi derogari nequit. Nec obstat alia declaratio posterior *Clementis* 8. de qua *Quarta V. Ordo* sub finem: Qua Pontifex non permittit Regulares ab alienæ diœcesis Episcopo ordinari, nisi in absentia proprii, vel quando Ordines collaturus non esset: quo casu indulget vt Superiores Regulares dimissorias dare possint ad quemcumque Episcopum: Non (inquam) obstat, quia cùm hæc declaratio data sit 15. *Martii* 1596. illi derogatum est ab eodem Pontifice per Bullam quæ incipit: *Ratio Pastoralis. Datam sequenti anno* 1597. 2. Die Decembris: In qua confirmat ex certa scientia, & innouat Priuilegia Fratrum Minorum in omnibus in quibus Decretis *Concilii Tridentini* non aduersantur.

Clarum

Clarum est autem ex declaratione *Pii* 5. hoc Priuilegium *Tridentino* non aduersari.

De 2. etiam patet ex *eadem sess. & cap. eodem*: In quo etsi Ordinetur: Vt *Ordines conseruentur statutis à Jure temporibus* nulla tamen derogatio additur.

Tertium de litteris Dimissorialibus Superiorum ad Ordinationem legitimam requisitis, manifesta res est etiam ex ipso *Tridentino* quod *eâdem sess. c. 7.* mandat Ordinandorum genus, personam, ætatem institutionem, mores, doctrinam, fidem diligenter priùs inuestigandam: Quod congruè fieri non posset absque Testimonialibus suorum Superiorum: Et cùm Regularis sub aliena Obedientia viuat, manifestum est absque sui Superioribus voluntate non posse licitè ordinari.

Examen Decreti sess. 23. cap. 15. De approbatione Confessariorum Textus.

QUamuis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absoluēdi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus: Nullum etiam Regularem, posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopo per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem qua gratis detur, obtineat, Priuilegus & Consuetudine quàcumque etiam immemorabili non obstantibus.

Quid de hoc Decreto respectu Fratrum Minorum, & Prædicatorum.

RAtio dubitandi plurimorum est: quia in *Concilio Viennensi c. Dudum sub Clemente* 5. constitutum erat: 1. *vt per diligens examen Superiorum, eligerentur ab ipsis ex suis subditis personæ sufficientes, idoneæ, vitâ probatæ, discretæ, modestâ atque pernæ ad eam salubre ministerium & officium exequendum.* In qua electione, vt esset sincera, onerabantur Conscientiæ Superiorum.

Secundò vt *Personæ sic electæ cum Testimonialibus veris & legitimis præsentarentur Episcopis*: quas sic præsentatas absque examine Episcopi admittebant. Et in casu quo absque causa legitima recusarent, Fratres sic præsentati censebantur admissi (vt latiùs deduximus §. 4. in Prouisionibus Apostolicis super Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Prouisione 4.) vbi etiam docuimus, quod cum *Concilium Tridentinum* loco allegato non deroget nisi *Priuilegiis & Consuetudinibus*, non censetur *legi & statuto Concilii Generalis Viennensis derogasse.*

Resp. itaque 1. In rigore non esse derogatum pro Fratribus Minoribus & Prædicatoribus Decreto *Dudum*, *Concilii Viennensis*, sed illud magis per *Tridentinum* confirmatum fuisse. Quod ex ipso Textu manifestum reddo: Tria exprimuntur à Concilio ad idoneitatem Confessariorum pro sæcularibus approbandorum, quæ singula sufficiunt 1. Si Parochiale beneficium quis obtineat: 2. si per examen ab Episcopis (*si illis videatur necessarium*) quis probatus fuerit idoneus: 3. si aut aliàs (*aliâ* scilicet viâ certâ & legitimâ) idoneitas constet: Atqui per viam legitimam & certam ac à Concilio vniuersali Viennensi approbatam, nimirum, per electionem à Superioribus præuio examine, & sub Conscientiæ grauamine super omnibus conditionibus, quæ ad idoneitatem pertinent judicatus est Frater Minor vel Dominicanus idoneus, & vt talis, Episcopo legitimè præsentatus: ergo plenissimè satisfactum est Concilio: quia *aliàs* (vt ait Concilium) *judicatus est idoneus.* Nec video quid contrà allegari possit: Nisi Episcopi suspectas habuerint vel habeant Electiones, Examina, & Præsentationes à Superioribus factas, adeoque velle per se Regulares examinare, prout jam ad praxim reducunt. In quo tamen aduertere deberent, assumpto in se isto Examine Regularium, liberari Superiores Regulares ab onere grauissimo Conscientiæ, & Episcopos in se suscipere jugũ intolerabile per examen transitiuum personarum, aliàs sibi ignotarum. Sanè post *Concilium Trid.* vsque ad annum 1615. *Præsentatio Confessariorum à Prælatis Regularibus secundum c. Dudum Concilii Viennensis* practicata fuit in Belgio absque querela: A quo tempore cæperunt Examina Episcoporum, quod felix faustumque vtrisque sit.

FF. Minores & Prædicatores non debent Episcopis præsentari examinandi in ordine ad Confessiones.

Dum hoc faciunt liberant Superiores à graui onere.

Resp. 2. Seruato illibato Textu *Concilii Tridentini* Fratres Minores & Prædicatores vere idonei secundum *Clementinam Dudum Concilii Viennensis* judicati, si forte post examen ab Episcopis ad Confessiones non approbentur, eò ipso censentur à summo Pontifice approbati, & accipere Jurisdictionem. Constat ex Textu *Clementinæ*, cui non derogauit *Tridentinum* (vt dictum est) Quod autem in Textu *Tridentini* dicitur, quòd idonei judicati debeant *Approbationem qua gratis detur ab Episcopis obtinere*: id non arbitrio Episcopi vniuersaliter est relictum, sed saluâ justitiâ & æquitate, ac sublatâ omni maleuolentiâ & fraude. Vnde etiam posito examine Episcopi, si Fratrem Minorem aut

Si post examen repellantur judicati idonei à Superioribus, censentur approbati à Papa.

Præ-

Tales tenetur Episcopus approbare.

Prædicatorem aliàs verè idoneum Episcopus non approbet, hoc ipso resurgit *Decretum Concilii Viennensis*, quòd à Summo Pontifice talis censeatur approbatus. Vnde sicut per Parochiale beneficium inuento idoneo tenetur Episcopus Approbationem dare, imò talis hoc ipso Approbationem recipit; Ita Fratribus Minoribus & Prædicatoribus quibus à Summo Pontifice Iurisdictio aduenit, & cognitio idoneitatis, tantùm per modum circumstantiæ Episcopo est commissa: eò ipso quo vere idonei censentur, & reperti sunt illos admittere tenetur Episcopus; Jam enim *Alias*, virtute *Concilii Viennensis*, judicantur idonei, decernente summo Pontifice, & quantumuis renitente Episcopo, Approbatio & Jurisdictio illis à supremo Capite aduenit. Aliud est de iis qui arbitrio Episcoporum non obstante quacumque idoneitate sunt relicti. Vndè iterum quamuis de Regularibus examinatis à Prædecessoribus Episcopis statuerit aliquando *Pius* 5. posse pro Conscientiæ tranquillitate denuò à Successore examinari: Clarum est pro libitu & arbitrio non posse, & inquietudinem Conscientiæ Episcopi, præsupponere non scrupulos, non passiones animi tumultuantis, sed veras & solidas rationes: In quibus Jure diuino & naturali Pastoralis vigilantia non tantum adhiberi potest, sed & debet; Aliud itaque est non idoneo denegare Approbationem siue potius Admissionem, aliud idoneum absque Admissione remittere: hoc enim vltimum à *Concilio Viennensi* condemnatur & abusui prouisum est.

Examen Decreti Sess. 14. de Pœnitentia c. 7. de Casuum reseruatione.

GRauis admodum & sancta Doctrina de potestate reseruandi Casus tradita est Sess. 14. de Pœnitentia c. 7. In quo hæc sequentia continentur.

1. *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolucrentur.*

2. *Meritò Pontifices Maximos pro Suprema Potestate sibi in Ecclesia vniuersali tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuisse peculiari Judicio reseruare.*

3. *Hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem licere pro illis in subditos tradita super reliquos Sacerdotes auctoritate &c.*

4. *Hanc delictorum reservationem non tantum in externa Politia, sed etiam coram Deo vim habere.*

5. *Semper in Ecclesia Dei custoditum fuisse, vt nulla esset reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusuis peccatis & Censuris absoluere posse.*

6. *Extra articulum mortis Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis, adeoque id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.*

Super quibus emanauit Canon 11. ejusdem Sessionis: *Si quis dixerit Episcopos non habere Jus reseruandi sibi Casus, nisi quoad externam Politiam, atque ideo Casuum reseruationem non prohibere, quò minus Sacerdos a Reseruatu verè absoluat, Anathema sit.* Super his Dubium graue excitatum est, quod adhuc modo perdurat.

Dubium an post Concilium Tridentinum Priuilegia Fratribus Minoribus, & aliis Mendicantibus concessa, absoluendi à casibus reseruatis Papæ & Episcopis in vigore perseuerent.

RAtionem dubitandi mouerunt quædam Declarationes siue Responsiones Cardinalium, quæ innuunt potestatem absoluendi à Casibus Episcopis reseruatis factam Regularibus, per *Concilium Tridentinum* reuocatam, nec per Confirmationes, & nouas Concessiones Priuilegiorum post Concilium à Summis Pontificibus factas reuixisse, imò nec renouatas esse, nec censeri obtentas, aut obtineri potuisse post *Concilium Tridentinum*. Quæ Decreta seu Declarationes retulimus suprà in hac Consultatione §. 1. vbi Reuocationes Priuilegiorum retulimus, quarum contentum iterum repetendum erit, dum infrà ad illas respondebimus. Vt autem Dubio huic plenè satisfiat, pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Tridentinum non reuocauit Potestatem Mendicantium absoluendi à Casibus Reseruatis.

PEr *Concilium Tridentinum* nullatenus reuocatæ sunt facultates, si quas Regulares per Priuilegia & Prouisiones sibi factas habebant, absoluendi à Casibus Papæ vel Episcopo reseruatis ante Concilium, nec eis in aliquo in dicto Concilio derogatum fuit.

Hæc Propositio ex Textu *Concilii Tridentini* c. 7. in allegata *Sessione* clara est: In illo enim cap. vt suprà annotatum est Tantùm decernitur Papam pro tota Ec-

Elitatis suæ aut Successorum vel Ordinariorum (quoad Casus (inquit) *ipsis tantùm reseruatos* &c.) *impetratâ licentiâ absoluant* &c. Vbi notanda verba illa: (*quoad Casus ipsis tantum reseruatos*) vt excludat reseruatos à Jure. De qua Expositione iterum infrà agemus in expositione Decreti *Vrbani* 8.

3. Est postea moderatum.

3. Notandum, Decretum illud *Clementis* 8. anno sequenti 1602. fuisse moderatum: Et quidem quoad Casus Papales, restrictum ad quinque qui ibi ponuntur: Et quoad Casus Episcopales, prohibentur Episcopi reseruare sibi Casus, *nisi paucissimos, & maxime necessarios, eosque atrociores & grauissimos, consideratâ necessitate cujusque Prouinciæ pro cujusque Diœcesis Statu & conditione.* Vide Decretum.

4. Notanda est *Epistola* grauissima *Sacræ Congregationis* ad Cardinalem & Archiepiscopum Neapolitanum super Executione illius Decreti: In qua illi mandatur: *Vt moneat Ordinarios specialiter, vt adhibitis doctissimis Theologis deliberent super Casibus in sua Diœcesi necessariò reseruandis: Eorum Catalogum mittat iterùm ad S. Sedem examinandum, & dijudicandum.* Demum mandat, vt Ordinarii per totam suam Diœcesim, *ac præsertim in iis Locis, qui à Ciuitate & Cathedrali Sede longiùs remoti sunt, Pœnitentiarios, aliosque sacerdotes constituant ac delegent, quibus Facultatem absoluendi à Casibus sibi reseruatis concedant: Ita vt his quoque liceat aliis Confessariis, si opus sit, etiam viuâ voce impartiri, vtque maxime in solemnioribus & præcipuis anni festiuitatibus, vt peccatores quibus obuia & facilis fuerit hujusmodi Sacerdotum Copia ad peragendam Confessionem alliciantur* (cujus rationem reddens) *quia* (inquit) *alioquin plerique vel ob ipsum omittere possent si necesse haberent, Pœnitentiæ Ministros quibus indigent, longiùs quærere* &c. Vide tenorem hujus Epistolæ apud Quarantam V. Casus Reseruati post Decreta *Clementis* 8. & benè lege. Data autem est dicta Epistola Romæ die 26. Nouemb. anno 1602. signata ab Alexandro Cardinale Florentino, quæ multùm confert ad intentionem S. Sedis in Casuum reseruatione interpretandam.

PROPOSITIO III.

Post Clementem 8. nullus reuocauit potestatem Mendicantium absoluendi à Reseruatis.

A *Clemente* 8. & ejus tempore nulla emanauit Bulla aut Decretum Authenticum, quo reuocarentur facultates siue Priuilegia Regularibus concessa *extra Italiam* absoluendi à Casibus à Papa vel Episcopis reseruatis, exceptis Bullæ Cœnæ Domini, quinimò per Confirmationes & nouas Concessiones omnium Priuilegiorum, Facultatum & Indultorum, Illæ quas ptiùs habebant censentur confirmatæ: Nisi per Bullas vel Decreta particularia aliqui Casus expressè excipiantur.

Hæc Propositio est facti: Vnde nisi exhibeantur Instrumenta Authentica & Juridica alicujus Reuocationis, manent Regulares, singulariter Mendicantes, in Possessione antiquarum Facultatum & Priuilegiorum.

Restant porrò duæ Responsiones siue Declarationes S. Congregationis hîc examinandæ & resoluendæ.

Examinatur Responsio Cardinalium ad Eminentissimum Cardinalem Boromæum Archiepiscopum Mediolanensem sub Gregorio 13. Romæ data 10. Septemb. anno 1577.

HÆc Responsio Cardinalium quam ad longum retulimus in Consultatione Generali §. 1. inter reuocationes 1. continet quæstionem quæ erat: *An Regulares ex Priuilegio à Sede Apostolica impetrato præsertim ex eo, quod Mare Magnum nominat, possint absoluere sibi confitentes in Casibus quos sibi Episcopus reseruauerit* 2. complectitur responsionem in iisdem terminis, nimirùm: *Regulares neque per Mare Magnum, neque per alia Priuilegia posse absoluere à peccatis quæ sibi Episcopus reseruauerat.*

Quid de hac Responsione?

Regulares possunt absoluere à Reseruatis Episcopis.

RESP. 1. Cùm sit res facti, *nullũ dubium esse Regularibus factum aliquando potestatem absoluendi à Casibus Episcopis reseruatis*: Hoc satis à nobis ostensum est in Prouisionibus Apostolicis §. 5. Prouisione 4. ex *Bulla Pauli* 3. facta *Patribus Societatis*, quæ & aliis Regularibus communicata fuit. Similiter & specialissimè per *Bullam Pauli* 4. in qua hanc facultatem pro Fratribus Minoribus concedit, & ex Priuilegiis Minimorum innouat. Quam etiam facultatem fecit ipsemet *Gregorius* 13. Confessariis Regularibus dum sunt in via, nec habent copiam Episcopi. Et alia ibidem vide. Vnde etsi in Mari magno singulorum Ordinum tale Priuilegium non semper reperiatur, fatetur in allegatis Bullis absque vlla tergiuersatione continetur: Et has facultates factas Regularibus *Clemens* 8. agnouit in Decreto, de quo suprà, & extra Italiam perseuerare, vt priùs supposuit. Vnde dicendum esset: Hanc quæstionem ab Eminentissimo Cardinali Boromæo aut ob aliquas alias reuocatio-

nes in suo Mediolanensi Archiepiscopatu contentiosas, fuisse propositam, aut per Casus sibi ab Episcopo reseruatos aliud intelligi.

Id communiter intellege à Reseruatis à Jure.

Resp. ergo 2. Per *Casus sibi ab Episcopo reseruatos* intelligi Reseruatos personaliter, siue *Reseruatione ab homine* de qua suprà Notabili 2. quæ in certis euentibus ex causa vrgente ab Episcopis speciali mandato fiebat: Non autem *de Reseruatis à Jure Communi* per statutum aut legem synodalem. Vnde hìc puto in Bullis & Concessionibus Pontificum, quando concedunt Regularibus vel sæcularibus potestatem absoluendi à Casibus Episcopis reseruatis, siue etiam quando ipsi Episcopi talem facultatem concedunt, semper debere intelligi, de Casibus lege vel statuto velut à Jure reseruatis, non autem de Reseruatis ab homine, qui specialiter dicuntur ab Episcopis *sibi reseruari*, & consequenter non nisi speciali & singulari concessione absoluuntur. Et ita hos Casus specificauit *Clemens* 8. in suo Decreto, vt superiùs vidimus. Declararique potest hæc doctrina per similitudinem facultatis Absolutionum, quæ conceditur ab Excommunicationibus reseruatis: Cùm enim simpliciter Pontifices concedunt facultatem absoluendi ab Excommunicationibus & Censuris reseruatis: Istæ Concessiones intelliguntur de Censuris *reseruatis à Jure* non autem *ab Homine*: Illæ enim quæ sunt *ab Homine*, non censentur absolui posse, nisi individua de eis in speciali mentio fiat, vel nisi satisfactâ parte.

Quæsiuit igitur verisimiliter Eminentissimus Cardinalis: An per Maria Magna, vel alia Priuilegia Regularibus facta absoluendi à Reseruatis, possent Regulares absoluere. *A Casibus quos sibi Episcopi reseruassent personaliter* velut *reseruatione ab Homine*: Et responsum est negatiuè. Quia Concessiones illæ tantùm intelliguntur de *Reseruatis à Jure* per statutum aut legem: Et hoc modo verissima est responsio, & quæ vniuersaliter obligat. Aduertendum tamen quòd in *Compendio Societatis V. Absolutio §. 1.* refertur, *Greg.* 13. interrogatum super ista responsione, respondisse se per illam non intendisse derogare Priuilegiis Societatis, eaque, quantum opus est, confirmat; quæ Responsio postrema Declarationem illam infirmat vel in alium sensum detorquet.

Examen Responsionis siue Declarationis Cardinalium sub Vrbano 8. Datæ Romæ 17. Nouemb. anno 1628. signatæ à F. A. Cardinale S. Onuphrii, & P. Fagnano Secretario. Quam vide suprà in Consul. Generali §. 1. inter Reuocat.

IN ista Declaratione major est difficultas, quia plura involuit, nec constat super quibus quæstiunculis, nec ad quorum instantiam sit facta.

Tria porrò continet hæc Declaratio 1. Per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à S. Sede post S. *Concilium Trident.* obtinuerunt: *Nequaquam reuixisse Priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si qua habebant, absoluendi à Casibus Ordinario loci reseruatis*: Quemadmodum, *nec Indulta absoluendi a Casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ legi consuerunt* (vtpote, *sublata per annuam ejus publicationem*) *vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorum Confirmationibus.*

2. Proinde *Regulares Cujusuis Ordinis, Congregationis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim Priuilegiorum aut Confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem Casibus in Bulla Cœnæ vel Ordinario reseruatis, ac si secus egerint, Absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore.*

3. *Ab aliis verò Casibus & Censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, (si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica facultatem) illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S. Congregationis Decretis hac de re editis jussu S. Mem. Clementis* 8.

Quid de hac Responsione siue Decreto?

RESP. 1. Hanc Declarationem non posse intelligi de Casibus à *Jure* Papæ, vel Episcopis in *Jure*, vel per *Statuta synodalia* reseruatis. Ratio est: quia supponit fuisse sublatam facultatem siue Priuilegia absoluendi ab illis Casibus per *Concilium Tridentinum* & Declarationes S. Congregationis: Cujus contrarium in superioribus sat superque probauimus. Imò hæc ipsa Declaratio idipsum fatetur: dum allegans *Clementis* 8. *Decretum* sustinet facultates

Nec Vrbani 8. *Declaratio* 1628. *est contraria.*

cultates absoluendi a Casibus & Censuris S. Sedi aliàs Reseruatis, non fuisse extra Italiam sublatas.

Quia intelligenda vt supra de Casibus ab Homine non à Jure reseruatis.

Resp. 2. Hanc Declarationem non posse intelligi nisi de Casibus ab Ordinario tamquam *ab Homine* reseruatis, vt in superiore Responsione Cardinalium est expositum: Non autem de Reseruatis à Jure. Quod ex hoc conuinco 1. quia æquiparat *Casus Bullæ Cœnæ* cum *Casibus ab Ordinario* reseruatis: Constat autem Casus Bullæ Cœnæ, cùm (vt ait) singulis annis per nouam publicationem innouentur, referri debere inter Casus *ab Homine* reseruatos, in quantum singulis annis de nouo promulgantur, & interdum per restrictionem vel ampliationem mutantur ita vt stabile Jus non contineant. Quare quod similiter de Casibus Ordinario reseruatis ibi concluditur, de Reseruatis ab Ordinario tamquam de reseruatis *Reseruatione ab Homine* intelligendum erit, vt æquiparatio saluetur.

Vnde iterum sicut per facultates Generales à Casibus & Censuris S. Sedi Apostolicæ reseruatis, non veniunt intelligendi *Casus Bullæ Cœnæ*, nec alii quos per singularia mandata à Papa interdum reseruantur, sed tantùm illi qui à Jure reseruati sunt, nisi aliter specificetur: Ita benè concludit hæc Declaratio per generales Concessiones Regularibus factas, vel deinceps obtinendas, non concedi facultatem absoluendi *à Casibus sibi ab Episcopo* specialiter velut per *Reseruationem ab Homine* reseruatis vel reseruandis. Aliàs absurda esset clausula, quòd per Confirmationes vel Priuilegia quæ in futurum obtinerent, non possent Regulares absoluere simpliciter à Casibus reseruatis: Hoc enim esset ligare manus Pontificibus, & ab eis auctoritatem blasphemè auferre, & animas insolubilibus vinculis illaqueare. *Sensus itaque est.* Quòd per generales Confirmationes aut Priuilegia, quibus Regularibus datur facultas absoluendi à Reseruatis, nunquam intelligantur *Casus Bullæ Cœnæ*, vel qui speciali Reseruatione velut *ab Homine* ab *Episcopis reseruantur*, quia hæc requirunt specialem facultatem. Et ita praxis Ecclesiæ se habet: Sicque similes Declarationes intelligendæ veniunt (qualis nuper ad Archiepiscopum Mechlinienſem data est 5. *Junii anni* 1647. quæ per omnia Declarationi huic *Vrbani* 8. etiam in verbis initititur) vt omnis absurditatis vel contradictionis suspicio euitetur: Nec aliter Constitutiones Pontificiæ cum Declarationibus S. Congregationis concordari possunt. Cùm enim Pontifices vt *Paulus* 3. concedat Confessariis Societatis Iesu vt possint absoluere ab omnibus Casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis iis qui in Bulla Cœnæ Domini continentur) qui sunt illi Casus (præter eos qui Apostolicæ Sedi reseruati sunt) nisi Casus reseruati Episcopis? Item cùm *Clemens* 8. prohibeat tam sæcularibus quàm Regularibus extra Vrbem intra Italiam absoluere à Casibus S. Sedi & Ordinario reseruatis: Quis non supponat Regulares extra Italiam (si aliquando habuerunt illam potestatem absoluendi à Reseruatis) illam omninò retinere. Aliàs est exponere Constitutiones & Responsiones siue Declarationes S. Congregrationis irreuerentiæ & disputationi quorumcumque vt de facto sæpè exponuntur. Hanc porrò pro mea tenuitate explicationem confido ex visceribus rei sequi: & Declarationes Cardinalium cum Bullis & Priuilegiis ritè concordare.

Et hanc nostram declarationem post hæc scripta reperio latè explicatam & confirmatam à *Francisco Cespedes* Clerico Regulari Natione Hispano S. Theologiæ Professore in *Tractatu de Exemptione Regularium* impresso Venetiis apud *Paulum Baleonum anno* 1647. *c. 6. dub.* 142. *à num. 6. vsque ad finem.* Vbi ex *Comitolo* in Responsionibus moralibus q. 25. & *Homo bono* de Casibus reseruatis, & ex *Philippo Maria Guadagno* suæ Congregationis Præposito Generali, ac multis argumentis ac praxi Italiæ probat: *Casus sibi ab Episcopis reseruatos*, excludere Casus à Iure vel synodis reseruatos, adeoque non obstante Reseruatione *sibi* ab Episcopis facta Casuum aliquorum, Regulares censeri posse à *Casibus Jure* vel *per Synodum* aut *Consuetudinem* Episcopis reseruatis absoluere; quia illos Episcopi non reseruant, sed Lex, Cujus signum ponit: Quia de sibi Reseruatis Episcopi consueuerunt singularem Tabellam conscribere, aliis Casibus dissimulatis & contemptis. Et hi soli Casus ita Episcopo velut *ab Homine* reseruantur, vt mortuo Episcopo statim cessent: Alii autem durante lege perdurent. Pontifex itaque Regularibus concedens facultatem absoluendi à Casibus reseruatis, exceptis Reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, vel ab Episcopis; sub Casibus reseruatis comprehendit omnes Casus *à Jure* vel *Synodis* aut *Consuetudine* quouis modo etiam Episcopis reseruatos, & excipit solos Casus qui à se in Bulla Cœnæ, vel quos Episcopi per singularem reseruationem sibi reseruarunt: Et ita exponendum judicat consequenter *Decretum Vrbani* 8. de quo suprà. Quod etsi dicat simpliciter Regulares etiam extra Italiam non posse absoluere à Casibus Ordinario loci reseruatis; Intelligendum tamen de Casibus quos sibi

ipsimet Episcopi reseruant si tales aliqui sint: Aliàs cùm Decretum illud confirmet Decretum *Clementis* 8. in illo contradictio reperiretur.. Ita dictus Auctor.

Examen Clausularum derogatoriarum cap. vlt. Sess. 25. de Regularibus Concilii Tridentini.

POrrò cùm *c.* 22. siue vltimo *Sess.* 25. de Regularibus Concilium præcipiat omnia & singula in Superioribus Decretis contenta obseruari: *Non obstantibus Regularium omnium & singulorum sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus & Regulis etiam juratis, atque etiam Constitutionibus vel præscriptionibus etiam immemorabilibus* &c. Quidam dictas Clausulas derogatorias voluerunt referre ad omnia Decreta in *Concilio Tridentino* contenta.

RESPONSIO.

Clausulæ derogatoriæ in Tridentino quomodo accipiendæ.

REsp. itaque: Illas Clausulas derogatorias referri solum ad Decreta quæ dicti *Sess.* 25. pro Reformatione & stabilimento Regularis vitæ & disciplinæ, ac pro Regularium regimine sunt decreta. Textus est clarus: Nec absque calumnia istæ clausulæ vlterius trahi possunt. Verba enim Cap. illius sunt clara: *Hæc* (inquit) *omnia & singula in Superioribus Decretis* (videlicet Sess. 25. de qua loquitur) *obseruari S. Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, Monasteriis, Collegiis ac domibus quorumcunque Monachorum ac Regularium, nec non quarumcunque Sanctimonialium ac Virginum* &c. *Non obstantibus* &c. Quod monendum volui propter æmulationes Aduersariorum maleuolas, qui ad omnia in Concilio contenta voluerunt verba illa retrotrahere. Sanè Concilium suas restrictiones & derogationes in singulis aliis Decretis vbi placuit, apposuit, nec vsquam generaliter Prouisionibus & Priuilegiis Regularium derogatum voluit, vt in superioribus manifestè probatum est.

Regula Generalis De Stabilitate Priuilegiorum & Prouisionum Apostolicarum pro Regularibus.

Priuilegia omnia Regularium quibus singulariter Tridentinum non derogauit, manent in suo vigore.

OMnia Priuilegia, Facultates, Indulta, ac Gratiæ Regularibus concessæ quouis nomine appellentur, quæ expressè *Concilio Tridentino* non aduersantur, siue, quibus *Tridentinum Concilium* singulariter non derogauit, permanent in suo vigore, & absque scrupulo Regulares vti possunt nisi speciali Bullâ vel Decreto sequentes Pontifices, qui in Cathedra S. Petri sedebunt illis per apertas clausulas derogent.

num non derogat sunt in suo vigore.

Ratio hujus Regulæ clara est ex dictis: Quia omnia Priuilegia ante & post *Concilium Tridentinum* concessa, confirmata & renouata sunt per *Clementem* 8. & *Paulum* 5. cum sola particula (*quatenus Concilio Tridentino non aduersantur*) cum derogatione omnium contrariorum. Nec à tempore *Pauli* 5. vitæ sunt aliquæ Reuocatoriæ claræ & expressæ istorum Priuilegiorum de quibus in superioribus egimus; ergò omnia illa vt explicata sunt, in suo vigore remanent.

Dixi (nisi singulari Bullâ vel Decreto sequentes Pontifices &c. illis derogent) Non enim volo hic agere de Jure Priuilegiorum quatenùs in meteedem data sunt, aut de similibus quæ Scolasticas lites & contentiones hactenùs induxerunt: sufficit mihi Auctoritas S. Sedis, & Obedientia illi debita, vbi constat de ejus mente: Vbi autem non constat de reuocatione per certam & apertam Bullam vel Decretum, Priuilegiis antiquis standum est: quod dico propter aliquas Responsiones quæ nomine S. Congregationis circumferuntur, quarum quot sunt verba, tot sunt dubia, siue ob contradictiones quas videntur inuoluere, siue quia quæstiones super illis, vel non sunt benè propositæ, vel captiosæ resolutiones impetratæ, vt ex eorum tenoribus patet cuilibet Probo, Docto, & non interessato. Vlteriùs ex dictis patet, quid dicendum sit ad Reuocationes Priuilegiorum quas in hac Consultatione Generali §. 1. retulimus, quibus sufficienter responsum est.

Examen Oraculorum viuæ vocis Leonis 10. Pii 5. Gregorii 13. super Renouatione omnium Priuilegiorum Fratribus Minoribus factorum pro foro Conscientiæ tantùm, etiam quoad ea quæ per Concilium Tridentinum fuerunt reuocata.

HÆc viuæ vocis Oracula à nobis fusè sunt relata in Consultatione Generali §. 3. Et in Resolutionibus Capucini ad Compendium Priuilegiorum ad verbum *Absolutiones quoad Fratres & seculares* §. *quoad*

§. *Quoad* 3. non tantùm referuntur, sed valida esse & in praxi tuta ostenduntur.

Oracula viuæ vocis quæ transeant in Bullas.

Hic tamen aduertendum est, apud me certum esse: *Oracula viuæ vocis*, quæ per Bullas Pontificias ex certa scientia, & motu proprio confirmata fuerunt & sic in Bullas transierunt, amplius non contineri sub reuocatione *Viuæ vocis Oraculorum* per *Vrbanum* 8. Ea maximè quæ sub Prædecessoribus Pontificibus, suum (vt loquitur Pontifex) sortita fuêre effectum, & in praxi & in possessione acceptata: qualia fuisse illa ex suprà relatis constat. His sic positis nonnulla dubia resoluenda sunt.

DVBIVM I.

Quæ dicantur ad forum Conscientiæ tantum pertinere?

REsp. illa dici *ad forum Conscientiæ tantùm* pertinere, quæ in foro interiori & Conscientiæ ad finem & effectum intentum terminari possunt: Ita vt nullatenus quoad finem & effectum intentum, ad forum externum pertineant, aut ad illud euocari possint. Talia sunt absolutiones peccatorum occultorum, & Censurarum, quæ forum contentiosum euaserunt: Dispensationes in Irregularitatibus occultis: Dispensationes & Commutationes votorum secretorum &c. quæ in foro Conscientiæ & Sacramentali definiuntur & fiunt.

Duplex forus.

Dixi *(quæ in foro interiori & Conscientiæ terminari possunt)* Duplex enim (juxta Doctorem nostrum Subtilem in 4. d. 19.) forus siue forum in Ecclesia assignatur: Alius est *Secretissimus*, in quo idem est *Accusator* & *Reus*, & in quo creditur Confitenti tam pro se, quàm contra se, qui dicitur *forus Animæ* vel *Pœnitentiæ*: Dicitur etiam *forus Conscientiæ* & *forus Dei*, *Conscientiæ* quidem quia *Conscientia* ibi est *Accusator* & *Testis*, imò & *Judex* mali vel boni: *Dei* autem quia *Deus* est Judex *Supremus* per se vel *Vicarium* suum condemnans vel absoluens, Ligans uel Liberans. *Alius* in Ecclesia *forus* est *forus exterior*: In quo ex iis quæ foris probantur vel apparent Ecclesia judicat, & sententiam profert. Et hic quidem *forus* respicit ea quæ (vt dixi) foris vel sunt, vel apparent. *Prior* autem intuetur cor, & judicat ac sententiat de his quæ Conscientiâ teste vel à parte rei sunt, vel esse creduntur, ac super eis Dei & Clauium sibi commissarum auctoritate sententiam profert.

Forus Animæ, Dei vel Conscientiæ quis.

Forus exterior quis.

Fori Conscientiæ quis finis.

Dixi iterum *(quæ in foro interiori ad finem & effectum intentum terminari possunt)* finis autem fori Conscientiæ, & interioris alius non est, quàm coram Deo liberari à peccato, & vinculis, ac pœnis, quæ coram Deo in eodem foro remanent. Ex G. Qui in foro solo Conscientiæ tantùm absolutur à peccato, cui annexa est Excommunicatio: Absoluitur quidem a reatu peccati, & à vinculo Excommunicationis, in quantum Excommunicatio: peccato mortali conjuncta priuat hominem communione interiori Sanctorum & charitatis communis meritorum; Non potest tamen Pœnitens in hoc solo foro alium effectum prætendere: Vndesi peccatum ad forum contentiosum deductum esset, vel deduceretur postea, per hanc Absolutionem Pœnitens non absolueretur ab iis quæ forum externum contingunt, & ejus potestatem: Et donec a Judice competente absolueretur, deberet se gerere quasi Excommunicatus in omnibus quæ in foro externo Excommunicationem consequuntur.

DVBIVM II.

Quid operetur Reseruatio Casuum in Ecclesia Dei?

CErtum est 1. Ex *Concilio Tridentino* Reseruationes Casuum sicut & Censurarum, & alias nonnullarum Dispensationum ab Ecclesia Dei fieri ad conseruandam disciplinam populi Christiani & sanctum Ecclesiæ regimen, tum vt peccatores à peccatis absterreantur, tum vt omnes in debita Ecclesiæ obedientia contineantur. Vide *cap.* 7. *Sess.* 14. de Pœnitentia.

Reseruatio casuum &c. ad quid in Ecclesia.

Certum est 2. Illam Reseruationem non tantùm tangere Politiam externam, sed etiam forum Dei & Animæ, ita vt absque auctoritate implicita vel explicita summi Sacerdotis, & aliorum si quos concernat, non tollatur. Ita expresse *Canon.* 11. *dicta Sess.* 14. *Si quis* (ait) *dixerit Episcopos non habere Jus reseruandi sibi Casus, nisi quoad externam Politiam, atque ideo Casuum Reseruationem non prohibere quominus Sacerdos à reseruatis vere absoluat anathema sit.*

Reseruatio non solum est pro foro exteriori sed etiam pro foro Dei.

Certum est 3. Quòd quamuis Ecclesia actus merè internos non reseruet, quia illi quantumuis peccaminosi & graues, eò ipsò quò interni manent, disciplinam Ecclesiasticam non tangunt: si tamen prodeant in aliquem actum externum qui reseruatus sit, quantumuis occulti sint, sub reseruatione comprehendi. Ratio est: Quia actus tales occulti peccaminosi aliquando plus Ecclesiasticæ Disciplinæ nocere possunt, quàm qui ad forum contentiosum deducuntur.

Reseruari non possunt actus interni.

RE-

RESOLVTIO.

Reseruatio Casuum quid operetur.

REsp. itaque Reseruationem Casuum Censurarum & Dispensationum in Ecclesia Dei operari, restrictionem siue sublationem Potestatis Confessariorum quantumuis Approbatorum, si eis à supremo Sacerdote aut ab aliis quibus fit reseruatio, non sit facta implicite vel explicite aliquo modo auctoritas absoluendi vel dispensandi.

DVBIVM III.

Quibus modis conferatur Auctoritas Absolutionum & Dispensationum &c.

Quibus modis conferatur potestas absoluendi à Casibus reseruatis.

VAriis modis consueuerunt Pontifices summi & ii penes, quos, residet auctoritas Absolutionum & Dispensationum &c. illas conferre.

1. *Explicitè*, vt quando in Bullis vel Concessionibus expresse dicunt se concedere Regularibus Ordinis N. ad Confessiones Sæcularium ab Ordinariis approbatis, facultatem absoluendi ab omnibus Casibus & Censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, nec non dispensandi in Irregularitatibus: Item dispensandi vel commutandi vota &c.

1. Explicitè.

2. Implicitè.

2. *Implicitè*: Vt quando alicui committunt munus vel Officium cui tales auctoritates vel facultates ex sui ratione competunt: vt cùm committuntur aliquibus Præfecturæ in Missionibus, vel etiam eis Obedientales ad Missiones inter Hæreticos conceduntur, quibus tales facultates annexæ sunt &c.

3. Interpretatiuè.

3. *Interpretatiuè* censetur Auctoritas Absolutionum & Dispensationum à summis Sacerdotibus concedi, in casibus improuisis grauis necessitatis, à qua Animæ salus dependet, nec datur ad habentem Jurisdictionem rationabilis & congruus recursus. Ex g. Regularis aliquis, imo & sæcularis Sacerdos incidit in hominem Hæreticum, quem, Deo propitio, ab errore suo reuocat, & in vera fide confirmat: Hic & Professionem fidei paratus est in manus illius Sacerdotis emittere, & peccata sua confiteri: quod si Sacerdos respuat & se excusset prætextu defectus potestatis, periclitatur salus animæ illius, siue quia ille Hæreticus, si sic dimittatur, vel ob imbecillitatem animi, vel ob contubernium cum Hæreticis, vel alias ob causas, redibit ad vomitum, nec vllatenùs expedit remoras illi permittere, nec absque periculo potest ad alium remitti: In his Casibus justissimâ Epikeja & Interpretatione censetur Sacerdoti dari & data esse potestas & facultas absoluendi ab Hæresi, & à Censuris ratione Hæreseos contractis, imò & dispensandi in iis quæ ad stabilimentum Conscientiæ, & salutem animæ illius pro tempore & circumstantiis necessaria iudicantur. Ratio est: quia Pontifex in illo casu non tantùm teneretur Auctoritatem dare, sed etiam teneretur, quantum in se est, animæ illi ad Conuersionem plenum de necessariis prouidere; & consequenter interpretandus est velle, vt Sacerdos necessaria adhibeat, omnemque illi Auctoritatem in tali casu conferre. Et multi tales Casus contingere possunt, in quibus non solùm Epikeja & Interpretatio licita est, sed etiam vrget, & in foro Animæ est necessaria, & absque tergiuersatione, de mente Pontificis vel Superioris, qualis saltem deberet inesse, communiter in fauorem Pœnitentis inclinandum est.

DVBIVM IV.

PRINCIPALE

Quomodò intelligenda sit Renouatio omnium *Priuilegiorum facta à Summis Pontificibus viuæ vocis Oraculo, quantum ad forum Conscientiæ tantùm? Et qualiter non obstantibus Reuocationibus siue Derogationibus quibuscumque etiam Concilii Tridentini subsistat?*

Casuum reseruatio non in destructionem, sed in ædificationem.

QUia multarum Cardo difficultatum in vsu Priuilegiorum super hac Quæstione vertitur, accuratiùs tractanda est.

Primò igitur tamquam certum supponendum est 1. Ita Reseruationem Casuum permissam Episcopis & aliis Superioribus in Ecclesia Dei, pro Animarum felici regimine: vt tamen ab extremis sit cauendum, & (vt loquuntur Pontifices) Non in destructionem sed ad ædificationem, & Animarum salutem illâ vtantur. Quapropter *Clemens* 8. in suis Decretis anni 1601. & 1602. constringit Auctoritatem Episcoporum ad certos Casus, ne quod in salutem peccatorum ordinatum est, cederet in eorum ruinam.

2. Tamquam certissimum iterum sup-

po-

Potestas absoluendi à Reseruatis quæ vt data Mendicantibus.

ponendum est: facultates Regularibus maximè Mendicantibus, in Absolutionibus & Dispensationibus forum Animæ tangentibus, factas & concessas fuisse pro salute peccatorum siue pœnitentium, vt haberent remedia & Medicos obuios, & ad manum, nec deberent aut remoras pati, aut habere recursus saluti Animarum obstaculum præbentes. Quia enim Fratrum Prædicatorum & Minorum vita, & status erat non in vno loco, nec vno tempore, sed omni loco & tempore per vniuersum orbem prædicare Pœnitentiam, & Verbum Dei annuntiare (quos in hac re secuti sunt alii Mendicantes) ideò vt obuios haberent Medicos, qui per verbum eorum vel aliter conuertebantur, & ne aliquid eis deesset: §. Sedes Apostolica Animabus consulere volens, Illis delegauit à principio amplissimas facultates, eò vsque, vt eorum judicio à principio reliquerint absoluere ab omnibus Casibus quantumuis reseruatis: Ne fortè in aliquibus videretur pro salute Animarum illarum & Ecclesiæ sanctæ singulari recognitione *merito Sedes Apostolica consulenda*. Ita loquuntur Pontifices *Pius* 2. *Vrbanus* 4. *Eugenius* 4. in Bullis & Concessionibus in Prouisionibus Apostolicis super Potestate Confessariorum approbatorum Prouisione 3. supra relatis.

3. Certissimum est: Hanc esse mentem Ecclesiæ ad Exemplum Pastoris Boni, relictis nonaginta nouem in desertis, ire ad ouiculam quæ periit, illam in humeris reportare ad ouile, & sicut dicit 8. Synodus apud Gratianum 26. q. 7. c. *Pœnitentem*: *Pœnitentem ex corde ita oportere excipi, sicut Dominum ostendit cùm dicit: Quia conuocaui amicos meos & vicinos dicens: Congratulamini mihi quia inueni ouem meam quam perdideram.* Et *cap. Alligant autem onera* &c. Ex Chrisost. *Si Pater familias largus est, Dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, vt quid Sacerdos ejus austerus vult apparere?*

Quam rationem confirmat *Clemens* 8. per Cardinalem Alexandrinum scribens Archiepiscopo Neapolitano super executione suorum Decretorum, vt retulimus in 4. Notando ad Dubia *de facultatibus Regularium absoluendi à Casibus reseruatis post Concilium Tridentinum*. In qua monetur Archiepiscopus vt in omnibus Diœcesibus suæ Metropolis, & in locis quæ à Ciuitate vel Ecclesia Cathedrali longiùs distant, poneret Pœnitentiarios & alios sacerdotes sufficienti numero, qui à Reseruatis absoluerent *quique hanc Auctoritatem etiam viuâ voce delegare possent*, maximè in solemnibus diebus, & præcipuis anni festiuitatibus: *Vt* (inquit) *Peccatores, quibus obuia & facilis fuerit hujusmodi sacerdotum copia, ad peragendam Confessionem alliciantur. Quia* (subdit) *aliquam plerique vel ob idipsum omittere possent, si necesse haberent Pœnitentiæ Ministros, quibus indigent longiùs quærere* &c. Et hoc fuit potissimum motiuum & ratio, Cur Pontifices Confessariis Ordinum, qui ex suo statu saluti Animarum in prædicationibus & aliis Ministeriis per vniuersum orbem vacant, tam amplas pro salute Animarum facultates dederint.

Restrictio & reuocatio Priuilegiorum vnde.

4. Non minùs certum est: summos Pontifices & *Concilium Tridentinum*, si quando Priuilegia & facultates Animarum salutem concernentes, vel restrinxerint, vel reuocauerint: Id non fecisse quia irrationabiles essent: Sed propter varias querelas & lites motas ab Episcopis & Parochis, quasi aliquid de Auctoritate vel reuerentia eis debita, imò & de emolumentis subtractis diminueretur. Vnde ad pacem conciliandam, & continendos animos necesse fuit, vt saltem in iis quæ forum externum & contentiosum, siue aliquo modo regimen Animarum respiciebant, moderationes, restrictiones, & reuocationes aliquæ fierent: Super quibus discordiis, quæ animos Pontificum mouerunt, Vide Constitut. *Bonifacii* 8. *Super Cathedram*, Clementinam *Dudum Concilii Viennensis de Sepulturis*, Constitut. *Benedicti* 11. *Inter cunctas* & Bullam *Gregorii* 13. *In tanta rerum mole*, & alia passim. His prænotatis sit.

RESOLVTIO I.

Renouatio Priuilegiorum FF. Min. factorum, quantum ad forum Conscientiæ tantùm duo importat.

REnouatio siue Confirmatio Priuilegiorum Fratribus Minoribus facta, siue à *Leone* 10. ante *Concilium Trid.* siue à *Pio* 5. post *Concilium Tridentinum* etiam de iis quæ in *Concilio Lateranensi* moderata erant, vel in iis quibus per *Concilium Tridentinum* derogatum erat, *quantum ad forum Conscientiæ tantùm*, Duo importat: *Alterum* ex parte Casus siue rei: *Alterum* ex parte potestatis Absoluentis vel Dispensantis in Casu. Et quidem quod spectat ad priùs ex *parte Casus*, requiritur, vt Casus non sit deductus ad forum externum & contentiosum, sed in solo foro Conscientiæ proponatur. Quod autem spectat ad posteriùs, *de potestate absoluentis* vel dispensantis vel Priuilegio vtentis, requiritur: Vt illa Potestas, quæ in foro Conscientiæ exercetur, nullatenus se extendat ad aliquid quod forum contentiosum contingat, vel in futurum contingere possit. Explico & declaro Resolutionem manifestis exemplis: In primo quoad Casus: Titius per-

1. *Ex parte Casus.*

2. *Ex parte Potestatis Absoluentis.*

Vnde notandi Casus.

cussit siue manus violentas injecit in Cajum Sacerdotem, Nemine hujus Criminis conscio, ita vt ad forum contentiosum Casus non sit deductus: Illum Regularis, qui à Casibus & Censuris reseruatis ex Priuilegio potestatem absoluendi habet in foro Conscientiæ tantùm, etsi intra Italiam Papæ sit reseruatus, poterit absoluere. Ratio est: Quia non est deductus ad forum contentiosum & in foro solo Conscientiæ absolutio datur. Aliud exemplum super eodem de Potestate: Si contingat Casum percussionis Clerici à Titio occultè factum, & à Regulari in foro Conscientiæ tantùm tam à peccato, quàm à Censura absolutum, reduci ad forum contentiosum, ibique judicari, Titius etsi in foro Dei & Conscientiæ sit absolutus à peccato & Censura, tenebitur in foro Ecclesiæ se tamquam Excommunicatum habere, & Absolutionem in foro externo obtinere, & pœnas ac omnia subire, quæ ad externum forum spectant. Ratio est: Quia Regularis Confessarius illum dumtaxat pro foro Conscientiæ & Dei absoluit, & liberauit ab effectu Censuræ, relinquens intactum quidquid forum externum tangit, aut tangere potest.

Quæ iterum in Dispensationibus exemplificari possunt: Ex G. dispensat Confessarius in Voto Titii quo vouit peregrinationem Lauretanam suscipere, & ibidem eleemosynam offerre. Valet quidem Dispensatio in iis quæ forum Conscientiæ contingunt, si tamen in foro externo de eleemosyna offerenda vrgeatur, hæc Dispensatio in isto foro effectum nullum habere censetur. Quod in omni Dispensatione Votorum quidem seruatur, vt in præjudicium Tertii non fiat, & in Absolutionibus à Censuris, vt, vbi opus est, parti satisfiat. Singulariter tamen in Absolutionibus & Dispensationibus in foro Conscientiæ tantùm, hoc ipsum includitur vt per illa nihil tangatur quod extrinsecum forum respicit, siue quod ad illud pertinere potest. Vide dicta dubio 1.

RESOLVTIO II.

Illa pro foro Conscientiæ sanctè instituta sunt.

REnouationes dictæ *Leonis* 10. *Pii* 5. siue etiam *Gregorii* 13. in iis quæ fortè obstant Decretis *Concilii Tridentini* pro foro Conscientiæ sanctè, vtiliter, & legitimè factæ sunt. Ratio clara est: Quia in salutem Animarum, pro foro Dei & Animæ ac Conscientiæ quiete sunt factæ juxta pietatem, & debitum Pastoralis Officii, & Ecclesiæ mentem, nè in isto foro salus Animarum defectu Medicorum obuiorum periclitaretur. Vide dicta in Præsuppolito 2. & 3. ante Resolutiones.

Nec omninò aduersari videntur *Concilio Tridentino*: Quia vt in Superioribus ostendimus *Concilium Tridentinum* & Patres Concilii omnia sua concluserunt: *saluâ auctoritate Pontificis Maximi, & sub ejus pleno beneplacito*: Sic autem Pontifices post Cõcilium judicarunt saluti Animarum expedire. Præterquam quòd vel nullis Priuilegiis vel paucis derogauit *Concilium Tridentinum*, quæ ad solum forum Conscientiæ spectant: Vnde in iis quæ mixta sunt, cum foro externo, semper saluari possunt, quæ ad forum externum pertinent, absque interesse fori Conscientiæ per Prudentes Confessarios.

Nec sunt contraria Concilio Tridentino

Dices: Sequentes Pontifices reuocarunt omnia Priuilegia Regularium quæ *Concilio Tridentino* quouis modo aduersantur. Resp. Dupliciter se Pontifices habuisse circa Priuilegia quibus derogauit *Tridentinum*: Alii enim simpliciter cassarunt vt *Pius* 4. Alii non tam reuocauerunt, quàm non confirmauerunt, vt *Gregorius* 13. *Sixtus* 5. *Clemens* 8. *Paulus* 5. Alii pro foro solo Conscientiæ confirmarunt, vt *Pius* 5. & *Greg.* 13. Generaliter autem dico, Nullum me notasse Priuilegium aut Prouisionem, quæ ad solum Conscientiæ forum pertineat, & quæ ex ea parte quoad forum Conscientiæ pertinet, aduersetur *Tridentino*.

Papa se diuersimodè habuerunt circa illa Priuilegia.

RESOLVTIO III.

OMnibus itaque Priuilegiis, quæ Fratres Minores siue Mendicantes ante *Concilium Tridentinum* obtinuerunt, obseruatis iis quæ in ipsis Priuilegiis ad solum forum Conscientiæ spectant & in eodem foro terminari possunt, licitè & sanctè vtuntur & vti possunt. Resolutio patet ex dictis.

Excusatio Auctoris ad Lectorem.

EXcuset me benevolus Lector, si in hoc Fundamento limites excessi: Non enim potui Matris Ecclesiæ affectum in genuinam sobolem suam Fratrum Minorum Ordinem, nec sobolis ad Matrem indeclinabilem Obedientiã exprimere, nisi & ipsius liberalem Manum & indefessam Curam ostenderem: debui autem & ad Persecutiones, & ad Lites & Quæstiones descendere vt Contraria juxta se posita magis in ostensione veritatis eluceſcerent. Nec inutilis fuerit hæc quantumuis prolixa digressio, quippe quæ & historicas narrationes contineat, & fundamenta Doctrinæ, quæ in illis miscetur ad Lectorum satisfactionem repræsentet.

FVN-

TITVLVS XII.

FVNDAMENTVM XII.

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Laborum, Opitulationum, Miniſteriorum pro Eccleſia Dei ſuſceptorum Meſsis vberrima.

Comparata

AMETHYSTO XII *Fundamento Apoſtolico.*

QVI ex Naturæ rerum Inueſtigatoribus *Amethyſti* lapidis pretioſi naturam ſcrutati ſunt, has ei proprietates adpinxerunt: Et 1. quidem hanc *Amethyſto* originem adſcribunt, vt ex *Sardio* ſiue *Sarda* lapide oriatur, vel potiùs *Sardæ* velut adnaſcatur. 2. Quòd etſi *Amethyſtus* velut medius inter terrenos lapides & inuolucra naturæ inueniatur, ab aliis tamen lapidum vel terræ qualitatibus nec alteretur, nec patiatur, ſed velut ſuâ ſorte contentus immunis permaneat. 3. *Amethyſtum* omni ſculpturæ facilem tradunt. 4. Vim maximam illi omnia ad ſe trahendi fœliciùs quàm Succino vel Magneti adſcribunt. 5. Ebrietatem arcere, & ſobrietatem conciliare aſſerunt. 6. Et vt *Amethyſtum* geſtanti nihil deſit, Vigiliam & Vigilantiam hilarem cauſare contendunt. Tribus vero coloribus *Amethyſtum* venuſtari referunt: 1. *Flammeo* ad vini ardentioris ſimilitudinem. 2. *Violaceo*. 3. *Purpureo* & roſæ rubeſcentis ſpeciem referente, quæ omnia *Ex Plinio* & aliis collecta, curioſus lector videre poteſt apud *Riberam*, *Cornelium à lapide*, & *Alcaſar* in cap. 21. Apoc. *Amethyſti qualitas.*

Qualiter autem hæc duodecimo fundamento Apoſtolico ipſiſque Apoſtolis in *Amethyſti* figura competant, non eſt qui non diſcernere poſsit, qui vitam Apoſtolicam vel à limine intuitus fuerit: Apoſtoli enim ex *Sarda* lapide (quæ *Paupertatis Euangelicæ* ſpeciale ſymbolum eſt) ſiue nati, ſiue adnati dicantur, pro ſuæ Originis & totius vitæ Theſſera, *Paupertatem Chriſti Ieſu* nudi & crucifixi mundo velut vexillum prætulerunt, eâ quidem integritate, vt in medio hominum, nullis mundanis fumis vel alterationibus inficerentur, ſed ſuâ ſorte intemeratæ Paupertatis contenti, omnibus omnia facti, *Comparata Apoſtolis.*

impreſsionibus diuinis digitorum *Spiritus Sancti* ad nutum parerem: Vnde non mirum ſi vt *Amethyſtus* corda omnium ad ſe attraherent, virtute illius qui eleuatus à terra omnia traxit ad ſeipſum. Hi ſunt qui perfectiùs quàm *Amethyſtus*. Ebrietatem ſcientiæ & faſcinationis mundanæ effugarunt, vt ſobrietatem Euangelicæ Veritatis & fidei Mundo inducerent, ſemper vigiles, ſemper operibus ſibi commiſsis incumbentes. Quibus pro colore *Flammeo* vini ardentioris ſpectabilis inerat *Charitas*: Pro *Violaceo Manſuetudo* & *Pietas*: Pro *Purpureo Tolerantiæ* & *Patientiæ* vſque ad ſanguinis effuſionem & Martyrium purpurata Victoria.

Hoc ipſiſsimum eſt duodecimum Ordinis Minorum fundamentum, in quo Totius Vitæ Euangelicæ quam profitentur Corona completur. *Quid eſt enim Frater Minor?* Niſi *Amethyſtus* ex *Sarda Paupertatis Altiſsimæ*, quam Chriſtus verbo & exemplo docuit, lapide natus, & Profeſsione adnatus: Cui etſi permiſſum eſt terrenis ad neceſsitatem ſimpliciter vti: nullatenùs tamen conceſſum aliquo terrenarum rerum Iure quantumuis titulo ſpecioſo alterari: ſuâ ſorte quidem ita contentus, vt tamen ad ſculpturæ receptionem per manus diuinæ ſtylum ſe ſemper paratum exhibeat. *Quid eſt Frater Minor?* Niſi *Amethyſtus* vitâ, verbo, oratione omnes ad Deum trahens: Sobrietatem fidei & Euangelicæ Puritatis hominibus inſtillans: Ebrietatem Calicis Meretricis Apocalypſis prohibens: In omnibus ſemper vigil: ſolo colore *Charitatis* Flammeo rutilans: Ad omnes violaceæ *Manſuetudinis* ſuauem odorem coloremque deriuans: *Tolerantiâ* & *Patientiâ* in aduerſis ad Purpuram etiam Martyriorum viam ſibi ſternens. Et quidem de horum plurimis in ſuperioribus Fundamentis actum eſt: In hoc autem Fundamento, qualiter Fratres Minores omnibus omnia facti, omnes ad ſe trahant, fidem & Euangelicam Puritatem omnibus influant, omnibus inuigilent, Patientiâ, Charitate, Manſuetudine apud omnes valeant, ex Meſſe plurima, ex turgentiſsimis Manipulis, ex effectibus & fructibus ſequentibus, tota fundatio Ordinis Seraphici ſuper Chriſto lapide in figura & lapide *Amethyſti* concludenda demonſtrabitur.

Item FF. Minoribus.

PRÆ-

PRÆAMBVLVM.

Messu Vberrimæ, Manipulorum S. Francisci & filiorum ejus in vniuerso orbe compendiosa distributio.

S. Francisci ejusque Filiorum Missio omnem terrã.

S. Francisci & filiorum Missionem ad vniuersi Orbis Climata, vt constat de Apostolica olim Missione, factam nõn solùm Prophetæ & Oracula sæpiùs repetita conuincunt, sed ipsa Missionis Executio, tam in persona *Seraphici Patris*, qui seipsum *Asiæ, Africæ, Europæ*, verbis, signis, & operibus manifestum fecit, quàm in filiorum indefessis laboribus, quos etiam absconditissimis terrarum angulis impenderunt, Ita vt lepido pariter & pio Rythmo benè de S. Francisco & ardore ejus concluserit S. Bernardinus vt sequitur:

Franciscum Italicus fuit huic Patronus,
Vir pauper & Modicus, & sanctus, & bonus,
Vix est pagus vnicus, vix est mundi cornu,
Quo non sit authenticus Successorum somnu.

Ps. 18. v. 5. *In omnem* itaque *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* Et vt apertè S. Franciscus Eminentissimo Cardinali Protectori Hugolino scisciranti: Cur suos filios ad terras remotas mitteret incommodis famis, sitis, & laboribus eos exponens, respondit: *Fratres suos à Domino electos pro salute Animarum totius mundi, totum mundum penetrare debere*; sicut & euentus docuit.

Quare.

Quia verò non mei muneris est, Omnium operum, quæ in vtilitatem Ecclesiæ Ordo Minorum gessit, Chronologiam Historiamue texere (scio enim hoc opus alijs à Reuerendissimo P. N. Generali demandatum) tantùm velut in compendio aliquos Manipulos intendo annotare: Et quia Ecclesia Christi sponsa quatuor potissimùm Aduersariorum perfidiâ concutitur, scilicet: *Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, & peruersorum Christianorum:* Hâc quidem distributione per Sectiones & Paragraphos vtar.

Partitio hujus Tituli.

Ac 1. *Quid per se suosque S. Franciscus circa Infideles ad veri Dei cognitionem adducendos operatus fuerit?*

2. *Quanta Fratres Minores in Schismaticis Catholica, Apostolica, Romana Ecclesiæ remedia gesserint?*

3. *Quantis laboribus, & quibus fructibus Fratres Minores Hæreticos & eorum Hæreses insectati fuerint?*

4. *Quanto bonorum operum, signorum, & doctrinæ fructu Fratres Minores Ecclesiæ Matri in filiorum suorum vtilitatem adfuerint?*

Cùm autem Orbis vniuersus quatuor partibus diuidatur, *Asiâ, Africâ, Americâ & Europâ*, Messem suis distinguemus regionibus; Et quamuis illa non nisi vltima vindemiâ Æterni Judicis terminanda sit, aliqua tamen producere conabimur quæ vsque ad hæc postrema sæcula messe beriore sunt collecta.

SECTIO I.

Quid per se, suosque filios, S. Franciscus circa Infideles ad veri Dei cognitionem, & veritatem fidei adducendos operatus fuerit?

§. I.

De Manipulis in Infidelium conuersione per Asiam *collectis.*

NEscit (teste Ambrosio) *tarda molimina Spiritus Sancti gratia:* Qui igitur tamquam *alter Angelus ab ortu solis ascendẽs* mandatum acceperat imperandi quatuor Angelis percussoribus: *Ne nocerent terræ & mari, neque arboribus*, quoad vsque signaret Seruos Dei in frontibus eorum: Accepto numero Sociorum statim ad signum Tau, signum Crucis & Pœnitentiæ omnibus imprimendum se accinxit. Quia verò se & suos contra horribilem Bestiam *Mahumetem*, quæ potissimum *Asiam* tunc depopulabatur (tria enim regna jam obtinuerat, quibus velut Cornibus tribus orbem concutere parabat, nimirùm *Arabiam, Syriam*, & *Ægyptum*) Primam aciem in *Asiam* direxit ad *annum* 1219. Ordinis 12. Etsi enim ab *anno* 1209. jam ab *Innocentio* 3. accepisset mãdatum prædicandi vbique Pœnitentiam, & jam magnam partem Italiæ peragrasset: Et demùm ad *annum* 1212. re collatâ cum summo Pontifice, & acceptâ illius Benedictione ad Mahumetanos in *Syriam* proficisci desideraret, diuinâ nihilominùs dispositione impeditus perficere non potuerat idipsum; ad quod, instillante ei Christo Martyrii flagrantissimum desiderium, omnibus modis se præparauerat vsque ad *annum* 1219.

S. Francisci voluntas eundi ad Saracenos.

Impeditur.

Anno igitur 1219. vndecim Sociis, sibi mirabiliter, Deo per puerum illos designãte, assumptis: *Ancona* soluens, *Ptolomaidam* primùm venit, & dimissis Sociis ad partes Saracenorum, ipse vno discipulo suo F. Il-

Resumitur & de facto venit.

Omnibus periculis spretis pervenit ad præsentiam Soldani.

Apud illum quid tunc effecerit.

Manipuli S. Francisci.

Impetrat à Soldano licentiam vbique prædicandi.

Quod facit magno fructu.

Reuertens in Italiam Soldanum affecut at de salute æterna.

Quod sic euenit.

Soldanus liberat omnes Christianos.

Adhibet eos sui corporis Custodes.

Crucem Domini captam reddit, liberatus multis item Christianis.

Hospitalia dotauit.

Ejus Laus.

luminato comite rectà *Damiatam* Ægypti Ciuitatem, quam Christianus exercitus obsidebat peruenit: Vbi etsi ob actuale bellum cum Saracenis vlteriùs progredi dissuaderetur, & ipse quidem imminentem plagam Christiano exercitui Dei monitu prædixisset: Nihilominùs periculis omnibus spretis, spreto etiam crudeli edicto Soldani, quo cuicunque sibi deferenti caput Christiani bisantium aureum promiserat, Ad Soldani Babyloniæ præsentiam properauit, & penetrauit, ac in itinere verbera & vincula passus, Euangelium Christi Soldano annuntiauit Barbariéque cor efferatum, & à Christianis summè abhorrens, tanta dulcedine & mansuetudine repleuit, ut non nisi affectum in S. Virum spiraret. Verùm qui solus nouit tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, & in cujus manu sunt sortes illæ *Æternæ Electionis*: in hoc quidem occursu aratro & sulco potenti Cordis illius glebas fregit, semini verbi Dei, etsi tribulis & spinis nonnullis remanentibus, locum dedit; incrementum tamen in opportunum tempus distulit, vt arbor bona daret fructum in tempore suo, ita vt nec folia defluerent.

Accipe autem Manipulos aliquos quos velut Ordinis primitias S. Pater in hoc itinere per se & suos messuit & in horreum Ecclesiæ opportunè inuexit.

Primo itaque: Actualem conuersionem ad fidem Soldanus quidem distulit: Ipsum tamen S. Virum multis muneribus frustrà tentatum probatumque, & alibi fructificare desiderant, ad exercitum Christianum remisit: Ipsi & suis Fratribus non tantùm facultatem euangelizandi verbum Dei inter sibi subditos dedit, sed & Symbolo designato illos ab omni periculo & injuria, velut Saluo Conductu immunes reddidit: Quæ omnia Euangelicæ Agriculturæ, & seminantibus tempus & occasionem dederunt: Nam & ipse S. P. ad exercitum Christianorum ante Damiatam rediens, ignem spiritus continere non potens, Totam exinde *Palæstinam Syriam*, & *Galilæam* non sine fruge prædicando peragrauit (vt habet antiqua legenda Celani) Sociis etiam vbique per Saracenos dispersis, qui eorum sermonibus aurem benignam præbebant eò vsque (teste Eminentissimo Cardinale Jacob. de Vitriaco) donec in *Mahometi* sui perfidiam inuecherentur. Sed nec hic finis.

Secundò: Dum Ordinis Patribus instantibus ob subortas difficultates S. Pater in Italiam reuocaretur: diuinâ semper dirigente clementiâ, ad Soldanum rediit, suum reditum in Italiam exposuit, prædicationem salutis resumpsit: sed cum tempus fructuum necdum aduenisset: Eo tandem deuentum est, vt Soldanus se orationibus Sancti committeret, sub spe quod illius meritis, veræ fidei aliquando nomen daret: Hic de Messe pleniore certus factus est Pauperum Patriarcha: Accepto enim signo salutifero in Oratione, valedicens Soldano: Illum de futuro Baptismo & salute assecurauit, dato arrhabone: Quòd ipse Seraphicus Pater post transitum hujus vitæ, Soldano duos Fratres suos mitteret, qui eum & Sacro Baptismate intingerent, & ad salutis æternæ gaudia disponerent: Tantum vt se Soldanus juxtà audita de fide Catholica disponeret, & impedimenta omnia interim remoueret. Quod mirabiliter euenisse operâ duorum Fratrum, quos inscrutabilis Diuinæ Prædestinationis Clementia in tempore opportuno prouidit, Speculum vitæ S. Francisci c. 74. cum Pisano Conform. l. 1. fructu 38. refert; Nec non S. Antoninus Tit. 14. c. 3. §. 3. & Vitriacus ad annum 1219. testantur.

Tertiò (Attendat lector quomodò apud Soldanum à die valedictionis S. Patris omnia albicabant ad messem) referentibus Vitriaco, Abbate Stadensi, & Matthæo Paris omnibus ferè viro Dei contemporaneis (quos citant Annales FF. Minorum ad *annum* 1219. *n.* 60.) Ex eo enim tempore Soldanus tanto affectu in Christianos ardebat: Vt Treugâ siue Induciis paulò pòst cum Frederico 2. Imperatore compositis; Omnes Cultores fidei Christianæ vbique in suis ditionibus vinculis detentos libertate donârit, & vt ad Christianas Regiones libere reuerterentur, aut etiam in suis regnis liberè remanerent, permisit.

Demum: Tantâ fiduciâ Christianis adhæsit, vt eos ex tunc sui Corporis Custodes adhibuerit, licet ejus parens à *Lescaco* Græco fuisset interfectus.

Insuper: Crucem Domini, quam in suam potestatem in inuasione Jerusalem acceperat, gratis reddi jussit, & Captiuos iterum omnes ad triginta millia à vinculis dimisit omnesque Christianos, salvis rebus & corporibus, ex Ægypto abire indulsit: hoc Decreto; Vt abeuntibus, si quidem diuites essent, alimenta pecuniâ distribuerentur: Sin pauperes aut infirmi, gratis exhiberentur.

Nec hic fuit propensæ liberalitatis finis: Cum enim Hospitalia quædam in suis terris essent ædificata, Reditus opulentissimos, & pecuniam multam illis legauit: Ita vt de illo concludat post visitationem S. Francisci Matthæus Paris: *Erat autem* (ait) *licet Paganus, Veridicus, Munificus, parcens* (*in quantum permisit legis suæ seueritas & Vicinorum suspicio*) *Christianis.* Ita igitur vas quod videbatur in contumeliam, Deo per ferum suum Seraphicum sic disponente,

ponente, factum est in honorem: Et quod S. Pater viuens non poterat, per suos Fratres abundantissimâ messe compleuit.

Fructus laborum quibus proueniant

Porrò studioso rerum sacrarum Lectori duo hic aduertenda sunt: *Alterum*: Nec semper eodem tempore, nec sub iisdem Operariis laborum fructus colligi quod præclaro Emblemate proponit Dominus per Isaiam c. 55. *Quomodò* (inquit) *descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Hæc est descriptio diuinæ Prouidentiæ in ministerio verbi Dei, quod, modò vt imber gratiosus fœlici quodam fauonio spiritus sancti immissus, omnia germinare facit; modò frigidissimæ niuis instar, & Aquilonę frigido vento perflante, duriori aurâ velut impeditur seuerioris hiemis brumalibus contranitentibus, donec prævaleat virtus Omnipotentis Dei: Nunquam tamen effectu secundum Dei propositum vacat, sed semper quem proposuerat Deus effectum obtinet, benè Psalmistâ canente *Euntes* (ait) *ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Alterum* considerandum est: Tempestatibus suborientibus, sæpiùs vel sterilitates inductas, vel segetes uredine percussas, nouos colonos operariosque desiderasse, Quod qualiter in his Fratrum Minorum pro Deo susceptis laboribus euenerit, paucis perstringo.

Isa 55. v. 10.

Prouidentia diuina in ministerio verbi Dei.

Ps. 125. v. 6.

Manipuli Sociorum S. Francisci.

Sociis igitur in Asia laborantibus, & S. Patre in cœlum abeunte, septimo post obitum anno, Gregorius (cui Pontificatum præsagierat S. Patriarcha) perpendens quæ ipsi in viuis communicauerat Vir Seraphicus, *anno* 1233. de Mahumetanis ad fidem conuertendis sollicitus, ex Fratribus Minoribus non paucos Operarios industrios misit; & alios quidem ad *Soldanum Damasci*, alios ad *Georgianos* Hæresi & Infidelitate pariter infectos, alios ad *Calypham de Balduc* (quem vt successorem Mahometis Saraceni venerabantur, quique habebatur vt Caput & Origo erroris Mahumetani) & cæteros Orientis Infideles ac Paganos, destinauit, cum litteris & facultatibus, vt eorum conuersioni vacarent. Quæ quidem Missio tantam operata est messem, maximè apud *Georgianos*, vt ipse Rex remisso ad Pontificem F. *Jacobo de Russano* plures Operarios expostularet, quos & Pontifex datis ad eum litteris multiplicauit. Et quamuis hi inter Schismaticos aut Hæreticos computentur, quia tamen in medio Saracenorum habitabant, præcipuus labor Fratrum in Saracenis conuertendis impendebatur, vt constat ex litteris præfati Pontificis, quæ incipiunt: *Cùm messis multa. Datu 6. Idus April. Pontif. anno 7.*

Mittuntur ad diuersos Infidelas.

Ad Georgianos &c.

Verùm moto posteà à Christianis infœlici bello contra Saracenos, & fructu Animarum per hoc impedito: Hæc Missio cessauit donec *Innocentius* 4. iterum, humanis mediis deficientibus, ad Prædicationem Euangelii renouandam recurrit, vt, qui Armis subdi non possent, diuinæ gratiæ virtute ad Dei cognitionem compellerentur: Vnde *anno* 1244. iterum ad FF. Minores Bullam Apostolicam dedit, quâ illos, ad Saracenorum & Infidelium terras auctis facultatibus dirigebat. Data erat Bulla *Januæ* 4. *Non. Octob. Pontif. anno* 2. *Anno* iterum sequenti 1245. milit F. *Laurentium de Portugal* cum sociis plurimis ad Regem & populum Tartarorum: De quibus hoc Testimonium Pontifex præstat: *Minoritas* (ait) *Fratres, quos tamquam diu sub Obseruantia Regulari probatos, & plenè in scripturis sacris instructos, inter alios prælegimus, quia vtiliores vobis fore credimus, tamquam Saluatoris nostri humilitatem sectantes, ad vos duximus transmittendos* &c. Quantæ verò vtilitatis hæc Missio fuerit, accipe ex verbis fidelis scriptoris *Hieronymi Plati l.* 2. *c.* 30. vbi de FF. Minoribus supradictis: *Iidem* (ait) *ad Tartaros ab Innocentio* 4. *missi ad annum* 1245. *quo tempore cùm magnus hominum numerus Euangelium admisisset, paulò pòst multò plures Operarii destinati, Monasteria multa instituta, denique res Christiana fœlicitèr prorsùs administrata est.* Quæ quidem res eò à FF. Minoribus perducta est, vt ad *annum* 1254. multi Principes & Reges in Tartaria fidem Catholicam reciperent: Inter quos (teste *S. Antonino Tit.* 19. *c.* 8. §. 21.) *Magnus Chain*, supremus Tartarorum Dominator, cum aliis Dynastis inferioribus ad Christi fidem conuersus est, & quidam *Sartach* Rex, ad quem congratulatorias de sua fide scripsit *S. Ludouicus* Gallorum Rex, quas referunt Annales ad præfatum *annum* 1254. *n.* 44.

Ad Tartaros.

Magnus Chain cum aliis conuersus.

Verùm quò fœcundior messis, & ager fructuosior, eò majori sollicitudine & laboribus excoli debuit, illum Inimico omnis boni miris tempestatibus, euentibusque exagitante. Hinc sanguine Martyrum plurimorum ex Ordine FF. Minorum irrigari & irrorari, ac hyeme persecutionum Charitas Christianorum decoqui debuit. Tantam autem frugem posteà FF. Minores in Imperio Tartarorum amplissimo fecerunt, vt ad *annum* 1278. primò sub *Ioanne* 20. dein sub *Nicolao* 3. successore, *Abagha* Orientalium Tartarorum Rex suo, & *Quolibeii* Magni Chami Imperatoris Aiiun-

Item Abagha & Quolibey.

nunculi sui (qui vterque Christianam fidem receperat) nomine, mitteret legatos Romam, vt Operarios nouos Romanus Pontifex destinaret ad populi totius Imperii Tartarorum conuertionem, & ad Baptismo tam filios quam populos sibi subditos intingendos. Ad quos Pontifex misit cum grauissimis Epistolis (quæ habentur in *Regest. Vaticano n.* 13.) sequentes Fratres, his verbis ad *Abagham* Regem scribens: *Protus* (inquit) *& prædicti Quolibey Magni Chami Imperatoris & Moderatoris omnium Tartarorum Illustris Anunculi tui (qui jam dudum fuisse asseritur baptisatus) filiorum, populique sui, suaque populique tui procuranda salute, seruitutis nostræ debitum exsoluentes F. Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de S. Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio Ordinis Minorum Viros Religione conspicuos, honestate vitæ pudicos, morum claritate decoros, & S. Scripturæ scientiâ præditos: Vt tu, fili tui, populisque ipsum Dominum Jesum Christum Saluatorem nostrum, salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac ab eis illi ex vobis qui nullum hactenùs baptismum, vel non in forma debita receperunt*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *auctoritate nostrâ secundum ritum quem in hac eadem seruat Ecclesia Christi Baptismate baptisati, nomen suum glorioſum, quod est super omne nomen Christiana fide obseruatione collatis, de Fratrum nostrorum consilio duximus destinandos &c. Datæ erant litteræ Romæ apud S. Petrum Kal. Octob. anno* 1. Cujus similes *in eodem Regesto n.* 14. reperiuntur directæ ad præfatum *Quolibey Magnum Chamum*. Et *n.* 15. ad Fratres suprà nominatos ad Tartaros missos: quos secuti sunt plures ex Ordine ob nimiam Christianæ fidei messem, quæ in illis locis apparebat.

Nicolaus 3.

Portò dum fideliter Operarii laborant cum Regibus & Dynastis, immissiones fiunt per Angelos modos, Deo sic permittente: Princeps enim Tartariæ nomine *Tangodomor*, *Germanus* Frater *Abaghæ* Regis in Asia Majori (de quo suprà) occiso Fratre suo *Abaghâ*, rejectâ fide Christianorum, quam simul cum Baptismo susceperat in juuentute, ad *annum* 1282. dilatato dominio, fidem simul & Pietatem exuit, & amplexus fidem Saracenorum, *Nicolas* nomen (quo in Baptismo insignitus fuerat) in nomen *Mahometi* commutauit, deinceps vocatus *Mahomet*; & duobus annis quibus superuixit Christianos, Tartaros crudelissimè persecutus est; specialiter autem Religiosos, ex quibus Ordinis Minorum Fratres Martyrio affecti, quorum Capita incredibili inhumanitate Saraceni excoriabant: Donec afflictionis populi miseretus Dominus, & sanguine Martyrum placatus, dictus *Mahomet Tangodomor* à proprio Nepote *Argone* filio *Abaghæ* Regis Christianorum amico occideretur, & res Christianorum in Tartaria multo incremento, procurante dicto *Argone* reflorueruntur. Ipsius enim operâ factum est, vt & templa Christianorum à Patruo suo destructa reædificarentur, Saracenorum delubra solo æquarentur, & omnes Mahumetani ab vniuerso Tartarorum & *Argonis* dominio exulare cogerentur, vt Christo & Christianis in pace fieret locus iste: Ipso *Argone* Baptisato, ac Reginis *Tuchtaua* & *Elegage*, vt constat ex Epistolis Camerali-bus in *Regesto Vaticano n.* 12. 16. & 17. in quibus Studia & labores FF. Minorum mirum in modum commendantur.

Tangodomor à fide deficit & persequitur Christianos.

Annales 1284.

Nec hic fuit finis: Nam in vastissimo Imperio Tartarorum, alii iterum FF. Minores ad *annum* 1296. sunt missi. Inter quos mirè fructificauit F. *Joannes à Monte Coruino*, qui indefessè tam per pueros quos Baptismo renatos Sacris imbuebat, quàm per alios industrios laborans, tandem ad *annum* 1310. *Magnum Cham* Tartarorum, qui tunc imperabat cum Matre ad Catholicam fidem perduxit, propter quem Imperator in Baptismo *Joannes* appellari voluit, & paulò pòst ex hac vita migrans in Conuentu FF. Minorum solemni ritu tumulatus est: Cujus corpus cùm ob ingruentia bella à Fratribus fugientibus post triginta annos exhumatum transferretur in Ciuitatem *Saray* inuentum est ita integrum & incorruptum cum vestibus & puluinari, super quo Caput recumbebat, ac si eâdem die sepultum fuisset. In quo loco *Saray* etiam jacebat *Cathogonis* Frater Imperatoris Tartarorum, à Fratribus Minoribus conuersus, miraculis clarus.

Magnus Cham Joannes cum Matre conuertit.

Ejus corpus post 30. annos a morte incorruptum.

Tanta autem fuit vbertas Messis in Tartaria tempore *F. Joannis de Monte Coruino*, vt quantumuis Pontifex illum *Cambalensem* (quæ erat vna ex præcipuis Ciuitatibus) *Archiepiscopum* constituisset, cum potestate ordinandi sibi ex Fratribus suffraganeos sufficientes, nihilominùs contmuò ipsi deberent submitti Fratres in auxilium: Tantusque fuit Viri feruor, vt (teste *B. Odorico Nano* de foro Julio qui Tartariam postea peragrauit) ipsius vnius *F. Joannis de Monte Coruino* operâ in sola Tartaria plusquam triginta millia saracenorum ad fidem Christi conuersa sint. Cujus mors summam eausauit in populo isto tristitiam, quâ commotus Imperator Tartarorum ad *annum* 1338. iteratò destinauit legatos ad Pontificem *Benedictum* 12. quatenùs sibi FF. Minores mitteret, qui *Joannis à Monte Corsino* vigilantiam resumerent.

Ioannes de Monte Corsino quanta in Tartaria fecerit.

Nec

Nec aliæ partes Asiæ suis Operariis ex hoc Ordine caruerunt, nam in Persidem, & omnes Orientales Regiones prædicatio eorum penetrauit, & vt breuitatis gratiâ ex vno cætera intueamur: Clara est & Orbi notissima B. *Oderici* ex portu Naono Foro-Julienſis peregrinatio, quâ sexdecim annorum spatio totum ferè Orbem peragrauit, & ad Indos qui Asiæ adjacent, & ad Jappones, ac Magnum Karum perueniens ultra viginti millia Paganorum & Infidelium Christo peperit, & Baptismate renatos Ecclesiæ aduexit. Nec in hanc horam defuerunt Operarii ex Ordine Minorum in Asia laborantes, in qua *Sex* adhuc pro tempore diuersas *Missiones* fixas Ordo possidet. Inter quas notissima est illa, quæ sanctam Ciuitatem Hierusalem, & loca ipsi annexa complectitur, vbi FF. Minores miros fructus faciunt, de quibus infrà suo loco. Et ad Asiam quidem pertinent *India* illæ *Orientales*, quas FF. Minores primi occupauerunt; sed cùm vnus ferè fuerit Patrum labor cum iis qui in *America* laborauerunt, eorum Manipulos in Titulum de *America* transferemus.

B. Oderici Naonis peregrinatio, & labor in conuersione Infidelium.

§. II.

De Manipulis in Africa collectis.

NEc Africana tellus libera fuit ab opere & cultura FF. Minorũ: Etsi S. Pater *anno* 1213. Martyrii desiderio flagrans frustrà iter attentarit *Marochium*, infirmitate corporis in Hispania impeditus ne vlteriùs progrederetur: Eo ipso tamen tempore, quo iter in Syriam aggressus est, quinque primos Fratres *Berardum, Petrum, Accursium, Adiutum* & *Ottonem*, ad *Miramolini* regnum *Marochium* misit, qui ad *annum* 1220. primo sanguinis Franciscani irriguo terram illam irrorarunt ad fruges futuras. Quam irrigationem anno sequenti prosecuti sunt alii septem *Daniel, Angelus, Samuel, Donulus, Leo, Hugolinus* atque *Nicolaus* apud Septam Saracenorum vrbem, vt fertilior Domini ager redderetur. Inualuit enim posteà Messis vberrima FF. Minoribus desudantibus, & primorum sanguis Martyrum insignes reddidit Manipulos.

5. Primi Martyres FF. Minorum.

7. Martyres.

Nam (vt ex *Surio* referunt Annales) eo ipso anno quo primitiæ Martyrum in Cœlum illatæ sunt, tantâ pestè & sterilitate regnum *Miramolini* Marochiorum Regis, Deo sic misericorditer judicante, attritum fuit, vt maxima pars gentis illius morte extingueretur: Nec ira Dei Regi pepercit, cujus brachium & latus dextrum, eo ipso anno quo Martyres interfecerat, vsque ad pedes penitus exaruit: Quâ plagâ territi Saraceni glomeratim ad Martyrum Sepulchrum veniam petituri concurrebant, donec Deus & pestilentiæ plagam remitteret, & copioso imbre terram ad priorem fœcunditatem restitueret. Quo miraculo Rex commotus, in Christianos affectu benuolo totus inclinatus, publico Edicto permisit, vt Christiani publicè suæ fidei exercitia celebrarent, & Catholicum Antistitem (modò ex Ordine FF. Minorum esset) haberent, & Romano ritu sibi Ecclesiam construerent. Prout factum est; Nam F. Agnellus siue Agnus sub *Gregorio* 9. Episcopus Marochitarum constitutus est, quo mortuo *ad annum* 1246. *Innocentius* 4. Successorem nominauit *F. Lupum Ferdinandum Dam* ejusdem Ordinis: Quantà verò Christiana fides incrementa in illo regno per FF. Minores susceperit, constat ex Epistolis *Innocentii* tam ad Diœcesanos istius Episcopatus, quàm ad Regem Marochitarum, in qua Pontifex gratias agit Regi, quòd Catholicorum Principum ac Prædecessorum suorum imitando vestigia, qui Marochitanam Ecclesiam multis libertatis priuilegiis munierant, plurimorumque bonorum largitione dotarant, *Non solùm* (ait) *à conatibus & morsibus malignorum, & contrariorum Christianæ fidei defendisti, sed munificentia tua eidem immunitates & libertates non modicas contemplatione diuini nominis dexterâ contulit liberali, & Christianos in terram tuam per dictos Prædecessores tuos introductos extulisti præsidiis, & fouisti beneficiis oportunis* &c. Vbi & exhortatur illum ad fidem Catholicam.

Saraceni post necem Martyrum variè afflictis afficiuntur Christiani.

Marochii admissis Episcopo modo ex FF. Minoribus esset

Hoc porrò *anno* 1246. Pontifex solemnem instituit ex FF. Minoribus Missionem in *Africam* totam: Et scriptis litteris ad *Regem Tunetanum, Regem Ceptæ*, & *Regem Bugiæ*, commendat illis FF. Minores, quos ad prædicandam fidem mittebat. Tantaque fuit spes Messis, vt etiam datis litteris ad Episcopos & fideles per maritimam Hispaniæ constitutos, illis mandauerit, vt FF. Minoribus in *Africa* laborantibus omne subsidium præstarent. Vide Annales ad annum supradictum.

Missio FF. Minorum in totam Africam.

Huc autem referenda est conuersio *Zeytabuceit* Regis Maurorum, qui dum duos Fratres Minores ei Euangelium Christi prædicantes jussisset occidi: Illi ad Martyrium condemnati, oratione ad Christum præmissâ obtinuerunt, vt suo tempore Rex ille conuerteretur; Quod sicut Martyres prædixerunt, ad *annum* 1238. euenit sub Jacobo Aragoniæ Rege, Tunc enim Maurus ille Rex Baptismum à FF. Minoribus suscipiens, illis Palatium suum

Regis Maurorum conuersio prædicitur à FF. Minoribus quos occidit.

ad ædificandum conuentum concessit.

Missio FF. Minorum ad regnum del Congo.

Celebris etiam fuit Missio & ingressus FF. Minorum in regnum del *Congo* in Africa, tempore quo Serenissimus Rex Portugalliæ *Joannes* 2. illud regnum detexit, quod plurimi ex FF. Minoribus statim ingressi, Regi Reginæque Sanctum Jesu Christi Euangelium annuntiarunt tantâ vi Spiritus, vt & Rex & Regina ad fidem

Rex & Regina del Congo conuertuntur.

conversi, ambo sacrâ Baptismatis vndâ ministerio FF. Minorum renascerentur, Regi *Joanni*, Reginæ *Eleonoræ* nominibus impositis. Quos ad veram fidem & sacrum Baptisma secuti sunt filius ipse Regis, & Dynastæ, ac Vasalli Regis innumeri. Fuitque tantus zelus Regis, vt FF. Minorum directione, vniuersa in suo regno Idolorum delubra, ac ipsa Idola deiici, & igne cremari curauerit, Ecclesiis in veri Dei honorem vbique extructis. Diffudit porrò se eodem tempore, eodemque Fratrum Ministerio apud Mazambiquium, Arigolam, & Caput Viride, fides Catholica, plurimis Infidelibus conuersis, & Conuentibus FF. Minorum in locis illis multiplicatis.

Nec huc vsque desunt fructus laborum filiorum S. Francisci in *Africa* circa Infideles, cùm & ibidem ad hunc vsque diem Ordo adhuc *quindecim Missiones* conseruet, & in illis operetur.

§. III.

De Manipulis in Europa collectis.

DE Europa, In frugibus Animarum circa Infideles à FF. Minoribus collectis, cùm tam manifestæ sint, immorari inutile esset. Ex multis igitur pauca accipe: Ad *annum* quidem 1366. *Ludouicus*

FF. Minores quid fecerint in Bulgaria.

Hungariæ Rex, dum *Bulgariam* & finitimas Regiones Infidelium Barbaris Ritibus, & Præstigiis infectas obtinuisset, *Destinatis* (inquit *Hieronymus Platus* suprà) *ad illas octo Franciscanis, non pluribus diebus quàm quinquaginta, ducenta millia hominum ad Christum adduxerunt.* Quo successu impulsus Rex optimus ad Ordinis Generalem diligenter scripsit, vt bis mille Fratres ad se mitteret, quoniam nulli defuturum erat opus.

Quid in Lithuania.

Solemnis etiam fuit ad *annum* 1386. Gentis *Lithuanorum* conuersio; Præeunte *Jagello* Principe, Ducis Lithuaniæ filio, qui *Hedvigem* filiam *Ludouici* Hungariæ & Poloniæ Regis duxerat in Vxorem. Hic enim Jagello cum octo Fratribus germanis, sacris Christianorum mysteriis & Baptismate initiatus, accepto nomine *Vladislai* Gentem Lithuanicam ab errorum & Idololatriæ tenebris expurgare volens, præmisit aliquos FF. Minores idiomatis Lithuanici gnaros, quos ipse cum plurimis viris Ecclesiasticis & Principibus ac Ducibus anno sequenti insecutus est. In hac verò profectione, tanta fuit fidei Catholicæ virtus, vt extincto *Igne* quem pro Deo & Numine colebant, succisis siluis & lucis in quibus Idololatriam exercebant, serpentibus quoque occisis quos honorabant, tota ferè Gens ad Baptismum concurreret: Cumque immensus esset labor

Nota. Qualiter baptisandi multi simul.

ratione multitudinis baptisandorum, nec posset quilibet sigillatim baptisari, jubente Rege, multitudo illa in turmas & cuneos certos diuisa est, & sequestrata; Et cuilibet turmæ sufficienter aquâ per aspersionem ministratâ, baptisati sunt omnes; & quidem *Primæ turmæ* virorum datum est nomen *Petrus*: Secundæ *Paulus*: Tertiæ *Joannes*, & sic de cæteris, fœminis autem per turmas diuisis nomen *Mariæ*, *Catharinæ* &c. Quibus præpositus est primus Episcopus *F. Andreas Vazilo* nobilis polonus ex Ordine Minorum assumptus. Cujus messis reliquias *ad annum* 1410. recollegit *Joannes à Polonia* dictus *Parvus*, qui apud Lithuanos & Ruthenos, ac Tartaros prædicans viginti quinque millia iterum Christo adscripsit, & pro multiplicatione Operariorum ad residuam messem Romam venit.

1. Lithuanorum Episcopus Minorita.

Nec minora operatus est *B. Joannes Capistranus* circa Hungaros (qui referente *Hieronymo Plato* suprà) ad *annum* 1450. vnâ excursione duodecim Infidelium millia Ecclesiæ aggregauit.

§. IV.

De Manipulis in America collectis.

AMericæ vniuersæ primos Operarios à Deo reseruatos ad culturam fidei fuisse FF. Minores, omnes Historiæ & rei successus testantur: Illi primi fuerunt, qui Barbaros illos animos sulco prædicationis penetrarunt: Illi primi fuerunt qui semine Euangelii eos imbuerunt: Illi qui Christi Vineam primi plantauerunt, & sanguine Martirii irrigarunt; quorum laboribus tanta incrementa dedit Deus, vt *Orbis nouus* antiquum *Terrarum Orbem* floribus, fructibus, & omnium spiritualium Charismatum copiâ superasse videretur: multiplicatis postmodùm ex omni Regularium Ordine cooperatoribus.

FF. Minores primi in America Euangelizauerunt.

Superfluum hic esset Nomenclaturam texere primorum Operariorum qui Dei Agri-

Primi in Indiis Occidentalibus.

Agriculturæ in Indiis Occidentalibus manum adhibuerunt: Et quidem Prouinciarum Hispaniæ Patribus primus accessus ingressusque debetur: Hi enim primò, vt Deo propitio, via ad Occiduos Indos pararetur, *Insulas septem* quas *fortunatas* vocant, & à fertilitate Cannarum *Canarias* ante *annum Domini* 1450. ingressi sunt, Insulas illas fidei Christianæ primordiis consecraturi. Inter quos plurimum laborauit *S. Didacus*: Hi *Christophoro Columbo* iter ac Occiduas Indias meditanti, consilio primum & auxilio adfuerunt: Hi cum illo protecti ad *annum* 1453. ad illas transfretarunt, & prima quidem semina Euangelii ita sparserunt, vt variis postmodum Missionibus excrescentes, velut apes mella colligentes communi agmine se per vniuersa illa regna & regiones diffundentes, easque perlustrantes, jam ad *annum* 1531. (vt scribit primus Illustrissimus Archiepiscopus Mexicanus *Joannes à Zumarraga* in Epistola ad Capitulum Generale Tholosanum) Dei gratiâ Religiosorum D. Francisci Regularis Obseruantiæ manibus plus quàm *decies centum millia* baptisata essent, *quingenta* Idolorum templa solo æquata, plus quam *viginti millia* dæmonum simulachra ab his anteà culta, contracta, & concremata, ac plerisque in locis fabricatæ Ecclesiæ, atque Oratoria erecta &c. Et mirandum quoddam subdit: *Et cum* (inquit) *in hac olim Mexicana vrbe solerent plusquam viginti millia corda puerorum puellarumque quotannis in sacrificijs offerri: Nunc humana Corda illa vniuersa non jam Dæmoni, sed Altissimo Deo innumerabilibus Laudis sacrificijs Religiosorum nostrorum doctrinâ & ministerio offeruntur* &c. Consulendus Surius ad *annum* 1524. vbi latè de *B. P. F. Martino à Valentia* inter Operarios quos subministrauit Hispania viro Primate, plurima deducit.

2. Ingressus Patrum Hispanorum.

Quanta ibi fecerint.

Sed nec solis Hispanis Patribus etiam ab initio hæ Missiones cesserunt, cùm & Patres Belgæ non modicam operam in *America* conuersione præstiterint. Nam ad *annum* 1529. à *Carolo* 5. vnà cum *Ferdinando Cortesio* ex Franciscanis missi sunt tres ex Prouincia Flandriæ à Conuentu Brugensi assumpti, quorum primus fuit *F. Joannes de Tesso* quondam Guardianus Brugensis & Gandensis, *F. Joannes de Aora*, vterque Concionator eximius, & *F. Petrus de Mura à Gandauo* siue *de Gand* nuncupatus, eò quòd ex Metropoli Flandriæ Ciuitate Gandensi esset oriundus; qui singuli infinitos penè Infideles Christo pepererunt. Excelluit tamen, Deo dante verbum Euangelisanti virtute multâ, & ex ore simplicis laici laudem suam perficiente, *F. Petrus de Gand*, qui ore verbo, & opere totus in opus ad quod destinatus erat, impensus, in eo quinquaginta annis impletis consummatus est. Officium ejus fuit (vt ipse testatur in Epistola sua ad Belgas *a.* 1529. *mensis Junii* 27. *scripta*) docere, & prædicare noctes & dies: Et in die quidem docebat legere, scribere, & cantare: Nocte autem tum doctrinâ Christianâ, tum Catechismis; tum Concionibus Indos imbuebat. Ipsi enim Fratres in domibus suis vel ad suos muros, filios Nobilium, Principum & Magnatum retinebant, vt eos erudirent: foris autem in vicinia scholas velut Collegia habebant: & ipse *F. Petrus* plus quàm quingentorum puerorum curam gerebat, quibus ad fidem annuntiandam per totam terram interdum ad viginti aut triginta milliaria vtebatur. Tantus porrò fuit fructus, quem *F. Petrus de Gand* Belga in illius regni incolis fecit, vt frequenter cum socio quatuordecim millia, interdum decem, aliquando octo millia, vnâ die baptisarit: de quo dicere solebat *Illustrissimus D. Alphonsus de Montufar*, ex Ordine Prædicatorum secundus Archiepiscopus Mexicanus: *Non ego Mexici Archiepiscopus sum, sed F. Petrus à Gandauo Laicus Ordinis S. Francisci.* In Fratris verò laici humilitate siue laicatu Deo sic disponente pius Vir consummare opus suum, & consumi voluit (etsi à *Paulo* 3. Papa, tunc *ad Corolum* 5. Nuntii Apostolici munus agente, & à *Vincentio Lunello* Generali Ministro, ac ipso Imperatore peteretur ad Sacerdotium) vt diuini nominis gloria magis exaltaretur, qui per Piscatores & simplices homines Orbem primò conuertit.

Ejus profunda humilitas.

Eò etiam missi Patres ex Flandria.

Quis.

Quanta ibi fecerint.

Præcipuè F. Petrus de Gand Laicus 1.

Nec inter Operarios Americæ obliuioni tradi debet F. *Jodocus* siue *Jusius de Rycke* Belga, natiuitate Mechliniensis, Patre *Judoco de Rycke*, Matre *Ioanna de Marselare*, Ordinem S. Francisci in Conuentu Gandensi Prouinciæ Flandriæ professus, qui cum inter primos regnum *Peruanum* esset ingressus, in Ciuitate Regali *de Quito*, vt primus Apostolus *Peruani* regni, fundator & Guardianus primi Conuentus illius Ciuitatis fuit; à cujus regimine & & Conuentu, cæteri Conuentus & Custodiæ in regno *Peruano* principium sumpserunt: Huic socius individuus erat *F. Petrus Gosseal à Louanio* in Conuentu Brugensi ejusdem Prouinciæ Flandriæ Religioni adscriptus: quorum quanti fuerint labores, simul & fructus in conuersione Infidelium illius Regionis, quantaque messis, fidem faciunt litteræ dicti Patris de *Rycke* ad Guardianum Gandensem *anno* 1556. 12. *Januarii* datæ post viginti duos annos habitationis in prælato Conuentu S. Francisci *de Quito*. In cujus laudem ex-

Jusius de Rycke Belga quid fecerit in regno Peruano.

tat in Archiuo Conuentus Gandensis Epigramma Belgico & Hispanico idiomate compositum cum hac Epigraphe ex Psalmo 111. *In memoria æterna erit justus.*

Ps. 111. v. 7. FF. Minores primi in Indiis Orientalibus.

Nec Orientales Indiæ (quæ etsi ad Asiam Majorem pertineant, ex Indiarum communi nomine & sorte, hic adjunctiuè cum America recensentur) alios habuerunt in hac Noui Orbis conuersione à principio Apostolos, quàm FF. Minores, vt constat 1. in quatuor Franciscanis Martyribus ad *annum* 1321. aliis 1322. apud *Thanam* Orientalis Indiæ Ciuitatem pro fide occisis, multis annis antequàm Lusitani illuc penetrassent. Discoopertis autem Regionibus, & illas penetrantibus Regibus Lusitaniæ, In prima nauigatione, quàm Duce *Illustrissimo Petro Aluarez Cabral* anno 1500. instruxerat Serenissimus Rex Lusitaniæ *Emmanuel*, octo FF. Minores viri Religiosi & docti antesignano *P. Henrico à Conymbria* profecti sunt, quorum feruens zelus in prædicatione Euangelii in hoc enituit; Quod septem Sociis Martyrio coronatis, vnus ipse brauium prosequens fundamenta prima *Custodiæ S. Thomæ* in Orientali India jecerit: Quamuis alii, tres tantùm apud *Calicutum* Regis Samorini crudelitate extinctos asserant, cæteris quinque cum *Petro Aluarez* Cochinum peruenientibus. Alii autem ex eodem Ordine Minorum multiplicati successiuè fuerunt per Classes nouas, quas idem Rex *Emmanuel* ad *annum* 1502. & 1505. & 1510 instruxit, & ad Indias illas transmisit: De quibus omnibus Illustrissimus Archiepiscopus Cæsariensis *Christophorus à Capite fontium*, aliquando Minister Generalis totius Ordinis: In Indias (ait) Orientales, quæ hodie Regi Portugalliæ parent, Primi & ipsi FF. Minores prædicandæ fidei causâ longissimâ & periculosissimâ nauigatione trajecêre, vbi multis ad fidem conuersis populis ædificatisque Ecclesiis & Monasteriis quam plurimis, multa Regna, Oppida & Prouincias ac Vrbes Christi Imperio subjugarunt. Quibus consentit *Hieronymus Platus*, vbi enumeratis iis Franciscanis qui in 2. nauigatione cum *Vasco de Gama* profecti sunt in Indias Orientales: *Ab his (ait) initiis, hic Ordo per eas Regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domiciliis, tredecim (vt ipsi vocant) Prouincias instituere, in quibus magnam Christiana rei operam nauarunt & adhuc nauant* &c. Qui posteà Patres Dominicanos recenset ad *annum* 1505. ad easdem Indias profectos, Demùm Patres Augustianos, & postremo Patres Societatis præeunte *S. Francisco Xauerio ad annum* 1541. Quamuis P. Antonius Daça in suo *Chronico 4. p. l. 1. c.* 43. referat solos FF. Minores totis triginta annis in istis Orientalibus Indiis operam suam impédisse. Tantam verò Messem fuisse tradit, vt in sola *S. Thomæ* Prouincia plurimis millibus Infidelium conuersis, Idolis dejectis, centum & quinquaginta Ecclesiæ pauco tempore erectæ fuerint. Et inter cæteras conuersiones enituerit, solemnis illa Imperatoris Magnæ Insulæ *Ceilana* cum Imperatrice & tota Curia, facta per *P. Joannem de Villa Comitis ad annum* 1549. destructis omnibus Idolorum templis.

Quanta ibi fecerint.

Illos ibi secuti sunt Dominicani, Augustiniani, & vltimo Jesuitæ,

Quanta FF. Minores fecerint in Insula Ceilana.

In eadem Insula Ceilana baptisati à Fratribus fuerunt Rex & Regina Terræ de *septem Corlas*, & ad *annum* 1548. Regina de *Beras*, Ad *annum* 1556. *Rex Thanorensis* cum Regina & duobus liberis: *Rex Canarum* cum septuaginta millibus Vasallorum: *Rex Candiæ* ejusdem Insulæ cum Principe Majore natu & Regina Matre ad *annum* 1594. In regno iterum *Infanapatensi* ad *annum* 1613. Hæres *D. Constantinus* in Baptismo vocatus, à *F. Ludouico à S. Didaco* sacro fonte renatus est, cum Regina Matre & duabus filiabus, qui *Constantinus* in Prouincia S. Thomæ Ordinem S. Francisci ingressus Magnus Theologus & concionator euasit; sorores duæ Regulam S. Augustini in Monasterio S. Monicæ Goënsi sunt professæ. Denique in eodem regno Infanapatensi ab *anno* 1624. vsque ad *annum* 1627. per FF. Minores septuaginta Animarum millia; & ab *anno* 1636. vsque ad annum 1646. alia iterum sexcenta Animarum millia fidem Catholicam susceperunt.

Insignes etiam Manipulos messuisse *F. Petrum ab Alphara*, passim Historiæ referunt, qui cum multis Fratribus Discalceatis siue Recollectis cum Lusitana Classe soluens ad *annum* 1575. electus est Custos *Custodiæ S. Gregorii*, & ad *annum* 1578. vsque ad Insulas Philippinas iterum mare traiiciens Conuentum Manilæ extruxit, & postquam cum Sociis idioma Indicum non sine magno labore didicisset, bis centum quinquaginta millia Infidelium nouem annorum spatio Christianæ fidei simul acquisiuerunt.

Quanta in Insulis Philippinis.

Cujus iterum zelus ardentiori igne accensus illum cum tribus aliis Fratribus in *China* regnum transtulit, quo fœliciter appellens *Cătonum*, *Xanchanum* ac *Machaoam* ciuitates lustrauit. In qua postrema celeberrima, ubi Lusitani degebant, Ecclesiam multo eorum applausu ædificantes, primas fruges fertili prædicatione Infidelium conuersorum ad fidem, Deo in *China* regno primitias obtulerunt. Ita Gonzaga in Prouincia S. Gregorii.

Quæ in China.

Nec Japonia culturâ FF. Minorum caruit, ad quam Franciscus à Montilla primus

mus trajecit, qui priùs in Insulis Philippinis, & Orientalibus Indiis multa Animarum millia Christo lucrifecit. Japonicæ verò culturæ vbertatem manifestam, imò & illustrem reddidit B. Petrus Baptista Prouinciæ S. Joseph Discalceatorum Alumnus, qui cum tribus Sociis Legatus pro concilianda pace ad Regem Japoniæ Trycozama Quabacundano à Rege Hispaniarum missus, primò quidem animum Infidelis Barbari sibi suisque conciliauerat, & auctoritate ac munificentiâ regiâ constructis Ecclesiis, Monasteriis, & Hospitalibus, aliisque domiciliis fidem publicè annuntiabat, Adultos Christianâ doctrinâ imbuebat, & plurimos baptisabat. Verùm excitata persecutione, vt Ager ille rore sanguinis Martyrum fœcundaretur, cum sex Fratribus suis & septemdecim Tertiariis Crucifixus & lanceis confossus illustre Martyrium subiit ad *annum* 1597.

Quanta in Iaponia.

B. Petri Baptistæ & Sociorum ejus in Iaponiam Missio.

Eorum Martyrium.

Quos posteà secuti sunt alii, qui verbo & exemplo Japoniorum corda ita inflexerunt, vt sexcenta millia, eorum, qui nomen Christo dederunt numerus excesserit. Inter quos *Richardus à S. Anna* in Prouincia Flâdriæ in Conuentu Niuellensi FF. Minorum Recollectorum professus, ex Municipio de *Han-sur-hure* Leodiensis Ditionis & Diœcesis honestis Parentibus oriundus, qui ad *annum* 1621. cum Sociis *Petro Abulensi*, & *Vincentio à S. Joseph* Prouinciæ S. Joseph, & duobus Tertiariis *Leone* & *Lucio de Freitas* Japonensibus, in vincula conjecti Nagazachy ad *annum* 1622. lento igne, horrendo tormento consumpti sunt. Extat Epistola dicti *P. Richardi à S. Anna*, quam, ipso tempore quo ad supplicium cum Sociis deducendus erat, scriplit Guardiano Conuentus Niuellensis Recollectorum: In qua conuersionem admirabilem & amplissimam Japoniorum refert, cum multitudine Martyrum. Data erat Epistola 1. *Septembris anno* 1622. recepta à P. Theodoro Girinaux Guardiano Niuellensi *anno* 1625. in Archiuo ejusdem Conuentus reposita. Extant & aliæ duæ Epistolæ priores: quarum altera data erat *anno* 1607. *Aprilis* 17. ad P. M. V. *Patrem Joannem Engleberti* suum in Nouitiatu Instructorem: *Altera anno* 1614. 2. *May* ad *V. P. Jacobum de Gand* suum in Conuentu Niuellensi Guardianum: quæ mores Regionum illarum, & sancta documenta continent, meritò opportunè prælo commendandæ.

Quid ibidem fecerit Richardus à S. Anna.

Ejusdem tres litteræ scriptæ quid contineant.

SECTIO II.

Quanta Fratres Minores in schismaticis Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ reuniendis gesserint.

§. I.

De Schismaticis.

VNiuersa Asia & Orientis Regiones, etsi ab Apostolorum prædicatione prima semina susceperint, & in gloriosam messem creuerint, tamquam Agri fertilissimi Primitiarum in Christo Jesu: Ita vt Asia tempore S. Joannis Euangelistæ jam septem celeberrimis Ecclesiis decoraretur, tamquam septem Candelabris aureis, in in quorum medio stabat *similis filio hominis, vestitus podere, & præcinctus ad mamillas zonâ aureâ* habens *in dextera sua septem stellas*, quæ septem Angelos Ecclesiarum designabat, ad quos de Apparentis mandato scribit S. Joannes: Nihilominus decursu temporis, non solum Mahumetanorum siue Saracenorum spurcitiis & infidelitate fœdata fuit, sed & Schismaticorum & Hæreticorum colluuie ita exundauit, vt in paucis (populis & Christianorum reliquiis hinc inde dispersis) vix semina primæ & Orthodoxæ fidei temporibus *S. Francisci* remanerent. Schismate laborabat tota Græcia, quæ eleuato suo Patriarchâ ad apicem regiminis, Caput & Vicarium Christi Summum Pontificem non agnoscebat, & ab vnione Romanæ, Apostolicæ Ecclesiæ, quæ est *Mater Ecclesiarum*, recesserat, multis posteà Hæresibus infecta. *Tanta* porro fuit (teste *Cardinale Hosio* lib. de vtriusque speciei communione) *inter Græcos & Latinos acerbitas, eosque illi vsque ad eò abominabantur propter vnam vnculam ad symbolum Constantinopolitanum adjectam, vt si quando Sacerdotes Latini super eorum Altaria celebrassent, non prius ipsi sacrificare vellent in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lauissent: Quin & baptisatos à Latinis ausu temerario rebaptisare præsumerent. Et lib. de Sacerdotio* scribit Græcos toties doctrinis variis & peregrinis abductos à fide defeciſſe, vt quaterdecies ad Ecclesiæ Corpus redeuntes, totidem vicibus ab ea se præsciderint.

Apoc. 1. vers. 12.

Asia ab Apostolis semen Euangelii suscepit.

Posteà infidelitate varia infecta.

Græci schismatici.

Inter Græcos & Latinos quantum dissidium.

A fide quaterdecies defecerunt.

Præter Græcos in schismate non minorem gradum tenuere *Armeni*, quorum patria à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa multas Regiones obtinet:

Armeni etiam schismatici.

Hi etsi Catholici primùm, variis tamen erroribus abducti, in Schisma tandem desciuerunt, & ab Ecclesia Catholica deficientes sibi Caput præfixerunt Primatem particularem, quem *Catholicum* appellitant, & cui velut Summo Pontifici parent.

Æthiopes inter schismaticos reputantur.

Æthiopia demùm sub Imperatore Abyssinorum Presb. Joanne degens, quamuis veneno Hæresum inspersa, sub Patriarcha tamen Alexandrino Schismatica reputatur: Etsi enim Christiano nomine, & Philippi Apostoli conuersione gaudens etiam singularem ad Christum, & *Romanum* (vt ajunt) *Patriarcham* reuerentiâ habeat, nihilominus illi vt Capiti non adhærent, sed dissectam Ecclesiam sibi formant sub Imperatore suo: De quorum Æthiopum & Abyssinorum cæremoniis & erroribus historiæ consulendæ. Scribunt autem sexaginta duos Reges nomine Christiano gloriari, & isti Imperio schismatico schismaticos subdi.

Ac etiam Georgiani, Iacobitæ, Russi &c.

Illa ergo sunt prima Capita schismaticorum, quibus secundum diuersas Regiones & Dominia permixti sunt, *Georgiani*, *Jacobitæ*, *Russi*, *Bulgari*, *Nubiani*, *Ruthenus* &c. qui cum Infidelitate, Hæresibus, & schismate permixti sint, certæ sectæ assignari non possunt, de illis tamen mixtim aliqua interseremus.

§. II.

Manipuli FF. Minorum in Græcorum reductione ad Ecclesiam Romanam.

FRequentissimos quidem labores susceperunt FF. Minores pro Græcorum reductione à principio Ordinis, & quidem tantæ molis fuerunt reductiones illæ, vt pluribus sæculis in illis laboratum fuerit. Primum igitur horum laborum & fructuum Deo dirigente hoc sanctum auspicium habuit. Ad *annum* enim 1232. Religionis Minorum 25. contigit quinque Fratres Minores prædicationis gratiâ venire in Orientem, qui dum è Turcarum manibus (à quibus verbera, vincula & carceres passi erant) Dei auxilio se eripiunt, Nicæam (quæ est Asiæ & Bithyniæ Metropolis, vbi & Generale Concilium Nicænum contra Arium celebratum est) post multa incommoda peruenerunt, hospitio charitatiuo à *Germano Constantinopolitano Patriarcha* benignè excepti. Cum autem in familiari colloquio super schismate, quo jam pridem Græci laborabant, ansam loquendi Patriarcha præbuisset, magnâ fiducia & sancto feruore de vnione ad Matrem Ecclesiarum Romanam restituenda Fratres illi differentes, animum Patriarchæ tantâ energiâ penetrarunt, vt eorum vita & exemplis pariter motus, vehemens desiderium vnionis conciperet, & extemplò paratum nuntium ad Pontificem Romanum cum ipsis Fratribus Romam mitteret, scriptis grauissimis litteris ad *Gregorium* 9. & Collegium Cardinalium, quarum exemplaria habet R. P. Wadinghus ad annum præfatum *n.* 34. Et hæc fuit occasio *Greg.* 9. hanc vnionem vrgendi tum per Epistolas, tum ad *annum* sequentem 1234. per viros doctissimos: duos ex Ordine Prædicatorum *Hugonem* & *Petrum*: Nec non duos ex Ordine Minorum *Haymonem Anglicum*, qui posteà fuit Minister Generalis, & *Rodolphum*, quos tamquam *Apocrisarios S. Sedis Apostolicæ* ad præfatum Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Imperatorem Græcorum, ac Prælatos destinauit, vt cum eis seriò & efficaciter de vnione agerent: Qui quidem honorificè excepti, tum à Patriarcha cum cœtu Ecclesiasticorum, tum ab Imperatore, tamquam S. Sedis Legati, sua quidem modestiâ Legatorum honores respuerunt, cùm sub simplici *Apocrisariorum* nomine se missos assererent: De vnione tamen efficaciter tractare cœperunt. Et solemniter habitis publicis Collationibus in Palatio Imperiali, duos Articulos primò proposuerunt: Alterum: De *Processione Spiritus sancti à Patre & Filio*: Alterum: De *Consecratione Eucharistiæ in pane Azymo*: Quos Græcis contranitentibus, aperte tum ex Scriptura, tum ex ipsis Patribus Græcis, juxta Ecclesiæ latinæ professionem doctissimè probarunt, & per modum *Professionis communis fidei* à se signatæ Patriarchæ, & Imperatori, ac toti Cœtui legendam exhibuerunt. Verùm Patriarcha cùm se claritate doctrinæ premi videret, ad dilationes confugiens, negotium hujus vnionis communicandum duxit Confratribus suis Patriarchis *Hierosolymitano*, *Anthiocheno* & *Alexandrino*: quòd tandem post multas altercationes factum est, congregata Synodo ad Ciuitatem Nymphæ ad portum Euxinum, vbi iterum *Apocrisarii* omnes neruos intenderunt vt Græcos conuincerent: Verùm re adhuc immaturâ, tumultu excitato, vnione infectâ coacti sunt recedere: Patriarcha quidem & Imperatore vnionem desiderantibus, si Anthiochenus & alii majori vi & velut seditione commotâ non obstitissent. Latissimè hæc omnia deducunt & doctissimas Apocrisariorum, Dissertationes & Conclusiones referunt Annales ad *annum* præfatum 1234. *n.* 8. & seqq. quæ curio-

FF. Minores primo inceperunt Græcos reducere ad vnionem Romanæ Ecclesiæ.

Ad hoc Missi Apocrisarii.

Qualiter excepti.

Articuli difficultatis propositi & disputati.

Quid effectum.

so

so Lectori non displicebunt.

Re primò infecta Negotium denuò resumpserunt.

Nec propter hæc cessauit zelus conceptus reducendi Græcos ad Ecclesiæ Matris Vnionem: Secundò itaque ad *annum* 1247. *Innocentius* 4. resumens arduum illud negotium *F. Laurentium* Ordinis Minorum legatum suum in Orientem per *Graciam*, *Armeniam*, *Iconium*, *Turchiam* mittens: Illum etiam ad Græcos omnes, tam in regno *Cypri*, quàm in Patriarchatu *Anthiocheno* & *Hierosolymitano* destinauit, ei commendans singulariter, vt in reductione *Græcorum* labores à suis antecessoribus relictos resumeret: Et quia latini Græcis molesti fuerant, monuit vt omnes infestationes à latinis Græcis illatas omninò sedaret, ac pro illis satisfieri prouideret (vt constat ex litteris Pontificis datis Lugduni *Nonis Iunii Pontif. anno* 4. Item ex datis ibidem 7. *Idus Augusti Pontif. anno* 5.) In hoc igitur negotio dum dictus F. *Laurentius* strenuè laborat, eo quidem fructu vt Imperator ac Patriarcha jam inclinarentur, nec abhorrerent vnionem: *Innocentius* 4. de his certior factus, vt majori cum auctoritate res perficeretur, *anno* 1249. solemni legatione ad vnionem concludendam amandauit *B. Ioannem Parmensem* Totius Ordinis S. Francisci Generalem Ministrum, quem etiam sub Titulo *Angeli Pacis* scriptis ad Imperatorem & Patriarcham Epistolis insigniter commendauit.

Ioannes Parmensis ad hoc destinatus quàm gratè acceptus

Quanta verò cum reuerentia dictus Pater Generalis à Græcis vt verè *Angelus Pacis* exceptus sit, testantur Epistolæ ad summum Pontificem ejus rei nuntiæ ab Oriente transmissæ: quas vt accepit (referente Petro Rodulphio) magnâ lætitiâ & voluptate perfusus est summus Pontifex cum tota Curia, ita vt seipsum capere non posset, dixitque multis adstantibus: *Dilatatum* (inquit) *est cor nostrum præ gaudio vehementi, audito quòd prudens Græcia nouo superioris irradiata sydere fulgore, gratanter accepit Fratrem Ioannem* &c. Nec mirum cùm (vt *S. Antoninus* & alii) Græci tanta in viro Dei sanctitatis & diuinæ sapientiæ signa viderent, vt non jam putarent hominem quempiam prudentem & eruditum videre, sed ex antiquis Patribus & Doctoribus vnum, siue aliquem ex Christi Discipulis. Quæ omnia effectus secuti docuerunt.

§. III.

Prima vnio Ecclesiæ Græcorum cum latina in Concilio Lugdunensi.

EX hac interim legatione profecta est tandem Vnio illa solemnis Ecclesiæ Græcæ cum Latina in Concilio Lugdunensi sub *Greg.* 10. ad *annum* 1274. tardioribus quidem passibus, sed exitu fœlici.

Ad vnionem Ecclesia Græca cum Latina quinam FF. Minores allaborauerint.

Disposuerat sanè & velut concluserat futuram hanc vnionem sub beneplacito summi Pontificis & Ecclesiæ Latinæ *B. Ioannes de Parma* cum *Ioanne Duca* Imperatore Græcorum in Asia, & *Manuele* Constantinopolirano Archiepiscopo, ac aliis Prælatis Orientis, super qua Imperator & Patriarchæ legationes honorificas ad Pontificem instituerant: Et *Apocrisariis* in itinere spoliatis, ipse *B. Ioannes de Parma* Articulos vnionis Romam detulerat, & à Concilio Cardinalium (etsi in nonnullis conditionibus parùm consonos) approbari procurauerat: Verùm morte *Innocentii* 4. superueniente, dum negotium prosequitur *Alexander* 4. ad *annum* 1256. etiam è viuis sublatus est. Et cùm iterum Tractatum vrgeret *Michael Palæologus*, & *Vrbanus* 4. illum per FF. Minores à *S. Bonauentura* selectos prosequitur, etiam fatis cedit, Sede Apostolicâ per tres annos vacante: Donec *Gregorius* 10. electus, & per litteras congratulatorias ab Imperatore *Palæologo* salutatus, indicto Concilio Lugdunensi per FF. Minores vnionis conclusionem vrsit: Præcipui illi fuerunt F. *Hieronymus Asculanus*, qui Cardinalis factus ad Pontificatum assumptus est: Et F. *Bonagratia Dalmata* qui ad *annum* 1274. cum Plenipotentiariis, & sex Viris primariis, *Germano* olim Patriarcha Constantinopolitano Imperatoris Consanguineo, *Georgio Acropolita*, *Magno Logotheta*, cum *Metropolita Nicæno*, & *Primate Bythyniæ*, ac *Nicolao* Imperii Camerario, & altero ex Aula Imperatoris præcipuo Lugdunum peruenerunt: Qui omnes à Concilii Lugdunensis Patribus summo honore, summâ omnium exultatione, cum vniuersi populi applausu sunt excepti. Et lectis coram vniuerso Concilio Litteris tam Imperatoris, quàm omnium Metropolitarum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Græciæ, qui in vnam sententiam super Vnione cum suis Synodis conuenerunt, & rè benè in Concilio consultâ: Primùm quidem in festo Apostolorum Petri & Pauli assistentibus

B. Ioannes de Parma.

S. Bonauentura.

F. Hieronymus Asculanus.

F. Bonagratia Dalmata.

tibus Græcis, ſolemnis Miſſa cantata eſt, & propoſita fidei Norma quam Græci deberent profiteri: Poſteà in Octaua Apoſtolorum ad ſextam Julii: Profeſſionem fidei & Obedientiam ad Romanam Eccleſiam cum recognitione Primatus, Græci emiſerunt, & inter alios, nomine Imperatoris & ejus filii, Magnus Logotheta ſingulariter fidem & Obedientiam eſt profeſſus: Sicque Vnio Græcorum cum Eccleſia Latina, in qua tam frequenter, & tam diu laborauerunt FF. Minores, totius Eccleſiæ gaudio concluſa eſt. Ad hanc porrò in Concilio concludendam, multum contulerunt *S. Bonauentura*, & *Vicedominus de Vicedominis* Cardinales ex Ordine Minorum aſſumpti, qui Pontifici in omnibus aſſiſtebant; Vnde & primam Concionem habuit *S. Bonauentura* propoſito themate *Baruch* 5. *Exurge Hieruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente ſole vſque ad Occidentem.* Qui in eodem Concilio magnâ omnium conſternatione ſanctiſſimè obiit.

Baruch. 5. verſ. 5.

§. IV.

Vnio 2. Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Perſona Imperatoris.

Vnionis illâ priore fractâ, denuò FF. Minores laborant ad aliam faciendâ.

ET hæc prior quidem vnio aliquo tempore viuente *Michaele* Palæologo & Andronico ejus filio inualuit: Verùm iterum Græci ad ſua ſchiſmata relapſi ſunt: Nec propter hoc defecit zelus ſummorum Pontificum. Nam & ad *annum* 1333. F. *Gratia Arnaldi* ex Ordine Minorum à nobiliſſimâ *Ioannâ* Imperatrice Græcorum, quæ maritum *Ioannem Cantacuzenum* Imperatorem ad vnionem cum Latina Eccleſia ſollicitabat Romam miſſo iterum apud *Ioannem* 22. de vnione actum eſt, & de miſſione F. *Gerardi Odonis* Miniſtri Generalis, ſed cùm mors ſubſequens dicti Patris legationem iſtam ſuſpendiſſet, dilata eſt legatio vſque ad *ann.* 1349. quo poſtulante Joanne Cantacuzeno Imperatore, miſſi ſunt à Pontifice F. *Guilhelmus Mantacocchius* Franciſcanus, & F. Gaſpertus Dominicanus Epiſcopi, vt niterentur ad vnionem & concordiam, Eccleſiam Græcam cum Latina iterum reducere; eſtque tunc ab Imperatore propoſita celebratio Synodi in loco aliquo maritimo contermino Eccleſiæ vtriuſque, ſed ſcriptis ab vtraque parte litteris, res dilata eſt vſque ad tempora *Innocentii* 6. ad *annum* 1356. quo *Ioannes Palæologus* Imperator, pulſo *Ioanne Cantacuzeno*, denuò reſumpſit poſtulationem vnionis, miſsâ ſcripto fidei Confeſſione, quam in ordine ad vnionem reparandam intendebat præmittere: Ad quem pariter remiſſi ſunt ex Ordine Minorum F. *Petrus Pactenſis* Epiſcopus, & F. *Guielhelmus Siſopolitanus*, vt ab illo dictam Confeſſionem fidei publicè reciperent: Quam ipſe *Ioannes Palæologus* à FF. Minoribus perſuaſus Romam perſonaliter veniens, ad *annum* 1369. ſub *Vrbano* 5. coram quatuor Cardinalibus ab eo deputatis Commiſſariis, publicè in Eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, tanquam Vniuerſi Orbis theatro, præſente *Paulo Patriarchâ Conſtantinopolitano*, abjurato ſchiſmate, ex formula Romanæ Eccleſiæ emiſit, idiomate tamen Græco: Hoc ipſo Actu vniuerſos ſibi ſubditos Eccleſiæ Latinæ reuniens & conjungens. Interpretabatur autem præmiſſo Iure Iurando Profeſſionem Imperatoris, & aliorum Græcorum, qui abjurato ſimiliter Schiſmate in eadem verba jurabant F. *Antonius Athenienſis* Minorita, vertens Profeſſionem græcam in latinam: Cujus Profeſſionis publicæ inſtrumenta in Archiuo Montis Hadriani in poſteriorum memoriam reſeruantur.

Græci relapſi iterum reducuntur operâ FF. Minorum.

Iterum relabuntur.

Hanc igitur Profeſſionem tenebat *Ioannes Palæologus* Imperator: verùm effectum vnionis in populo ſuo non ſatis vigilanter promouebat, ſed Græci promiſcuè in ſuis erroribus deliteſcebant. Vnde iterum *Gregorius* 11. deputatis duobus Nuntiis, Altero Ordinis Prædicatorum, Altero Ordinis Minorum, miſit ad *Palæologum* pro vnione promiſſa in populo ſtabilienda: eò maximè quòd qui Latinis nomen dabant, ab aliis Græcis moleſtias paterentur: In qua re non modicam operam impenderunt præfati Nuntii; quamuis poſteà Græci ſuâ inſtabilitate iterum ad Schiſmata ſua redierint.

§. V.

Vnio 3. totius Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino

Denuò per FF. Minores reuniuntur in Concil. Florentino Annales ad annum 1437. n. 2. & 3.

NEc hîc quieuit Mater Concordiæ & Pacis Romana Eccleſia, donec iterum tota Eccleſia Græca reuniretur, quæ ſolemnis vnio facta & conclamata eſt in Concilio Florentino ſub *Eugenio* 4. ad *annum* 1439. Ad quam non modicam impenderunt operam FF. Minores, maximè *R. P. Guilhelmus de Caſali* Miniſter Generalis, cui cum decem Patribus ad hoc electis doctrinales concurſus ad hanc vnionem neceſſarios Pontifex demandauerat, Diſpoſuerat etiam ad iter in Europam aggre-

grediendum Concilium Generale, Græcorum Imperatorem, *F. Bartholomæum de Tao* vir doctissimus & piissimus, & *Albertus de Sartiano* ad hoc ab Eugenio 4. missi, qui simul cum Imperatore in Italiam sunt reuersi.

S. Bernardinus in Concilio Florentino quid fecerit.

Interfuit huic Concilio Florentino *S. Bernardinus* Senensis colloquiis priuatis, & publicis prædicationibus Græcos ad Vnionem exhortans: De quo illud mirabile fertur; Quòd cùm Græcum idioma non calleret: in feruore spiritus Deum deprecatus, vt qui Apostolis Linguarum donum ad conuersionem Gentium distribuerat, Græcis saltem eorum quæ dicturus erat, intelligentiam præberet: Auditus est à Græcis Græcè de Catholica fide prædicans, tantâ quidem energiâ, vt non solùm tamquam *Natiuus Græcus* audiretur, sed & corda Græcorum Mirabiliter penetraret: siue Deo linguam mouente, siue in auribus miraculum operante, eo modo quo Jerosolymis vnusquisque eodem momento linguam in qua natus fuerat, audiebat. Sic Græci in hoc Concilio ad Vnionem redierunt.

Græcam linguam non callens, à Græcis prædicans intelligitur.

§. VI.

De Reductione Armenorum ad Ecclesiam Romanam per Fratres Minores.

IN hoc etiam Concilio reducti sunt Armeni, ad quos ante biennium *Eugenius* 4. miserat ex Minoribus FF. *Franciscum* & *Ludouicum Bononienses*, nec non *F. Jacobum de Primanditiis* Vicarium Generalem Obseruantium, vt illos ad Concilium Generale inuitarent, quod tantâ efficaciâ effectum est, vt comite *B. Joanne Capistrano* (qui ex Oriente, quò amandatus fuerat à Pontifice, reuertebatur) iter ad Concilium Maturauerint, & in fide Catholica Romana instructi, ipsam fidem, publicé confessi fuerint, & se Matri Ecclesiæ Romanæ in perfecta Obedientia vnierint. Et hi quidem postremi Manipuli Armenorum Ordini Franciscano debebãtur: quippe quorum operâ jam Armenia ad fidem reducta sæpius fuerat, tum per eos quos Pater *Bonagratia* Generalis ad illos 1284. miserat, tum per *P. Joannem de Monte Corsino* sub *Nicolao* 4. vt constat ex Epistola 50. Regesti Vaticani: tum per eos quos *P. Raymundus Gaufredi* ad postulationem Regis Armeniæ iterum destinauerat *ad annum* 1290. ob amplam Messem eorum qui ad Christianam fidem accedebant. De quibus videantur Annales Minorum ad citatos annos.

Armenia sæpius reducta ad fidem per FF. Minores.

Nec modica apud Deum & Ecclesiam Franciscanæ Religionis gloria fuit: quòd (vt refert Pisanus conf. 8. S. Antoninus Tit. 24. c. 9. §. 13. Hieron. Platus l. 2. de Bono Stat. Relig. c. 26.) *Joannes* Armeniæ Rex, conceptâ ad S. Franciscum & ejus Fratres mirâ pietate, relicto suo Nepoti *Leoni* immenso Regno, cui suberant viginti quatuor Regès diademate coronati, Ordinem S. Francisci intrauerit, & in eo Professionem emiserit, *eligens abjectus esse in domo Domini*, & Baltheo Regali dissoluto, paupertatis funiculo præcinctus Deo seruire, qui tot Regibus imperauerat. Et ne feruore aliquo peregrino aut nouitio, vel animi pusillanimitate id fecisse putetur, Auditur Heroicum factum: Cùm postea Turcæ in Armeniam irrupissent, nec illis *Leo* Nepos, cui Regnum dimiserat, resistere posset: *Joannes* Dei & fidei Causam agi videns, ampliori feruore, non Ordinem assumptum dimisit, sed armis & loricâ nouo more super Tunica Franciscana indutus, magnâ strage hostes fidei è finibus Armeniæ ejecit, & sanguinem profundens, Deo Athletam suum coronare volente, in pugna gloriosè occubuit. Latiùs Annales ad *annum* 1294. n. 11.

Joannes Rex Armenia fit F. Minor.

Ejus heroicum factum.

§. VII.

De Reductione Iacobitarum & aliorum Schismaticorum Orientalium per FF. Minores.

POrrò tanta fuit sollicitudo Pastoralis *Eugenii* 4. in Concilio Florentino, vt statim Vnione Græcorum & Armenorum perfectâ, de reducendis Æthiopibus & Indis Orientalibus ad Ecclesiæ gremium, antè Concilii Florentini finem cogitauerit. Et de facto B. *Albertum Sartianum*, qui cum Græcis redierat, vnà cum aliquot FF. Minoribus ad Patriarchas illarum Regionum & Cophtos (Christiani sunt circumcisi vulgò dicti Christiani præcincturæ) nec non & ad Thomam Indorum, & Presbyterum Joannem Æthiopum Imperatores datis litteris misit, si quo modo ad Ecclesiæ Romanæ vnionem illos reducere posset. Nec inutilis illa Missio fuit Ecclesiæ Dei: Etsi enim iter prosecutus ad Cayrum vsque, a Sultano Babyloniæ impeditus fuerit, ne ad Æthiopes & Indos progrederetur, tamen ex Sociis suis aliquos non sine fructu misit, & ipse ingentem Jacobitarum Gentem, durante adhuc Florentino Concilio, per suos Commissarios ad Gremium Ecclesiæ, & Vnionem ac Re-

Jacobita reducuntur ad Rom. Ecclesiam per FF. Minores.

cognitionem Matris Ecclesiæ Romanæ reduxit; super quibus videat studiosus Lector Annales ad *annum* 1441. *n.* 2.

§. VIII.

De Actis FF. Minorum circa reductionem aliarum Nationum.

NAtiones Orientales infectas partim schismate, partim Infidelitate Paganica, partim Hæresibus fuisse, sat superque in Superioribus ex Historiis constat: Ad quas omnes FF. Minores à principio missi juxta conditionem illarum vel populorum qui permixti erant, multam operam præstiterunt: Alios à schismate ad Obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducentes: Alios à Paganismo ad fidem, & Sanctum Baptisma convertentes: Alios ab Hæresum erroribus prædicatione & exemplo extrahentes: Vnde est illa Bulla solemnis *Alexandri* 4. *ad annum* 1258. quæ incipit: *Dilectis Fratribus de Ordine Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, Majoris Hungariæ, Christianorum captiuorum apud Turcas, aliarumque Infidelium Nationum Orientis, seu quatruncumque partium proficiscentibus* &c. *Cùm hora jam undecima* &c. *Data Viterbii* 12. *Kal. Maij Pontif. anno* 4. In quibus Pontifex necessariam auctoritatem ad prædicta FF. Minoribus elargitur.

Ad quas Nationes convertendas, instruendas & reducendas FF. Minores Missi fuerint.

Ex quibus certum est *Bulgaros*, *Jacobitas*, *Georgianos* à schismate & erroribus aliquoties operâ FF. Minorum fuisse reductos. Super quibus videri possunt Annales ad *annos* 1245. *n.* 14. 1247. *n.* 9. & 10. 1352. *n.* 1. 1354. *n.* 1. 1372. *n.* 31. & 32. 1374. *n.* 6. 1442. *n.* 10.

Sed & ad Abyssinorum Imperatorem *Presbyterum Joannem* Schismaticum, Minores Legationem obiuisse constat ex Annalibus ad *annum* 1441. & 1480. *n.* 9.

P. Gripho Flander qualis.

Præclara porrò fuit reductio Maronitarum per B. M. *Patrem Griphonem* natione *Belgam Flandrum*, S. Theologiæ in Academia Parisiensi aliquando Professorem, qui zelo fidei accensus ad *annum* 1430. devotionis causâ ad loca Redemptionis nostræ, Hierosolymam proficiscens, dum Nationum circumcircà habitantium, & vndequaque aduentantium errores notauit, totis septem annis se ad addiscendum Græcum & Arabicum idioma contulit (quamuis Theologus Magnus & Theologiæ Magister & Professor) quibus perfectissime acquisitis, *Maronitas* aggressus, illos à suis erroribus expurgatos ad obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ reduxit, & resistentem eorum Principem ipsorum conuersioni ac reductioni, miraculo famosissimo in festo Assumptionis B. Virginis conuicit: Dum enim eo concionante sol ad occasum pergeret, ad Principem conuersus, ei si credere vellet, retrogradationem solis obtulit, & coram toto Auditorio conspiciente effecit, vt Sol ad Orientem regrederetur. Vnde conuerso Principe, & Gente vniuersa (quæ totum ambitum Montis Libani per septingenta millia passuum obtinet, & per Patriarchatum Anthiochenum, Cypri Insulam, & Ciuitates Damasci, & Aleppi dispergitur) eos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reduxit. Quod quidem Miraculum perpetuâ solemnitate quotannis ab illis recolitur. Porrò excolendæ huic Nationi dictus *Pater Gripho Flander* totis viginti quinque annis insudauit, & secundò Romam ad *Calixtum* 3. pro hujus Nationis salute veniens consecratus est ab eo Episcopus, ac *Maronitarum Patriarcha*: de quo Annales ad *annum* 1475. & latè Marcus Vlyssiponensis 3. p. *Chron. l.* 3. *c.* 38. Wilotus in Athenis Virorum Orthodoxorum. Qui tandem in extrema senectute ad aliorum Conuersionem progrediens, in itinere lentâ morte conficitur ad *annum* 1475.

Tendit Jerosolymam

7. annos impendit pro addiscendo idiomate Græco &c.

Reducit ad Ecclesiam Romanam Maronitas Miraculo raro.

Postquam laborauerat 25. annis à Papa consecratur Episcopus.

Moritur.

APPENDIX.

De Societate Peregrinantium propter Christum.

QUanto autem zelo Ordo Minorum Reductionem Schismaticorum, sicut & Conuersionem Infidelium zelauerit, constat ex præclara illa societate, quæ dicta est *Societas Peregrinantium propter Christum*, quæ quidem incæperat sub *Innocentio* 4. ad *annum Christi* 1252. Incrementa verò non modica sumpserat sub *Joanne* 22, *Gregorio* 11, & *Vrbano* 6. In societatem enim velut in aginen quoddam sacræ Militiæ, auctoritate Apostolicâ fulti, conuenerant plurimi Fratres Ordinis S. Francisci, qui zelo fidei accensi Regiones permixtas schismaticis, Infidelibus & Hæreticis, maximè *Ruthenorum*, *Valachorum*, *Tartarorum*, *Saracenorum*, *Paganorum*, *Cretorum*, *Bulgarorum*, & aliarum *Orientis* & *Aquilonis* Nationum peragrabant, miro fructu semen Verbi Dei seminantes. Qui vt firmiùs sanctum hoc opus perficere possent, habebant Vicarium vnum Generalem

Societas Peregrinantium propter Christum qualis.

neralem, Ministri Generalis vices agentem, & magnis Priuilegiis Apostolicis suffulti Cœnobia & Congregationes sibi constituebant, & ne aliquid eis deesset Archiepiscopos & Episcopos ex suis à S. Sede nominatos habebant, quorum auctoritate in suis Ministeriis fulciebantur: Sic opus Dei magnificabant, Oues errantes ad Ouile Matris Ecclesiæ reducebant; ingenti quidem messe, & magno Animarum solatio: vt constat ex litteris Apostolicis *Gregorii* 11. quæ incipiunt: *Exhibita nobis* &c. *Datis Anagnine 16. Kal. Decemb. Pontif. anno* 1. ad *Nicolaum de Crosna* Vicarium Russiæ Ordinis Minorum: Et aliis ad Archiepiscopum Gneznensem, & Cracouiensem ac Czeratensem Episcopos quæ incipiunt: *Justis petentium desideriis*: *Datis eodem loco, mense & anno.* In quibus dictam *Societatem Peregrinantium* commendat, & contra quosdam qui eos impedire in sancto illo opere volebant, protegit, & vt protegantur mandat. Et quidem *Bonifacius* IX. ad *annum Christi* 1339. Amplissimam aliam dedit Bullam quæ incipit: *Exultat cor nostrum in Domino Jesu Christo* in qua mirabiliter fructus hujus *Societatis* extollit, & contra quendam *Ioannem Presbyterum Vratislauiensem* in Terra Lembur gæ Diœcesis Halicensis illi aduersantem defendit & propugnat. Data erat hæc Bulla *Romæ apud S. Petrum* 8. *Idus Januarii Pontif. anno* 10. Vide Annales ad supradictum annum. Vbi & alia Bulla ejusdem Pontificis pro eadem Causa, ad Ministrum Prouincialem Hungariæ refertur, quæ incipit: *Dum sancta Mater Ecclesia.* In qua iterum fructus Fratrum hujus *Societatis* mirificè laudantur. Et ad *annum* 1403. Idem Pontifex ne labores istius sanctæ *Societatis* impedirentur, cùm Priuilegia nonnulla Regularium reuocasset, singulari Bullâ declarauit in istis Reuocationibus minimè comprehensam *Societatem Peregrinantium Fratrum.* Bulla incipit: *Decens reputauimus. Data* 8. *Idus Februarii Pontif. anno* 14. In qua dictam Societatem iterum multùm commendat.

Quæ Societas magno Ecclesiæ Romanæ augmento durauit vsque post annos & tempora *Martini* 5. cujus Litteræ reperiuntur, *Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum professoribus Societatis Peregrinantium nuncupatis in Russia, Podolia & Walachia minoris* partibus commorantibus, quæ incipiunt: *Sacræ Religionis* &c. Datæ *Tiburi* 5. *Idus Iulii Pontif. anno* 4. qui erat *annus Christi* 1421. In quibus in gratiam laborum & fructuum ex eorum conatibus aduenientium eis permittitur vbique Ecclesias, Oratoria cum Campanis & Campanilibus, Cœmeteria &c. accipere & extruere, Episcoporum consensu minimè requisito.

Quem fructum faciebat.

Illam Pontifices laudant & defendunt.

Aliorum Priuilegia reuocata, hujus Societatis Priuilegia non reuocantur.

Quanto tempore duraverit.

SECTIO III.

Quantis laboribus, & quibus fructibus Hæreticos ac eorum Hæreses FF. Minores infectati fuerint.

ORdinem sub fidei Catholicæ Romanæ vexillo S. Franciscum instituisse Regula ipsa c. 2. in receptione Nouitiorum manifestè declarat, dum primam conditionem ingredientis ad Ordinem ponit, vt Ministri Candidatos *examinent de fide Catholica & Ecclesiasticis Sacramentis.* Nec vllos admittant, nisi *Hæc* (inquit) *omnia credant & velint ea fideliter confiteri, & vsque ad finem firmiter obseruare*, etiam (vt explicat S. Bonauentura) *vsque ad Martyrii testimonium, & sanguinis effusionem*: Ita vt pro fide Catholica vltra mille quingentos Martyres Franciscani ex nunc numerentur qui sanguine suo Ecclesiæ militantis agrum fœcundarunt.

Ordo S. Francisci fundatus in fide Catholica.

F. Minor debet esse paratus ad Martyrium.

Quos Martyres Franciscani.

Et hæc fuit vna ex primis causis, Cur hic Minorum Exercitus sub Francisco Duce sit conscriptus, vt contra Hæreticorum furias Ecclesiam Dei defenderet: Vnde & de eo canit Ecclesia: *Franciscus vir Catholicus, & totus Apostolicus Ecclesiæ teneri fidem Romanæ docuit*: Qui & in suo Testamento sanxit, vt si aliquis ex suis in suspicionem Hæresis deuenire contingeret, *& non esset Catholicus*, vinculis constrictus Cardinali Protectori sisteretur. Et antiqui Historici narrant duos illos celeberrimos Ordines Prædicatorum & Minorum dictatoribus *Dominico* & *Francisco* contra Hæreticos primò directos: *Prædicatores* quidem contra *Albigenses*: *Minores* autem contra *Valdenses* siue *Pauperes de Lugduno* & *Humilium* sectam, quasi ex natura Status: Vnde Abbas *Vespergensis* & *Ciaconius* ad *annum* 1212. Iub *Innocentio* 3. *Contra has* (inquit) *sectas Sancti Patres Dominicus Prædicatorum & Franciscus Minorum Ordines, per hæc tempora fundarunt*: *Franciscum quidem contra Pauperes de Lugduno: Dominicus contra Albigenses, quorum oppugnationem communicatâ operâ susceperunt* &c. Et Carolus Sigonius de Regno Italiæ: *Circa hæc tempora* (ait) *quæ terris hominum flagitiis, diris populorum inimicitiis, ac nefandis hæresibus, propè fuerunt infamia, hoc vno Bonis Dei beneficio floruerunt viri aliquot præstantes: Dominicus Calarogitanus Oxomensis Diœcesis in Hispania*: & *Franciscus Joannes* ante conuersionem suam dictus *Assisias* in *Italia* per hoc

Ordo Minorum datus contra Hæreticos.

Quos.

tempus *asperitate vitæ, rerum humanarum contemptu, & Verbi diuini prædicatione hominum in se ora, & oculos vertere incæperunt.*

Quam appositè Ordo Minorum oppositus fuerit Vvaldensibus.

Appositè autem *Ordò Minorum Pauperibus de Lugduno* oppositus est: quia sub titulo Euangelicæ Paupertatis *Vvaldo Lugdunensis Ciuis* eorum Auctor venditis omnibus bonis, eorumque pretio in pauperes erogato, etnentito nomine Euangelicæ Paupertatis, suas Hæreses pernicioſissimas fundauerat, & Ecclesiæ Sacramenta, Cœremonias Sacras, & Obseruationes omnes dissipare conatus fuerat, carni per omnia adhærens & indulgens: Cui Hæresi Vita & Regula FF. Minorum maximè opponebantur. Vniuersis porrò Hæresibus Ordo Franciscanus se, vbi licuit, opposuit, & in hunc diem fertilissimâ Messe se opponit, ita vt vix Manipulos distinguere possimus, cùm omni tempore in vniuerso orbe indefessi operarii in Hæresum extirpatione semper laborauerint, & vsque modò laborent: Nihilominùs selectos aliquos Manipulos dabimus ex singulis sæculis vsque ad hæc tempora collectos.

Ordo Minorum contra omnes Hæreticos se opposuit.

§. I.

Manipuli primi sæculi Ordinis Minorum in Conuersione Hæreticorum.

S. Antonius de Padua insigni miraculo conuertit Hæresiarcham.

INter Manipulos primi sæculi Ordinis Minorum excelluerunt illi, quos circa annum *Christi* 1225. multâ Messe collegit *S. Antonius Paduanus* tum in Gallia circa Tholosates, tum in Italia Arimini Romaniolæ oppido in quibus Hæresiarcha ille *Guialdo* cum suis, verbis & prædicatione S. Viri conuictus, tandem ejus pertinacia perseuerans perfracta fuit, Cum ad imperium S. Antonii mulus per plures dies ex industria ab Hæreticis absque pabulo detentus & famelicus coram toto populo in publico foro Christum in Hostia Eucharistica adorare jussus vt Christum purissimam Auenam sibi propositam fame præmente resipuit. Quo quidem Miraculo, & Hæresiarcha ille abjuratâ perfidiâ cum parentela & Assecliis ad veram fidem conuersus est, ædificatâ Ecclesiâ insigni in honorem S. Petri, de quo Petrus Rosettus antiquus Auctor versus hos reliquit:

Hæresiarcha conuersus extruit Ecclesiam.

——— *Sacris laudem se fontibus ipsum*
Et natos jubet, & pariter cum Conjuge natas
Lustrari, totamque domum seruire Tonanti &c.
Sumptibus immensis Petro sublimia Templa
Condidit &c.

Boniullum etiam Hæresiarcham per triginta annos Hæreses suas commentantem ad meliorem mentem reduxit, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ restituit: Nec prodigiosum illud miraculum silentio prætereundum est, de quo *Speculum Sociorum S. Francisci* p. 2. c. 52. Dum Arimini Hæreticis illum audire ampliùs nolentibus, ad alueum fluminis quod Ciuitati adlabitur, Sanctus omnes prouocans: Ibi piscibus vndequaque confluentibus. & miro ordine accestibus concurrentibus prædicauit verbum Dei, Cui pisces velut rationabilia animalia applaudentes, tamdiu illum audierunt, donec benedictione Viri Dei acceptâ, velut festiuo gaudio recederent. Tanta porrò fuit virtus hujus miraculi, vt stupentes Hæretici illum deinceps efficacius audirent & Sectarii plurimi fidei Romanæ nomen darent. Ex diuersis verò similibus actibus & continua Hæreticorum infectatione S. Antonius: *Indefessus Hæreticorum Malleus* antonomasticè vocatus est. Cujus mallei virtutem expertus est ad *annum Christi* 1231. *Ecelinus* Tyrannus, qui copiis à *Frederico* 2. acceptis in Transpadana Italia Tyrannidem suam per annos circiter viginti exercuerat, & quem vti *Ecclesiæ Hostem, Tortorem Christianorum, Interfectorum sexaginta Fratrum Minorum*, & aliorum plurimorum fidelium, pro Hæretico *Alexander* 4. condemnauerat. Ad quem cùm venisset *Antonius Paduanus*, & ei verbis acerrimis sententiam Dei imminere comminatus fuisset; Vno velut ictu mallei *Ecelinus* percussus, ad pedes Sancti procubuit, zonâ ad collum suspensâ veniam peccatorum postulauit, emendationem promisit, ad meliorem vitam & Ecclesiæ obedictiam rediit: Dicebat enim suis diuinum quemdam fulgorem in Beati Viri vultu se vidisse, cujus vibratione putabat se in Tartarum demergendum.

S. Antonius à Padua prædicat piscibus.

Malleus Hæreticorum.

Conuertit Ecelinum.

Et hoc quidem toto Sæculo *Anni Christi* 1200. ab initio nascentis Ordinis variè pugnatum est à FF. Minoribus contra Hæreticos, qui maximè sub *Innocentio* 4. & *Alexandro* 4. non tantùm partes Orientis, sed etiam Italiam & Germaniam penetrabant, quibus extirpandis Prædicationes & Doctrinæ sacræ non sufficiebant, nisi etiam Pœnæ & Judicia adhiberentur. Ad quorum extirpationem præter Verbi Sacri Præcones assumpsit *Innocentius* 4. ex Ordine Minorum Inquisitores Hæreticæ Prauitatis; qui tam in Vrbe, Patrimonio B. Petri, & aliis Terris Ecclesiæ, Ducatu spoletano &c. quàm in Regno Apuliæ, Tuscia, Marchia, Tarvisana, & Sclauonia in Hæreticos inquirerent, & pœnas à Frederico Imperatore contra *Patarenos* & alios Hæreticos decretas imponi curarent.

FF. Minores instituuntur Inquisitores hæreticæ prauitatis.

Et

vt constat ex variis litteris, quas Annales ad *annum Christi* 1254. retulerunt. Quam eandem sollicitudinem secutus *Alexander* 4. ad annum sequentem ex iisdem FF. Minoribus Inquisitores ad instantiam Ludouici Regis in Galliam misit, ac demum alios ad *annum* 1258. in Bohemiam & partes Orientis multiplicauit: Ita vt & gladio Verbi Dei, & aliis etiam externis compulsionibus FF. Minores Hæreses profligarent, nec eos vsquam consistere permitterent.

§. II.

Manipuli 2. Sæculi 1300. Ordinis Minorum in Hæreticorum conuersione.

FF. Minores se opponunt Fraticellis.

NEc in altero sæculo 1300. ab his operibus cessarunt FF. Minores, maxime exurgentibus sub titulo Pietatis & vitæ Euangelicæ *Fratricellis*, quos *Fratres de paupere vita, Bizochos*, siue *Beguinos* ac *Begardos* appellabant quos *Ioannes* 22. per Bullam quæ incipit: *Sancta Romana Ecclesia* Tit. *de Religiosis domibus* in Extrau. *Communibus* condemnauit. Contra quos tam in Italia & Siciliæ Insula quàm in Comitatibus Narbonensi & Tholosano, ac aliis Prouinciis Cismarinis & Vltramarinis, FF. Minores impensi sunt, eâ potissimùm ratione, quòd plurimi illorum de *Ordine Tertio Pœnitentium* se esse mentirentur, & alia munia sibi affingerent, quæ Ordinem FF. Minorum contingebant. Vnde Annales ad *annum* 1331. *Strenuè* (inquit Auctor) *in hac re laborarunt Minorita, quibus inuisum erat nomen Fratricellorum de paupere vita, & odiosissima secta, qua se sicut velaminibus populi auram & affectum captura ex parte saltem Franciscanam simulabat.* Eorum errores fideliter refert Episcopus Siluensis *Aluarus Pelagius* de Planctu Ecclesiæ l. 2. c. 55. ex quo Annales ad *annum* 1317. n. 32.

§. III.

Manipuli 3. Sæculi 1400. Ordinis Minorum in Hæreticorum conuersione.

BB. Ioannes Capistranus & Iacobus à Marchia contra Hæreticos.

ET hos igitur multis annis infectatus est Ordo, donec repullulantibus illis tandem tertio Ordinis sæculo ad *annum* 1499. celeberrima illa Orbis Lumina *B. Ioannes de Capistrano* (qui quartò contra Fratricellos à Pontificibus nullus fuerat) & *B. Iacobus Picenus à Marchia* eorum reliquias partim ad pœnitentiam reduxerunt, partim flammis & extremo supplicio perdi permiserunt, mandante id *Nicolao V.* Pontifice.

Nec circa hos cessauit zelus illorum, quibus maximam messem Deus in Germania & Oriente præparauerat. Et vt vnius B. Joannis Capistrani manipulos, quos alii adorauerunt, recenseam: Ex ipsius Epistola ad Vniuersitatem Viennensem hæc accipe: *Postquam Moraviam sum ingressus, vt debui, contra Bohemorum damnatas Hæreses egi, nec aliquo timore vnquam à Prædicationis officio destiti &c. Quo factum est, vt non solum multi Barones, Nobiles, sed & Sacerdotes ad plusquam quatuor millia, meis in manibus Hussitarum Errores abjurauerint, præter multos alios conuersos, qui sub ipsorum Baronum conuersorum dominio degunt.* *B. Ioan. Capistranus Hussitas conuertit.*

Et quidem inter Conuersos refertur *Camerarius Moraviæ* nomine *Benesscio* qui coram vniuersa multitudine, præsente Episcopo Nicopolensi Episcopi Olomucensis suffraganeo, in platea publica Brunæ genuflexus abjuranit in manibus S. Viri omnes Bohemorum & Hussitarum ac alios quoscunque errores, factâ tactis Sacris Euangeliis professione fidei Romanæ Ecclesiæ: Quem in eorundem errorum abjuratione, & fidei professione secuta est Vxor & consanguinei, ac vniuersa familia copiosissima.

Cui Baroni adjungendus est alius, de quo *Æneas Siluius in sua Europa c.* 23. sic scribit: *In hac* (inquit) *Prouincia Moraviæ Barones ferè omnes Hussitarum labe infecti sunt. Hic cum Verbum Dei prædicaret Ioannes Capistranus, & in errores Hussitarum inueheretur, Baronis non parui nominis, quem Ezerina horam vocant, secuta conuersio est, qui relictâ priore perfidiâ, cum duobus millibus subditorum, veritatem Romanæ sedis amplexus est &c.* Sed & accipe breuem Manipulorum in Moravia collectorum catalogum ex Annalibus ad *annum* 1451. n. 21. *Brunæ hæsit vsque ad 15. Augusti, & suis sodalibus habitaculum posuit sub nomine S. Bernardini, reconciliatique vltra mille sexcentas personas: Die 16. in Visica aliquot absolut: Die 18. peruenit Olomutium, vbi vsque ad quintum Septembris permansit, ingentemque aliquot millium multitudinem ad Ecclesiæ vnionem reduxit. Regressus Brunam in Vigilia Nativitatis Virgineæ, copiosam messem in horrea Domini coacervauit vsque ad diem S. Francisci. Die sequenti Octobris 5. in Villa Drasoph &c. & die decimo & sequentibus in Egburga alios coadunauit. A die 18. in Comaro præsente Domino Vlrico Principe Catholicorum Patrono, multos nobiles,* *Quam ingens animarum fructus in Moravia.*

populares innumeros ad viam veritatis reduxit, donec Egram pervenit 7. Decembris, in vigilia Conceptionis B. V. Mariæ, vbi vsque ad initium Februarii anni sequentis magno Catholicorum incremento perseuerauit. In Friberch die 24. Februarii, & in Ciuitate Missinensi à die 18. Martii, & à 25. ejusdem Mensis vsque ad principium Junii in Ciuitate. Pontensi Regni Bohemiæ miro fructu eundem laborem subisse comperio, multis millibus ad castra Catholicorum transmissis, & fidelium gregi aggregatis.

Quantus fructus in Bosna.

Tanta porrò fuit FF. Minorum in conuertendis Hæreticis istis temporibus virtus, vt *Thomas Episcopus Farensis*, & in Regno Bosnæ Apostolicæ Sedis Legatus, in Epistola quam ad *B. Joannem Capistranum* dedit *Faræ* 19. *Februarii anno* 1451. cum inuitans vt *Faram* veniret & Fratres suos laborantes contra Hæreticos adjuuaret, sic scribit: *Hoc* (inquit) *mirabile dico Paternitati vestræ, & valdè notandum, quòd in locis occupatis per Hæreticos, statim vt Fratres sunt, euanescunt Hæretici sicut cera à facie ignis, & si tot essent Fratres boni, vt occuparent loca principalia Regni, indubiè none manerent, nec inuenirentur Hæretici.* Hæc ille.

§. IV.

Manipuli sæculi 4. 1500. FF. Minorum in Conuersione Hæreticorum.

ET hoc sæculo ab anno 1500. Dei tremendo judicio vsquequaque Hæresum fumus velut aperto puteo Inferni Ecclesiam Dei obscurauit, & Hæretici velut locustæ vndequaque ex eodem puteo ebullierunt. Et quidem ad *annum* 1517. surrexit *Martinus Lutherus*, ex cujus Schola surrexerunt *Lutherani* in vndecim classes diuisi, *Semi-Lutherani* vndecim similiter caudis dissecti, *Anti-Lutherani* 56. sortes constituentes: Ex quo etiam Tres immundi Spiritus siue Bufones (referente *Staphylo*) Mundum inuaserunt, & Animas Christi sanguine redemptas in dies depascuntur, *Anabaptistæ*, nimirùm, *Sacramentarii*, & *Confessionistæ*, qui iterum Hydram Lernæam multitudine capitum quotidie nascentium superant. *Lutherum* secutus est *Joannes Caluinus* ad *annum* 1534. ejusdem malitiæ, & venenosæ multiplicationis perfidum caput, qui non minori, si non majori infectione mundum infecit.

Lutherus & Lutherani in quot sectas diuisi.

FF. Minores contra Lutherum & Caluinum.

Contra hos FF. Minores doctrinâ, verbo, sanguine dimicarunt, & in hanc vsque horam dimicant non sine vberrimis fructibus. Et quidem primus qui contra *Lutherum* acerrimè verbo, scriptoque pugnauit fuit F. *Gasparus Sasgerus* alias *Schatagerus* Prouinciæ Argentinæ, qui se indefessum Lutheri, Antagonistam verbo & scripto probauit, & varios libros contra pestiferas ejus Hæreses scripsit: quique à plena Sacræ Scripturæ cognitione, & ab opere ejusdem Tituli in lucem emisso *Scrutinium Scripturæ* est appellatus: floruit Monasterii in Bauaria tempore *Caroli* 5. ex oriente Hæresi Lutherana. De quo *Villorus* noster in Athenis Orthodoxorum Virorum. Circa eadem tempora florebat quidam *Joannes Nasus* Germanus verus etiam Lutheranorum hostis, qui Orbi manifestauit, *Centurias insignium mendaciorum Lutheranorum*. Et circa *annum Domini* 1535. F. *Joannes à Dauentria* Belga Minorita *Prouinciæ Coloniæ* toto suo tempore habitus est omnium Hæreticorum Impugnator acerrimus, qui tam in priuatis quam in publicis Concertationibus, numquam cessauit illos lacessere specialiter Lutheranos, & Anabaptistas: Vnde edidit *Exegesim absolutissimam errorum qui sunt in Confessione Lutherana, & contra Anabaptistas.* Suppeditarunt sanè Germanicæ Prouinciæ innumeros contrà *Lutherum* & ejus serpentinos fœtus Athletas, inter quos F. *Conradus Clingius* Ecclesiastes Erfurdiensis, qui cum suâ eloquentiâ in Concionibus continuis errantes reduceret, fideles conseruaret, tandem eo ob infirmitatem corporis lecto decumbente, Hæreticis mendaciter spargentibus, quòd ea quæ publicè prædicauerat, reuocasset, vt calumniis obuiam iret, præclarum illud *Opus* quod omnia *loca communia Catholicæ doctrinæ* contra Sacrilegas Hæreses, earumque fallacia argumenta continet, multo Catholicorum solatio, & Hæreticorum confusione edidit.

Qui Gasparus Sasgerus scrutinium Scripturæ.

Joannes Nasus.

Joannes à Dauentria

Conradus Clingius.

Nec Belgium quamuis afflictissimum à Geusiis, Iconoclastis, & Caluinistis, caruit suis ex Ordine FF. Minorum Defensoribus, & copioso contrà Hæreticam prauitatem exercitu: Etsi enim odio innato contra illos Conuentus eorum funditus destruxerint, ad mortem Fratres quæsierint, vel ad minus exilio mulctarint: Non defuerunt tamen qui vbi datum non est publicos suggestus ascendere, domi & foris illos exagitarunt, & scriptis conuicerunt; & vbi per Arma Catholici Regis licuit ad loca & Ciuitates remeare, qui multitudinem errantium iterum ad Matris Ecclesiæ gremium reduxerunt: qui quia primariò pro conseruandis Catholicis laborabant, & velut secundariò pro errantibus reducendis, illorum operas reseruabimus in titulo Opitulationum pro conseruatione fidelium infrà suo loco.

Quid Belga contra eos.

Interum extra controuersiam est *Prouin-*

vinciam Germaniæ Inferioris, quæ ratione antiquorum Conuentuum, Holandiam, & vicinas Prouincias charitate Christianâ à tempore grassantis Hæreseos non reliquit, dum Catholicos conseruat per suos Missionarios in dies plurimos: Errones Hæreticos ad viam veritatis & fidem Catholicam reducere. Et en tibi pro exemplo ex Regiſtro quodam Authentico proba sufficiens: Ab *anno* 1611. quo R. P. N. N. Holandiam ingressus est vsque ad 11. *Junii anni* 1622. ex Hæreticis ad fidem solus conuertit centum octoginta septem &c. Et ex fide dignis relationibus posteriorum annorum ab *anno* 1653. usque ad hunc *annum* 1656. præter reconciliatos referuntur in Holandia à nostris ab Hæresi conuersi 165. emisisse professionem publicam fidei inter manus Fratrum nostrorum.

Quid Provincia Germaniæ Inferioris contra eos fecerit.

Vberrimos etiam Manipulos Prouincia Coloniæ exhibet, & eò majores, quòd, cum Catholicis & Acatholicis Germania misceatur, major sit messis occasio. Certè dedi aliquando, etsi tacito nomine, *Lucernam fidei per FF. Minores Regularis ac strictioris Obseruantiæ in Palatinatu & nonnullis Prouinciis Germaniæ accensam*, in qua ampla & authentica Testimonia exhibentur Principum, Regiminum, Archisatrapiarum, Satrapiarum amplissimarum, Oppidorum &c. Quibus Conuersiones totius populi ab Hæresi datâ fide adscribuntur FF. Minoribus, & Conuersiones plurium Ministrorum describuntur. Et hoc tempore Testimonia authentica mihi allata sunt plurimarum conuersionum, quæ Dei gratiâ per FF. Minores adhuc hoc tempore fiunt, ita vt intra paucorum annorum terminum 217. numerentur qui publicè professionem fidei emiserunt: quæ Tomum particularem requirunt, & libenter ei qui conuersiones eas publicas facere voluerit, exhibebimus.

Quid Provincia Coloniæ.

Nec vtraque Prouincia Flandriæ suis caret fructibus: Cum enim Comitatus Flandriæ ab Hæreticis & Iconoclastis circa *annum* 1577. occupatus esset, pro fide FF. Minores decertantes exilia & Martyria passi sunt, & cessantibus armis in reductione Hæreticorum cum aliis tam strenuè laborarunt, vt Deo sit gloria, ita restitutus sit ager ille Ecclesiæ Catholicæ, vt non nisi modicum zizaniæ inter fertilissimas segetes reperiatur, quòd & dum expectatur Messis, laborantium opere in triticum sæpè reuertitur. Et nvicinis locis Hæresi infectis non rarò qui electi sunt, ad sanam mentem Ponderatore Spirituũ prouidẽte redeunt. Conuersiones singulares referremus, si tempora & circumstantiæ permitterent: indulgendum adhuc secreto, quamdiu aliqui viuunt.

Quid Provincia Flandriæ.

Antiqua etiam Prouincia Flandriæ, quæ vsque Luxemburgum extenditur, & ad Gallias in diuersis locis alluit, ex Hæreticorum conuersione suos Manipulos habet, nec desunt nominati Athletæ, quos quia adhuc superstites sunt modò honesto similiter, silentio præterimus: eorum interim Opera impressa posteris personas notas facient.

SECTIO IV.

Quanto bonorum operum, signorum, doctrinæ fructu, FF. Minores Ecclesiæ Matri, in filiorum suorum Vtilitatem, profuerint:

PRÆAMBVLVM.

S. Francisco datus est ad reparandam Ecclesiam.

HIstoricâ fide, & Traditione communi in Ecclesia approbatâ, omnibus constat S. Franciscum à suæ Conuersionis initio mandatum à Christo per Imaginem Crucifixi loquentem accepisse, vt *iret & repararet Ecclesiam suam*, quæ (inquiebat) *Tota destruebatur*. Quod mandatum etsi primâ facie de restauratione materialis Ecclesiæ Vir sanctus concepisset, superiori tamen posteà superfusus lumine, se ad Ecclesiæ Matris ruinas resarciendas à Deo destinatum hac voce ter à Crucifixi ore intonante intellexit, & efficaciâ spiritus in se ipse expertus est.

Id testatus est Innocentius 3.

Cujus quidem cœlestis mandati veritatem agnouit *Innocentius* 3, dum in approbatione primæ Regulæ nutans, diuinæ visionis ostensione confortatus est: *Videbat namque* (vt ipse retulit) *Lateranensem Basilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus & despectus propriô dorso submisso, ne caderet, sustentabat.* Quâ visione confirmatus Pontifex, & ad S. Franciscum illam applicans, intulit: *Verè (ait) hic est ille qui opere & doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam.* Vnde ipso facto Regulam approbauit, & illi ac Sociis dedit de prædicandi pœnitentia mandatum.

FF. Minorum est fulcire Ecclesiam.

Hæc est portio pauperum Crucifixi FF. Minorum, vitâ opere & verbo Christi Ecclesiam quibusdam veluti fulcris sustentare, & continuis suis laboribus ruinas quas in suis membris patitur velut restaurare. Nam vt benè Hieronymus Platus l. de bono status Relig. c. 30. *Non modò ætas illa quâ primùm hic Ordo prodiit, mirabiliter ejus operâ adjuta & illuminata est, sed totis quadringentis annis quibus deinceps stetit, hoc semper egit, vt Ecclesiam Dei quasi fulciret.*

Obloquuntur veri circa hoc veritatem.

Nec hîc audiendi illi Critici rerum etiam piissimarum irrisores, qui hujusmodi sacras reuelationes suis ridiculis cachinnis in-

nispergere voluerunt, quasi *Ecclesia Dei*, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, & quæ super Petram Christum ita fundata est, vt *nec portæ inferi aduersus eam præualere valeant*, nutare aut ruinas pati posse sacrilege asseratur. Potuit sanè Ecclesia in se quati, sed non concuti; potuit (teste Paulo) *tribulationem pati, sed non angustiari, aporiari sed non destitui, persecutionem pati, sed non derelinqui, deiici sed non perire* 2. Cor. 4. Neque enim *Firmitas Ecclesiæ Dei* persecutiones, pressuras, calamitates, periclitationes, etiam cum multa membrorum suorum iactura excludit; quibus conseruandis, restaurandis, restituendis, imò & renouandis suo tempore non tantum per se, sed & per ministros suos inuigilat Deus. Ecclesia sanè Christi non habet maculam neque rugam, nec ideò à fumis & fuliginibus externis libera est; Ideò indiget fulgore Luminarium, inter quæ non immeritò computantur, fulgentes *sicut splendor firmamenti, qui ad justitiam erudiunt multos, & tanquam stella in perpetuas Æternitates*: Ecclesia Dei *est firmamentum & columna veritatis*: Sed confirmatione primò indiget illius: *qui confirmauit columnas ejus*; quod per Ministros suos in dies efficit. Vnde & Act. 15. Paulus *perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias*. Et c. 16. *Ecclesiæ* (à Paulo & Thimoteo) *confirmabantur in fide, & abundabant numero quotidie*. Et Apoc. 3. Angelo siue Episcopo sardis dicitur: *Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant*: Ecclesia Dei supra Petram Christum ædificata est, nec prævalebunt portæ inferi aduersus eam: Verum non excluditur à *Tribulatione magna, qualis non fuit neque erit, ita vt nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi*: Nec deerit adjutorium Eliæ & Enoch, vt reliquiæ saluæ fiant. Audiant Critici illi: Ecclesia in suis membris infirmis tempore S. Francisci inclinata erat, ruinam in multis animabus, imò & præpositis suis minabatur; mittuntur Franciscus & Dominicus, de quibus visione cœlesti monetur *Innocentius*, quòd dorso suorum laborum, & Religionis suæ Ecclesiam sustinebunt; Et nè debit tibi Textus: Aperto sigillo 6. *Apoc. 6.* & mundo ruinam minitante, quatuor Angelis percussoribus ventos tenentibus, venire visus est Angelus ab Oriente ascendens, habens signum Dei viui, qui plagas impediret. Qui seruos Dei signo Tau saluifico consignaret. Quod igitur Deus per se facere posset, per seruos suos facit, & Ecclesiam suam ruinam minitantem, nisi succurreret, per seruos suos sustentat. Nec super his mireris cum de Ecclesia sub figura Hierusalem *Isaiæ* 60. scriptum sit; *Et ædificabunt filii peregrinorum muras tuos*, &c. *Et occupabit salus muros tuos, & portas tuas Laudatio*. Et ne desint fulcra & instaurationes: *Gloria Libani ad te veniet, Abies & Buxus & Pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo*. Quæ omnia restaurationi Ecclesiæ per S. Franciscum & filios ejus factæ congruunt. Ordini enim S. Francisci data est *Gloria Libani*; cui subministrauit Deus & *Abietes*, & *Buxos*, & *Pinos* ad restaurandum & *ornandum locum sanctificationis suæ*, & glorificandum *locum pedum suorum* vt ex sequentibus patebit.

2. Cor. 4. vers. 8.

Firmitati Ecclesiæ an obstet ejusdem mutatio, &c.

Dan. 12. Vers 3.

1. Tim. 3. vers. 13.

Psal. 74. vers. 4.

Act. 15. vers. 41.

Cap. 16. vers. 5.

Apoc. 3. vers. 2.

Matt. 24. vers. 22.

Apoc. 6. vers. 12.

Quod posset Deus per se facere, per seruos suos facit.

Isa. 60. vers. 10.

vers. 18.

vers. 13.

Ordo Minorum restaurat Ecclesiam.

§. I.

Ordini Minorum concredita fuit à Deo speciali Privilegio, Renouatio Dominicæ Passionis in Ecclesia militante.

SAnctorum, quorum Deus vitâ, verbo, & exemplo mundum illustravit, gloriam nec in modico minuere, nec aliquo modo vmbram illi inferre, nostræ intentionis est. S. Paulo sit gloria suæ: *Cui absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem illi mundus crucifixus est, sicut & ille mundo: Nemo illi molestus sit: qui stigmata Domini in corpore suo portat*. Et aliis sanctis sua sit gloria, qui post Christum euntes abnegaverunt semetipsos, & crucem suam post Christum portaverunt, vna enim omnium vox fuit: *Prædicare hominibus Iesum Christum & hunc Crucifixum.*

Galat 6. vers. 14. vers. 17. 1. Cor. 1. vers. 23.

Verùm Deus mirabilium operator, cujus est *Innouare signa, immutare mirabilia, glorificare manum*: Hanc prærogatiuam reseruauit S. Francisco, & ejus filiis, vt oblitterata jam in mundo Crucis via, obuelata carnis tenebris plusquam Cymmeriis gloria Crucifixi, ipsorum ministerio per Euangelicam & Apostolicam veritatem denuò aperiretur, & reuelaretur. Illo namque tempore mundani insipientes Verbum Dei non tantùm adulteraueraut, sed etiam Idola fingentes loco Crucis Veneream, loco Pauperis in præsepio nati Adonidem, loco Christi à morte resurgentis Iouem collocauerant, quorum statuas Helena Constantini Mater aliquando abstulerat. *Subintrauerant* enim (de quibus olim prædixerat Iudas Apostolus) *quidam homines impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes, Illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, murmuratores,*

Ecclc. 36. vers. 6.

Crucis via & Crucifixi gloria incognita nostris atque per Franciscum & suos.

Quantus neglectus Crucis & Crucifixi.

Epist. Iud. vers. 4.

vers. 16.

que-

querulosi, quorum os superba loquebatur, nitrantes personas quæstus causâ semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferebantur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, despumantes confusiones suas &c.

vers. 12.

Franciscus totus crucifixus.

Contra hos S. Franciscus veræ Crucis Sectator, prodigiosus Christi crucifixi in spiritu, corde, carne, vestitu, moribus Assertor diuino prouidente Numine prodiit: Cui impressam, expressam & loquentibus Characteribus viuam suæ passionis, & totius viæ Crucis Imaginem, digito amoris & potentiæ insculpsit Christus, vt velut Dux noui Exercitus *Passionis & Crucis Christi mysterium* in cordibus hominum renouaret, & velut olim Isaac Patris sui puteos, quos Philistyni obstruxerant & humo repleuerant, in Francisci Carne rursus effoderet, vt aquam viuam in abundantia, & latitudine Ecclesiæ velut restitueret.

Duæ causæ renouationis Vulnerum Christi in Francisco.

Duas porrò hîc notant causas hujus vulnerum Christi renouationis in S. Francisco: *Altera* velut *litteralis* est, ad errores nonnullos, & dubia in Ecclesia nascentia circa Christi Domini Passionem & vulnera tollenda: *Altera Moralis & Mystica*, ad effectus passionis in cordibus fidelium renouandos. Et quidem Causam posteriorem primò adfert *Lucas Tudensis* S. Francisco contemporaneus (cujus opera Tom. 13. Bibliothecæ SS. Patrum referuntur) *l. 2. contra Albigenses c. 11. Pra cæteris* (ait) *sanctus, signum Passionis Dei & hominis antonomasticè S. Franciscus sublimatus, velut sol meridianus torpentia corda hominum calore fidei inflammauit, atque signa Passionis Christi fide sensibili demonstrauit, ne stigmata humanæ Redemptionis, vetustate de fidelium mentibus delerentur.* Et Causam litteralem specificans: *Iam enim* (ait) *multi retrò ibant veritati contraria sentientes: Nutabant plures, qui etiam videbantur Doctores, & quasi somniantes conuertebantur ad fabulas & superfluas nouitates: Suscitauit autem Dominus misericorditer Beatos Franciscum & Dominicum Sanctissimi Ordinis Prædicatorum Patrem, per quos mundo pro magna parte in errorum & ambiguitatis tenebris constituto, lumen veritatis illuxit, de cordibus singulorum deterfit clementia Redemptoris, & obstruxit diuerticula falsitatis.* Et particulariter explicans ea propter quæ signa Passionis Christi in S. Francisco sunt renouata: *Maxima quidem* (ait) *pars mundi ad falsa vel dubia diuertebat: Alii diuersis erroribus implicati, procaciter contendebant Christum verâ carne non fuisse passum: Alii nullâ fulti auctoritate, asserebant, tribus tantum clauis cruci fuisse affixum, & non dexterum latus ejus sed sinistrum lanceâ vulneratum: sed Omnipotens Deus qui infirma mundi elegit, vt fortiora quæque confundat, per seruum suum litterarum elementis ferè rudem Franciscum, occultâ fide, ita illorum illusit argumenta fallacia, vt etiam multi cedant manifestæ veritati.* Et post pauca; *Resultabat in eo venerâ forma Crucis & Passionis Agni immaculati, qui lauat crimina mundi, dum quasi recenter à Cruce videretur depositus, manus & pedes clauis confixos habens, & dexterum latus quasi lanceâ vulneratum.* Et hæc quidem de Causa litterali impressionis stigmatum.

Errores circa Dominicam passionem.

Franciscus viua imago Crucifixi.

Alteram autem Causam moralem & mysticam, nimirum: Effectus illos ineffabiles Dominicæ Passionis in cordibus fidelium restituendos, sancta agnoscit Ecclesia, & sancti Pontifices illos suis *Diplomatibus, Hymnis & Prosâ* celebrarunt. Vnde *Alexander 4.* in Bulla quæ incipit: *Benigna opera Diuina voluntatis &c. Inter alios* (inquit) *diebus nostris B. Franciscum almus Christi Confessor, apparuit signis & virtutibus glorioſus, qui clarissimis pie viuendi meritis & exemplis sanctam fœcundauit Ecclesiam &c.* Inter quæ *signanter vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentius & vehementius admiranda illa saltem jucunda Dominicæ Passionis insignia, quæ in ejusdem Sancti Corpore, dum adhuc vitali spiritu foueretur, manus cœlestis operationis impressit.* Et modum Vulnerum explicans; *Viderunt namque* (ait) *oculi fideliter intuentes, & certissimi contemplantium digiti palpauerunt, quòd in manibus ejus & pedibus expressa vndique similitudo clauorum, de subjecto propria carnis excreuit, vel de materia noua creationis accreuit &c. Inuenta est quoque patentius in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitus nec facta, plaga vulneris Lateralis, quasi aliquid instar lateris Saluatoris, quod saluationis & redemptionis humanæ in Redemptore nostro protulit Sacramentum. Quæ quidem plaga (sicut quosdam ex fratribus, ibi familiariter adhærentibus latere non potuit per defluxum humoris) diu autè virueret in viuente.* Quantum verò Deus Ecclesiæ suæ per illa Passionis insignia prodesse voluerit prosequitur Pontifex sequentibus verbis: *Hæc igitur mira & decora noua demonstrationis indicia, magna debent esse deuotionis diuitia Christianis, & inæstimabiles Religionis delitiæ in spiritualibus comunis Ecclesiæ Orthodoxæ, cum ex hu sinceræ fide accipiat, quòd illis etiam fuerint Passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro ejusdem amore carnem suam cum vitiis & concupiscentiis voluntariè crucifixerunt.* Infrà: *Cùm igitur oportuerit & oporteat cauere prudenter, ne tanti beneficii gratia cœlitus in memorato Confessore collata, in vacuum assumatur, vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis, per nostras litteras dedisse meminimus*

Encomia S. Francisci.

Prælatorum de stigmatibus S. Francisci testimonia. Alexand. 4.

De vulnere Lateris.

Excitandi fideles ad reuerentiam horum stigmatum.

mus in mandatis, vt ejusdem Confessoris præclara merita, & miraculosa magnalia, & salutarem memoriam, celebritate annuâ, prædicatione frequenti, & veneratione assidua recensentes, ad ipsius deuotionem gratia Diuina meritoriam, subditos vestros crebrò monitu excitare curaretis. &c.

Et quidem S. Patriarcham Franciscum specialiter à Deo deputatum ad Passionis Dominicæ Sacratissimam deuotionem in mundo resuscitandam, probant omnia quæ ab initio in præambulis Conuersionis ejus Christus crucifixus in eo operatus est: Quæ vno compendio cum suis effectibus *S. Bonauentura* egregiè pertrinxit: cujus verba ne longior sim in enarrandis singulis hîc pono; sic autem S. Patrem Franciscum alloquitur per Apostrophen *c. 13. Vitæ*: Eia (inquit) strenuissime miles Christi, ipsius ser arma inuictissimi Ducis, quibus munitus & insignitus omnes aduersarios superabis: ser vexillum Regis Altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur: ser nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba & facta tua tamquam irreprehensibilia & authentica ab omnibus acceptentur. Iam enim propter stigmata Domini Iesu, quæ in corpore tuo portas nemo debet tibi esse molestus: quin potiùs quilibet Christi seruus omni esse tenetur affectione deotus. Iam per hæc signa sanctissima non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quampluribus ad superabundantiam comprobata, testimonia Dei in te & per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, & ignem charitatis accendunt. Iam vere impleta est prima visio, quam vidisti, videlicet, quod dux in militia Christi futurus, armis deberes cœlestibus, signoque Crucis in insignibus decorari. Iam in principio tuæ Conuersionis Crucifixi visio compassum doloris gladio mentaliter te transfigens sed & auditus vocis de Cruce, tamquam de throno Christi sublimi & secreto propitiatorio procedentis (juxta quod tuo firmâsti eloquio) vera indubitanter fuisse creduntur. Iam in tua Conuersionis progressu & Crucem quam vidit F. Syluester ex ore tuo mirabiliter procedentem, & gladios in Crucis modum tua viscera transfigentes, quos facer vidit Pacificus, teque secundum Crucis figuram, in aere subleuatum, cum de Crucis Titulo sanctus prædicabas Antonius, juxta quod prospexit Angelicus Vir Monaldus: non phantasticâ visione, sed reuelatione fuisse cælicâ conspecta, verè creditur, & firmatur. Iam denique circa finem, quod simul tibi ostenditur, & sublimis humilitudo Seraph, & humilis effigies Crucifixi interiùs te incendens, & exteriùs te configuans, tamquam alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, qui signum habeas in te Dei viui, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce jam septem apparitionibus Crucis Christi in te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monstratis quasi ex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requieseis, peruenisti. Christi namque Crux in tua Conuersionis primordio tam proposita quam assumpta, & deinde in Conuersionis progressu per vitam probatissimam bajulata, in te ipso contemtè, & in exemplum aliis demonstrata, tantâ certitudinis claritate ostendit Euangelicæ perfectionis apicem, te finaliter concluisse, vt demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ in tua carnis paluere exaratam, Nullus verè deuotus abjiciat, Nullus verè fidelis impugnet, nullus vere humilis parupendat; cùm sit verè diuinitus expressa, & omni acceptione condigna. Hæc *S. Bonauentura*. Quæ omnia latissimè expendit Bartholomæus Pisanus lib. 3. Conform. Conformitate 31. vbi per varias quæstiones ostendit miram Dei Potentiam, Bonitatem, & Magnificentiam in stigmatum impressione, ad quæ Lectorem remitto, quia verè ad amorem Dei & magnam in sanctum deuotionem excitant.

Apostrophe S. Bonauentura ad S. Franciscum c. 13. vitæ ejus.

S. Franciscus signifer Christi.

Gal. 6. vers. 17.

Dux in militia Christi.

Septies Crucifixus apparuit S. Francisco.

Vnum solummodò hîc contra quosdam hujus sæculi improuidos scriptores restat: qui suo genio stigmata expendere volentes non tantum Christo, sed etiam Diuinæ operationi illudunt, dum stigmata illa per callosam carnis velut contractionem qualis interdum in pedibus infirmis ex exuberantia aliqua humorum apparet explicare volunt. Ita non satis prouidè *Cornelius à Lapide* in *cap. 6.* Epistolæ *ad Galat.*: Vbi loquens de clauis S. Patris *Erant* (inquit) *hi claui non è ferro, sed è carne mortua calli, instar clauorum* &c. *qui sanctum Virum ita cruciabant vt vix incedere posset, sicut nos torquet in incessu calli pedum è carne mortificata, quas flandri, exteren eoghen* Galli *Nid d'Agache vocant* salua viri docti reuerentiâ: Caro illa sacrorum stigmatum, nec callus fuit, nec calli figuram habuit, nec caro mortua aut mortificata, sed viua & vinacissima, quæ claui figuram & colorem referret. *Ad Alexandri 4.* Bullam appello.

Stigmata S. Francisci qualia.

Error Cornelii à Lapide de illis.

Refutatur.

Opus sanè miraculosum omnem excessisse humanam artem & potentiam, ostendit Bartholomæus Pisanus suprà, Primò enim Materia clauorum in manibus & pedibus erat ex neruis, siue carne ipsius sancti, non per contractionem vel excrementitiam exuberantiam, sed per formationem perfectam ad modum verorum clauorum. Vnde *Alexander 4.* in *Bulla supracitata*, expressè dicit testimonium eorum qui palpauerunt & viderunt: Quod in manibus & pedibus ejus expressa vndique simili-

Materia clauorum qualis.

Apocal. 7. vers. 2.

militudo clauorum *de subiecto propria carnis excreuisset, vel de materia noua creationis accreuisset*: Quæ verba notanda sunt, vt excellentia operis dignoscatur.

Clavi quales.

2. *Capita Clauorum* erant grossa, solida, & à parte superiori obtusa. *Clavi* autem ipsi erant longi, & extra manus & pedes protendebantur, ac à parte superiori manuum, & inferiori pedum recuruabantur per modum arcus, ita vt (teste *S. Bonaventurâ* 13. *parte Legendæ majoris*) in ista arcuali recuruatione digitus immitti posset.

An diuisi à reliqua carne.

3. *Clavi* ipsi erant à reliqua carne diuisi, inter ipsos enim & carnem erat apertura, ex qua sanguis manabat: Vnde à *F. Leone* vel sociis familiaribus Viri sancti apponebantur singulis diebus petiæ panni inter carnem & clavos ad reprimendum sanguinis fluxum, excepto à vespere diei *Iouis* vsque ad vesperam diei *Veneris*, quo tempore petiæ ablatæ erant, vt in memoriam Passionis Christi, & ad sentiendos intensiores dolores sanguis flueret.

An mobiles.

4. *Clavi* à palpantibus sensibiliter moueri poterant, amoueri tamen à reliqua carne non poterant, vt *S. Clara* experientiâ didicit post ejus mortem.

Cicatrices an emitterent sanguinem.

5. *Cicatrices* etsi continuè fluerent, nullam tamen corruptionem inde patiebantur, & humor egrediens incorruptus, & odoriferus erat: quod non nisi miraculosè fieri poterat.

Vulnus lateris quale.

6. *Vulnus lateris* rubrum erat, & (vt ait S. Bonauentura) *ad orbicularitatem quandam carnis contractione redactum, rosa quædam pulcherrima videbatur*; & quasi lanceâ dexterum latus transfixum esset, sanguinem sacrum effundebat: cui vt suprà, petiæ adhiberi debebant.

Mirum quod S. Franciscus eam diu cum istis plagis vixerit.

Ex quibus omnibus inferendum est Diuinam manum ita in hac impressione operatam, vt humana operatio nil potuerit, continuumque fuisse miraculum, vt vir beatus biennio integro viuere posset, stupendis his plagis illum doloribus grauibus conficientibus cum perpetuo sanguinis fluxu.

An impressio SS. stigmatum singularis fuerit S. Francisco.

An verò S. Francisco & ejus Ordini hæc Prærogatiua fuerit singularis? Quæstionem mouit, & illi plenariè satisfecit *S. Antoninus* Ordinis Prædicatorum in sua Summa Historiali *Tit.* 24. *c.* 1 §. 3. qui quia vt verus Historiographus indifferens est, placiturum credo omnibus, si ipsius Resolutio propriis verbis descripta hîc ponatur.

An S. Paulus habuerit in suo corpore stigmata Crucifixi.

Quoddam (ait) *singulare concessum fuit B. Francisco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum, & hoc est*: Impressio sacrorum stigmatum, *quamuis enim Paulus dicat de se ad Galatas* 6. Ego stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo portо: *Nullus dicit quòd habuerit Paulus corporaliter signa Passionis in manibus, & pedibus, & latere: sed dicuntur stigmata, Passiones multæ & afflictiones quas patiebatur ab hominibus, plus quam alii Apostoli: quâ ratione etiam & similitudine idem dicit* Crucifixus sum: *Non quod fuerit Crucifixus in corpore, sed in desiderio, & tolerantia multarum tribulationum, quas appellat*, Crucem, *quia cruciant. Vnde* Alexander Papa *ait*: Crux *dicitur à cruciatu, magnum verò cruciatum sustinet, qui vim patitur* 3. *q.* 1. *c. Nulli. Dicitur etiam de aliquibus deuotis hominibus, quòd sentiebant magnum dolorem in manibus, pedibus & latere, ac si haberent ibi vulnera, sed tamen non ita impressa corporaliter, vt in B. Francisco* (Et rationem adducens) *quia enim videbatur extincta memoria Passionis Christi in mentibus hominum præ teporiditate eorum, voluit Dominus excitare & incalescere hanc recordationem manifestam cicatricum in corpore B. Francisci. Ipso enim orante & transformato per amorem in Christum Iesum passum, cùm esset in monte Aluernia, apparuit Dominus Iesus Christus in modum Seraphim, scilicet cum sex alis crucifixus, & impressit in manibus & pedibus & latere signa sua Passionis, in quibus sentiebat maximum dolorem: Et licèt annis aliquot quibus superuixit post eorum receptionem præ humilitate occultaret quantum posset: Tamen, Deo operante, non potuit ita latere, quin aliqui ex fratribus magis familiaribus viderint & palpauerint. Et ita indubiè Ecclesia hoc approbauit & declarauit, festum de hoc celebre instituendo &c.* Et in laudem sancti, sanctus ipse exultans prosequitur dicens: *Sic ergò volauit super pennas ventorum, quia videlicet, transcendit alios sanctos in hoc priuilegio, quòd in corpore suo fuerunt corporaliter insignia Passionis, & tandem in fine vitæ transiens de hoc mundo, volauit anima ejus super Cherubim, inter Seraphim: & sic credi potest locatus super pennas ventorum, transcendens prærogatiuâ speciali perfectiones sanctorum, & priuilegia eorum ob Impressionem Stigmatum, quod de nullo sancto legitur ita expressè.* Et exprimens virtutem stigmatum, sic prosequitur idem *S. Antoninus*: *Vnde sicut Dominus Iesus* (vt ait *S. Bernardus*) *ante Patrem ostendens latus & vulnera sua qua sustinuit in Passione sua pro hominibus, inclinat eum ad pietatem erga nos. Ita & B. Franciscus ostendens stigmata sibi impressa Dominicæ Passionis, habet inducere & Patrem & filium suum ad misericordiam & clementiam erga peccatores. Et ideò quilibet cum deuotione ad eum recurrere debet, vt faciat si Deum propitium, & perducat ad regna cælorum.* Hæc *S. Antoninus*.

Quare S. Francisco impressa stigmata Crucifixi.

Crux vnde dicatur.

Illam impressionem qualiter Ecclesia approbet.

Virtus SS. stigmatum ad imprimendum.

Hinc & Ordo Minorum à principio promeruit, vt *Ordo Pauperum Crucifixi*

Ordo Minorum Ordo pauperum Crucifixi.

appellaretur: quia vera FF. Minorum vita nihil aliud est, quàm Christi Crucifixi imitatio continua, quibus illud S. Pauli conuenit: *Semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes.* Vndè & Collatione 24. suos fratres exhortabatur ad hanc vnicam Crucis Christi viam: *Semper* (inquiebat) *ante oculos habete, fratres charissimi, viam humilitatis, & paupertatis sanctæ crucis, per quam nos miserit Saluator noster Iesus Christus.* Infrà: *Et certè si ad tollendam crucem suam quilibet obligatur Christianus, potiori jure ad hoc tenemur, qui crucis vexillum sequi profitemur, quam non solùm vult Dominus, vt nos ipsi tollamus, verum & alios inuitemus nostro exemplo & doctrinâ ad eandem tollendam, & nobiscum trahamus, vt simul cum ipsis Christum Ducem nostrum sequamur.* Hæc ille.

2. Cor 4. vers. 10.

S. Franciscus suos hortatur ad viam Crucis.

Et hoc ipsum à principio suis fratribus S. Pater inculcare voluit, qui cùm necdum Breuiarium habere pollent, vt Officium diuinum persoluerent, aut Horas Canonicas decantarent: loco Breuiariorum (vt refert S. Bonauentura) *librum Crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus reuoluebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem.* Composuit sanè Vir Dei insigne *Officium Passionis Dominicæ*, & ex Psalmis Dauidicis, & ex aliis scripturæ locis Christi Passionem spirantibus piissimè contexuit (*quod Tomo 3. Opusculorum* ejus reperitur) Opus quidem mirâ pietate refertum, de quo in vita S. Claræ, *Alexandri 4.* mandato conscripta, apud Surium: *Officium Crucis prout Crucis Amator Franciscus instituerat didicit B. Virgo Clara, & affectu simili frequentauit.*

Vitam cum suis Cruce pro breuiario.

Composuit Officium Passionis Dominicæ.

APPENDIX.

De locis Dominicæ Passionis in custodiam Fratrum Minorum auctoritate Ecclesiæ, & Principum singulariter depositis.

INter cæteras Diuinæ Prouidentiæ speciales Eminentias & Prærogatiuas, quibus Ordinem FF. Minorum in Ecclesia decorauit Deus, non infimum locum obtinet illa sanctissima dignatio, quâ *Sacratissima Redemptionis nostræ loca*, in quibus salutem nostram operatus est Iesus Christus Dominus noster, Ordinis Minorum Custodiæ & sollicitudini suo tempore reseruauit.

FF. Loca-rum custodia FF. Minoribus commissa.

Elegerat profectò antiquis temporibus Deus *B. Helenam* Constantini Magni Matrem, vt ejus operâ, & viuificum illud S. Crucis lignum è ruderibus, quibus à Iudæis infossum fuerat, post centum & octoginta circiter annos, mundo adorandum exhiberetur, & sacra loca Redemptionis nostræ augustioribus ædificiis & Ecclesiis allurgerent in Christi Redemptoris gloriam, & populi Christiani decorem & salutem: Quam operam Diuino instinctu opere, multo labore grauissimis sumptibus ipsa exhibuerat statim post Concilium Magnum Nicænum (in quo Arius fuit damnatus) ad *annum Christi* 325. recuperatâ *Cruce*, sacro Domini *Sepulchro*, & loco *Crucis* ac *Resurrectionis*, nec non *Præsepio* Christi expurgatis, sublatisque Idolorum simulachris, *Veneris* quidem à loco *Crucis*, *Iouis* à loco *Resurrectionis*, & *Adonidis* à Præsepio Domini, magnificentissimis etiam delubris, in monte Caluariæ, in Bethleem ad Præsepe Domini, & monte Oliueti, vnde Saluator in cœlum ascenderat, extructis & dotatis. Verùm peccatorum nostrorum demeritis postulantibus, loca illa omnia sacra, quæ fuerant antiquorum sanctorum receptacula & refugia, & totius Populi Christiani in deuotis suis Peregrinationibus Præsidia, iterum circa *annum Domini* 1184. in Magni *Saladini* & Turcarum manus deuenerunt, à quibus turpiter (vt alias diximus) fœdata erant: donec ad *annum* 1342. Deo populum suum oculo misericordiæ respiciente sub *Clemente 6.* summo Pontifice, *Roberto Siciliæ Rege*, & *Sancia Regina*, multis precibus, multâ pecuniâ apud Soldanum Ægypti siue Babyloniæ agentibus Sacra illa loca Christianæ Pietati restituenda procurarunt: quæ quidem statim *FF. Minoribus* in vsum, & in habitationem perpetuam tradiderunt, vt eorum laboribus mundarentur, vigilantiâ excolerentur, pietate, doctrinâ & exemplo pristino honori restituerentur, & à fidelibus visitanda custodirentur.

Helena inuentâ Cruce Domini extruit diuersa delubra.

Terra sancta iterum deuenit in manus Turcæ.

Iterum recuperata traditur FF. Minoribus in vsum & custodiam.

His fuerunt qui primi, vt olim Iudas Machabæus, *ascenderunt mundare sancta, & renouare*: *His* fuerunt qui *sanctificationem desertam* restituerunt: qui *ædificauerunt altaria noua, secundum illa quæ fuerunt priùs, qui ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecùs, & Ædem & Atria sanctificauerunt*: Et quidem non sine dispositionibus cœlestibus hæc prætiosa Hereditas in FF. Minorum depositum, & pietatis velut pignus transiuit: Hæc enim S. Patriarcha Franciscus dum ad Soldanum in Syriam iuit, sacra loca speciali deuotione inuiserat, & non sine fructu perambulauerat, vt filiis suis viam ad illa sterneret, Domino vt olim Abrahæ ipsi insurrantе:

1. Machab. 4. vers. 36.

Vers. 57.

Est quasi hereditas FF. Minorum.

te: *Surge & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Gen. 13. Et Deuter. 1. de Caleb. *Ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram quam calcauit, & filiis ejus.* Iter ejus & pietatem in visitandis locis sacris quasi futuræ Coloniæ FF. Minorum, longo Poëmate describit *Hieronymus Manipetus*, vt latius refert R. P. *Franciscus Quaresmius* Elucidationis Terræ sanctæ *l.* 1. *c.* 64. Nec defuerant Operarii ex filiis ejus qui Syriam post ipsum peragranter, ibidem sibi habitacula, & domos non obstante Mahumetanâ Tyrannide ædificauerunt: Ita vt & Prouincia illa inter Prouincias Ordinis antiquitus *Syriæ* nuncuparetur: Vnde extat Bulla *Alexandri* 4. directa *Ministro & fratribus Ordinis Minorum de Prouincia Syriæ*: *Data Laterani* 4. *Kal. Aprilis, Pontif. anno* 3. qui erat *Christi* 1257. In qua vt Prouinciæ Terræ sanctæ, cui jam FF. Minores inseruiebant insignem facit mentionem: *Vobis* (ait) *vniuersis & singulis verè pœnitentibus & confessis in Prouincia Terræ sanctæ, præmissis & aliis piis operibus, quantum in vobis fuerit vsque ad vltimum vitæ insistentibus, illam concedimus peccatorum veniam, quæ transfretantibus in ejusdem Terræ subsidium in Generali Concilio est concessa.*

Gen. 13. vers. 17.

Deuter. 1. vers. 36.

Prouincia Syriæ sive Terra sancta quam antiqua.

Terra sancta ejectis Religiosis aliis data est FF. Minoribus.

Ordini itaque FF. Minorum post ejectionem omnium aliorum Religiosorum, qui ante Ordinis institutionem in Terra sancta, loca sacra inhabitauerant, singulariter dicta loca concessa sunt: quia de facto in terris illis in Euangelii semine laborabant, infideles conuertebant, & si qui fideles reperiebantur, illos conseruabant. Et quidem Diuinum Numen sic disponebat: Vt Ordo ille verè Euangelicus, verè Apostolicus, qui Christo confixus, & in suo Patriarcha stigmatibus quinque vulnerum decoratus erat, denuò illa loca renouanda & conseruanda resumeret, in quibus Apostolorum prima fundamenta jacta erant, & à quibus Euangelium in vniuersum mundum emanarat.

Robertus Rex Siciliæ cum Vxore ad hoc laborans: laudatur à Papa.

Itaque *Roberti Regis Siciliæ* ac *Sanciæ* vxoris pietatem & profusam in Minores locorum sacrorum & Totius Terræ sanctæ Custodes liberalitatem, summi Pontifices pari zelo approbarunt, & confirmarunt, vt constat ex Bullis duabus *Clementis* 6. Datis *Auinione* 11. *Kal. Decemb. Pontif. anno* 1. In quarum *vna*: Approbat & laudat pietatem *Roberti Regis & Sanciæ Reginæ*, quòd duodecim FF. Minores posuerint ad custodiendum sepulchrum Domini, & alia loca illis à Soldano concessa, & ad ibidem Missarum solemnia, & alia Officia Diuina celebranda; confirmatque eorum ibidem habitationem, ac permittit præfato Regi ac Reginæ, vt tres personas sæculares ibidem constituant, quæ fratribus necessaria submministrent. In *altera* autem scribit Pontifex Ministro Generali & Prouinciali Terræ laboris, vt ad postulationem Reginæ, quoties opus fuerit fratres idoneos & exemplares ad sacra illa loca auctoritate Apostolicâ mittant &c.

Concessiones à Papa factæ Fratribus ibidem morantibus.

Hanc verò diuinam fuisse prouisionem probant effectus secuti: Illa enim *loca sancta* operâ, labore, sudoribus, tribulationibus innumeris, incarcerationibus, plurimorum Martyrum sanguine, totis trecentis & quadraginta tribus annis in hunc vsque diem à FF. Minoribus custodita, & conseruata sunt, ab *anno* scilicet 1313. vsque ad hunc *annum* 1656. quo hæc scribo, in magnum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ decorem, Regum & Principum Christianorum (qui auctoritate, sollicitudine, liberalitate ad eorum conseruationem concurrerunt) gloriam, populi Christiani solatium, & Animarum plurimarum salutem. Nam præter fidelium Peregrinorum concursus, quos fratres ibidem habitantes omni charitate fouent, præter conuersiones infidelium & Schismaticorum, quæ pietate, exemplo & doctrinâ fratrum euenerunt, omnes Catholici in terris Mahumetano siue Turcico imperio subjectis, curâ & ministerio fratrum sub Guardiano Hierosolymitano, Terræ sanctæ Custode, & Commissario Apostolico militantium, in fide conseruantur: & tum pabulo Verbi Dei, tum SS. Sacramentorum præsidiis muniuntur. Qui enim Guardianus Hierosolymitanus est, ita quidem fratribus, tum in S. Sepulchro, & Conuentu S. Saluatoris, qui triginta excedunt, & aliis in Bethleem Ciuitate Dauid habitantibus, & sacris locis seruientibus præsidet, vt etiam ejus regimen tamquam Custodis extendatur ad fratres in *Nazareth Galilææ*, loco Incarnationis Dominicæ, nec non apud *Ptolemaidem*, siue *Aconem*, *Sydonem*, *Damascum Syriæ Tripolim*, *Alepum*, *Scandaronam* siue *Alexandretam*, *Salaminam* in *Cypro*, *Cairum Ægypti*, *Rosetum* & *Alexandriam*, ac *Constantinopolin Peræ* habitantes, qui omnes cum suis Præfectis Guardiano Hierosolymitano legitimè institutio subsunt, & vt verò suo Custodi obedire teneantur. In omnibus enim istis locis vsque in hodiernum diem FF. Minores habitant, Christianis non tantùm Sacramenta administrantes, sed etiam omnibus Charitatis officiis magno Animarum fructu assistentes.

Quanto tempore FF. Minores loca sancta habuerunt.

Quanto fructu.

Guardiani Hierosolymitani qua ista jurisdictione.

Quanta verò FF. Minores in istis locis sacris operentur, in Exercitationibus,

Austeritatibus, Mortificationibus, Officiis Diuinis solemnibus, sacramentorum administrationibus, Operibus charitatis & misericordiæ circa peregrinos, & alios Christianos, Terræ sanctæ & Regionum Orientis incolas, deuotus & curiosus lector non sine animi gaudio videre potest in Annalibus Minorum ad annum 1342. vbi latissimè tota Oeconomia, & disciplina sacra, quam in Terra sancta fratres obseruant, explicatur: Nobis ne propositum Operis hujus excedamus, ad vlteriora calamus promouendus est.

§. II.

Ordini Minorum Cultus Diuinissimi Sacramenti Eucharistiæ, singulariter commendatus fuit, & ab eo mira incrementa sumpsit.

Quanta deuotio S. Francisci ad V. Sacramentum.

QUanta deuotione à principio S. Patriarcha Franciscus in Augustissimum *Eucharistiæ Sacramentum* accensus fuerit, testantur verba S. Bonauenturæ c. 9. Vitæ ejus: *flagrabat* (inquit) *erga Sacramentum Dominici Corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illiam ratissimam dignationem & dignantissimam charitatem: sæpè communicabat, & tam deuotè vt alios deuotos efficeret, dum ad Immaculati Agni degustationem suauem, quasi spiritu ebrius in mentis vt plurimum rapiebatur excessus*: Et quidem deuotionem illius ad istud venerabile probat profunda illa humilitas, quâ se *Sacerdotio* ita reputauit indignum, vt tamen factum donum quod de manibus sacerdotum sumere anhelabat, tantum reputaret, vt ratione illius honore sacerdotem Angelo præferendum judicaret, ob sacrificii oblationem, & sacramenti quod aliis distribuunt, dignitatem. Vnde & in suo Testamento: *Dominus* (ait) *dedit mihi tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt secundum formam S. Romanæ Ecclesiæ, propter ordinem ipsorum, quod si &c. volo eos timere, amare & honorare sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in ipsis & Domini mei sunt.* Fundamentum autem hujus honoris reddere volens, non in aliam causam refert, quàm in tremendum hoc sacrificium & sacramentum: *Et hoc* (ait) *propter hoc facio: quia nihil corporaliter video in hoc sæculo de ipso Altissimo filio Dei, nisi sanctissimum Corpus ejus & sanguinem, quem ipsi recipiunt, & ipsi soli alios administrant.*

S. Bonan. c. 9. vitæ S. Franc.

Inde non est ausus fieri sacerdos.

Quanta ejus reuerentia ad sacerdotes.

Et hanc quidem sacrorum Mysteriorum reuerentiam sibi à Christo non pro se tantùm concreditam, sed vt eam in omnium fidelium animabus diffunderet, probat *Epistola* illa *Encyclica* siue circularis & vniuersalis quam scripsit ad vniuersos Clericos, *De reuerentia Corporis Domini, & de munditia Altaris*, estque 13. *Tomo* 1. Opusculorum, in qua & sanctitatem ac munditiam, quâ hoc Sacramẽtum tractari debet, declarat, & dolorem cordis sui maximum exprimit super irreuerentia, quam nonnulli circa illius cultum committunt.

S. Franciscus de tribus monet Clericos: quoad SS Eucharistiam.

In ista igitur sua Epistola, tria Clericis omnibus denuntiat: Ac primò quidem se ex parte Dei constitutum hujus SS. Sacramenti Præconem declarat: *Quia* (inquit) *debitor factus sum omnibus, non valens amplius præsentialiter verbis meis propter infirmitates meas vobis satisfacere: Hanc meam recordationem, & admonitionem, pancis verbis scriptam, cum omni amore & dilectione suscipite.* Quanti autem ponderis apud Deum hæc Epistola fuerit, in fine concludit: *Hoc* (inquit) *Scriptum vt melius debeat obseruari, sciant se benedictos à Deo, qui ipsum fecerint Exemplari.* Quibus verbis *S. Patriarcha* ostendit hanc Epistolam ita Diuinâ inspiratione se ad omnes Clericos scripsisse, vt de Dei Benedictione assecuratus esset, pro iis qui Epistolam transcriberent, & ad illius obseruantiam eam asseruarent.

Monet omnem immunditiam ab ea remouendam.

2. Ab hoc SS. Sacramento omnem remouere docet immunditiam: *Attendamus* (ait) *omnes Clerici magnum peccatum & ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum Corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & sacratissima nomina & verba ejus, qua sanctificant Corpus*, &c. *Nihil enim habemus & videmus corporaliter in hoc sæculo de ipso Altissimo, nisi Corpus & sanguinem, & realiter Nomina & Verba, per quæ facti sumus, & redempti de morte ad vitam.*

6. Abusus circa SS. Eucharistiam.

Et descendens in speciali ad abusus nonnullorum: *Omnes* (inquit) *considerent intra se, maximè hi qui indiscrete ministrant, quàm viles sint calices, Corporalia, linteamina vbi sacrificantur Corpus & sanguis Domini nostri, & à multis in locis vilibus relinquitur, miserabiliter portatur & indignè sumitur, & indiscrete alijs ministratur.* In quibus verbis sex abusus graues reprobantur. 1. Circa vilitatem Vasorum, vt Calicis, Patenæ. 2. In immunditia & abjectione Corporalium, Pallarum, & Linteaminum Altaris, quando consecratur. 3. In inhonesta dispositione loci in quo asseruatur. 4. In irreuerentia & incompositione eorum quæ requiruntur ad honorabilem sacrarum specierum deportationem, cum processionaliter vel ad Infirmos defertur. 5. In indigna sum-

sumptione illius. 6. In indiscreto ministerio cùm distribuitur.

Ad emendationem Clericos monet.

3. Ad emendationem Clericos excitat: *Non moneamur* (inquit) *de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se præbeat, & cum tractemus & sumamus quotidie per os nostrum* &c. Et subdit: *Igitur de his omnibus & aliis citò & firmiter emendemus, & vbicumque fuerit sanctissimum Corpus D. N. Iesu Christi, illicitè collocatum & relictum, remoueatur de loco illo, & in loco pretioso collocetur, & consignetur* &c. Et obligationem quidem addit: *Et scimus* (subdens) *quia hæc omnia tenemur obseruare, secundum præcepta Domini, & Constitutiones S. Matris Ecclesia.*

Et hæc quidem probarunt Ordinis Minorum initia, & sollicitudines à S. Patre in filios deriuatæ. Quæ enim Clericis vniuersis, tamquam Dominis suis humiliter velut Dei Præco insinuauerat; eadem Ministro Generali & successoribus, nec non Ministris Prouincialibus, & Custodibus, ac Sacerdotibus, & aliis fratribus simplicibus demandauerat *Epistola* 12. quam Codex Assisianus asserit ad Totum Capitulum Generale esse scriptam: *Deprecor* (ajebat) *omnes fratres cum osculo pedum, & cum charitate quæ possum, vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis Corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo quæ in cœlis, & quæ in terris sunt pacificata & reconciliata Omnipotenti Deo.* Et dirigens verba sua ad sacerdotes: *Rogo etiam* (ait) *in Domino omnes fratres meos sacerdotes, qui sunt & esse cupiunt altissimi, quod quandocumque voluerint Missam celebrare, puri & purè faciant cum reuerentia sacrificium sanctissimi Corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi, sanctâ intentione & mundâ, non pro vlla terrena re, neque timore vel amore vllius hominis, quasi placentes hominibus: sed omnis voluntas, quantum adjuvat gratia omnipotentis, ad eum dirigatur, & soli ipsi Deo summo tantùm placere desideretis, quia ipse solus operatur ibi, sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur.* Et exaggerans Sacramenti dignitatem: *si B. Virgo* (inquit) *honoratur* (vt dignum est) *quia ipsum portauit in vtero suo: Si B. Ioannes Baptista contremuit & non audebat tangere Domini verticem: Si sepulchrum in quo per aliquod tempus jacuit sic veneratur: quantum debet esse sanctus & justus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum, & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet?* Et ex dignitate Sacramenti dignitatem Sacerdotum infert: *Videte* (inquit) *dignitatem vestram Fratres sacerdotes, & estote sancti quia & ipse sanctus est.* Et sicut *super omnes propter hoc Mysterium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos propter hoc Mysterium diligite eum, reuerenimi, & honorate. Magna miseria quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis.* Et velut totus absorptus in consideratione hujus Sacramenti exclamat: *Totus* (inquit) *homo paueat, totus Mundus contremiscat, & cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei viui: O admiranda Altitudo! O stupenda dignatio! O sublimitas humilis; quòd Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat.* Infrà: *Nihil ergo de vobis retineatis vobis vt totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum.* Ex quibus tam profunda reuerentia, & reuerentiali timore perculsus, erat Seraphicus Patriarcha, vt vnicam tantum Missam in die celebrari rogaret in Fratrum suorum quolibet habitaculo, siue loco: *Moneo præterea* (ait) *& exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantùm celebretur Missa in die secundùm formam S. Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit per amorem Charitatis, alter contentus audit à celebratione alterius, quia absentes & præsentes replet, qui eos digni sunt, Dominus noster Iesus Christus.*

Quanta reuerentia S. Francisci ad V. Sacramentum.

De iisdem etiam monet suos.

Exinde rogauit vt tantùm vna in die missa celebraretur.

Maximè sacerdotes.

Quali intentione celebrandum.

Quæ omnia singularem spirant deuotionem ad cultum Tremendi illius Sacramenti & sacrificii, nec absque fructu tum in Ordinem, tum in Ecclesiam vniuersalem deriuata sunt, vt ex sequentibus patebit.

§. III.

Fructus ex Ordine Minorum in V. Eucharistiæ Sacramenti & sacrificii cultu in Ecclesiam deriuati, cum explicatione aliquorum dubiorum.

TAntam quidem spirabat vita S. Patris in SS. Eucharistiam deuotionem, vt etiam, Animalcula illi familiaria, velut à Doctore illam haurirent: Cujus en tibi in Ouicula quæ ei fuerat oblata, viuum ex *S. Bonauentura c. 8. vitæ* exemplum. *Monebat* (ait) *Vir Dei Ouiculam, vt laudibus diuinis intenderet*, &c. *Quis autem quasi Viri Dei pietatem aduerteret*, &c. *Cum eleuaretur sacratissimum Christi Corpus inter Missarum solemnia, flexis curuabatur poplitibus, tamquam si reuerens pecus, de irreuerentia inde-*

Doctore S. Francisco animalcula etiam reuerentur SS. Sacramentum.

S. Bonau. c. 8. vitæ.

Dignitas sanctissimi Sacramenti.

Ex dignitate Sacramenti dignitas sacerdotalis.

notos argueret, Christoque deuotos ad Sacramenta reuerentiam inuitaret.

Sanè quia in suo Testamento tantâ energiâ S. Pater hæc *Sanctissima Mysteria* voluerat *super omnia honorari & venerari*, & (non obstante altissimâ paupertate) *in locis pretiosis collocari*: Hinc factum est vt Ordo singularissimè semper attenderit, vt magnâ deuotione sacra hæc Mysteria celebrarentur, & magno honore conseruarentur. Vnde & summus Pontifex illâ reuerentiâ, quæ à FF. Minoribus in Missarum solemniis obseruabatur incitatus, mandauit Venerabili Vitro F. Haymoni Anglico sexto à S. Francisco Generali *anno* 1239. electo, vt *Missarum* & aliorum *Officiorum Cæremonias*, & *Ritus* cõcinnaret in publicum totius Ecclesiæ vsum & obseruantiam. Quod quidem diligentissimâ operâ perfecit, quæ etiam Auctoritate Apostolicâ vniuersæ Ecclesiæ Romanæ communicata sunt. Tunc enim ab illo prodiit illud Cæremoniale Missarum quod incipit: *Indutus Planeta sacerdos*, quodque in hanc horam Missalibus præponitur, & aliæ Correctiones tum in Missalibus, tum in Breuiariis subsecutæ sunt, quas Ordo quidem primò acceptauit: vt constat ex Epistola B. Joannis Parmensis Ministri Generalis ad Prouinciam Tusciæ scripta (quam referunt Annales ad *annum* 1249. *n.* 2.) In qua mandat obseruari Ordinarium Missalis & Breuiarii à *Fratre Haymone sancta* (ait) *recordationis Prædecessore meo, pio correctum studio, & per sedem Apostolicam confirmatum, & approbatum per Generale Capitulum*, Quod similiter in totam Ecclesiam Romanam introductum fuit, & nouo & singulari Decreto Demandatum *per Nicolaum* 3. ad *annum* 1277. vt testatur *Rodolphus à Rivo* Decanus Tungrensis *lib. de Can. Obs. propos.* 22. *Tom.* 11. *Bibliot. SS. Patrum Editionis Coloniensis.* Et Iacobus Pamelius ad Mirrologum de Eccl. Obs.

Ritus & Cæremoniæ Ecclesiasticæ FF. Minorum derivatæ ad totam Ecclesiam.

Hinc semper in hunc diem creuit in Ordine & ab Ordine propagata est per vniuersum sancta ad Diuinissimum Sacramentum deuotio, radicata in exemplis & admonitionibus S. Patris. Vnde in speculo vitæ ejus c. 48. refertur: Quod suis Fratribus per mundum euntibus præcepisset; vt in Prouinciis in quibus morabantur, de reuerentia ad hoc Sacramentum summè solliciti essent, & admonerent Sacerdotes & Clericos, vt Corpus Christi digno & honesto loco reponerent, & quòd si hoc ipsi negligerent, Fratres supplerent. Imò voluit (vt ibidem dicitur) aliquando Fratres aliquos mittere per diuersas Prouincias qui secum deferrent multas Pixides mundas & pulchras vt vbicumque in-

S. Francisci mira sollicitudo pro debita reuerentia ad SS. Sacramentum.

uenirent Corpus Dominicum non honestè repositum, in illis honorificè collocarent. Alios etiam mittere volebat per Prouincias cum terreis instrumentis ad cõficiendas hostias mundas & nitidas. Singulariter autem notatur, quod cùm dimitteret Fratres suos ad diuersas orbis Regiones, ipse S. Pater elegerit *Franciam*: *Quia* (inquiebat) *ibi exhibetur reuerentia Corpori Christi, quod mihi supra modum placet.* Hanc venerationem imbiberat B. Virgo Clara, quæ miserta pauperum Ecclesiarum, in quibus sacrum Domini Corpus in vilibus consecrabatur, vel asseruabatur, propriis manibus Corporalia illis præparabat. Vnde c. 18. *vitæ* de ea, scribitur: *In illa infirmitate, qua eam grabato affixerat, faciebat se erigi, & fulcimentis appositis sustentari, & sedens filabat delicatissimos pannos, de quibus vltra quinquaginta paria Corporalium faciens, & ea sericis vel purpureis thecis includens, per plana & montana Assisii, variis Ecclesiis destinabat.* Quam piam liberalitatem suis filiabus in exemplum reliquit. Vnde & à Domino meruit, præcedente seu delatâ ante eam *Pixide Eburneâ*, in qua repositum erat Corpus Christi *saracenos* Monasterium ejus inuadentes, virtute Sacramenti hujus deturbare, & in fugam compellere.

Quam liberaliter fuerit in Franciam.

S. Clara mira deuotio ad SS. Sacramentum.

Super his omnibus aduertendum est: Nonnullos interdum nimis scrupulosos inutiliter quæstiones mouere super pretiositate Vasorum, in quibus consecratur vel conseruatur Corpus Christi, ac ornamentorum quæ Altaribus deseruiunt: Cùm enim expressè tam in suis Epistolis, quàm in Testamento, sanctus Patriarcha mandet & velit, vt Sacra illa Mysteria *super omnia veneretur, & honorentur, ac in locis pretiosis collocentur*: Quid scrupuli remanet, si Calices, Patenæ, Pixides & Ciboria siue Sanctissimi Sacramenti Tabernacula apud FF. Minores pretiosa sint? Et si *super omnia honorari debent*, quid scrupuli si Altaris & Sacrificii Ornamenta pulchra, & materiæ exquisitæ sint? Quæ enim ad Dei cultum & sacrorum Mysteriorum honorem à mundi initio pertinuerunt, semper pretiosa fuisse constat. Et ipse S. Patriarcha mandat vt *pretiosa sint* ad venerationem *super omnia*, id est, excellentiâ aliquâ præcellant: Et cùm ista Fratres in humanis suis vsibus non contingant, nihil eorum paupertati derogant, sed Diuino cultui accrescunt, & Ecclesiæ ministerio deputantur. Certè antiquis Patribus etiam Paupertatis Apostolicæ assertoribus Calices aureos huic Mysterio adhibitos testantur Historiæ sacræ ac monimẽta antiqua

Quid dicendum de vasis, vestibus & ornamentis sacris pretiosis FF. Minorum.

antiqua. Et Ecclesiarum spoliator *Julianus Apostata* Sacram supellectilem admirans: *Ecce* (ajebat) *quibus Vasis ministretur filio fabri.* Scio Fratres zelatores pretiositatem vasorum, & ornamentorum in quæstionem aliquando coram Pontifice in Concilio Viennensi sub *Clemente V.* euocasse. Et in Extrau. *Exiui de Paradiso*, hanc reportasse responsionem: *Quapropter* (ait Pontifex) *sufficere debent eis* (FF. Minoribus) *vasa & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero & magnitudine sufficientia competenter: superfluitas autem aut nimia pretiositas, in his seu alijs quibuscumque non potest ipsorum professioni aut statui conuenire.* Cujus rationem reddit: *Quia sapiunt thesaurizationem & copiam, quæ paupertati tanta, quoad humanum judicium, derogat manifeste.*

Quid circa hoc decreuerit Papa Clemens V.

Verùm attendat æquus Interpres: Pontificem non condemnare *pretiositatem* Vasorum & Ornamentorum (cùm S. Pater determinet vt *ipsa loca* in quibus Mysteria Sacra collocantur, sint *pretiosa*, & vt ipsa Mysteria *super omnia honorentur*) sed condemnare *nimiam pretiositatem*, & *in numero superfluitatem*, ac ea quæ magis curiositatem sapiunt, quàm decentiam & honorem; cum priùs jam determinasset, vt fratres habeant *vasa & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero & magnitudine sufficientia competenter. Pretiositatem* ergò supponit, *Decentiam* mandat, *numerum & magnitudinem sufficientem* & competentem judicio proborum relinquit, & tantùm declinandum à judicijs humanis *De thesaurizatione* insinuat. Superest igitur, vt juxta judicium S. Patris, & Summorum Pontificum illa verè *pretiosa sint*, tantæ Majestati, ac tanto Sacramento ac Sacrificio *decentia*, non pauca, nec parua, sed *in numero & magnitudine* competenti. Verus itaque zelator oculo sincero excessum ita notet in pretiositate, vt *pretiositatem* non excludat: Vanas & impertinentes curiositates in cælaturis, Gemmis & alijs, ita expendat, vt nec honestatem, nec artificij ingenium & nitorem, quæ ad *Decentiam* tremendorum Mysteriorum spectant, condemnet, & consentimus. Nec in supradictis *Thesaurizationem* oculus nequam Fratribus imponet; cum omnibus notum sit veneration Mysteriorum, à S. Francisco demandari non Fratribus per illa deseruiri. Et quidem in Capit. Generali *Narbonensi* sub S. Bonauentura proscriptis pretiositatibus in Crucibus, ampullis, thuribulis, reseruatum fuit singulariter, & decretum vt Pixides in quibus S. Eucharistia asseruanda erat, vel deportanda, ex puro argento fierent. Quod verò quandoque inter Reformatos maximè per Constitutiones cautum est de Ornamentorum simplicitate; illa

Quanam pretiositas in illa prohibeatur FF. Minoribus.

Pretiositas vnde desumenda.

simplicitas non excludit pretiositatem, quæ juxta circumstantias Regionum & temporum expendenda est (in quibus attendi debet quæ Sacrificio & Sacramento secundùm majus & minus proximiora sunt) sed quasdam vanitates & curiositates, quæ sæcularem magis pompam sapiunt, quàm Ecclesiasticam decentiam. Vnde in supracitato Capitulo Generali *Narbonensi* sub S. Bonaventura constitutum erat: *Ne anfligiatos aut sericos pannos fratres haberent, absque licentia Ministri & Definitorum in Capitulo Prouinciali, qui* (ait) *prouideant, vt excessus euitentur. Pannos anfligiatos* vocat, pannos polymitos, & variis figuris acu pictos, &c. Quos tamen sicut nec *sericos* prohibet, sed tantum mandat vt Ministri & Definitores inuigilent, ne in illis excessus fiant. Et zelatores Regulæ in Concilio Viennensi apud *Clementem* V. conquesti non sunt de pretiositate Paramentorum Ecclesiasticorum simpliciter, sed de excessu: *Paramenta etiam Ecclesiastica* (inquiunt) *in plerisque locis tam multa habent, & tam notabiliter pretiosa, quod excedunt in his magnas Ecclesias Cathedrales.* Nota, *tam multa* vt indicent superfluitatem. Nota: *tam notabiliter pretiosa vt excedant in his magnas Ecclesias Cathedrales*, vt indicent grauissimum excessum. Non ergo zelatores arguerunt simpliciter *pretiositatem*, sed pretiositatis excessum, comparatione etiam factâ ad magnas Ecclesias Cathedrales, qui excessus euidenter maximus est. Hanc ergò solum nimietatem condemnauit Pontifex. Sanè *Gregorius* IX. Regulæ nostræ & Paupertatis zelantissimus, (teste Auctore Annalium ad *annum* 1230.) decorare volens Ecclesiam Assisiensem, vbi Corpus S. Patris requiescit, in die Translationis ejus, *Crucem auream non mediocris ponderis opere gemmario elaboratam, pretiosis ornatam lapidibus, fixâ in medio magnâ Christi Crucis parte, nec non vasa magna argentea, & ministerialia quaque Altaris inaurata, antipendium etiam magni pretij, &c. obtulit.* Quæ contra paupertatem FF. Minorum non putauit, intentionum S. Patris in omnibus conscius. Et jucundum fuit responsum *Patriarchæ Sahidi* ad mortem laborantis cuidam simplici Fratri (de quo *Pisanus l. 3. Conform. 32.* Cùm enim Frater ille videret S. Patrem saccis indutum, & saccino stragulo coopertum, illi spirituali velut applausu dixit: *Quantum* (ajebat) *venderes tu Domino tuos saccos? Multi quidem Baldachini & panni de serico ponentur supra Corpusculum tuum, quod modò indutum est sacco.* Cui magno feruore & lætitiâ spiritus B. Franciscus respondit: *Tu verum dicis, quoniam ita erit pro laude & gloria Domini mei.*

Quæ & quàm pretiosa Ecclesia Assisiensis dederit Greg. IX.

Ad lepidum dictum, jucundum responsum S. Francisci.

Si ergo æstimauerit ad gloriam & lau-

dem Dei cedere, quòd Corpusculum suum jam mortuum, pretiosis, sericis & auratis pannis velaretur, verus paupertatis zelatore quanto magis æstimare debuit, intemerata paupertate, gloriam Dei exaltari, si sacra Mysteria in pretiosis collocarentur, in pretiosis conficerentur, celebrarentur, ministrarentur: quoniam non ad Fratres, sed ad Dei gloriam ista fieri manifestum est. Et Fratres istis non vtuntur vt suis, sed vt alienis, & Deo & Ecclesiæ consecratis & oblatis. Fundati firmam Resolutionem habet super istis *Firmamentum Trium Ordinum q. 1. Tit. vlt.* ante Memoriale Ordinis, cui Titulus: *Conclusio declaratoria antiquarum Constitutionum*, præcipue quoad vsum rerum Ecclesiasticarum ad divinum Cultum; quam vtiliter Paupertatis zelator leget. Conformiter ad supradicta S. Bernardinus in *Epistola sua art. 6.* concludit: *Sexto* (ait) *declaratur, quod in Calicibus & Patenis argenteis, dummodò non nimia & excessiua magnitudine & pretiositatis sint, non repugnat Regula, imò satis conuenit, quòd possint haberi*, &c. Et Ecclesia vult illa deaurari.

Quanta reuerentia in Ordine Minorum circa Sacramenti hujus Ministeria obseruata fuerit, ostendit S. Bonauentura in suo Speculo Nouitiorum c. 17. Vbi nequidem permittit Diacono, aut Sacerdoti in solo superpelliceo Missæ ministrantibus, præsente Sacerdote Sacris vestibus induto Corporalia super Altare replicare, vel componere. Nec alias Corporalia tractare, aut panem & vinum ministrare, nisi Superpelliceo strictus manicis induto. Et alia ibidem vide quæ reuerentiam ingerunt etiam ad stuporem.

Quanta porrò deuotio & reuerentia in Ordine Minorum circa Sacramenti hujus Ministeria obseruata fuerit, ostendit S. Bonauentura in suo *Speculo Nouitiorum c. 17.* Vbi nequidem permittit Diacono, aut Sacerdoti in solo superpelliceo Missæ ministrantibus, præsente Sacerdote Sacris vestibus induto *Corporalia* super Altare replicare, vel componere. Nec alias *Corporalia* tractare, aut panem & vinum ministrare, nisi *Superpelliceo strictis manicis induto*. Et alia ibidem vide quæ reuerentiam ingerunt etiam ad stuporem.

Diligentia FF. Minorum in excitando alios ad hanc deuotionem.

Quantâ etiam diligentiâ FF. Minores semper studuerint populum ad deuotionem erga S. Eucharistiam inuitare, constat ex illa cæremonia, quæ tempore S. Bonaventuræ instituta est, vt ad eleuationem Corporis Christi in Missa Conuentuali *Campana maioris signo* ad reuerentiam & adorationem fideles vbicumque existentes inuitarentur. Constat etiam ex insigni illa Confraternitate & solemni *Trium Deuotionum B. Virginis* confirmata *à Leone X.* per Bullam quæ incipit: *Cùm in honorem.* Datam *Romæ die 6. Julii anno 1517. Pontif. anno 4.* ad instantiam *R. P. Gabrielis Maria Commissarii Generalis* FF. Minorum nobis Cismontanæ familiæ, inter quas deuotiones est illa ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum: Ratione cujus Confratribus hæc sequentia imponuntur. 1. *Vt quilibet Missam singulis diebus (si facultas adsit) audiat.* 2. *Vt nunquam loquantur in Ecclesia nisi Orationis verba.* 3. *Quod procurent in Ecclesiis vt Altaria, Calices, & Ornamenta sint munda & nitida, dando & prouidendo Ecclesiis pauperculis & aliis talia non habentibus de rebus si habeant, vnde, & sint diuites.* 4. *Vt sanctissimum Corpus Christi associent, cùm ad infirmos defertur, vel cùm Processiones celebrantur.* 5. *Cum pro Missa celebranda Campanæ signum audiunt, dicant vnum* Ave Maria *pro Sacerdote celebraturo & populo Missam audiente.* Quam quidem Confraternitatem Pontifex multùm commendat, & singulariter committit dicto B. Memoriæ Patri Gabrieli, vt per se & Fratres sibi subditos illam in sermonibus priuatis & publicis diuulgent & magnificent. Quæ quidem illo tempore multùm magnificata fuit, & in nonnullis locis ad hunc diem perseuerat. Vtinam apud omnes restituatur & reuiuiscat! Vide Bullarium Rodriguez Bulla 14. & 41. ejusdem Pontificis.

Pulsus campanæ ad eleuationem ad quid & à quo institutus.

Institutio Confraternitatis trium deuotionum B. V.

Leges ejusdem.

Celebratio vnius Missæ vnâ die an obsitet deuotioni V. Sacramenti.

Verum ex dictis, hic Quæstio non à paucis mota est: Qualiter S. Franciscus hujus Venerabilis Sacramenti tantus promotor fuerit, qui suos Fratres in locis, in quibus morabantur, ad vnam vnius Sacerdotis Missam restringere voluit, *ita vt tantum Missa in quolibet loco Fratrum qualibet die celebranda esset.* In quo ne *Philippo Melanchtoni*, aut priuatarum Missarum aduersariis ansam daret, nonnulli timuerunt, quippe qui Missarum priuatarum multiplicationi adversantur. Nolo hic disputare: *Franciscus vir Catholicus & totus Apostolicus Ecclesiæ teneri fidem Romanæ docuit, Presbyterosque monuit præ cunctis reuereri.* Nihil igitur ab Ecclesia difforme sensit, nihil super priuatis Missis vel à limine disposuit: sed quod sibi visum est pro tempore vtile & salutare, ad id suos exhortatus est. Et quidem in Ecclesia tunc temporis non erat insuetum vnicam in quolibet Cœtu Missam celebrare in die, vt omnes ad illam conuenirent maximè apud Regulares: vt de *Carthusiensi Ordine* probant, quæ à *Petro Blesensi* S. Francisco coætaneo Epist. 86. referuntur. Et *Philippus* Abbas bonæ Spei S. Bernardo coætaneus *lib. de continentia Clericorum c. 81. & seq.* eam insinuat consuetudinem fuisse antiquorum Monachorum: super quo etiam consulendus est *Cassianus l. 3. de Instit. Monast. c. 11.*

Quid circa hoc de intentione S. Francisci dicendum.

Dico ergo multiplicationi Missarum S. Francisci contrarius non fuit, qui magis suos exhortatus est, vt quandocumque vellent Missam celebrare, *puri & pure facerent cum reuerentia*, &c. sed singulari instinctu suo gregi prouidere volens vt vnicâ in loco habitationis Missâ contenti esse vellent, exhortatus est, idque triplici ex capite. 1. In signum & ad conciliandam majorem in Celebrante humilitatem & reuerentiam, in quibus scrupulosè aliquando excesserat *S. Bonauentura*, dum de-

1. Ad maiorem humilitatem.

missæ

missæ mentis humilitate pluribus diebus à perceptione Sacratissimi Corporis Christi abstinuit: quam humilitatem Deus respiciens, cùm die quadam in Missa deuotus adesset, particulam consecratæ hostiæ de manu celebrantis per Angelum acceptam illius ori clementer immisit, multo posteà fœnore deuotionis.

S. Bonauentura de manu Angeli communicat.

2. Vnicam Missam volebat in die celebrari, cui simul omnes assisterent, vt facto agmine omnes in vna hostia vnitis votis, diuinam Majestatem interpellarent: Vnde & in Canone Sacerdos memoriam facit: *Omnium circumstantium pro quibus offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium.* Magna namque virtus est eorum qui simul Sacrificio assistentes, Sacrificium ipsum per manus Sacerdotis offerunt. Quapropter S. Pater suæ exhortationi subjungit: *Si verò in loco fuerint plures Sacerdotes, sic fit per amorem charitatis alter contentus audità celebratione alterius: quia absentes & præsentes replet qui eo digni sunt Dominus noster Iesus Christus.* Absentes vtique, pro quibus offertur, Præsentes, qui simul offerunt.

2. Vt omnes simul præsentes essent.

3. In raritate Celebrationis majorem famem sitimque diuinorum Mysteriorum in suis excitare volebat: quam famem sitimque, mirabiliter interdum compensat Deus, vt de Sancto *Bonauentura* in fine vitæ suæ refert *Vinea S. Francisci cap. 4.* Cum enim subitò viribus destitutus, præ nimio vomitu Christi Corpus pro Viatico sumere non posset: Iussit nihilominus illud adferri, cujus præsentiâ saltem, cùm sumere ipsum vereretur, confirmatus, lætiùs constantiusque exeederet. Itaque Pixidem quod Ciborium vocant, in quo Corpus Domini portabatur, suo lateri admoueri voluit, vt sumendi desiderium indicaret. Mirabile dictu: *Sub Pixide latere appositâ in formam rosæ rubentis latus aperitur, quâ Christi Corpus è Pixide in ejus cordis interiora se immisit, nullo post apertura relicto vestigio.* Sic famelico suorum Mysteriorum latisfecit Deus. Ex quibus conjiciat pius Lector quid Ordo Minorum honori Sanctissimi Sacramenti contulerit.

3. Ad majorem famem & sitim diuinorum.

Per S. Bonauenturam non volentis recipere viaticum latus aperitur vt sumat S. Hostia.

Portò in gratiam multiplicatæ per Ordinem S. Francisci ad SS. Eucharistiæ Sacramentum deuotionis, *Pius* V. indulsit vt singulis Feriis quintis Festo aliquo duplici vel semiduplici non impeditis extra tempus Aduentus & Quadragesimæ Officium de Corpore Christi Fratres celebrarent: quod singulari deuotione seruatur.

In Ordine Minorum fit Officium de V. Sacramento singulis Feriis quintis.

§. IV.

Exaltatio adorandi Nominis Iesu Ordini S. Francisci singulariter reseruata.

EXaltationem *Nominis Altissimi Iesu*, quod ab æterno à Deo designatum, à Patribus & Prophetis prænuntiatum, ab Angelis denuntiatum, a Maria & Joseph diuino Mandato Christo impositum fuit, singulariter Apostolo Paulo commissum Acta Apostolorum testantur, ipso Domino ad Ananiam dicente: *Vade quoniam Vas electionis est mihi iste, vt portet Nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filius Israel: Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro Nomine meo pati.* Portauit quidem & Nomen istud Princeps Apostolorum Petrus, qui *in Nomine Jesu Christi Nazareni* Claudi ex vtero Matris basis consolidauerat & plantas, & integram sanitatem ei restituerat in conspectu Israel. Portauerant illud & alii Apostoli, quibus datum sanitates & signa & prodigia facere per *Nomen Sancti filii Dei Jesu.* Qui &, *Ibant gaudentes à conspectu Concilii quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati.* Verum specialiùs Paulo Commissio illa data est, qui in Exaltatione Nominis Jesu & ejus adoratione singularis Præco apparuit: Vnde ad *Philippenses* 2. Illius SSmi Nominis rationem, eminentiam, & virtutem reddens, vbi summam Christi Filii Dei exinanitionem & humiliationem energicè secundùm omnes sui partes descripsit, quibus se humiliauit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: *Propter quod (ait) & Deus exaltauit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne nomen, vt in Nomine Jesu omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Magnitudinem & virtutem Nominis Jesu prædicauerat Petrus *Actor.* 4. *Non est aliud* (inquit) *Nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, nec est in aliquo alio salus.* Prædicauerat & Joannes cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in Nomine ejus.* Prædicauerunt cæteri Apostoli Discipuli in signis & miraculis, mandante Domino: *In Nomine meo dæmonia ejicient*, &c. *Adorationem* autem *Nominis Jesu* præter Apostolum Paulum non inuenitur aliquis singulariter prædicasse. Hic enim non tantum prædicauit *Nomen Jesu*, salutem omni credenti, & virtutem contra

Exaltatio Nominis Jesu specialiter commissa S. Paulo.

Act. 9. vers. 15.

Act. 3. vers. 6.

Act. 4. vers. 30.

Act. 5. vers. 41.

Philip. 2. vers. 9.

Virtus & excellentia Nominis Iesu.

Act. 4. vers. 12.

Ioan. 1. vers. 12.

Marc. 16. vers. 17.

Adoratio Nominis Iesu prædicata à solo Paulo.

omnem adversariam potestatem, sed adorandum omnibus proposuit, *vt in Nomine Iesu omne genu flecteretur.* Hoc enim didicerat, dum in Paradisum Dei sui raptus esset. Ibi enim (ut refert *S. Bernardinus Serm. 4. de Amore ineffabili in Feria 6. post 6. Quadragesimæ*) in raptu illo in Dei visione transitiva, & Christi Jesu gloria tantum sensit stuporem, tantâque dulcedine absorptus est, vt fortiter exclamaret; *Iesu trahe me post te*, &c. Ad quam vocem & prolationem *Nominis Iesu* Paulus raptus, vidit omnes Angelos beatos in statu, per gloriam, & homines viatores per gratiam & damnatos per pœnam, *Nomen Iesu adorare*, quia Sanctum & terribile Nomen ejus. Quo sensu & *Bernardus serm. 15. in Cant.* expendens virtutem illam in omnes effusam pro adoratione *Nominis Jesu*; *Oleum* (ait) *effusum nomen tuum, effusum planè, quod non solum cœlum terrasque inspersit, sed aspersit & inseret, adeò vt in Nomine Jesu omne genu flectatur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur & dicat; Oleum effusum Nomen tuum.* Et ne de dæmonibus & damnatis dubites, audi *Georgium Venetum* in Harmonia mundi *Cant. 2. tom. 2. Neque* (inquit) *tacebo, quod experimento didici, nullum dæmonem ex his, qui vexant humana corpora, posse resistere, quin velint nolint genua flectant, quando Nomen Jesu debitè pronuntiatum ipsis proponitur venerandum, vt fidelis inueniatur qui dixit: In Nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Conformiter *Gregorius Nazianzenus* Epist. ad Nemesium: *Ipse* (inquit) *qui Christo nomen dedi, Augustum illud Nomen vix pronuntiaui, cùm statim dæmonium sine stridore longissimè se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.* Et quamuis illa Dæmonum genuflexio sit Majestatis & terroris, honoris tamen est & debitæ recognitionis. Sancta etiam est illa quæ peccatoribus viatoribus competit, de qua S. Ambrosius l. 6. Hexam. c. 9. *Flexibile* (inquit) *genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia provocatur. Hoc enim Patris summi erga filium donum est, vt in Nomine Jesu omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

Philip. 2. vers. 10. — *Nomen Iesu omnibus adorandum & tremendum.* — S. Bernardus. — Etiam dæmonibus. — Philip. 2. vers. 10.

Hujus itaque *Adorationis* singularis Præco fuit S. Apostolus Paulus, cujus tantus fuit in prædicatione hujus Nominis fervor, vt de illo *Hieronymus* in *cap. 1. ad Ephes.* ausus fuerit hanc Censuram pietatis dare: *Hoc patiebatur Paulus de nimio amore Christi* (inquit) *vt eum semper quem diligebat etiam superflue nominaret.* Hinc notat & *S. Bernardinus* suprà Paulum gloriosum Nomen Iesu in Epistolis suis *quingenties* nominasse. Et in complementum tanti affectus, dum sanguinem in lactis modum in decollatione sua Caput ejus abscissum stillaret, tribus saltibus *ter Nomine Iesu invocato, triplex fons exuberantis aquæ è terra ortus fuit*, qui fontes adhuc modò visuntur.

S. Hieronymus. — Quam familiare S. Paulo Nomen Iesu. — Etiam in morte.

Sufficere profectò debuisset ipsa Doctrina Pauli ad *Adorationem Nominis Jesu*, sive mentaliter conceptum, sive voce pronuntiatum *sive scriptum, sive pictum, sive sculptum* fuisset. Nihilominùs cùm non foret consuetudine in Ecclesia introductum, vt *Pictum* vel *Sculptum* adorandum proponeretur: Hanc *Gloriam Adorationis sui Nominis in Sculptura, Pictura, sive Imagine*, reseruarat Christus Dominus singulari prouidentiâ Ordini S. Francisci, vt qui suarum Plagarum sive stigmatum in Passionis amaritudinæ memoriam *Communicationem singularem* in Sancti Patriarchæ carne impressam mundo renouandam reseruauerat: Adorationis *Nominis sui exaltationem* in *Pictura* sive *Sculptura* in Reformatione Ordinis ejusdem Præconi suo *S. Bernardino* initia prima reseruaret. Quod quidem mirabiliter, & non sine multis contradictionibus contigit, vt eò glorioſior victoria appareret. Sicut autem in Consecratione Ecclesiæ *S. Salvatoris* Romæ primùm *Imago Salvatoris* in pariete picta publicè populo Romano veneranda apparuit: Ita *Nomen Iesu* in Imagine sive Pictura expressum mundo adorandum primo populo Christiano publicè à *S. Bernardino* expositum fuit: Historiam breuibus perstringo.

Quod Nomen Iesu adoretur in imagine. — Ordo Minorum fuit causa. — 1. S. Bernardinus

Circa *annum* 1420. S. Bernardinus postquam totam fermè Italiam, vtpotè Venetos, Mediolanenses, Genuenses, Veronenses, Mantuanos, Placentinos, Parmenses, & Ducatum Mediolanensem, parteſque Æmiliæ Prædicatione Verbi Dei, miro fructu, innumerabilium peccatorum conuersione, & virtutum segete illustrasset ac Hæreticos confutasset. Inter alios quemdam Maufredum Vercellensem (Virum alias Venerabilem, peritum & timentem Deum) conuicisset, quia fallis reuelationibus & visionibus deceptus, instantem aduentum Antichristi prædicabat, multum populum ad se attrahebat, eos ad auste ritates varias excitabat, & Romam ducens, ibi eis Martyrium & victoriam contra Antichristum promittebat, &c. Eum itaque verbo & scripto Bernardinus delusum cum publicè ostendisset: Ad propugnationem *Cultus SSmi Nominis Jesu* diuino spiritu inflammatus, se conuertit, eò maximè quò illud *Nomen, quod est super omne nomen* experiretur non solùm non coli, sed in Jurmentis execratoriis blasphemè assumi. Cœpit igitur *Tabellam* in qua *Nomen Jesu* sculptum & litteris aureis depictum, ac solis radiis circumcinctum erat, post quam-

S. Bernardinus conuicit Maufredum. — Cultum SS. Nominis Jesu conatur introducere.

quamlibet Concionem populo ſpectandam & adorandam proponere, quam & flexis genibus populus adorabat: Cœpit & extraordinariâ eloquentiâ & virtute *SSmi Nominis* excellentiam & virtutes populo declarare; & miro feruore honorem diuiniſſimi Nominis propagare. Quæ cauſa fuit, procurante ſerpente antiquo, æmulationis, inuidiæ, & odii in Virum Sanctum: Plurimi enim præcipuè *Manfredi* (cujus illuſiones repreſſerat) ſectatores & fautores, nec non alii gloriæ Sancti æmuli, Phariſaicâ inuidiâ cœperunt ex dictis *S. Bernardini* adulterinos ſenſus exſugere & ex illis propoſitiones hæreticas effingere, omniáque tam verba quàm facta in peſſim interpretari. Et facto agmine S. ſedem pulſare, quaſi puriſſimus Chriſti Præco *Bernardinus*, aut Hæreticus, aut de Hæreſi ſuſpectus eſſet. Tantum verò inualuit illa perſecutionis inſolentiſſimæ tempeſtas, vt Summus Pontifex *Martinus V.* inductus fuerit, Bernardinum Romam euocare, vbi illum tamquam temerarium Concionatorem, ac Hæreſis peſtiferæ propagatorem verbis grauiſſimis excepiſſe dicitur: Illíque & Conciones interdixiſſe, & ne *Nomen Ieſu* in Tabella adorandum populo deinceps oſtentaret, prohibuiſſe; donec re penitus examinatâ, veritas & Controuerſiæ ſtatus pleniùs manifeſtaretur. Sic diuina Prouidentia etiam in ſupremis Eccleſiæ Hierarchis ludere ſoler, vt & illos turbari permittat, & interdum pro aliquo tempore decipi, vt veritas de errore, ſinceritas de fraude, realitas de fictionibus, ſanctitas de calumniis glorioſiùs triumphet.

Quod cauſa odii in ipſum.

Habetur & accuſatur vt hæreticus.

Citatur Romam, vbi malè excipitur.

Mira prouidentia Dei.

Prudentiſſimè igitur Chriſti Vicarius ſeriam Conſultationem ſuper ils quæ *Bernardino* imponebantur indixit: Et viri Doctiſſimi tum ex Ordine Prædicatorum, tum ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini in omnes Libros & Sermones, nec non dicta factáque Bernardini inſtituto authoritate Pontificiâ ſolemni Conſeſſu inquiſierunt: Datus eſt locus Aduerſariis vt ſua proponerent: *Bernardino* autem, vt eorum objecta diluerer. Non deerant ex Ordine Franciſcano Viri doctrinâ eminentiſſimi *Bernardini* defenſores, inter quos Ducem & velut Dictatorem ſe exhibuit *B. Joannes Capiſtranus* Sancti Diſcipulus & Socius, qui Neapoli relictâ, vbi miro fructu prædicabat, pridie quidem diſputationis Romam venit; Et eleuato vexillo quod manu gerebat, in quo *Nomen Jeſu* pulcherrimis characteribus, & inſigni formâ radiorum ſplendore circumdatum erat, velut Triumphi ſubſequentis augurio multâ turbâ Ciuium Aquilanorum, & aliorum aduenarum, nec non Romanæ plebis comitatus, per publicas plateas proceſſit, Turbâ acclamante & cãtante *S. Bernardi* Rithmos de Nomine Ieſu, quo *nil canitur ſuauius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Ieſus Dei Filius.* Sic per mediam Vrbem incedens, pio fidelium cœtu velut exercitu creſcente ad Vaticanum perrexit ipſo Conflictus die. Commotus eſt iſtis piorum votis & acclamationibus Pontifex; Et *Capiſtrano* quidem facultatem fecit pro *Bernardino*, dicendi, *Bernardino* autem ad objecta reſpondendi, & ſe ſuaque juſtificandi: In Baſilica igitur Principis Apoſtolorum grauiter certatum eſt: *Bernardino* ad ſingula clarè reſpondente: *Capiſtrano* pro eo doctiſſimè declamante: Aliis ſua argumenta depromentibus.

Examinatur Doctrina & Sermones Bernardini.

B. Joannes Capiſtranus eius defenſor.

Tandem veritas vicit, & Pontifex clariſsimè aduertit omnes accuſationes contra Virum Dei factas, nil aliud fuiſſe quàm venenatas locuſtas ex puteo Abyſſi odii, inuidiæ, liuoris erumpentes. Vnde poſtridie vocatum ad ſe *Bernardinum* Apoſtolicâ Benedictione datâ gratiis & fauoribus congruis muniuit, amplamque facultatem illi impertiit liberè vbique prædicandi Verbum Dei, & *SSmum Ieſu Nomen populis adorandum* proponendi. Et vt ejus innocentiæ honor debitus (qui in Accuſationibus ab Aduerſariis contra illum effectis periclitari viſus fuerat) pleniſſimè reſtitueretur: Mandauit Pontifex vt in honorem *SSmi Nominis Ieſu*, vniuerſus Clerus Romanus Proceſſionem publicam inſtitueret, Exaltato in ſublime Vexillo in quo *SSmum Nomen Ieſu* eâ formâ quâ *Bernardinus* illud primò depingi fecerat, magnis figuris depictum appareret, & omni populo ſpectandum & adorandum exponeretur. Quod & mirâ ſolemnitate magno populi applauſu factum eſt.

Ejus victoria & Triumphus de Nomine Jeſu.

Hæc eſt Origo Cultus Publici *Nominis Ieſu*, ſiue picti, ſiue ſculpti, ſiue ſcripti, qui approbante Romanâ Eccleſiâ à *S. Bernardino* ex Ordine Franciſcano obortus eſt. Ab eo enim tempore *Altaribus, Templorum portis, Domorum frontibus, Cubiculis*, &c. *SSmum Nomen Ieſu* affigi cœpit, ejuſque Cultus propagari. Vnde (vt referunt Annales ad *annum* 1427.) quo anno Controverſia illa diſſoluta eſt: Florentini ad finem ſupplicationis Cleri Romani, & illo præſente erexerunt Romæ in platea Sancti Crucis prægrandem lapidem inſculpto in illo egregiis Characteribus *Ieſu Nomine*, in hujus Trophæi perpetuum monumentum. Et juſſu Pontificis *S. Bernardinus* octoginta continuis diebus in Baſilica Vaticana prædicauit, ac poſteà in aliis Eccleſiis Romanis, Domino ſermones ejus ac *Nominis Jeſu* honorem confirmante ſequentibus ſignis. Ità factum eſt vt in *Nomine Ieſu* Dæmonia illa quæ tempeſtatem contra Virum

Cultus Nominis Ieſu propagatus.

Trophæum primæ victoriæ.

Sanctum excitauerant, ejicerentur & serpentes inuidiæ ac odij tollerentur, & si quid mortiferum ex peruersâ doctrina aliqui bibissent, non eis noceret. Narrat porrò Annalista Aduersarios corrupto muneribus quodam *Michaele* Plebano Mediolanensi fidei in Vrbe Promotore, Causam hanc coram *Eugenio* IV. resuscitare voluisse: Verum non minori dedecore eundem Causâ cecidisse, & qui erat interfectorum præcipuus, Dei judicio subitanea & improuisâ morte extinctum fuisse. Vnde in 2. Victoriæ Trophæum. Cùm Bononiæ affixam Summo Altari apud S. *Petronium* Tabellam, in qua impressum erat Venerandum *Nomen Jesu* litteris aureis, quidam æmulus jussisset auferri, ejusque loco Imaginem Crucifixi erigi: *Eugenius* IV. de hoc monitus dictam *Tabellam* jussit restitui, & capiti Crucifixi affigi. Quæ cum ex S. *Petronij* templo aliquando ad Conuentum S. Pauli in Monte juxta Bononiam, vnà cum Imagine Crucifixi translata esset. Hanc meruit Epigraphen: *Hæc duo signa nostræ salutis insignia: Imago Crucifixi, & Nomen in quo salus summa, debito honore à toto Clero hujus almæ Ciuitatis Bononiensis ab Ecclesia S. Petronij, huc delata sunt jussu Eugenij IV. tunc temporis Pontificis Maximi.* Vide Arturum ad 14. *Januarij in Martyrologio Franciscano.*

Aduersarij alij demum confundantur.

Trophæum 2. victoriæ.

Vt autem penitius constet hanc Doctrinam de *Nomine Jesu* à *S. Bernardino* traditam non fuisse in suis fundamentis nouam, sed antiquitùs *Nomini Jesu* summam à nonnullis Sanctis in priuato exhibitam deuotionem, refero nonnulla Monumenta: Inter alia in vita S. Ignatij Martyris: Ob vehementem affectum, quem ad *Nomen Jesu* habebat, inuentum est *Nomen Jesu* impressum *Cordi ejus*. Et de *Nomine Jesu* scripto admiranda habetur Historia, quam refert oculatus testis *B. Ephrem* Tom. 3. *Biblioth. SS. Patrum* pag. 266. de *S. Iuliano ejus Discipulo*. Cùm enim B. Ephrem notasset in libro quo vtebatur B. Julianus varias lituras vbicumque *Nomen Jesu* scriptum fuisset: *Quodam die* (ait S. Ephrem) *sic dixit ad eum: quis hosce libros corrupit? Beatus verò* (Julianus) *ad me: Nihil à te penitùs abscondam: Formicatrix Mulier ad Saluatorem accedens lachrymis pedes ipsius rigauit, & capillis capitis sui tersit: Et ego vbicumq; Dei nomen mei scriptum competio, lachrymis meis rigo, vt & ego ab eo remissionem peccatorum accipiam. At ille dixit: Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo.* Hæc ibi. Ex quibus colligo quo cultu *Nomen Jesu* scriptum colebat *S. Julianus* qui tanquam ad pedes Jesu cum Magdalena jaceret: Nomen illud vbicumque scriptum reperiebat, lachrymis irrigabat.

Doctrina de Nomine Jesu non est noua.

Notâ de nomine Jesu scripto.

Vnde & S. Bernardinus Serm. 41. suprà citato in secundo radio perfectionis refert quondam sanctam consuetudinem ad sua tempora perseuerasse, nimirum vt Susceptores & Patrini in puerorum, quos leuabant, Baptismate, *Numisma argenteum deauratum*, in quo *Nomen Jesu* insculptum erat, sub pueri fascia inclusum largirentur, quo Numismate puer toto tempore vitæ pro deuotione ad *Nomen Iesu* vtebatur: quâ occasione accepta vera fundamenta suæ doctrinæ de *Nomine Jesu* adorando dat, deuotissimè susceptorem admonens, & de hac Consuetudine sic scribens: *Crede* (inquit) *Tuò deuote & fidelis, quod omnis virtus bene operandi inclusa sit in virtuoso Nomine Jesu, in tantum vt quemadmodum adoras Jesum in carne, ita tu debes Nomen Jesu adorare. Non dico sculpturam, vel colorem, sed saporem.: non signum sed significatum, quia Nomen Iesu tibi significat Saluatorem, Redemptorem & Filium Dei.* Et explicans Cæremoniam illam Susceptorum in Baptismate: *Ego ideò* (inquit) *Laudo, quod quando de fonte Baptismatis vos leuatis aliquem creaturam, in cambium, aliorum vanorum donorum, quæ ex consuetudine dari solent, sub fascia vos largiri debeatis vnum exiguis Nominibus Iesu de argenteis deauratis, magnum vel parum, secundum facultatem dantis vel recipientis, vt Infantulus super se ex deuotione portet; & non quia sit de argento & auro, sed propter virtutem illi SSmo Nomini insitam. Et vt puer veniens in dies discretionis possit comprehendere deuotionem Nominis Iesu, & de illo possit continuò recordari ad instar picturarum repræsentantium vobis B. Virginem*, &c. Vbi posteà subdit quatuor species litterarum in *pictura, Sculptura, Voce, Mente* expressarum.

Patrini antiquitus in baptismate suscepti dabant argenteum Numisma, in quo nomen Iesu scriptum.

Quo fine.

Nec defuerunt *S. Bernardino* exempla priora hujus Venerationis in Ordine Seraphico. A principio enim hujus reuerentiæ exemplarem doctrinam dederat *S. Pater Franciscus*, de quo S. Bonauentura in vita cap. 11. *Ipsum quoque* (ait) *Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum & scriptum reuerentiâ volens honorare præcipuâ, fratribus persuasit aliquando, vt omnes schedulas scriptas vbicumque repertas colligerent mundoque loco reponerent: Ne forte sanctum illud Nomen ibi scriptum contingeret conculcari. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum.* Et quidem de sacro Nomine scripto recolligendo & venerando eandem suam mentem in Testamento suo expressit, vt in superioribus aliàs annotatum est.

S. Bonau. c. 11. Vitæ S. Francisci deuotio ad Nomen Jesu scriptum vel prolatum.

Legitur

Item S. Ludouici Episcopi Tholosani.

Legitur & in vita *S. Ludouici* Episcopi ex Ordine Minorum cap. 5. *Iesu Nomen calido veneratabatur affectu, ac quoties illud audiebat, iubilo quodam videbatur repleri, & caput reuerenter inclinans, osculansque terram Admirabili Nomini debitum exhibebat honorem.* En adoratio.

FF. Minorum particulare Festum & Officium de Nomine Iesu.

Quod itaque antiqui SS. Patres in priuato hauserant, hoc *S. Bernardinus* in publico eructauit, & *Potentissimi Nominis Iesu* gloriam in vniuersum Orbem Deo operante effudit. Vnde in Ordine Minorum *Festum* particulare *Nomini Iesu* ad 14. Ianuarii primò auctoritate S. Sedis Apostolicæ institutum est, cujus Officium composuit *S. Bernardinus*, vt testatur in Athenis Orthodoxorum Virorum *Vllatus*, quod & auxit *Bernardinus* de Busti, donec sub *Clemente* VIII. Nouum Officium *Nominis Iesu* FF. Minoribus indultum est, communicatis iis, qui illius celebrationi interessent, iisdem Indulgentiis, quibus gaudent qui diuinis Officiis intersunt in festo Corporis Christi, & per ejus Octauam: Quod Officium postea in vniuersam Ecclesiam videmus deriuatum. Magnus certe honor, magnusque fauor Ordini Minorum, non minor autem prærogatiua S. *Bernardino*, quem sui *Sanctissimi Nominis* adorandi Præconem proposuit Christus, vt illius ministerio perficeretur, quod à Scriptura vlquequaque prænunciatum erat. Nam vt ipse *Bernardinus* aduertit *De Circumcisione Domini Serm.* 2. *c.* 4. Prænunciatum fuerat per omnes scripturas *Nomen Domini colendum, laudandum, honorandum ab omni hominum statu:* In omni loco, In omni tempore, In omni opere.

Indulgentiæ pro iis qui tali Officio intersunt.

Ex S. Scripturis Nomen Iesu colendum ab omnibus, vbique semper & in omni opere.

1. Ab omni quidem Hominum statu: *Psal.* 148. *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ, Iuuenes & Virgines, Senes cum Iunioribus Laudent Nomen Domini, quia exaltatum est Nomen ejus solius.* 2. In omni loco: *Isa.* 24. *In Doctrinis glorificate Dominum, & in Insulis Maris Nomen Dei Israel.* Psal. 85. *Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine & glorificabunt Nomen tuum.* Item: *A solis ortu vsque ad occasum Laudabile Nomen Domini.* 3. In omni tempore: Psal. 71. *Sit Nomen Domini benedictum in secula, antè solem permanet Nomen ejus.* 4. In omni opere. Ad Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo & in opere, omnia in Nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Nec hic altercandum est de Nomine Domini Tetragrammaton: quoniam omnia quæ in Nomine Dei Tetragrammaton velut in fonte continebantur, *Nomini Iesu* communicata sunt, & in illud velut transfusa, dicente Petro *Act.* 4. *Non enim sub cœlo datum est aliud Nomen hominibus, in quo nos oportet saluos fieri. Neque enim est in aliquo alio salus.* Qui plura de his desiderat, ipsum Præconem in suis libris locis citatis adeat, nec absque magno fructu ab his recedet.

Psal. 148. vers. 2.

Isa. 24. vers. 15. *Psal.* 85. vers. 9. *Psal.* 112. vers. 3.

Psal. 71. vers. 17.

Coloss. 3. vers. 17.

Act. 4. vers. 12.

APPENDIX.

De Sanguine Domini effuso in triduo, & de eodem reseruato in diuersis Mundi partibus.

HIc fortasse dissimulanda fuisset Quæstio, *de Sanguine Christi effuso in Passionis triduo*, & de eo qui in diuersis mundi partibus tunc collectus, in hunc diem asseruatur; *An*, scilicet, *Verbo diuino hypostatice vnitus toto illo triduo ante Resurrectionem, & deinceps permanserit?* Et: *An Latria cultu veneranda sit?* Dissimulanda (inquam) fuisset, tum quia *Pius* II. (vt postea dicetur) prohibuit, ne Affirmatiua vel Negatiua Erroris aut Hæresios damnaretur, donec super his Quæstionibus S. Sedes Apostolica aliquid determinasset, quod nondum factum est: tum quia non est nisi renouare antiquas confusiones, quæ ex his natæ sunt. Verum, quia qui Affirmatiuam partem sequuntur, non cessant in opprobrium Sanctorum Patrum & Ordinis Seraphici multa vel incerta, vel ficta seu falsa resuscitare, & suis argumentis immiscere, à R. P. Ministro Generali monitus sum paucis, tum Historiam, tum Quæstionis fundamenta realia repetere. Nec hoc loco res importuna erit. Hostis enim humani generis serpens antiquus, qui hoc tempore persecutionem mouit in *S. Bernardinum* quasi in *Exaltatione & Adoratione Nominis Jesu* in Tabella impressi, hæreticum fuisset. Confirmato hoc Mysterio & condemnatis Aduersariis, in quibus ipse decertabat: Alterum certamen immediatè post excitauit contra Sanctum & Venerabilem Virum Verbi Dei Summum Præconem, & omnis Erroris Expurgatorem *B. Jacobum Picenum* siue *de Marchia*, post quadraginta annos quibus Ecclesiæ Dei tanquam lucerna ardens & lucens effulserat, insimulans per æmulos suos eum Hæreseos, quasi de *Sanguine Christi in triduo Passionis effuso* hæreticè sentiret. Historiam primò narro.

Ad *annum* quidem 1462. peractis multis laboribus in conuersione Hæreticorum, Schismaticorum reductione, Catholicorum & fidelium confirmatione in partibus Bosnæ, Hungariæ, & aliis tractibus Orientis, in Italiam, tandem regressus, in qua priùs & in Concionatoris & Inquisitoris contra fratricellos muniis celebre illius nomen erat, V. Dei seruus *Jacobus de Marchia*

B. Iacobus de Marchia prædicat S. Sanguinem in triduo mortis fuisse separatum à Diuinitate.

chia in nobili Ciuitate *Brixiensi* in Lombardia per Quadragesimam Conciones sacras multâ Animarum fruge habuit. In die autem Resurrectionis Dominicæ, quæ in 18. Aprilis incidebat summo mane populo prædicans inter alia asseruerat: *Sacrum Christi Domini sanguinem in Passione fusum* pro eo tempore quo jam fusus erat, *a Diuinitate separatum*, & consequenter pro eo tempore *Latriæ cultu non fuisse adorandum.* Quod cum notasset quidam *P. Ioannes Baptista* Ordinis Prædicatorum qui altero die concionari debebat: Hanc *B. Iacobi de Marchia* Assertionem tam amaro excepit animo, vt Feriâ 2. ex suggestu non tantùm contrarium nimio feruore populum docuerit, sed *B. Viri* Assertionem *falsam, erroneam, & hæreticam* declamauerit, magno populi scandalo & commotione. Re igitur ad *Iacobum Brixiensem* Ordinis similiter Prædicatorum Hæreticæ Prauitatis in Lombardia & Riparia Ianuensi Inquisitorem delatâ: Primò quidē dictus Inquisitor familiaribus litteris monuit *B. Iacobum de Marchia*, quatenùs suam illam Assertionem populo in aliquo sensu moderato declararet & explicaret aut etiam reuocaret.

Inde traducitur vt hæreticus.

Super hoc monetur.

Fundamentalis contraria opinionis.

Fundabatur autem hæc Monitio siue Epistola in sequentibus. 1. Quòd Assertio illa de separatione Diuinitatis à Sanguine Christi effuso in triduo, condemnata esset à *Clemente* VI. in Ecclesia Cathedrali Barchinonensi. 2. Quòd sententiis SS. Patrum aduersaretur. 3. Quod Scripturæ Sacræ esset contraria: quæ Sanguini effuso tribuit pretium nostræ Redemptionis & Remissionem peccatorum: quod verificari non potest de Sanguine effuso si Diuinitas ab illo separata fuisset: remansisset enim sanguis ille mera & pura creatura, finitæ virtutis, cui idcircò redemptio & remissio peccatorum attribui non poterat. 4. Addebat vnum absurdum sequi, nimirùm: Quòd si quis Sacerdos ex discipulis Domini in triduo Passionis consecrasset Calicem siue Vinum, Sanguis ille, vt in Cæna, adorandus fuisset latria, & consequenter habitus conjunctus Diuinitati, nec sine graui inconuenienti alio cultu adorari potuisset. 5. Tandem assumebat in fauorem suum illud Damasceni de Verbo Diuino: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*; Constat autem Verbum Diuinum assumpsisse cum Humana natura etiam Sanguinem. Hæc ex Autographo Epistolæ Inquisitoris Ordinis S. Dominici in Annalibus ad *annum* 1462. Et sunt ordinaria fundamenta eorum qui contrariam sequuntur opinionem.

Monitioni contrauenus B. Iacobus.

Huic Monitoriæ secundùm mentem Inquisitoris non satisfecit *B. Iacobus*, sed Feriâ 3. immediatâ prædicans populo, ostendit se absque Dei offensa nec posse, nec debere tolerare Crimen Erroris siue Hæresis sibi impositum, ne vniuersa ejus doctrina, quàm per tot regna seminauerat, in suspicionem & dubium reuocaretur. Et quidem ostendit suam Assertionem vere Catholicam, & à Catholicis Doctoribus *S. Bonauentura, Richardo de Media Villa*, & Doctore Illuminato *Francisco Mayronis*, ac aliis jam pridem traditam. Quæ Concio tantum in modum exacerbauit animum *Iacobi Brixiensis*, Inquisitoris; ita vt eâdem die Decretum peremptoriæ Citationis contra *B. Iacobum* relaxaret, mandans sub pœna excommunicationis, vt dictam suam de *Sanguine Christi* sententiam tamquam erroneam & hæreticam reuocaret, antequam de Ciuitate recederet, aut coram ipso de fide responsurus compareret. Hinc magna in populo Inquisitoris auctoritatem, & *B. Iacobi* vitam suspiciente, commotio & diuisio; quam vt componeret Antistes Brixiensis *D. Bartholomæus Mariperrus* vir piissimus & Doctissimus, vtrumque ad se vocatum, *Inquisitorem* scilicet, & *B. Iacobum*, nec non & *Baptistam*, qui contra B. Virum concionatus fuerat, in Nobili Virorum eruditorum consessu audiuit, Rationes eorum expendit: & cùm exemplar Condemnationis *Clementis* VI. quæ prætendebatur, exhiberi non posset, consentiente Inquisitore, Decretum Citatorium ab eo datum Episcopus lacerauit, & animis compositis declarauit vtramque Assertionem *de Sanguine Christi effuso* posse Catholice & probabiliter populo proponi, donec S. Sedes aliud determinasset. Facta igitur sunt Instrumenta Authentica hujus pacificæ compositionis: sed per hoc non cessauerunt quorumdam æmulorum animi, quin Venerabilem Dei seruum Iacobum Hæreseos insimularent: & per Susurrones iterum excitato Inquisitore, tandem Summus Pontifex *Pius* II. malitiosè præuentus est: Æmulis *B. Iacobum* accusantibus: quòd non solùm *Sanguinem Christi effusum* in triduo à Diuinitate separatum, sed etiam *Corpus Christi* à Diuinitate in sepulchro sejunctum docuisset. Quod vltimum meram falsitatem & calumniam diabolicam continebat. Quibus commotus Pontifex scripsit Vicario Generali Ordin. Minor. de Obseruantiâ in partibus Lombardiæ, quatenus omnibus suis etiam sub censuris prohiberet: Ne de his Assertionibus siue in publico siue in priuato amplius disputarent, donec à S. Sede examinatæ essent. Ad veram autem informationem petebat Pontifex aliquos Viros doctos, & zelum Dei habentes ad se destinari. *Datum erat Breue Viterbii vlt. Maij* 1462. *Pontif. a. 4.*

Vnde citatur ab Inquisitore.

Re composita declaratur vtraque opinio sana.

Calumnia contra B. Iacobum à Marchia.

Papa prohibet disputare de Sanguine Christi effuso in triduo, &c.

Hoc *Breui* accepto ad omnes Prouincias scripsit Litteras Vicarius Generalis: Monuit autem Pontificem de Impo-

Papa male informatus monetur.

stura

stura & calumnia, qualiter nullus vnquam *de Corpore Christi à Diuinitate separato*, mentionem fecisset: cujus cõtrarium de fide esse scribatur. Rogabat proinde Vicarius Generalis Pontificem, vt Apostolicâ benignitate de tam maledica impostura tollenda prouidere dignaretur, eò magis quòd in Breuibus Apostolicis de hoc tam *B. Jacobus*, quàm alii Fratres diffamarentur: Prouidit Pontifex, & aliud *Breue* ad Vicarium Generalem & ad Fratres Obseruantiæ transmisit: in quo & illos ab Assertione illa *de separatione Verbi à Corpore Christi*, expurgat, multis laudibus *B. Jacobum* & ejus Prædicationes extollit, Breuia in contrarium data quoad istum Articulum cassat, & plenam dat omnibus Fratribus facultatem, vt priuatim & publicè Innocentiam *B. Iacobi* & aliorum tueantur, & calumniam sæpe dictam à se & ab Ordine propulsaret. *Datum est Breue* 4. *Decemb.* 1462. *Pont. anno* 5. Dederat & Pontifex simplices litteras ad *B. Jacobum à Marchia*, in quibus se de illo bene sentire, & eum apud se justificatum declarat. *Data fuerunt* 2. *Septemb.* 1462. *Pontif. anno* 5.

Papa reuocat suam prohibitionem & B. Jacobum multum laudat.

Lis crescit.

Cæterum quo magis conabantur FF. Minores se suamque doctrinam, ac famam S. Viri tueri, eò magis inimicus omnis boni zizania contumeliarum super seminabat: & inter duos illos præclaros Ordines Dominicanum & Franciscanum lites suscitantur, quibus sopiendis *Pius* 2. euocatis Romam doctissimis & probatissimis Magistris & Doctoribus, dum vult finem imponere, disputationes protrahuntur, & cum primò indicta esset Conuentio circa *Natalitia Domini anno* 1462. posteà protracta est vsque ad *festa Paschalia anni sequentis* 1463. Nec finis impositus est vsque ad *annum* 1464. quo in Cœtu Eminentissimorum Cardinalium, Illustrissimorum Episcoporum & RR. Abbatum, Doctoribus vtrimque Quæstionem exagitantibus finem imposuit *Pius* 2. vtramque Assertionem ab Hæresi liberam declarando, cum prohibitione sub censuris & aliis pœnis, ne quis quocumque prætextu hujusmodi Assertionem de sanguine Christi effuso à Diuinitate in triduo separato, vel non separato, Hæreseos argueret: Cæterùm reseruando Quæstiones illas judicio S. R. Ecclesiæ in futurum.

Tandem decidituv vtraque Quæstionis pars posse Catholicè sustineri.

Quia verò status doctrinæ variè in supradictis contentionibus exagitatus & in diuersa dissipatus fuit; Operæ pretium duxi totam doctrinam paucis Quæstiunculis explicare pro majori Lectorum commoditate, vt singulis aduersæ partis argumentis solidiùs & manifestiùs satisfiat.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid de prætenso Decreto Clementis 6. quo prætendebatur, Assertio, de separatione sanguinis Christi effuso in triduo à Diuinitate, condemnata?

HIc seriò aduertendum est ad *annum Christi* 1351. Barchinone inter FF. Prædicatores & Minores exortam primò Controuersiam: *An sanguis Christi effusus in triduo remansisset vnitus Verbo siue Diuinitati? An verò separatus fuisset a Verbo Diuino?* Cum autem separatum fuisse nonnulli prædicarent, id ipsum è suggestu *F. Franciscus Bajuli* Barchinonensis Conuentus FF. Minorum Guardianus in suo Conuentu Feriâ 6. Parasceues 17. Aprilis concionatus est. Quod audiens *F. Nicolaus Rossellus* Dominicanus in Regno Aragoniæ Inquisitor, monuit *Ioannem Cardinalem S. Sabinæ* ex Ordine Dominicanorum assumptum *Clementis* 6. Nepotem, qui nullo alio examine facto rescripsit præfato Inquisitori, se Viuæ Vocis Oraculo à Pontifice accepisse in mandatis, vt qui hujusmodi sententiam prædicauerant, ad palinodiam adigerentur, censendam enim esse talem Assertionem hæreticam. Nullo alio munitus Pontificio Decreto, nullis Pontificiis litteris, nullâ aliâ authenticâ Ecclesiæ censurâ dictus *Rossellus* processum confecit contra *P. Franciscum Bajuli*, eumque ad palinodiam coram Episcopo Barchinonensi coëgit. Porrò processus nullâ aliâ fide, nullâ Notarii syngraphâ, nullo alicujus Ministri testimonio signatus prodiit, sed solâ fide Rosselli, contra quem meritò suspicio moueri poterat, cùm esset pars simul & Iudex.

vbi & quando illa Controuersia de sanguinis Christi separatione à Diuinitate fuerit exorta.

Post centum igitur & tredecim circiter annos, cum eandem Assertionem *B. Iacobus de Marchia* (vt superiùs dictum est) Brixiæ prædicasset, ab Inquisitore Dominicano quasi hæretica esset apud *Pium* 2. accusatus est: Verùm re ad examinatâ, repertum est: Condemnationem prætensam à *Clemente* 6. nullo Sedis Apostolicæ Decreto firmari, nullâ firmâ scripturâ vel ratione contineri, nullo fideli testimonio probari, adeoque Assertio illa suæ probabilitati per *Pium* 2. relicta est: solo medio posito ne quis ratione alterutrius sententiæ Hæresis aut Erroris damnaretur; cum formali & reali justificatione tum Prædicationis *B. Jacobi à Marchia*, tum aliorum qui simpliciter eam asseue-

Post annos 113. demùm recruuit.

rant, tantummodò ne contrariam Hæresis damnarent. Porrò quod spectat ad Processum à *Nicolao Rossello* contra *F. Franciscum Bajuli* Guardianum Barchinonensem factum, cum *Pio* 2. exhibitus esset, & ab illo reseruatus: Ne videretur per hujusmodi reseruationem à Pontifice approbari, contra illum protestatus est coram Pontifice *B. Iacobus*: Cujus protestationi satisfacere volens Pontifex, per Epistolam (quæ in Annalibus ad *annum* 1351. n. 16. ex autographo refertur) testatus est, Illum authentice à se signatum reseruari: *Non vt illi* (ait Pontifex) *fides aut authoritas adiceretur, sed vt testimonium quoddam esset rei gestæ, hoc est vt non deperiret ejus facti, qualecumque esset, notitia. Nec enim* (addit) *fuit intentionis nostræ propterea Commissionem confirmare, aut approbare sententiam aut processum* &c. Ex quibus patet primum fundamentum de Condemnatione *Clementis* 6. ab inquisitore contra sæpè repetitam Assertionem mere, quam tamen multi erroneè non rarò allegant non aduertentes in re tam graui allegationis suæ injustitiam & inutilitatem.

Nota.

QVÆSTIVNCVLA II.

Qualiter Scripturæ sacræ de Christi sanguine effuso loquantur, & quomodò intelligendæ sint?

Scriptura de Christi sanguine loquuntur magnificentissimè.

RESP. 1. fatendum esse, Scripturas magnificentissimè de Christi sanguine effuso loqui, illi attribuentes Redemptionem nostram, peccatorum Remissionem. Ad Rom. 5. *Iustificati in sanguine ipsius.* Ephes. 1. *Habetes Redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Item ad Colos. 1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt.* Ad Hebr. 9. *Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æternâ redemptione inuentâ. Si sanguis hircorum* &c. *inquinatos sanctificat ad emundationem carnis* &c. *quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo Viuenti?* 1. Pet. 1. fideles dicuntur electi *per aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Et ibidem vers. 19. dicuntur *Redempti pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* 1. Io. 1. *sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Rom. 5. vers. 9. Ephes. 1. vers. 7. Colos. 1. vers. 20. Hebr. 9. vers. 12. vers. 13. vers. 14. 1. Pet. 1. vers. 2. vers. 19. 1. Ioan. 1. vers. 7. Apoc. 1 vers. 5.

Resp. 2. Scripturas illas non posse verificari de sanguine Christi pro tempore, quo à morte Christi in triduo fuit à Corpore separatus. Ratio clara & conuincens est: Quia omnes relati effectus sanguinis pertinent ad meritum & tempus Passionis filii Dei, & ejus satisfactionem pro nostris delictis: atque tempus meriti & satisfactionis terminatum fuit in puncto mortis Christi, ergò non verificantur Scripturæ de sanguine separato in triduo à puncto mortis ejus, sed debent referri ad tempus Passionis antè vltimum instãs non esse hominis, alias falsæ essent; neque enim post emissum spiritum Christus pro nobis meruit, aut satisfecit, vnde & ipse immediatè ante emissionem spiritus èxclamauit: *Consummatum est.*

An verificentur de sanguine effuso in triduo mortis.

Resp. igitur 3. Scripturas illas intelligi debere de *sanguine Christi* in ipsa actuali, dolorosa & pœnali effusione tempore Passionis, in qua effusione viuens, & ponens animam suam pro nobis, vitam & sanguinem pro salute humani generis profundebat: Vnde non soli sanguini pretium nostræ Redemptionis & Remissio peccatorum adscribitur, sed Orationi, Clamori valido, Lachrymis & actionibus, quæ effusione sanguinis & morte terminatæ sunt, sicut vita ejus, qui vulneribus inflictis occiditur, effusione sanguinis terminari solet. Nomine igitur *sanguinis* intelliguntur Christi passiones & mors quam pro peccatoribus voluntariè sustinuit. Vnde ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido & Lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia: Et quidem cum esset filius Dei didicit ex iis quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ* &c. Ex quibus omnibus colliguntur omnia quæ dicta sunt. 1. Actus Christi meritorios etiam in sanguinis effusione debere attendi & mensurari tempore vitæ antè mortem, quod indicant hæc verba: *In diebus carnis suæ.* 2. Non solam *sanguinis effusionem siue* sanguinem concurrisse ad Redemptionis pretium, sed preces, supplicationes, clamorem validum, lachrymas, & obedientiam, quæ ibidem enumerantur. 3. Valorem omnium illorum sumi à Supposito Verbi cui conjungebatur humanitas Christi: *Exauditus* enim dicitur *pro sua reuerentia, cum esset filius Dei.* 4. Totum meritum & satisfactionem Christi terminatam fuisse ejus morte: *Consummatus* (ait) *factus est omnibus* &c. *causa salutis.* Vnde &c. 2. Tota salus attribuitur Passioni: *Videmus* (inquit) *Iesum propter Passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Et vers. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eo-*

An de sanguine effuso ad hunc Christo viuente.

Sanguinis nomine quid intelligatur

Hebr. 5. vers. 7.

Hebr. 2. vers. 9.

vers. 10.

rum per Passionem consummare. Sicque passim Scriptura loquitur. Ex quibus infero & concludo: Inutiliter ex effectibus magnificis sanguini Christi in Scriptura attributis, inferri Diuinitatem Sanguini à corpore in triduo separato vnitam remansisse, quia sanguini pro isto statu & tempore effectus illi non competebant: Quæ omnia ab *Episcopo Abulensi Tostato Ordinis S. Dominici* in exponendis scripturis Doctore Primario ad *cap 13. Gen. q. 351.* dilucidè exprimuntur; vbi explicans formationem Euæ ex costa Adami dormientis, & conferens cum formatione Ecclesiæ ex latere Christi, disparitatem ponit. *Adam* (ait) *erat vere dormiens, Christus autem in Cruce non erat dormiens sed mortuus, & ideò non bene hoc significatur: Nam & Ecclesia potius fundata est de Christo viuente, quam mortuo.* Cujus rationem adiit: *Quia Redemptio nostra est ex meritis Passionis Christi, in qua Passione omnia Sacramenta à Christo instituta habent efficaciã: sed Passio Christi est in vivo, & non in mortuo, quia mortuus nihil potest pati sensitive.* Notanda sequentia: *Et ideò sanguis Christi, de corpore Christi viuentis, & pœnalitates suæ tunc profuerunt ad Redemptionem nostram: Quod autem fuit in Christo post mortem, non facit aliquid ad Redemptionem nostram effectiuè, eò quod ibi non est aliqua actio meritoria sed solum ad significationem: sicut & Corpus Domini sepelire non confert effectiuè aut prometitorie ad Redemptionem nostram. Et ita sanguis qui fluxit de mortuo non redemit nos sed sanguis qui de vivo: sed quod de mortuo fluxit, Redemptionem & Ablutionem significat, sed ipsam non facit: Et ideò sponsa Christi, id est Ecclesia, potius de Corpore Christi viuentis & vigilantis sumpta est, quàm de corpore mortui seu dormientis, & ideò ad istam significationem satis potuisset tolli costa de Adam vigilante.* Hæc ille: Quæ iterum resumit Tomo 12. *in Paradoxis, Parad. 2. c. 33.* Vbi de eodem mysterio sanguinis è latere Christi post mortem profluentis agens: *Christus* (ait) *ante mortem suam, & post mortem sanguinem fudit: sanguis autem qui ante mortem fluxit, Redemptionis nostræ causatiuus erat: Qui verò post mortem fusus est, nec Redemptionem operabatur, nec eidem cooperans erat, quia Christus tunc nihil patiebatur, nos tamen doloribus saluatoris redimendi eramus: sed sanguis significationi cooperabatur, significans nos sanguine, qui ante mortem de corpore Christi effusus fuerat, fore redemptos &c.* Frustrà igitur ex Redemptionis nostræ virtute probatur Diuinitas vnita *sanguini* jam post mortem *à Corpore separato*, quia illi pro isto tempore Redemptio non competit, sed in puncto mortis supponitur tota Redemptio facta & consummata.

An ex effectibus Christi sanguini tributis, recte inferatur, fuisse semper vnitum Diuinitati.

Tostatus.

Fundata Ecclesia de Christo viuente magis quam mortuo.

An id quod in Christo fuit post ejus mortem concurrerit ad salutem nostram.

Sanguis fluens de latere Christi mortui an concurrerit ad nostram Redemptionem.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quid importet Axioma commune ex Damasceno lib. 3. de fide c. 23. *sumptum* Quod verbum semel assumpsit, numquam dimisit?

RESP. 1. Certum est communi Ecclesiæ & Theologorum sensu: Multa à Verbo dimissa esse, quæ tamen in Christo prius Verbo vnita fuerant. Hanc necessariò responsionem admittunt omnes Theologi, qui Christum in triduo hominem non fuisse adstruunt, & adstruere juxta principia fidei tenentur, quibus Christum mortuum confitentur; qui enim mortuus est jam dissolutâ vnione Corporis & Animæ homo esse actu desinit: etsi partes substantiales & Essentiales Anima nimirum, & Corpus remaneant disiunctæ: Ergo homine desinente, Verbum Hominem & Humanam Naturam in ratione Totius & Compositi dimisit: sicque omnes Theologi contra *Magistrum* & *Hugonem de S. Victore* tenent: *Iterum*: Cum Christus assumpserit Corpus fluxibile, quale nostrum est, defluentes partes ex elementorum & humorum pugna, cum desinant esse in corpore, cui Verbum vnitum est, consequenter partes fluentes, cum amplius non sint de corpore, dimittebantur à Verbo & ab Hypostatica Vnione. *Item* in facto: *Præputium Carnis Christi*, quod in Circumcisione abscissum, & quod in Ecclesia Lateranensi asseruatur, & vsque in hodiernum diem ostenditur, fuit Verbo vnitum, nec in Resurrectione resumptum: ergò quoad Vnionem Hypostaticam à Verbo dimissum est: Neque enim Diuinitas in eo hoc tempore vnita Præputio creditur, nec Præputium vt Deus adoratur. Et hoc est quod Theologi illud Axioma Damasceni interpretantur, quoad *partes principales* vt sunt *Anima* & *Corpus*, & quæ ad substantiam & Essentiam Corporis pertinent: Alii, vt *Scotus*, interpretantur de Heterogeniis partibus, vt sunt *Caput*, *Cor*, *Stomachus*, non de Homogeniis, quæ sicut fluxu quodam Naturæ defluunt, hic à Verbo dimittuntur, & *Præputium* quidem pars homogenia cutis siue carnis erat. Tandem de sanguine Christi certum est in variis locis asseruari à Diuinitate separatum, de quo statim.

Multa à Christo assumpta postea dimissa & quæ.

1. *Humanitas.*

2. *Partes defluentes.*

3. *Præputium.*

Axioma Damasceni Quod Christus semel assumpsit &c. quomodo explicandum

RESP. 2. Quod sicut in Corpore humano tria reperiuntur, vt habet *S. Bonauentura in 4. d. 44. p. 1. a. 1. q. 1. & 2.*: *Aliâ*

Quotuplices partes corporis humani.

Qualiter de vita participant.

quidem, Quæ pertinent ad ejus necessariam compositionem, siue ad ejus esse necessarium, vt sunt *Membra principalia*: *Alia*, Ad ejus perfectionem & integritatem, vt sunt *humores*: *Alia* ad decentiam vt sunt *Capilli*, *Vngues* &c. Quæ omnia diuersimodè de vita participant: Prima enim recipiunt influentiam vitæ, & animantur anima hominis Rationali: Alia conseruant vitam & ad eam disponunt non tamen animantur vt Sanguis & Humores: Alia autem tantum ortum & conseruationem habent à vita vt *Capilli* & *Vngues*: Ita diuersimodè intelliguntur in Christo vnita Verbo juxta gradus suos; Et quidem *prima*, quæ ad esse necessarium corporis humani pertinent, absolutè & principaliter à Verbo intelliguntur assumpta: *Cetera* autem tantùm consecutiuè & concomitanter in quantum aliquâ ratione ad perfectionem & decentiam Corporis spectant. Iuxta hos itaque gradus de illis in Christo quoad assumptionem aut dimissionem locuti sunt Theologi, vt nimirum: quæ ad necessitatem corporis humani pertinent, numquàm à Verbo dimissa sint, quia vt partes necessariæ ad constitutionem Corporis reputantur: Quomodò dixit *Richardus* à Media Villa: *Si pes à corpore Christi fuisset abscissus remansisset Diuinitati conjunctus.* Quæ verò ad perfectionem solam aut decentiam corporis spectant juxta aliquam sui rationem vel circumstantias à Diuinitate separata concipi possunt, absque vlla imperfectione vel incõgruitate. Ex g. Cum Christus dedit genas suas vellentibus, & cum plectentes Coronam de spinis imposuerunt Capiti ejus, & arundine percutiebant Caput ejus, potuerunt aliqui pili de barba, vel capilli capitis auelli; Quis verò dicat illos sic auulsos mansisse Diuinitati conjunctos? cùm absque aliqua imperfectione vel incongruitate abesse possint. Quæ omnia clarius statim exponentur.

Quæ & qualiter à Verbo assumpta.

QVÆSTIO I.

PRINCIPALIS

An de facto sanguis à Christi corpore effusus & separatus tempore tridui manserit Verbo Diuino vnitus?

Affirmare vel negare sanguinem Christi in triduo mortis fuisse sepa-

RESP. 1. Non est contra fidem vel Theologicam veritatem, Asserere vel negare, sanguinem Christi effusum & à Corpore separatum tempore tridui fuisse, vel non fuisse Verbo Diuino vnitum. Ratio est: Quia nihil in Scripturis, nihil in Canonibus Conciliorum, nihil in Decretis Pontificum, nihil in Veritatibus Theologicis de hac re firmitèr stabilitum reperitur. *De scriptura* res est clara, nusquam enim vel verbum, vel verbuli talis vestigium in Scriptura apparet. De Canonibus autem Decretis Conciliorum, etsi *Gabriel Vasquez* apud *Waddingum ad annum* 1351. aliqua ex 6. Synodo voluerit colligere, illa planè obscura & incerta sunt; Nec quidpiam concludunt. Et ad illa omnia confutanda, sufficit *Declaratio Pii* 2. qui aduertens nihil antè sua tempora de hac re definitum, & Processum Barchinonensem de *Clemente* 6. nihil adferre authenticum, nec ab Eymerico in suo directorio Inquisitorum aliquid probari; Quæstionem illam voluit suspensam remanere, donec, si opus fuerit, aliquid à S. Sede super ea determinaretur.

ratum à verbo non est hæreticum.

Resp. 2. Conformiùs ad Principia Philosophica & Theologica, nec non ad rationes morales, asseritur, & asseruit *B. Iacobus à Marchia*: *sanguinem Christi effusum & separatum a Corpore ejus, non fuisse vnitum Verbo Diuino in triduo.*

Imò asserere fuisse separatum est conformius Philosophiæ & Theologiæ.

Conformitas ad principia Philosophica sic ostenditur: Quia Sanguis non est intrinsecè de veritate Naturæ humanæ, sed sicut alii humores solùm spectat ad conseruationem vitæ corporalis vegetatiuæ & sensitiuæ, prout & in Animalibus terrestribus, etsi principaliùs quàm alii humores. Vnde nec animatus est (juxta probatam communiter Philosophorum & Theologorum in scholis sententiam) & absque detrimento & sensu hominis augetur, diminuitur, extrahitur, effunditur in certa quantitate. Ex quo sic argumentor: Cessante fine & omni effectu, cessant & causæ: sed Sanguis tantùm deseruit humanæ naturæ ad conseruationem & dispositionem vitæ, ergo & sublatâ vitâ Sanguis ad hominẽ non spectat, nec ei necessarius est.

Philosophiæ quidem.

Vnde consequentiâ eâdem ad Theologica principia progredior: Sanguis à Christo ad vnitatem Verbi siue Suppositi, non est assumptus siue vnitus, nisi secundariò, & in qualitate quâ inuentus est in corpore ad vitæ vegetatiuæ & sensitiuæ dispositionem, & conseruationem, ergò per superuenientem mortem, desinente vitâ, & suppositâ separatione à Corpore, nulla ampliùs ratio suppetit, ob quam vnitus censeatur. Quinimò naturali morte dissoluto corpore sanguis omnis desinit, & per accidens est quòd violentâ morte effundatur. Sicut ergò Christo naturali morte defuncto, desiuit in illo naturali defectu sanguis, & consequenter cessasset vnio ad suppositum Diuinum: ita effuso & separato sanguine per

Theologia autem.

vio-

violentiam, nulla supereſt ratio cur ſanguis vnitatem retineat, quia vnitas illa non debebatur ei niſi quia erat in Corpore vt ſedes Animæ, & neceſſarius ad vitam.

Reſpondent: Conueniens fuiſſe, vt quia Sanguis iterum ad Corpus Chriſti reſumendus erat, intra triduum remaneret Diuinitati vnitus; Ad quid enim à Verbo dimitti, quod poſt triduum reſumendum erat?

Chriſtus reſurgens non reſumpſerit omnem ſanguinem.

Verùm varii circa ſanguinem Chriſti etiam apud Aduerſarios conceptus per ſe hanc Reſponſionem deſtruunt. 1. Certum eſt Chriſtum non reſumpſiſſe totum ſanguinem, quem in Cruce effudit: Quod manifeſtum eſt ex ſanguine Chriſti qui *Romæ, Mantuæ, Xantonæ, ad S. Maximinum in Galliis, & Brugis in Flandria* in hanc horam aſſeruatur. Et quidem de ſanguine aſſeruato ad *S. Maximinum*, quem ego vidi, traditione conſtat a S. Maria Magdalena ſub Cruce collectum eſſe, & ſingulari miraculo ſingulis annis in Paraſceue populo oſtendi, & patenter Paſſione Domini lectâ ebullire. De aliis etiam portionibus certa Inſtrumenta authentica probant eſſe de Chriſti ſanguine effuſo in Cruce: Et *Pius* 2. per Bullam quæ incipit: *Petitio exhibita* &c, *Datam* 1461. ad Abbatem Monaſterii S. Mariæ *Xantonenſis*, illam portionem approbat vt certam. Verba ejus ſunt: *Petitio* (ait) *exhibita continebat, quod licèt tanto tempore (cujus memoria non extitit) in Eccleſia dicta domus (vt piè creditur) quædam portiuncula pretioſiſſimi ſanguinis D. N. I. Chriſti in ligno Crucis pro Redemptione humani generis ſalubriter emiſſi* &c. *Aſſeruatur*; infrà: *Nos igitur qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes quòd veritati fidei nullatenus repugnet, affirmare Redemptorem noſtrum de ſanguine præfato ob ipſius Paſſionis memoriam, aliquam partem in terris reliquiſſe, ac propterea deuotionem ipſorum plurimùm conſeruari* &c. Inde concludit & infert: vt *dictus ſanguis cultui publico exhibeatur vt prius.*

Qualis ſanguis ad S. Maximinum.

Petitur itaque: An ſanguini ſic in triduo effuſo, & in terris reſeruato, remaneat vnio Hypoſtatica Verbi? Si non remanet, Quando ſeparatio facta eſt? An in triduo mortis Chriſti? An poſt triduum? &c. Et infinitas hujuſmodi quæſtiones mens ſpeculatiua faciet, quibus reſponderi non poteſt, niſi per imaginarias conjecturas, quibus Res Sanctæ tractari non debent.

Sanguis à Diuinitate in triduo non fuiſſe ſeparatum, Nutrimentalem autem fuiſſe ſeparatum.

2. Concipiunt nonnulli, vt difficultates euadant, duplicem in Chriſto ſanguinem: *Primigenium* ſiue *Naturalem* & *Nutrimentalem*; Et quidem *Primigenium* ſiue *Naturalem* aſſerunt à Diuinitate in triduo non fuiſſe ſeparatum, *Nutrimentalem* autem fuiſſe ſeparatum. Quorum ratio eſt quia *Primigenius & Naturalis* reſumi debebat cum Corpore, & ad perfectionem Corporis pertinebat; *Nutrimentalis* autem cùm tantùm ad Officia vegetatiua pertineat, non debebat reſumi, idcircò cùm vitâ dimiſſus fuit. Verùm cùm Nutrimentalis & Primigenius fuerint in eadem maſſa, eodemque continuo vnita indiuiſè fluxerint, quomodò vnus vnitus remanſit altero dimiſſo?

Fingunt etiam ſanguinem qui aſſeruatur in terris eſſe tantùm Nutrimentalem, & alia figmenta intolerabilia adſerunt apud *Ioannem Majorem* in 3. d. 37. q. 24.

COROLLARIVM.

Sanguis effuſus & ſeparatus à Chriſti corpore in triduo mortis non fuit conjunctus Diuinitati.

DIcendum itaque ad euitandas inutiles, vanas & periculoſas quæſtiones & conjecturas: Conuenientius & ſolidiùs ac probabiliùs dici? *Sanguinem effuſum è Chriſti Corpore tempore quo ſeparatus manſit à Corpore in triduo à Diuinitate ſeparatum fuiſſe*: Et conſequenter qui poſt Reſurrectionem remanſit & reſeruatur de facto Diuinitati conjunctum non eſſe. Et Ratio eſt; Quia pro illo ſtatu ſanguis ad Corporis ſubſiſtentiam non pertinebat, vt ſuprà plus ſatis probatum eſt. Vnde ordinatè conſiderandi ſunt gradus eorum quæ ad conſtitutionem Corporis Humani concurrunt, de quibus *S. Auguſtinus* de ſpiritu & Anima c. 15. *Corpus conſtat ex membris Officialibus; Officialia ex ſimilibus: ſimilia ex Humoribus; Humores ex Elementis.* Similiter: Quæ de gradibus influentiæ vitæ diſtinctiſſimè ponit *S. Bonauentura* in 4. d. 44. p. 1. a. 1. q. 1. ad 3. vbi: *Tripliciter* (ait) *aliquid dicitur viuere: Aut quia recipit influentiam Vitæ: Aut, quia diſponit ad Vitam: Aut, quia ortum & conſtitutionem habet ex actu vitæ. 1. modo viuificatur ſubſtantia Corporalis & caro. 2. modo viuus ſpiritus & humor. 3. modo capilli & etiam ungues: Et quia omnia iſta connexionem habent cum vita, omnia reſurgent.* Cùm igitur ſanguis non pertineat ad *Officialia* membra, ſed tantùm ad *ſimilia*, nec animetur animâ rationali, aut viuificet, ſed tantùm viuificationi deſeruiat, ſicut & *ſpiritus* quos *Vitales* aut *Animales* vocamus, & non niſi per concomitantiam fuerint vnita Diuino Suppoſito; & vbi deficit vita, ipſa conſequenter deficiant: Quâ probabili ratione dicentur illa vnita remanere Diuinitati, quæ nec ipſi Naturæ per ſe competunt, ſed ita ſoli vitæ ex natura ſua deſeruiunt, vt vel cum vita deficiant vel

Corpus humanum quibus conſtet.

S. Auguſtinus.

S. Bonau.

Quotuplici ter aliquid dicatur viuere.

Sanguis inter quas partes cenſeatur.

etiam sine detrimento vitæ à corpore diuidantur & defluant &c. Vnde non fuit nec opus, nec congruum, etiam in Sanguine post triduum reuniendo vnionem Hypostaticam conseruare, quia illi pro statu isto vnio illa non competebat, & ratione vnionis, quæ est vitæ cocomitantia, cessante, illa quæ concomitantur censentur cessare.

Sanguinem porrò à Corpore Christi effusum & separatum, non amplius fuisse Hypostaticè Diuinitati vnitum docuerunt celebres Doctores, *Durandus* in 4. d. 11. q. 1. *Franciscus Mayronis* d. 43. & in sermone qui incipit: *Memoriam fecit. Gabriel* in Can. lect. 53. & in 4. d. 44. q. 1. *Richardus* in 3. d. 2. a. 2. q. 1. *Abulensis* paradoxo 2. c. 33.

QVÆSTIVNCVLA II.

PRINCIPALIS.

An sanguis in triduo separatus à Corpore fuerit adorandus Latriâ?

Latria duplex.

DUplex est *latria*, Alia est *Absolata*, & per se, cujus objectum est Deus, & quidquid Diuinitati vnitum est, vt *Christus Deus Homo*, & ea quæ in Christo Diuinæ Naturæ vnita fuerunt: Alia est, *Latria respectiua*, quæ tantum respectiuè terminatur ad Deum, vel id quod Diuinum est.

Quid Latria sanguis Christi separatus in triduo adorandus.

Resp. itaque 1. *Sanguinem Christi* post separationem à corpore, adorandum esse *latriâ Respectiua*. Ratio est: quia adoratur quatenus fuit in Christo, & fuit aliquid Christi, ità vt cultus non terminetur ad *Sanguinem* quatenus est separatus, sed quatenus fuit conjunctus Christo & Diuinitati, ita vt ratio adorationis respiciat ipsum Christum. Sic Respectiuâ Latriæ Adoratione adoratur *Crux*, relatiuè ad ipsum *Crucifixum*; Et hæc Respectiua Adoratio communis est respectu eorum quæ fuerunt Christi Domini, & in quibus relatiuè seu respectiuè adoratur Christus. Et ista est Adoratio quæ exhibetur *Sanguini Christi* in terra relicto, quia vetè materia illa sanguinis fuit aliquando vnita *Verbo*.

Quid dicendum, si in triduo mortis Christi. Apostolus aliquis consecrasset vinum.

Ex his satisfieri potest casui imaginario: *Si aliquis ex Apostolis in triduo mortis Christi consecrasset vinum in Calice.* Dicendum est enim: Quòd posito quòd ex vi verborum fuisset vinum transubstantiatum, in sanguinem à Corpore separatum, vt reuerà erat: sanguinem illum adorandum fuisse *Latriâ Respectiuâ*, vti & in qualitate quâ sanguis separatus; neque enim plus ex dictis ei deberetur. Dixi (*posito quod ex vi verborum vinum fuisset transubstantiatum in Sanguinem à Corpore separatum*) licut enim est conjectura voluntaria & imaginaria *de Apostolo in triduo celebrante*, ita nonnulla imaginaria dubia proponi possent de *Christo* in isto casu *super Sacramenti institutione*: An talem casum incluserit, & sub quibus effectibus & circumstantiis? Et sic sine fine imaginaria spatia imaginariis quæstionibus replerentur, quibus in rebus tam sublimibus supersedendum, & rei veritas suis terminis relinquenda.

Approbat Christus multis Cultum Sanguinis separati.

Resp. 2. Deum multis miraculis, fauoribus & beneficiis, quibus singulariter populum suum visitat in cultu istius *Sanguinis in Cruce effusi*, devotionem & honorem sufficientem excitare, ad majorem suam gloriam, & memoriam *Vnionis Hypostaticæ*, quâ aliquando vnitus fuit *Verbo Diuino*: Et in his sufficientissimè saluari, quæ in scripturis referuntur de *Sanguine Christi*, cujus Reliquiæ in terris remanentes summo pretio habentur, ob respectum & relationem ad tempus quo vnitus Verbo, & in remissionem peccatorum à Christo cùm vita profusus fuit. Et hæc est Realitas cognita, quæ imaginationibus & speculationibus non innititur, sed virtutibus & signis, quæ Deus operatur, confirmatur.

Quæstio interim adhuc indecisa.

Et quidem per hæc resoluuntur omnia, quæ in contrarium adferri possunt, ac Patrum & Sanctorum sententiæ facillimè & fructuosè explicantur. Cæterum saluo *B. Iacobi à Marchia* & Doctorum celebrium honore, Quæstio hæc relinquitur inter opiniones, aliquando Deo propitio, ab Ecclesia in alterutram partem declaranda, absque vllius præjudicio, sed in vinculo mutuæ charitatis.

§. V.

Exaltatio Honoris B. V. Mariæ in Conceptione sua Immaculata, & in aliis nonnullis Ordini Minorum singulariter reseruata.

S. Francisci amor ad B. Virginem.

MIrabilem B. P. N. Francisci amorem ad Deiparam Matrem explicare volens *S. Bonauentura* c. 9. vitæ ejus: *Matrem* (inquit) *Domini nostri Iesu Christi indicibili complectebatur amore, eò quòd Dominum Majestatis Fratrem nostrum effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipuè fidens, eam sui ac suorum Aduocatam constituit, & ad*

S. Bonauen. c. 9. vitæ.

ad honorem ipsius à festo Apostolorum Petri & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissimè jeiunabat : Nec hic amor absque Piissima & liberali Matris Dei in S. Patriarcham & ejus Ordinem clementia ac benignitate inaluit : Nam & ipsum cum *S. Dominico* ad Dei in peccatores iram placandam Mater misericordiæ filio suo obtulerat: Et ipse in B. Virginis Ecclesia S. Mariæ de Angelis apud Assisium, Ordinis sui fundamenta iecerat : Quo loco sub ejusdem Dei genitricis vmbra (vt ait idem sanctus) *humiliter cœpit, virtuosè profecit, fœliciter consummauit : & illum locum in morte fratribus tamquam Virgini charissimum commendauit.* Ex hoc Ordo ille tamquam singularis Virginis fœtus, illi maximâ semper deuotione adglutinatus est ; & Diuinam Prouidentiam Ordinem illum selegisse, vt Deiparæ Matris honorem promoueret & exaltaret, Heroicæ doctrinæ, & actiones Christianæ Pietatis subsequentes ostendunt. Vndè & *Bernardinus de Bustis* serm. 9. de Concept. 1. parte refert *Seraphicum* Virum suos monuisse Fratres : *Vt omnia Benedictæ Matri Dei Priuilegia attribuerent, quæ illius possent excellentiæ conuenire, atque eam omnibus laudibus à pura humana creatura perceptibilibus exaltarent* : Hæc ille.

Ordinem suum incepit in Ecclesia B. M. de Angelis.

Ordo ejus singularis & electus ad honorem B. V. promouendum.

Franciscus suos monuit, omnes excellentias possibiles tribuendas B. V.

Inter has verò præcipuè eluxit *Immaculatæ Conceptionis Genitricis, Dei inuicta, immobilisque in hanc horam Assertio*, quam Fratrum *S. Francisci* Cœtus velut *Sacrum* à Deo *depositum* hactenùs intemeratè conseruauit, & pietate, doctrinâ, omnique labore mundo illustrem reddidit, collectis vndique tam antiquis Monumentis sanctorum, quàm nonnullis illustrationibus, quibus spiritus sanctus suos præuenire dignatus est.

FF. Minores quid & quantum fecerint pro immaculata B. V. Conceptione.

Præcesserant vtique tum in Scripturis sanctis, tum in SS. Patrum interpretationibus accensæ faces, quæ ad hanc Virginis Matris Excellentiam, tamquam lucernæ lucentes in caliginoso loco mentem hominis deducebant: Nec Ecclesia Mater abnuebat, quæ primò in Ecclesiis accẽsam hanc ad *Immaculatam Virginis Conceptionem* deuotionis lampadem peculiari cultu permittebat: Nondum tamen susciata erat Publica illa *Professio Immaculatæ Conceptionis*, cujus primi duces fuerunt Fratres Minores.

Fuerunt 1. Duces publicæ Professionis Immaculatæ Conceptionis B. V.

Super antiquis igitur *Scriptura & Patrum* fundamentis à Deo Ordini Minorum reseruari visa est hæc *Immaculatæ Conceptionis* Benedictæ Virginis Excellentia, vt opportunè in Ecclesia Dei exaltaretur, velut *Mons Domus Domini supra verticem Montium in nouissimis diebus præparatus.* Nam (teste S. Gregorio in lib. Regum) *Beatissima Virgo Maria Dei genitrix Mons fuit, qui omnem electa Creatura altitudinem electionis sua dignitate transcendit. An non* (ait) *Mons sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum Choros vsque ad solium Deitatis erexit ? Mons quippe in vertice Montium fuit, quia altitudo Mariæ suprà omnes sanctos resulsit.* Hæc sunt fundamenta ejus in Montibus sanctis : ad quæ inuestiganda Sanctorum doctrina dirigebat : super quibus à principio *S. Franciscus* in Ecclesia S. Mariæ de Angelis, Ordinis sui exordia ponens, superno augurio Reginæ Angelorum Eminentiam in Immaculata ejus Conceptione suos filios prosequi voluit. Nec immeritò : Nihil enim (juxta *S. Gregorii* elogium) meritorum illius verticem suprà omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erigere poterat, vt ad Conceptionem Verbi Æterni pertingeret, nisi *Immaculata Conceptio*, quâ etiam Angelorum puritatem vincebat : Argumentum D. *Anselmi* l. de Conceptu Virginali : *Decebat* (inquit) *vt Christi Conceptio de Matre purissima fieret : Nempè decens erat, vt eâ puritate quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris & Virginis filius.* Ergo omnem *intelligibilem* sub Deo *puritatem* decuit Virginem possidere, quæ sine dubio multis gradibus Angelorum puritatem excedebat. Ingenuo Lectori hoc argumentum relinquo & ad intentum redeo.

S. Anselmus.

Quantâ verò puritate *S. Franciscus* Virginem excellere existimârit, docet deuotissima ad illam salutatio, quæ Tomo 1. Opusculorum recensetur : *Aue* (ait) *Domina sancta, Regina sanctissima, Dei Genitrix Maria, quæ es perpetua Virgo electa à Sanctissimo Patre de cœlo, quam consecrauit cum Sanctissimo filio & dilecto, ac Spiritu sancto Paracleto : In qua est, & fuit, omnis plenitudo gratiæ & omne bonum* &c. Notanda singulariter vltima verba: *In qua* (inquit) *Est, & fuit, omnis plenitudo gratiæ & omne bonum:* Si *omnis plenitudo gratiæ*, ergò & justitiæ Originalis, quæ à labe peccati Originis immunem redderet; *Si in illa omnis plenitudo gratiæ est, & fuit*, ergò numquam defuit ; Si *omnis plenitudo fuit*, ergò non tantùm omnem vacuitatem repleuit, sed & superabundauit ; Si denique *omne bonum in illa semper fuit*, ergò omne malum semper excluſit. Quo argumento vtitur *S. Bern.* Hom. 2. de laud. V. Matris: *Alioquin* (inquit) *quomodò eam Angelus gratiâ plenam pronunciasset, si quippiam vel*

S. Franciscus quid senserit de Conceptione Immaculata.

S. Bernardus.

patrum

Isa. 2. vers. 2.

S. Greg.

parũ boni, quod ex gratia non esset, habebat. Simili sanè phrasi vsus fuerat *S. Hieronymus* de Assumpt. Virginis ad *Paulam & Eustochium* quæ est *Epistola* 10. *Tomo* 5. *In Mariam* (ait) *totius quæ in Christo est, plenitudo gratiæ venit, quamquam aliter.* Vbi non distinguit plenitudinem gratiæ in Christo & in Virgine, nisi quia in Christo est *principiative* velut in fonte, in Virgine *participative* juxta participantis capacitatem: *Quoniam* (inquit) *quidquid in eo gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia & justitia, quæ de cælo prospexit, & ideò Immaculata quia in nullo corrupta.* Hæc fuit S. Patriarchæ pia de Virgine Matre credulitas, quam statim ab initio Ordinis in omnes deriuare studuit. Nam in Capitulo 2. Generali *ad annum* 1219. Primum statutum à toto Capitulo acceptatum, fecit: Vt quolibet sabbato solemniter fierent sacra in honoren *Immaculatæ Virginis.*

S. Hieronymus.

In 2. Capitulo Generali statutum de celebrandis Missis de Virgine Immaculata.

Hoc spiritu imbuti sunt filii ejus: Hanc enim *Immaculatam Conceptionem* prædicauit *S. Antonius Paduanus* (qui injuriosè à nonnullis in contrariam sententiam vocatur) Hic enim absolutissimè in *serm. feriæ 5. post Dom: Passionis* ad illa Euangelii verba *Duo debitores erant vni fœneratori: Aduertendum* (inquit) *quòd hoc dictum saluatoris solum tenet de illis qui debitores fuerunt, non de illis qui fuerunt ab hujusmodi debito præseruati, de quorum numero fuit B. Virgo.* Et *serm. Dom. 2. Quadrag.* vbi de Transfiguratione agens: *B. Virgo* (inquit) *est Mons, quia sicut Montes superiùs sunt luminosi: sic B. Virgo fuit luminosa puritate quam cum Angelis participat.* Et *Dom. 3. post Trinit.* exponens illud Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea*; docet *Virginem clausam fuisse, Principi hujus mundi*, id est, *Diabolo, quia ab omni ejus potestate libera, vt in illa solus Princeps Christus sederet.*

Quid sensit S. Antonius Paduanus de Virgine Immaculata.

Ezech. 44. vers. 2.

Eandem doctrinam cum Professione Minoritici Ordinis imbibit *Irrefragabilis Doctor Alexander Alensis*, qui etsi priùs Virginem Deiparam Originali peccato obnoxiam docuisset: Diuino tamen miraculo eum mutatum asserit Doctor antiquus *Guilelmus Vorillonus*, hoc pacto: Cùm enim iterum priorem sententiam de contracto à B. Virgine peccato Originali dictare paratus esset, subito morbo correptus mentem mutare compulsus est; Et sanitati restitutus libellum præclarum edidit *De Conceptione Virginis Immaculata*, accepto pro Libri materia loco illo Canticorum c. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Vnde vsque ad mortem familiaris illi semper fuit sequens ad B. Virginem Aspiratio: *Maria Domina mea, tota pulchra es, & formosa, & macula originalis aut actualis in te numquam fuit:* In quibus verbis etiam animam exhalasse dicitur. De hoc miraculo *Bernardinus de Bustis* serm. 4. de Concept. *Pelbartus* lib. 4. Stellarii, & alii quos citat *Salazar* sæculo 13. Illius porrò Tractatum productum à Tolosano Magistro *Joanne de Garrin* in Academia Tolosana contra nonnullos Virginis Puritati aduersantes refert supra citatus *Vorillong in 3. d. 3.* & Joannes de Celar ibidem testatur in Basilica Tolosana adhuc reseruari, quem *Cucarus 2. parte Elucidarii* asserit sex libris cõstare, & in 3. *Alensem* reuocare omnia quæ aliquando in contrarium asserere visus erat.

Quid Alexander Alensis.

Cant. 4. vers. 7.

Pietatem seraphici Patris non deseruit *seraphicus Doctor S. Bonauentura Alexandri Alensis*, discipulus, etsi enim *in 3. d. 3.* & in *speculo Virginali* visus sit inclinari in contractionem debiti Originalis à quo in primo instanti infusionis Animæ liberata fuerit (quæ omnia consideratis & distinctis instantibus in fauorem Immaculatæ Conceptionis facilè interpretari possunt) Nihilominùs ipsiusmet Interpretationem accipe, & ejus mentem ex ipsomet metire: Sic autem loquitur *serm. 2. de B. Virgine Tomo.* 3. inter sermones de Sanctis: *Domina* (ait) *nostra fuit plena gratiâ præueniente, Gratiâ, scilicet, præseruatiuâ contra fœditatem Originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi specìali gratiâ præuenta, præseruataque fuisset: solus enim filius Virginis fuit ab Originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo.* Hæc ille. Ex quo intelligitur; Si Originali culpæ aliquando dixerit obnoxiam, id de *debito Corruptionis Naturæ* intelligendum, non verò de *actuali contractione macula*, à qua Anima in primo saltem instanti suæ creationis præseruata fuit. Sed & audiatur idem Seraphicus & pius Virginis Cultor in *speculo Virginali* super illa verba *Aue Maria*: *Quod* (inquit) *purissima fuerit per culpæ carentiam, benè insinuatur cum dicitur* Aue. *Rectè namquè ei dicitur* Aue, *quæ ab omni Va culpæ immunissima fuit, sicut vtique Matrem Dei decuit.* Et ne quis suspicetur S. Doctorem intelligere de solo Væ Culpæ actualis, seipsum posteà exponens: *Ecce* (ait) *charissimi, sicut supra dictum est, sanctissima Virgo Maria, propter omnimodam culpæ carentiam, & immunitatem, propter omnimodam vitæ innocentiam, & puritatem, meritò ei in principio* Aue *dicitur: Aue* vtique & absque *va. Considerandum autem est quòd triplex est va, à quo immunissima fuit*

Quid S. Bonauentura.

fuit ista, cui dicitur Aue, *Est autem Va culpæ, Va miseria, Va gehenna. Est autem Va culpa actualis, Va miseria originalis, Va pœna gehennalis.* Hæc S. Bonauentura. Quid clarius dicere potuit de B. Matre Virgine quam non tantùm immunem sed immunissimam, ab omni omninò Væ, etiam miseriæ Originalis declarauit.

Et hæc quidem erant semina veræ in Matrem Dei Deuotionis in Agro Seraphici Ordinis à Deo seminata, vt in Arborem grandem opportuno tempore assurgerent. Hic erat igniculus veluti in puteo absconditus, qui tandem holocaustis insperſus sole meridiano radiante accendere uniuersa debebat: quod mirabili modo factum docent *Annales.*

§. VI.

Ioannis Duns Scoti ex ordine Minorum Doctoris subtilis pro Immaculata conceptione concertatio publica & victoria.

Quid Scotus.

CIrca *annum* itaque 1304. excitatâ graui contentione de *Immaculata Virginis Matris Conceptione*, grauibusque dissidiis inter Prædicatores & Minores in Nobilissima Academia Parisiensi, maculatam Virginis Conceptionem Originali peccato communi velut voce, Prædicatoribus acclamantibus, & communem cœtum in suas partes trahentibus, *Benedicti* 10. auctoritate indictum est publicum *Certamen* & *Disputatio* solemnis Apostolicis Legatis præsentibus. Ad quam euocatus accurrit *Joannes Duns Scotus* Oxonio (vbi Theologiam profitebatur) eò quidem libentius, quo amore Virginis ardens, illi post Deum suam omnem doctrinam & scientiam debebat, ex fideli pacto, quo eam Deiparæ Virginis intercessione sibi acquisitam nôrat. Puerulus namque (vti fert Traditio) cum hebetioris & tardioris esset ingenii, vnâ dierum sub arbore quadam Sapientiæ Æternæ Matrem rogasse dicitur fusis lachrymis, vt sibi Intellectum ad scientias facilem impetrare dignaretur: Cui somno correpto *Deipara Illuminatrix* apparens de postulato sibi concesso dono certiorem reddit, eo quidem pacto, vt acquisitis scientiis in *Dei* & *Sui* honorē defendendo illas impenderet. Augurium sine dubio simul, & omen, hujus quæ posteà superuenit de *Virginis Immaculata Conceptione* Disputationis pariter & Victoriæ. Comparuit igitur indicto tempore, & in Campum disputationis velut Anteſignanus, & Dux Exercitus, pro *Immaculata Conceptione* Joannes, & (vt loquitur Pelbartus l. 4. stellarii p. 1. a. 31.) *Aduersa partis Tutoribus se opposuit ingeniosissimus Doctor: Magnum fuit pondus Argumentorum, quibus impetebatur, eramtque numero bis centum: quæ omnia sine interruptione, quieto & tranquillo animo audiuit, & mirabili memoriâ suo ordine resumpsit, soluendo intricatas difficultates, & nodosos Syllogismos, eâ facilitate, quâ Samson Dalilæ lagamina in fauorem Philistinorum posita dirumpebat.* Addidit *Scotus* multas & fortissimas rationes, quibus Virginem Sanctissimam sine Originalis peccati macula conceptam clarè probabat: Sed quo fine? Prosequitur Pelbartus: *Actus* (ait) *obstupefecit Sapientissimam illam Vniuersitatem Parisiensem, qua in gratificationem Scotum celeberrimo nomine DOCTORIS SVBTILIS insigniuit.* Et hinc Vniuersitas illa in hanc pulsimæ sententiæ defensionem, ita communi consilio abiuit, ut circa *annum* 1346. prohibuerit. *Ne opposita sententia in scholis Scademiæ deinceps proponi posset.* Et postea circa *annum* 1383. ab eâdem facultate cautum est: Ne quis ibidem Gradum vel lauream *Doctoratus* nanciſci posset, nisi Juramento præstito, quòd *Immaculatam Virginis Conceptionem* defensaret: Quinimò (vt refert *Antonius Cucarus in Elucid. Virg. p.* 1.) *Vniuersitas* Votum de celebrando quotannis festo *Immaculatæ Conceptionis* emisit, Reuerendissimo Episcopo Missam celebrante, & vno ex Doctoribus Concionem habente.

Qualis ejus Disputatio pro Immaculata Conceptione B. V.

Ex illa victoria Doctor subtilis nominatur.

Academia Parisiensis ab illo tempore quàm addicta Immaculatæ Conceptioni.

Huic porrò Victoriæ (ex qua juxta nonnullos Joannes Scotus *Victor* publicè acclamatus est) securitatem dederat piissima *Virgo Maria*: Cùm enim ipsâ die Concertationis illius celeberrimæ ad locum deputatum *Joannes Scotus* Defensor futurus Virginis pergeret, antè *Imaginem Deiparæ* suprà portam cujusdam Capellæ collocatam transiens in genua prouolutus hanc ad *B. Matrem* toto cordis affectu orationem emisit ex Ecclesiastico Officio desumptam: *Dignare me laudare te Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos;* Cui sic oranti in signum futuri successus *Imago marmorea* caput notabiliter inclinauit, & contra artem sculptoriam in hanc horam adhuc inclinata visitur.

Scoto unde ista Victoria.

Scoti doctrina unde.

Hinc Ordo Minorum clarificatus est, & *Joanne Scoto* velut Anteſignano, perseuerauit, & in defendenda *Immunitate S. Virginis* ab omni *Originali peccato* in hanc vsque horam perseuerat, multis decoratus beneficiis & fauoribus à S. Sede Apostolica, ob hanc quam in se suosque assumpsit *Puritatis Immaculatæ Dei Genitricis* de-

Ordo Minorum perseuerauit semper in defendenda B. V. Immaculata Conceptione.

fensionem. Nam & ad Annum 1621. Ordinis vniuersi clauum tenente P. M. Reuerendissimo P. F. Benigno à Genua, in Capitulo Generali Intermedio Segouiæ celebrato (in quo Reuerendissimus Pater Bernardinus de Senis in Commissarium Generalem familiæ hujus Cisinontanæ electus est, & Constitutiones familiæ ejusdem reuisæ & ad Strictiorem Obseruantiam reformatæ omnium consensu fuerunt) solemni & Publico Actu, Reuerendissimo Patre Generali Presidente, & quatuor Patribus in vestibus Sacris assistentibus coram vniuerso populo ante Altare Deiparæ Matris omnes Vocales nomine suo & totius familiæ ac Ordinis, tactis Sacris Euangeliis, Iuramentum & Juratum votum fecerunt de Tenenda, conseruanda, & defendenda IMMACVLATA CONCEPTIONE B. Virginis MARIÆ, ipso Pentecostes Festo: quod Iuramentum ipse, qui hæc scribo, præstiti cum aliis, vt Custos Prouinciæ meæ Flandriæ. Et quamuis prioribus Sæculis non defuerint, qui *Immaculatæ Conceptionis S. V.* Assertores fuerunt, imò qui & in Ecclesiis suis festiuitatem *Immaculatæ Conceptionis*, Reuelationibus quibusdam inuitati, instituerunt & celebrauerunt (vt tempore *S. Anselmi* in Anglia, tempore *S. Bernardi* in Ecclesia Lugdunensi, & priùs in antiquissima *Ecclesia Leodiensi* ad *annum* 1142. sub *Alberone*. 2. Episcopo) Nihilominus ab hac solemni Victoria Doctoris Subtilis, tam doctrina illa piissima, quàm celebratio festi expresso etiam Titulo, *Immaculatæ*, in aliis, *Sanctæ Conceptionis*, in vniuersalem Ecclesiam pertransiit: approbantibus illam Summis Pontificibus, specialiter *Sixto* 4. *Alexandro* 5. *Julio* 2. quorum Decreta per *SS. Concilium Tridentinum*, & *Pium* 5. sunt approbata.

Sententia illa & festum approbatur ab Ecclesia.

Officium & Missa propria instituitur de Conceptione cum Octaua.

Ita vt *Sixtus* 4. in Constitutione quæ incipit: *Cum præcelsa*: *Vt* (inquit) *de ipsius Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione gratias & Laudes deferant*, permisit ab vtriusque sexus Christi fidelibus *Officium de Conceptione* à *Leonardo de Nogarolis* compositum, & cum Missa approbatum die *Conceptionis* & per Octauas celebrari: Et illis quidem ac omnibus, qui Officii Solemnitati interessent, easdem indulgentias elargitus est, quas *Vrbanus* 4. Officium in *festo Corporis & Sanguinis Christi* celebrantibus aut illi interessentibus concessit. Bulla data est *Romæ apud S. Petrum anno Domini* 1476. 3. *Kal. Martii*, *Pontif. anno* 6. Quod Officium etsi in Ordinario Romano à *Pio* 5. ad communem Ritum, sicut in die Natiuitatis B. Virginis sit reductum, & Octaua apud sæculares sublata,

Officium mutatum pro sæcularibus.

in Ordine tamen Minorum (cui propagatæ *Immaculatæ Conceptionis* honor attributus est) manet auctoritate summorum Pontificum in hunc diem confirmatum & specialibus fauoribus decoratum. Nam *Sixtus* 4. Diem illum ita celebrem aliquandò voluit, vt nec Dominicæ Aduentus cederet, nec infrà ejus Octauam de aliquo festo Diuina celebrarentur. Cujus rationem reddit: *Quia* (inquit) *fuit specialis Dei effectus in die illa.* Videatur *Hieron. Serbo* in Compendio V. *Conceptio Virginis.* *Nota.*

Porrò *Leo* 10. FF. Minoribus indulsit, vt toties quoties missam de *Immaculata Conceptione* celebrarent, & in ea pro sua Sanctitate & vniuersali Ecclesia orarent Indulgentiam Plenariam consequerentur, quam ampliauit ad Fratres audientes, & Moniales S. Claræ in Congregatione viuentes. *Indulgentia Plenaria pro FF. Minoribus &c. celebrantibus vel audientibus Missam de Conceptione Immaculata.*

Ex hoc etiam *Ordinis Franciscani* in honorem Deiparæ Manipulo prodierunt plurimæ *Congregationes* & *Confraternitates* in honorem & sub Titulo *Conceptionis Immaculatæ* institutæ, & à summis Pontificibus Gratiis & Indulgentiis dotatæ. Inter quas excellit *Ordo* ille *Immaculatæ Conceptionis* à *Julio* 2. approbatus, & ab Ancilla Dei *Beatrice de Silua* in Hispania inchoatus, qui & in orbe vniuerso jam pietate & sanctitate viget: Cujus Ordinis regimen subjecit Pontifex *Ordini Minorum*, hoc solo intuitu, quòd *Immaculatæ Conceptionis defensor* semper fuerat. Verba Bullæ Institutionis Ordinis sunt: *Congruum* (ait Pontifex) *omninò & rationi consonum est: vt Fratres qui ob Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem tuendam atque defendendam, tot labores atque difficultates perpessi sunt, illi illius sanctissimi Nominis & Professionis curam gerant &c.* *Ordo Immaculatæ Conceptionis à quo, quando & vbi fit institutus, & cui subjectus.*

Quantum verò Immaculatæ Conceptioni, & fidelium ad illam deuotioni detulerint Pontifices, ex hoc constat, quòd omnibus Christi fidelibus, qui *Imaginem Immaculatæ Conceptionis* super se deferrent Viri quidem simpliciter; Mulieres verò Scapulari affixam, easdem concesserunt Indulgentias quas consequuntur gestantes *Chordam S. Francisci*, vel *Corrigeam S. Augustini*. Et ita *Leo* 10. in Comp. Priuileg. V. Indulgentiæ quoad sæculares 7. Et *Sixtus* 5. visitantibus Ecclesias Monasteriorum Conceptionis B. Mariæ, in die *Immaculatæ Conceptionis* confessis & sacrâ Communione refectis &c. concessit Indulgentiam Plenariam, vt constat ex *Bulla* 2. ejusdem Pontificis in Bullario Rodriguez. *Imaginem Conceptionis Immaculatæ gestantibus quæ Indulgentia data* *Et quæ visitantibus Ecclesias Monasterium istius Ordinis in festo Conceptionis Immaculatæ.*

Et hæc quidem sufficiant; vt omnibus sit manifestum, quantum Ecclesia detulerit Ordini Minorum ob exaltatam Purissimam

simam Virginis Conceptionem. Quod spectat ad Controuersias & Disputationes hactenùs excitatas nihil ago; Innumeri enim Tractatus super hoc conscripti sunt, semperque animos non præoccupatos in pietate hujus doctrinæ inducunt & confirmant: Et quia nuper iterum excitata est Romæ ad *annum* 1644. quæstio: An Titulus *Immaculatæ* ipsi *Conceptioni*, An *Virgini* attribui deberet: sincerus veritatis Amator aduertat: quòd cùm *Conceptio* Virginis, sit *Conceptæ Virginis Conceptio*, eidemque Virgini in termino *Conceptionis* identificatur: Si ipitur in primo sui esse Concepta Virgo fuerit *Immaculata*, ergò & Conceptio quâ concepta est, *Immaculata* fuit: Si Virgo in *Conceptione* maculata fuit, ergo Virgo *Immaculata* simpliciter Dici non debuit. Et quidem Pontifices respectu facto ad *Conceptionem*, illam *Immaculatam* passim prædicant, & in Officiis Diuinis, vt *Conceptio* ipsa *sancta* & *Immaculata* positiuè dicatur, permittunt: Cum & in Officio Ordinario Romano *Responsorio* 8. simpliciter canatur: *Quicunque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Quippe Sixtus 5. in Bulla quæ incipit: *Ineffabilis. Data Romæ die* 30. *Martii* 1588. *Pontif. anno* 3. quâ celebrari festum cùm Octaua in Ordine S. Francisci permittit, causam hujus permissionis præallegans & exprimens: *Quia omnes* (ait) *dicti Ordinis vtriusque sexus persona ex ipsius ordinis Instituto PVRISSIMAM ipsius Dei Genitricis CONCEPTIONEM deuotissimè celebrare, ac illam condignis laudibus & honoribus extollere, ac fidelibus prædicare & explicare, ipsumque festum maximâ reuerentiâ venerari consueuerunt* &c. Nota PVRISSIMAM CONCEPTIONEM verbo Pontificis assertam. Iudicio itaque S. Matris Ecclesiæ contentiones relinquendo, expectabunt pii & deuoti filii claram illius tempore à Deo ordinato Definitionem; Ad quam nostræ Nationis Belgicæ & Germanicæ Prouinciæ legationem eruditam præparant.

An Titulus Immaculata *afficiat Conceptionem an Virginem.*

§. VII.

Alii manipuli Ordinis Minorum in honore Deiparæ Matris collecti.

S. Bonauentura ab vnico quasi ordinario in honorem B. Virg.

FLosculos primos in Deiparæ Matris honorem per vniuersam Ecclesiam sparsit *S. Bonauentura*, de quo in vita ejus c. 9. legitur sic: *Auctor maximè fuit, vt in Natalitiis festis Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine, caneretur.* Et in lectionibus Breuiarii: *Congregato Generali Capitulo Pisis eodem Auctore institutum est, vt*: Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine, *vsque ad Epiphaniam continuaretur, eodem modo quo infra Octauam Natiuitatis Dominicæ.* Ibidem: *Idem piissimus Cultor gloriosæ Virginis Matris Jesu instituit vt Fratres populum hortarẽtur ad salutandum eandem signo Campanæ, quod post Completorium datur, quod creditum sit eandem eâ horâ ab Angelo salutatam.* Itidem vt Fratres populum monerent, diligentissimus hortator fuit, & ab illo mos ille in vniuersam Ecclesiam introductus est.

Festa particularia B. Virg. in Ordine FF. Minorum.

Sed & in Ordine Minorum festa nonnulla B. Virginis radices miserunt, quæ posteà ab vniuersa Ecclesia sunt assumpta; Sic festum *Præsentationis B. Mariæ* ab antiquo inter solemnitates Ordinis *S. Francisci* reseruatum est vsque ad tempora *Sixti* 5. quando omnibus Clericis ad *diem* 21. *Nouembris* demandatum fuit, & in Kalendario Romano, tempore *Clementis* 8. in recognitione Breuiarii & Missalis Romani festum illud repositum. Festum similiter *Visitationis* ab *Vrbano* 6. Papa institutum & à *Bonifacio* 9. confirmatum, prima in Ordine Minorum incrementa sumpsit; Et in Capitulo quidem Generali Tolosano, ad *annum* 1437. à toto Ordine susceptum, in Capitulo Generali salmanticensi ad *annum* 1461. etiam cum Octaua demandatum fuerat. Quod & inter *festa duplicia majora* computatur in *firmamento Trium Ordinum p.* 3. in Ordinationibus Diuini Officii: Cujus quidem festi solemnitas, ne videretur deficere, renouata est pro Belgio in Capitulo Prouinciali Iprensi *anno* 1514. cùm priùs in Capitulo Slusensi ad *annum* 1486. demandatum fuisset, vt de ea proprium Officium diceretur: Hinc ex Ordine Minorum ad vniuersalem Ecclesiam transiit. Tam vniuersalis porrò fuit affectus ad Deiparam Virginem in Ordine Minorum, vt & festum *Desponsationis* ejus cum Josepho ad 8. *diem Martii* diutissimè ex Decretis Capitulorum Generalium celebratum fuerit, & tam ipsius *S. Joseph*, quam *Joachim & Anna* Parentum B. Virginis solemnitates, priùs in Religione Franciscana celebratæ sub duplicis majoris ritu fuerint, quàm ad Kalendarium Romanum assumerentur.

Corona B. Virg. quæ & qualis & à quo incœpit.

Huc etiam pertinet Institutio *Coronæ B. Virginis* quæ 8. *Pater Noster*, & 72. *Aue Maria* complectitur in honorem annorum 72. quos juxta opinionem *S. Joannis Damasceni* Virgo creditur in hac mortali vita transegisse: Quæ quidem *Corona* vni deuoto Fratri reuelata, à Summis Pontificibus posteà approbata est, & specialiter

literà *Leone* 10. ad instantiâ B. Memoriæ *Gabrielis Maria* aliàs *Gilberti Nicolai* per Bullam quæ incipit: *Exponi nuper nobis fecisti.* Datam *Romæ die* 14. *Septemb.* 1517. *Pontif. anno* 5. In qua omnibus illam legentibus, cum nonnullis aliis coronis in eadem Bulla expressis, Apostolicam impartitur Benedictionem: Et quidem *Julius* 2. Fratribus omnibus legentibus dictam *Coronam* concesserat Indulgentiam Plenariam, quam *Leo* 10. ampliauit ad sorores S. Claræ, Tertii Ordinis, & Annuntiationis B. Mariæ, vt refertur in *Comp. Privileg. V. Indulgentia Plenaria quoad Fratres n.* 7. 9. *&* 11. In qua Indulgentia communicant Confratres Chordæ. Et hinc ista *Corona* per vniuersum Orbem vsurpata fuit.

Quæ Indulgentia Coronæ B. Virg.

Huc etiam spectat *Confraternitas* ista solemnis *Trium Deuotionum Virginis Matris*, quam auctoritate Apostolicâ vbique promulgauit dictus Dei seruus *Gabriel Maria.* Cùm enim ex Reuelatione facta cuidam personæ deuotissimæ cognouisset nihil magis gratum Virgini, quàm tria illa Exercitia quæ ipsamet Virgo practicauerat, videlicet: 1. *Obseruando Euangelicam doctrinam, quam filius annuntiauerat.* 2. *Passionem Filii recolendo*, ad exemplum Virginis, quæ loca Passionis post Resurrectionem filii singulis diebus deuotè visitabat. 3. *sumendo & omni veneratione honorando SS. Eucharistiæ Sacramentum*, cui singulis diebus Deipara post Resurrectionem communicabat. Ex his composita est vna deuotissima *Confraternitas*: cujus Confratres. 1. *Auditioni* & Lectioni Verbi Dei quotidiè insistunt & in Euangelicarum virtutum praxi continuè se excercent: 2. *Passioni Christi* inhærent, & singulariter nonnulla pro Christo pati dietim assuescunt, ac pacem omnibus annuntiant. 3. *Sacræ Eucharistiæ* Communionem deuotè juxta commoditatem cujuslibet frequentant, Ecclesiis pauperculis & derelictis de corporalibus, mappis, & aliis ad Sacrificium Missæ pertinentibus prouident, & quoties signum Missæ audiunt, vnum *Pater* & *Aue Maria* pro sacerdote celebrante legunt &c. De quo iterum alias. Quæ omnia mirum fructum in vniuerso, maximè in his Regionibus Cismontanis causârunt, & vtinam resuscitarentur.

Confraternitas trium deuotionum B. Virg. vnde.

Tres deuotiones B. Virginis.

Ipsius Confraternitatis leges.

Historia & exercitia hujus Confraternitatis latè referuntur in Libello quodam inscripto *De Tribus Ordinibus Beatissimæ V. Mariæ* qui dedicatus fuit Serenissimæ Reginæ Angliæ *Catharinæ* per *R. P. F. Gilbertum Nicolai* Ordinis Vicarium Generalem. De quo in honorem Beatissimæ Virginis hæc pauca annotare volui, ex quadam ejus Epistola seu Instrumento dato *anno* 1501. *die* 14. *Iunii* tempore Capituli Generalis Antuerpiæ celebrati, cujus habeo authenticam Copiam: Hic igitur S. Memoriæ Pater: Insinuante sibi quodam Antuerpiensi Ciue Primario, quòd curasset vnam *Confraternitatem* erigi in Ecclesia S. Georgii Antuerpiæ in honorem *Incontaminatæ Conceptionis* ad Altare eodem Titulo erectum, ad quam tota deuotio Populi ferebatur, tanto exhilaratus est gaudio, vt omnes Confratres & sorores *Illibatæ Conceptionis* B. Mariæ Virginis in Ecclesia Parochiali S. Georgii Antuerpiensi præsentes & futuros receperit ad *Confraternitatem* siue Filiationem Regularis Obseruantiæ S. Francisci in vita pariter & in morte, illis cõmunicando omnia suffragia & bona opera *Obseruantiæ*: Nec non Apostolicâ auctoritate sibi factâ omnes Indulgentias *Decadum decem Beneplacitorum*: Nec non *Coronarum* tam *Saluatoris* complectentis 33. *Pater* & *Aue Maria*, quàm *B. Mariæ* constantis 72. *Aue Maria* cum octo *Pater noster*, juxta concessiones *Alexandri* 6. *Iulii* 2. & *Leonis* 10. Cujus rationem piam addit: *Quia Obseruantia Regularis, & Diuæ Conceptionis Fratres vno sunt Parente geniti, & eadem ex vtero procreati, ideoque eâdem hereditate gaudere debent.*

Confraternitas Illibatæ Conceptionis B. V. in Ecclesia S. Georgii Antuerpiæ vnde & quam deuota.

Quibus gratiis gaudeat.

Hîc etiam Confraternitates Virginis dolorosæ recenseri possent qualis solemnissima habetur in Conuentu Antuerpiensi, & passim in Prouinciis Belgicis multiplicantur.

Confraternitas V. dolorosæ.

Nec Ordo Annuntiationis Deiparæ hic omitti debet, qui sub directione B. Memoriæ P. Gilberti Nicolai à Dei famula Ioanna Valesia inchoatus, Ordini Minorum etiam adscriptus à Sede Apostolica fuit, & sub ejusdem regimine orbem peruasit.

Ordo Annuntiatarum.

Sic Ordo Minorum Hortum Virginis Sponsæ SS. Trinitatis excoluit, & suo tempore ex eo pro quibusvis personis juxta vniuscujusque capacitatem Manipulos in horrea Ecclesiæ intulit.

§. VIII.

Officia Diuina Diligentiâ FF. Minorum in Ecclesia Romana in suo decore conseruata sunt, & suo nitori restituta.

HVjus rei Testimonium Authenticum refert *Rodolphus* Decanus Tungrensis *l. de Can. Obseru. Prop.* 22. To. 11. *Bibliotheca SS. Patrum* sic loquens: *Sciendum* (ait) *quòd Nicolaus Papa* 3. *Natione Romanus, de genere Vrsinorum qui supra an-*

FF. Minores quid fecerint in Ecclesia circa diuina Officia.

no Domini 1277. & Palatium apud S. Petrum construxit, fecit in Ecclesiis Vrbis amoueri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officis antiquos quinquaginta, & mandauit, vt de cætero Ecclesiæ Vrbis vterentur Libris & Breuiariis FF. Minorum, quorum Regulam etiam confirmauit. Quod quidem appositè intelligendum est. Cùm enim FF. Minores ex vi Regulæ teneantur facere *Diuinum Officium juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: sine dubio magna & sancta semper fuit hujus Ordinis curiositas & sollicitudo, vt *Ordo Romanæ Ecclesiæ* in Ecclesiasticis Officiis purissimè seruaretur: Vnde quia purius quæ præscripta ab Ecclesia erant apud Minores obseruabantur, & eorum libri à mendis & mutationibus vigilantius vendicabantur, ideò ad eorum libros voluit Pontifex pro restituenda puritate Officiorum Diuinorum recurri. Imò Pontifices attendentes piam Fratrum S. Francisci in Obseruatione perfecta Officii Romani diligentiam, illis committebant, quæ successu temporis reuidenda & emendanda existimabant. Ita F. Haymoni Ministro Generali, tum sub *Gregorio* 9. tum sub *Innocentio* 4. hæc cura reuidendi Officii Romani demandata fuit. Quod quidem Officium Correctionis F. Haymonis à summo Pontifice *Innocentio* 4. approbatum, vniuersali Ecclesiæ traditum est, & eâ ratione quâ S. Sedes pro vero officio Romanæ Ecclesiæ illud teneri voluit, ad idem obseruandum FF. Minores mandato Capituli Generalis astricti fuerunt: ita vt non tam dicendum sit *Romanam Ecclesiã FF. Minorum Officium assumpsisse*, quàm *Correctionem siue Emendationem ac Reuisionem* de mandato S. Sedis Apostolicæ à Minoribus factam, imò ab eadem Sede approbatam fuisse & in Ecclesia vsurpatam, ac deinde à FF. Minoribus Officium illud ex vi Regulæ suæ vsurpatum esse: Et quia Libri Fratrum Minorum magis cultè & præcisè exscripti fuerant, Ecclesiæ autem Sæculares minus curiosæ in illis, adhuc vtebantur (vt fieri solet) suis antiquis Libris incorrectis: Pontifex voluit, vt Libri correcti FF. Minorum, & à S. Sede prius approbati pro vniuersa Ecclesia Romana, tamquam purioris Obseruantiæ Romanæ assumerentur. Hæc patent ex Epistola Ioannis Parmensis scripta ad Ministros & Guardianos Tusciæ, quæ refertur in Annalibus ad *annum* 1249. *n.* 2.

§. IX.

Regula Pœnitentiæ, & Christianæ obseruantiæ omnibus vtriusque Sexus Christi fidelibus pro omni statu sæculari à S. Francisco proposita fuit, ingenti fructu totius Orbis.

APostolicus Vir *Franciscus* postquam, duodecim jam socijs sibi aggregatis Ordini suo sancta dedisset principia, nouo à Deo accepto Oraculo, quòd, non pro sua solum salute, sed pro omnium aliorum, quibus prædicandum erat Euangelium Regni & annuntianda erat Pœnitentia, à Deo vocatus esset: Particeps vtique & heres cum suis mandati Domini ad Apostolos, quo in *vniuersum mundum* missi sunt *ad prædicandum Euangelium omni Creaturæ*: *Tanto* (ait Pisanus) *feruore, vt Diuinum exequeretur Imperium, tamque celeriter præcurrebat, ac si facta manu Domini super eum, nouam induisset è cælo virtutem, quasi enim fulgur in impetu spiritus pergebat.* Tunc igitur, videlicet, ad *annum* 1221. Conuersionis suæ 14. recto itinere pergẽs, ad quoddam Oppidum *Canarii*, quod in ValleSpoletana quatuor millibus passuum ab Assisio distat, peruenit, vbi tantâ vehementiâ Pœnitentiam annuntiauit, vt concurrente ex omnibus locis vicinis populorum ingenti multitudine, omnes ad Pœnitentiæ lamenta se resoluerent, & Viro Dei adhærentes, Viri Vxores, Vxores Viros relinquere, familias deserere parati essent, vt in futurum sub Seraphici Viri institutionibus & legibus, Domino, spretis vinculis Matrimonialibus in omni austeritate famularentur. In hac cordium commotione suspirabat Sanctus, & illud Psalmistæ ad Dominum ingeminabat: *Commouisti terram & conturbasti eam, sana contritiones ejus quia commota est.* In hoc itaque miro Diuinæ operationis euentu S. Patri inspiratum est à Deo: Institutum siue Ordinem Tertium de Pœnitentia auspicari; Cùm enim Religioni Monasticæ, omnes apti non essent, nec Viri Vxores, vel econtrà, insolubili vinculo Matrimonii prohibente, legitimè deserere possent, nec Oppida aut Regiones familiis destitui, nec Respublicæ communi populorum cœtu & operâ: Inspirante omnium saluandorum Parente: Omnibus quidem leges Obseruantiæ Mandatorum Dei & Pœnitentiæ cum nõnullis obseruantiis proposuit, quibus in propriis domibus, salvâ pudicitiâ

S. Franciscus quo affectu se accingat ad prædicandum Pœnitentiam.

Quo fructu illam prædicet.

Psal. 59. vers. 4.

Instituit 3. Ordinem Pœnitentiæ.

conjugali, saluo cujuslibet legitimo statu, saluâque familiarum conseruatione, Animabus suis in æternam salutem consulere possent. Hic est Ordo Fratrum & sororum de Pœnitentia, de quo *S. Bonauentura* c. 4. vitæ: *Capit ex hoc* (ait) *Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suauitatis, honoris, & honestatis, vberes fructus afferre.* Et prosequitur: *Nam Prædicationis ejus feruore succensi, quam plurimi vtriusque sexus in Conjugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à Viro Dei acceptam, nouis se Pœnitentiæ legibus vinciebant: Quorum viuendi modum idem Christi famulus Ordinem Fratrum de Pœnitentia nominari voluit.* Ostendit autem *S. Bonauentura* qualiter hic viuendi modus fuerit omnibus Christianis accommodus: *Nimirum* (ait) *sicut in cœlum tendentibus Pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem; sic & hic status Clericos & laicos, Virgines & Conjugatos, in vtroque sexu admittens quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per eos patratis miraculis constat.* Hæc ille. Factum hoc Seraphici Patriarchæ pulchrâ comparatione extollit *S. Antoninus* 3. p. Histor. Tit. 24. c. 1. §. 2. *Hinc* (ait) *fraternâ dilectione deuictus B. Franciscus ad instar Patriarchæ Noe Arcam fabricatur, & Tricameratam fecit, id est Religionem, scilicet Fratrum, Monialium, & Tertii Ordinis, vt habitantes in ea præseruaret à diluuio vitiorum, & morte luxorum, omni: statu cupiens dilectione prouidere.*

S. Bonauentura c. 4. vitæ.

3. Ordo Pœnitentium omnibus accommodus.

Hic est *Ordo*: Cujus Professio non est nisi Christianæ Professionis coram Deo renouatio, & Propositi Baptismalis reproductio: Non enim aliud promittunt illum Ordinem assumentes, quàm *Obseruationem Mandatorum Dei, & satisfactionem Pœnitentialem, si leges positas transgrediantur*; quæ leges nihil aliud sunt quàm *Exercitia Pietatis Christianæ*, quibus fideles per actus suos *abrenunciant Satanæ, & omnibus operibus ac pompis ejus*, ab iisque elongantur, quæ animas illaqueare solent, vt legentibus Regulam constat.

3. Ordinis Professio qualis.

Dedit porrò ipsemet S. Pater (teste S. Bonauenturâ suprà) *illis formam vitæ* siue *Regulam*, quam postea *Nicolaus* 4. paucis immutatis restituit & confirmauit.

Hic est *Tertius Ordo*: qui vniuersum Orbem vsque ad ipsos angulos maris & terræ repleuit, cui Eminentissimi Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique Ecclesiastici plurimi nomen dederunt: Quem Imperatores, Reges, Imperatrices, Reginæ, Monarchæ, Principes, & omnis gradus Nobiles professi sunt; Cui promissionis populus aggregatus est vt ex omni statu saluarent Animas suas.

Hunc Ordinem quanta Personæ professæ sint.

Hic est *Tertius Ordo*, qui tot sanctos & sanctas in gloria sanctorum protulit, vt præter Canonizatos, vix vlla dies sit in anno, in qua non reperiantur plures ex isto Ordine vitâ & miraculis clari, quos videre est in Martyrologio Franciscanorum nuper à P. Arturo de Monasterio edito.

Hujus Ordinis sancti & sanctæ.

Hic est *Ordo* quem sanctissimis Titulis honorauêre Pontifices summi, vt *Dei viros, Amicos Dei*, & societatem illam, *Religionem* ac viam Perfectionis nuncuparent, vt constat ex Bullis quæ incipiunt: *Nimis potenter*: & *Detestanda*. *Gregorii* 9. Quos & describit: *Qui nouissima sua prouide memorantes, derelicto sæculi vanitatibus, pœnitentiam in corde contrito, & humiliato spiritu agere in domibus propriis vel alibi statuere. Et vt retribuentes miseræ filiæ Babylonis retributionem, quam retribuit ipse nobis, promissum beatitudinis præmium facilius & fœlicius assequantur, castigare corpus suum & in seruitutem redigere concupiscunt.*

Hujus Ordinis Titulis.

Hic est *Ordo* quem summis Priuilegiis decorauit S. Mater Ecclesia, vtpote quem *Gregorius* 9. Ecclesiasticâ libertate donauit, Immunitatibus & foro Clericali exornauit, Exemptionibus omnibus gaudere voluit, quibus *Primi & secundi Ordinis gaudent*, cum omnibus Indultis spiritualibus. Et quamuis *Leo* 10. ad viuentes Collegialiter Priuilegia omnia temporalia restrinxerit, omnia tamen Priuilegia spiritualia, Indulgentias, Peccatorum remissiones, Gratias, fauores Ordini Minorum concessos, etiam Tertiariis in propriis domibus viuentibus absque delectu communes fecit: si tamen à FF. Minoribus Regularis vel strictioris Obseruantiæ, siue etiam Conuentualibus habitum receperint, & eorum directioni subsint. Quod singulariter notandum est propter nonnullos Ordinem illum vel propriâ auctoritate assumentes, vel ab auctoritatem non habentibus illum recipientes, qui (etsi fortè merito operum gaudeant) Gratiis tamen & Indulgentiis Ordini concessis non potiuntur: quia Admissionem ad Tertium Ordinem Prælatis Obseruantiæ & Conuentualium Pontifices addixerunt, & Gratiarum ac Indulgentiarum participationem ad eos qui sub directione ipsorum viuerent, restrinxerunt.

Ejusdem Priuilegia.

Quinam tàm gaudeant.

Ad quos spectet recipere ad hunc Ordinem.

Dico (*sub directione*) quæ quidem nullam dicit in Prælatis Ordinis in Tertiarios externam Jurisdictionem (manent enim in vtroque foro, tam Ecclesiastico quàm Ciuili subjecti) sed tantùm vigilantiam, vt pie & exemplariter secundum Regulam suam viuant, aliàs correctionibus & pœnitentiis, aut spoliatione Ordinis puniendi, quibus se ex Regula subiiciunt.

Quid superiores possint in Tertiarios non Religiosos.

Super-

Super quo legatur attentè Bulla *Sixti* 4. quæ incipit : *Romani Pontificis. Data Romæ anno* 1471. *Pontif. anno* 1. quæ est 4. in Bullario Rodriguez. Miratus sum nuper videre quamdam Responsionem Eminentissimorum Cardinalium, quæ absque vllus signatura in Belgio circumferebatur per quam Patribus Capucinis interrogantibus sub titulo honoris sibi debiti : *An eis liceret aliquos ad Tertium Ordinem admittere jure Ordinis Communi?* Responsum, dicitur, *posse*. Quod cùm nisi à S. Sede particulari Priuilegio concedatur, certum est Bullis supracitatis aduersari, Ideò subreptitium Responsum arbitror. Vnde quamuis PP. Capucini concederent absque speciali Indulto S. Sedis, Personæ illæ Priuilegiis & Indulgentiis Tertiariorum non participarent ; quia communi Axiomate: *Bulla tantum valent, quantum sonant.*

An PP. Capucini possint recipere ad 3. Ordinem.

Hic est *Ordo* qui (etli pro Perfectione Religiosa in emissione Trium votorum solemnium in Collegia & sanctas Congregationes abierit) à communi tamen plebe non recessit, vt semen vniuersum in illo velut in Arca saluari posset.

Hic Ordo & Religio est communis cæteris.

§. X.

Manipuli ex Archiconfraternitate Chordæ S. Francisci collecti.

Dicebat in persona Domini Oseas c. 11. ad Israelem quem dilexit *Ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos : In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis. Hi sunt funiculi* beneficentiæ & amoris, quibus *Christus Nutritius noster* nos velut fasciis alligatos in brachiis suis portauit. *Hi sunt funiculi* quibus in Passione sua constrictus nos sibi deuinxit, & ne Electis deessent, per S. Franciscum, vt Peccatores ad se traheret, omnibus Christicolis communicari disposuit, verè *funiculi amoris, beneficentiæ & charitatis.*

Osee 11. vers. 3.

Originem deduco. Viuente Seraphico Patre deuotio quædam cordibus nonnullorum à Deo inspirata est, vt *Chorda*, quâ vir sanctus cingebatur, virtutem quamdam assisteret confiderent etiã ad morbos curandos. Ita *S. Bonauentura* c. 12. vitæ : *Vir quidam* (ait) *de Castro Plebis religiosus ac timens Deum Chordam apud se quâ cinctus fuerat S. Patet, habebat : Cumque multitudo virorum ac mulierum in Castro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, & intinctâ chordâ in aqua, dabat bibere patientibus, sicque per hunc modum plurimi sanabantur.* His initiis cœpit honos & reuerentia haberi *funiculo* S. Patris.

Origo deuotionis ad Chordam Franciscanam.

Vnde *Ludouicus Granatensis* Ordinis S. Dominici *Conc. 4. de S. Francisco*, alludens ad sudaria & semicinctia Pauli Act. 19. *Amplificat Lucas* (inquit) *in Actis Apostolorum Pauli miracula his verbis:* Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt super languidos deferrentur à Corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores. *Magnum hoc certè Diuinæ bonitatis & charitatis erga fidelem servum indicium, qui sic non ipsum modò, sed sudaria etiam quibus is manuum sordes tergebat, hoc tanto honore afficeret. Verum hic aliquid video mirabilius : Non enim solam S. Viri Francisci Chordam Dominus, sed aquam etiam, quæ Chordam tetigerat, hâc tantâ virtute donauit.* Hæc ille. Hunc honorem præsagiebat *S. Dominicus*, qui (vt in *Speculo vita S. Francisci c.* 35. refertur) *S. Franciscum* aliquando rogauit, vt ei *Chordam*, quâ præcinctus erat, largiri dignaretur, quam cùm recusaret humilis Franciscus : *vicit tandem felix Postulantis deuotio, & vi charitatis obtentâ Chordam S. Dominicus sub inferiori tunica cinxit. eamque deinceps deuotè portauit.* Sic hæc deuotio in alios deriuata est, ita vt vsque ad Reges honor ille *funiculi* peruenerit ; & *S. Franciscus* (dicente Job) *Balthcos Regum dissoluerit, vt funes præcingeret renes eorum.* Cœperunt enim fideles ex deuotione Chordam Ordinis *S. Francisci* gestare, quorum deuotioni applaudentes Summi Pontifices Chordam gestantibus Indulgentias concesserunt ; vt refert *A Sorbo* in *Comp. V. Indulgentia quoad seculares* 7. Et hæ quidem præcellerunt Institutionem *Archiconfraternitatis*, quam *Sixtus* 5. *anno* 1586. *Nonis Maii Pontif. An.* 2. solemniter in Ecclesia, & ad Altare *S. Francisci* Assisii erexit, multisque Indulgentiis nobilitauit, & per *Magistrum Conuentualium Generalem* vbique terrarum in Ecclesiis Ordinis erigi posse indulsit, pari fructu, paribus fauoribus. Et ne fortè minus diuulgaretur, si ad solum Magistrum Generalem Conuentualium istius *Archiconfraternitatis* Erectio restricta remaneret, per aliam Bullam idem *Sixtus* 5. *anno* sequenti 1587. *die* 29. *Augusti Pontif. anno* 3. Erectionem dictæ *Archiconfraternitatis* communicauit *Ministro Generali Totius Ordinis, Obseruantiæ Regularis*, nec non *Commissario Generali familiæ* in locis suis, vbi domus Fratrum Conuentualium non extarent, aut aliàs à Magistro Generali Conuentualium *Archiconfraternitas* erecta non esset.

Act. 19. vers. 11.

Mira virtus Chordæ S. Francisci.

S. Dominicus Chordam à S. Francisco impetrat & portat.

Iob. 12. vers. 18.

Indulgentia data gestantibus hanc Chordam ante erectionem Archiconfraternitatis.

Quis & quando illam erexit.

Nobilitas autem hujus *Archiconfraternitatis* in hoc consistit : Quòd non tantùm in ingressu, & in vno die solemni designato per annum, ac in articulo mortis Indulgentia Plenaria (vt in Confraternitatibus

Indulgentia Archiconfraternitatis.

bus communiter) Chordam legitimè acceptam portantibus conferatur, sed etiam Processioni Confraternitatis, quæ singulis mensibus fieri solet, interessentibus, eadem plenaria Indulgentia perpetuò concessa sit; Nec non: *Omnes & singulæ Indulgentiæ, peccatorum Remissiones, & Relaxationes Religioni & Ordini FF. Minorum hujusmodi per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sixtum 5. concessæ, quæ non sunt hactenùs revocatæ, nec sub aliis revocationibus comprehensæ, auctoritate Apostolicâ & tenore Bullarum, perpetuò approbantur, confirmantur* &c. *Illaque omnes Archiconfraternitati & Confratribus Chordigerorum, sub eisdem modo & forma, quibus illæ Religioni & Fratribus prædictis concessæ fuerunt, etiam perpetuò concedantur, elargiuntur, & communicantur* &c. Et quod Gratias illas Illustriores reddit, conceditur Confratribus: *vt omnes & singulas Indulgentias & peccatorum Remissiones præfatas per modum suffragii pro fidelibus defunctis, qui in Gratia Dei decesserint, consequi & impertiri valeant.* Ita expressè in vtraque Bulla quæ incipit: *Diuinæ charitatis altitudo.*

Indulgentiæ tantæ cur datæ huic Archiconfraternitati.

Cur autem Gratias & fauores tantos huic sodalitati Pontifex indulserit: 1. quidem in *Altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei* refert, quasi Christus S. Francisco illo Psalmi 138. ad gratularetur: *Semitã meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti*: Inferens & in funiculo Ordinis S. Francisci *semitam & vias misericordiæ Dei* contineri. 2. *Considerantes* (ait Pontifex) *populorum deuotionem, & propensionem erga Tantum Virum, & quo deuotionis affectu æmulentur, & passim æmulentur, plebis omnis gestamen saltem FVNICVLI ejus: & quasi non contenta quòd tot tantique vtriusque sexus fideles ad Instituta Trium Ordinum ipsius ob deuotionem ad tantum Patrem relicto mundo transierint: Totam se velit in S. Francisci imitatione & amore immergere: Id circò pro aliquali repensione amoris nostri erga tantum Patrem* &c. *In Diuini Cultus & piorum operum augmentum, S. Francisci honorem ac venerationem, & Animarum Christi fidelium salutem, vnam Archiconfraternitatem vtriusque Christi fidelium, qui Chordam per Fratres dicti Ordinis gestari solitam ex illorum deuotione, & superioribus ejusdem Ordinis cinctam, & Susceptam deferent & illa cingentur ereximus & instituimus* &c. Ex quibus manifestè patet, deuotionem gestandi Chordam, diu ante Institutionem Cõfraternitatis in fidelibus præcessisse & præfulgisse, & huic Erectioni causam dedisse, & quia non poterant omnes fideles Trium Ordinum Instituta sectari, hanc *Sodalitatem* pro omnium Christi fidelium faciliori ad salutem via à Pontificibus præparatam fuisse. Vndè iterum ne fortè quòd Superiores illam cingere debebant, aliquando illa deuotio remoras pateretur, in eadem prima Bulla Pontifex indulget, vt sufficiat *si Chorda à Superioribus Ordinis sit benedicta*: Et in 2. Bulla data, F. *Francisco de Tholosa* Ministro Generali Obseruantiæ, Per *Superiores qui benedicendi Chordam facultatem habent*, vult intelligi Guardianos & Conuentuum Præsidentes.

Psal. 138. vers. 3.

Deuotio gestandi Chordam præcessit institutionem Archiconfraternitatis.

A quo Chorda debeat dari & benedici.

Maximus sanè fauor vniuerso populo Christiano, Magnus Seraphico Ordini honor, amplissima Animarum saluandarum porta aperta, vt deuotè gestato vili funiculo omnibus Indulgentiis & spiritualibus Indultis Ordinis gaudeant, vt verè dici possit *Funiculus coccineus* appensus ad fenestram Raab in salutem omnium proximorum ejus, verè *Funiculus Jacob hereditatis ejus.*

Iosue 2. vers. 21. Psal. 104. vers. 11.

Hìc verò dissimulandum non est primas inter laicos *Societates* fidelium ad pia Exercitia Christianæ deuotionis, Ordini FF. Minorum deberi, & à Seraphico Doctore *S. Bonauentura* prima initia illis data fuisse. Ita *Thomas Sozius* fidelis scriptor *l. 9. de signis Ecclesiæ, Signo 25. c. 5. sanctus* (ait) *Bonauentura primus instituit vt e laicis excitarentur* Sodalitates, *qui ad opera pia conuenirent precesque certas quotidie recitarent, suosque Præfectos haberent perpetuo successionis tenore deligendos. Initium vere Institutis sanctissimis Romæ factum in Sodalitate siue Archiconfraternitate Confalonis circiter annum propè millesimum ducentesimum septuagesimum. Hujus exemplo innumeræ in orbe Christiano formatæ Sodalitates, quarum instituto, nullum non opus pium perficiendum comprehenditur.* Hæc ille. Celeberrima adhuc permanet illa *Confalonis Confraternitas* apud Italos, & Gallos (vt vidi Marsiliæ in Conuentu nostro *anno* 1625. non sine magnæ pietatis splendore.

Prima Sodalitates ex Ordine Minorum prouenerunt.

Sodalitas Confalonis à S. Bonauentura primo instituta.

Ex illa multæ aliæ.

§. XI.

Viam ad omnem sapientiam & scientiam salutarem, singulari arte, methodo, & labore aperuerunt Fratres Minores.

Hìc monendus est Lector *S. Patriarcham Franciscum* numquam sapientiæ studium suis filiis prohibuisse: Etsi enim in *c. 10. Regulæ* singulariter insinuauerit, *Nescientes litteras non debere curare litteras discere*; Non tamen (vt benè aduertit Hugo de Dina in illum Textum) sanctus Regulæ Conditor, *Litteratis sed illitteratis & laicis studium vetat, vt vnusquisque, secundum Apostolum, in qua vocatione vocatus est, permaneat; Nescientes litteras, litteras discere noluit, non vetuit. Alioquin* (subdit) *qua*

An S. Franciscus prohibuerit.

sua contrarius Regula fuisset, qui existens in Ordine, cùm paucas litteras sciret, postmodùm non solùm orando, sed etiam legendo profecit, & alios Fratres in diuinis studere litteris voluit, & vt S. Scripturæ Doctores in maxima reuerentia haberentur, mandauit, tamquam illos a quibus perciperent verba vitæ. Quæ omnia etiam infert *S. Bonauentura* ex Officio Prædicationis c. 9. *Ex isto* (ait) *Capitulo patet quod Fratribus ex intentione B. Francisci incumbit studere quia sine studio non possunt verba debito modo examinare. Patet etiam quòd Fratres ex sua Professione habent prædicare, in quorum Regula inter omnes specialis Tractatus de Prædicationis Officio continetur.* Et infert: *Vnde constat quòd nullis alijs Religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quàm his qui hanc Regulam profitentur.* Sanè sæpiùs suam quoad studia intentionem declarauit S. Pater. Vnde *colloquio* 15. dum plures Doctores Magni, tum Lutetiæ Parisiorum, tum per alias Galliæ, Germaniæ, Italiæ Regiones Ordinem intrarent, Socii eum interrogasse dicuntur: *An sibi placeret quòd Fratres Sacræ Scripturæ studio intenderent?* Quibus respondit: *Mihi quidem* (ait) *placet, dum tamen Christi exemplo, qui magis orasse legitur, quàm legisse, Orationis studium non omittant.* Infrà: *Volo enim* (subdit) *Fratres meos Discipulos Euangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quòd in simplicitatis puritate concrescant, vt simplicitatem columbinam à prudentia Serpentina non separent, quas Magister Eximius ore suo benedicto conjunxit.* Et eandem responsionem continet Epistola 3. scripta S. Antonio Paduano, dum S. Theologiæ Lector à Seraphico Patre institueretur: *Placet* (inquit) *mihi quòd S. Theologiæ litteras Fratribus interpreteris, ita tamen vt neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) extinguatur S. Orationis spiritus juxtà Regulam quam profitemur. Vale.* Videndæ etiam sunt Collationes 15. 16. & 19. In quibus describit Prædicatores, & eorum studia ad regulam Diuini amoris & pietatis reducit.

S. Bonau.

FF. Minores quid contulerint Ecclesiæ studio Sapientiæ.

Quantum verò in Sapientiæ studio siue domi siue foris Ordo Minorum in Ecclesia excelluerit, quantos Manipulos doctrinæ in horrea Domini intulerit; quantam Doctorum multitudinem Ecclesiæ Dei subministrauerit, clamant Academiæ, clamant Scholæ, clamant Libri, vniuersusque Orbis testatur: ita vt *anno* 1651. in Capitulo Generali Romano *Illustres Scriptores* ex Religione Franciscana recensiti sint *duo millia*, Scientias omnes illustrantes. Hoc autem singulare fuit huic Religioni quòd certas methodos Scriptores ejus inuenerint, quibus via ad Sapientiæ penetralia intima pararetur, siue Scripturam Sacram

Ordo Minorum habet Scriptores Illustres 2000.

spectes, siue Conciliorum Sacrorum Decreta & Definitiones, siue SS. Patrum scripta, siue Theologiæ cujuscunque Principia attendantur.

Quid S. Antonius à Padua fecerit in studio Scripturæ, &c.

Et quidem *Primus* qui Arcana Sacræ Scripturæ miro lumine penetrauit à principio & incunabulis Ordinis, fuit *S. Antonius Paduanus*, qui idcircò à *Gregorio* IX. *Arca Testamenti & Sacrarium Scripturarum Armarium* publicè nuncupatus est: Quemque S. Franciscus suum *Episcopum* ob sanctam doctrinam vocare solebat: Qui præter Cõciones ardentissimas, posteritati reliquit *Concordantias Morales* ex S. Scripturæ locis tam doctrinalibus quàm Historicis, in omni sensu Litterali, Allegorico, Anagogico per titulos & Classes digestas, in Theologorum & Concionatorum vtilitatem.

Quid Alexander Halensis.

Antonium Paduanum proximè in Ordine secutus est *Alexander de Hales* (vt Auctor firmamenti refert) ab aliquibus inter Doctores, *Doctor Doctorum*, ab aliis *fons vitæ*, ab omnibus *Doctor Irrefragabilis* dictus, qui scripsit super totam *Bibliam*, tam *Vetus* quàm *Nouum Testamentum*, ad longum, nihil dimittens indiscussum, Opus multùm prolixum, & laboriosum.

Quid Nicolaus de Lyra.

Quem in Bibliis exponendis de verbo ad verbum postillari modo non tam secutus est, quàm arte & marte speciali, ac nouo ingenio totam Scripturam explanauit *Nicolaus de Lyra* vocatus à facilitate, & omnium ac singulorum verborum Scripturæ expositione *Doctor Planus & Vtilis*; qui præter *sensus Litteralis Expositionem*: Addidit alio volumine *Expositiones Morales omnium fermè Historiarum totius Bibliæ.* Hic viam primus strauit Expositioni Litterali præcisæ totius Scripturæ à primo verbo Geneseos vsque ad vltimum Apocalypsis, quem cæteri Expositores in hunc diem secuti sunt.

Quid Pontius Carbonellus.

Et ne Expositionibus & Postillis deesset Patrum Auctoritas Primus inter Expositores, *In Vniuersa Biblia ex dictis Sanctorum & Patrum Auctoritatibus, ac Classicorum Doctorum sententiis per singulos Libros & Librorum capita, Expositionem concatenatam* disposuit F. *Pontius Carbonellus* S. Ludouici Episc. Thol. Præceptor. Quod opus in 8. magnis voluminibus in Bibliotheca Conuentus S. Ioannis Regum Toleti asseruatur.

Quid Seraphinus Cumeranus & alii.

Quia verò loca nonnulla S. Scripturæ videntur interdum inter se dissidere: *Conciliationem & veram omnium Locorum Sacræ Scripturæ ad inuicem consonantiam* ex sententiis Orthodoxorum Patrum scripsit in duobus tomis, & primus publici Juris fecit F. *Seraphinus Cumeranus Feltrensis. Annotationes* etiam *difficilium Locorum* cum explicatione eorum edidit F. Mamotretus à Regio Lepidi. Et vt verba Scripturæ di-

ſtinctiùs adnotarentur, *Dictionarium in totam Scripturam* primus concinnauit F. *Marcus Dulmenſis*. Ac propter vocabula difficilia quæ in Sacra Pagina reperiuntur *F. Guilhelmus Briton* compoſuit *Vocabularium Eccleſiaſticum*, in quo vocabula illa omnia elucidantur. Nec minori vtilitate viam ad Bibliorum faciliorem intellectum ſtrauerunt, qui *Concordantias Bibliorum*, compoſuerunt, inter quos primum locum obtinet P. *Arlottus de Prato* Totius Ordinis Minorum aliquando Miniſter Generalis, qui vtriuſque *Teſtamenti* loca ad inuicem conferens *Concordantias* præclaras adinuenit. Et *Majores Concordantias Bibliorum* ſecundùm omnia vocabula *F. Franciſcus Arolæ* primus concinnauit, quas alii poſteà auxerunt. Inſignem porrò nauauit hoc ſæculo poſtremo operam in hoc genere noſter *F. Marius à Calaſio*, qui *Concordantias* fertiliſſimas juxta Textus *Hebraicum*, *Chaldaicum*, & *Syriacum*, eorumque Interpretationes & Conſonantias, deductis omnium Nominum & Verborum ſignificatione, à ſuis radicibus & in Claſſes ſuas redactis, miro artificio, incredibili labore quatuor magnis voluminibus ordinauit, & euulgauit Typis Stephani Paulini Romæ anno 1621. impreſſas, & *Gregorio* XV. dicatas.

Et hæ Concordantiæ non modicam lucem adſerunt Lectioni Magnorum Bibliorum Complutenſium, quæ ſub *Leone* X. Hebraicâ, Chaldaicâ, Græcâ, Latinâ linguâ ordinauit & edi curauit Noſter P. F. *Franciſcus Ximenius à Ciſneros* Natione Hiſpanus, S. R. E. Presbiter Cardinalis Titulo S. Albinæ, Archiepiſcopus Toletanus, & Hiſpaniarum Archicancellarius. Cujus etiam operâ prodiit *Alphabeticum Dictionarium*, *Hebraicum*, *Chaldaicum*, & *Lexicon Græcum* in ſtudioſorum Scripturæ Sanctæ vtilitatem. Et ab his alii Scriptores ſua Principia deſumpſerunt.

Sic FF. Minores laboribus & ſudoribus ſuis ad S. Scripturam viam parauerunt, & fœcundis Manipulis Eccleſiam ditârunt.

Quid fecerint FF. Minores ſtudio SS. Conciliorum.

Nec minùs in frugibus *SS. Conciliorum* colligendis deſudauit Ordo Minorum. Et quidem *F. Petrus Crabbe Belga Mechlimenſis* primus: *Omnia Eccleſiæ Dei Concilia tam Oecumenica Generalia, quàm Prouincialia ab Apoſtolorum temporibus* ad ſuam vſque ætatem celebrata, vndequàque collegit, & ad tres Tomos reduxit, & Typis mandari prouidit. Qui etiam omnes *Decretales Summorum Pontificum* in vnum *Corpus* redegit, in æternum Poſterorum monumentum. Et ne aliquid in hoc genere deeſſet, B. Memoriæ *F. Joannes Pechanus* Diſcipulus *S. Bonauenturæ*, *Cantuarienſis* poſteà *Archiepiſcopus* omnia *ſtatuta Synodalia*, & *Conſtitutiones Prouinciales* ab exordio naſcentis Eccleſiæ in vno volumine primus compendiosè retulerat, vt omnibus eſſent vitæ & pietatis Chriſtianæ vna Regula.

Quid contulerint ſtudio SS. Patrum.

Nec *Agris* fertiliſſimis *SS. Doctorum* & *Patrum* manus FF. Minorum deſuerunt, vt illorum fructus in Eccleſiam totam deriuarentur & diſtribuerentur: Nam & F. Florentinus Bourgonius Pariſienſis, primus *Opera S. Auguſtini* à mendis expurgauit, *Elenchum* ſiue Indicem compoſuit, Scholia addidit. *F. Franciſcus Mayronis Doctor Illuminatus flores & veritates* ex S. Auguſtini *Operibus* excerpſit. Et nuper F. Matthias Hauxeur Prouinciæ Flandriæ Miniſter Anatomiam in omnia S. Auguſtini opera compendiosè diſpoſuit. *S. Ambroſii Opera* caſtigauit, & ſuæ luci reddidit *F. Felix Peretius* poſteà Summus Pontifex dictus *Sixtus* V. *S. Hieronymi Opera* illuſtrauit *F. Franciſcus Vviller* eruditiſſimo illo Opere, quod *Repertorium Epiſtolarum S. Hieronymi* intitulatur. Et *F. Nicolaus Marius* inſigne Opus diſtinctum per Materias ſuper S. Gregorii Libros conſcripſit. Bibliothecam denique SS. Patrum primus compilauit *F. Guilhelmus Brito*, quam alii auxerunt.

Quid Eccleſiæ præſtiterint ſtudio Theologico.

Sacræ Theologiæ tam *Speculatiuæ* quàm *Practicæ*, tam *Scholaſticæ* quàm *Poſitiuæ*, tam *Moralis* quàm *Myſticæ*, æditus reſerârunt, & præclaris Methodis in hunc diem illuſtrârunt FF. Minores, in publicam Eccleſiæ vtilitatem. Primus autem qui in his laborauit cum auctoritate Eccleſiæ, & effectu vberrimo, fuit *F. Alexander de Hales Doctor Irrefragabilis*, qui quidem primò *Libros ſententiarum Magiſtri Petri Lombardi*, per Partes, Quæſtiones, Articulos, Concluſiones diuidens, & argumentorum ac reſponſionum dilucidis explicationibus reſoluens, cæteris Theologis illam commentandi normam dedit: Demùm *Innocentii* IV. *Pontificis Summi* mandato, Totam materiam Theologicam in ordinatiſſimam *Summam* 4. *Tomorum* reduxit, cujus non tantùm formam, ſed & Principia ſecutus eſt *S. Thomas Aquinas*, vt latè in Præambulis ad Commentaria in Apocalypſim, reſumptis ſeptuaginta articulis, oſtendit noſter *P. Joannes de la Haye* cap. 11. Vitæ Alexandri de Hales, vt verè cecinerit de Alexandro Poeta.

Doctor Irrefragabilis.

Hic prudens opifex Diuina volumina duxit.
Quo duce præmonitus, in prælia Diuus Aquinas
Actus, & in molem vertulit Acta ſenum.

Quæ quidem *Summa* copioſiſſima & celeberrima approbata eſt à S. Sede Romana per Bullam expreſſam, quæ in Concentu

uentu Parisiensi asseruatur. Cui Summæ subscripserunt sexaginta, vel vt alii septuaginta Doctores Parisienses. Hic etiam *Compendium Theologiæ* composuit sex libris distinctum. Hunc secuti sunt omnes ferè Doctores qui super Libros sententiarum scripserunt, quorum penè innumeri ex Ordine Minorum, qui à doctrinæ qualitate varia sortiti sunt nomina: Vt *Joannes Duns* ab ingenii sublimitate (vt superius dictum est) *Doctor Subtilis*: *Nicolaus de Lyra* à peruia facilitate *Doctor Planus & Vtilis*: *Richardus de Media Villa* à firmitate & copia doctrinæ *Doctor Solidus & Copiosus*: *Franciscus Mayronis* à claritate & splendore *Doctor Illuminatus*: *Petrus Aureolus* ab Eloquentia *Doctor Facundus* dictus. Sic & alii diuersa nomina sunt sortiti, qui recensentur numero sexaginta in *firmamento* 3. *Ordinum Tit. de Illustrioribus Viris p.* 1.

Alii Doctores Ord. Minorum propriis nomen sortiti.

Porrò *Theologia Actiua* (cujus præcipuus finis est Hominem ad Dei cognitionem & amorem deducere) *Cherubico* lumine, & *Seraphico* ardore initium dedit *S. Bonauentura Balneoregius* ab ipso inflammato scribendi stylo dictus *Seraphicus* & *Deuotus Doctor*, de quo Cancellarius Parisiensis *Joannes Gerson l.* 1. *Tract.* de Examine doctrinarum ad finem: *Si quæratur* (ait) *à me, quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus? Respondeo sine præjudicio, quòd Dominus Bonauentura, quia in dicendo solidus est & securus, pius, & justus, & deuotus. Præterea recedit à curiositate quantùm potest, non immiscens positiones extraneas, vel doctrinas seculares, Dialecticas aut Physicas, terminis involutas Theologicis more multorum, sed dum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem* &c. Et concludit: *De quo verè dicitur illud Christi de Joanne*: Erat Lucerna ardens & lucens: Et p. 1. Epist. de doctrina S. Bonauenturæ: *Sortitus est idcircò* (inquit) *secundum laudem vitæ suæ patuer & doctrinæ, Nomen ipse Bonauentura, vt antonomasticè* DOCTOR SERAPHICVS *nominetur* &c. Infrà sub finem: *Sint alii Doctores qui dicantur Cherubici: Bonauentura autem verissimo nomine* SERAPHICVS *simul &* CHERVBICVS, *quia inflammat affectum & erudit intellectum, reducit & vnit ad Deum per amorem excitatiuum, dum alii solum diuaricant & dispergunt intellectum per præcisiones, prioritates, & posterioritates, signa & contingentia, cùm tamen vnum sit necessarium.* Hæc Gerson, qui in aliis variis locis illum super omnes alios Doctores extollit. Compendiosè verò & sincerè laudes Doctrinæ ejus paucis recitat *Trithemius Abbas* l. de Eccleliast. Scriptoribus: *Scripsit* (ait) *multa & profunda & deuotissima Opuscula, quibus ardentia verba proferens, non minùs effectum legentis in Christi amore accendit, quàm intellectum doctrinis sanctis illuminet. Omnes enim sui temporis Doctores vtilitate operum facilè præcellit: si spiritum diuini amoris & Christianæ deuotionis in eo loquentem attendas.* Et prosequens doctrinæ qualitates; *Profundus* (inquit) *est, non verbosus, subtilis non curiosus, disertus non vanus, flammantia non instantia verba proferens.* Et fructus doctrinæ subjungens: *Vnde* (ait) *securius legitur, facilius ab amante intelligitur, vtiliùs frequentatur, dulciùs & fructuosiùs retinetur* &c. Et concludit: *Si ergo & doctus vis esse & deuotus, illius Opusculis esto intentus.* Hæc Trithemius.

S. Bonauenturæ Theologia qualis.

Affirma.

Ioan. 5. vers. 35.

Hinc ad Mysticam & Anagogicam Theologiam *S. Bonauentura* viam strauit ex Diuinissimis Diuinissimi *Dionysii Areopagitæ* Operibus, & Interpretum ejus Hugonis, ac Linconiensis & *Richardi à S. Victore*, Mellifluoque S. Bernardo, dispersa in ordinatam praxim, in *Itinerario mentis in Deum*, in *Septem Itineribus Æternitatis*, & aliis Opusculis redigens (Vtinam omnium manibus tererentur!) Tentauerat & Itinera illa Mystica aperire *F. Dauid de Augusta* Bonauenturæ contemporaneus, ni fecisse præcessor Tractatu speciali qui *Formula interioris hominis* inscribitur: Quos scientiâ, sapientiâ, affectu pariter & effectu prosecutus est *Henricus Harphius* Belga ex Ditione Leodiensi, Pago de *Herp Campinæ* oriundus, olim Guardianus Conuentus Mechliniensis: qui ad superos illos gradus Extaticos eleuatus, & in Missarum celebratione aliquando ad sex horas abreptus, quæ pleno hausto ex Diuinis fontibus prompserat, posteà & eructauit, & in alios effudit, maximè in Libris qui inscripti sunt: *Theologia Mystica* tribus Libris comprehensa; *In Cantica Canticorum, Directorium aureum*, & aliis pluribus, quos posteritati tradidit, verus Contemplatiuorum & Mysticorum Dux & Instructor. Obiit Mechliniæ ad *an.* 1477. in Choro Fratrum tumulatus.

Mystica & Anagogica.

Henrici Harphii laus & scripta.

Suprenam Ecclesiæ Potestatem & Primatum Petri in suis successoribus Summis Pontificibus à fundamentis explicauere & prosecuti sunt FF. Minores; Inter quos excelluit *Aluarus Pelagius* ad Episcopatum Siluensem posteà assumptus in Opere quod inscripsit *De Planctu Ecclesiæ*, quem secutus est *Joannes Foresius* Anglus *D. Catharinæ* Anglorum Reginæ à Confessionibus, qui cùm Primatum Sedis Romanæ videret periclitari apud Regem Angliæ *Henricum* VIII. *de Auctoritate Ecclesiæ, & Summi Pontificis* eruditum Tractatum edidit; qui incipit: *Nemo sibi sumit honorem*: Et ipsum quidem Primatum Romani Pontificis proprio sanguine Martyr signauit. Florebat ad *annum* 1539. Nec posteà defuere

Quid FF. Minores fecerint pro stabiliendo Primatu Petri & Ecclesiæ.

qui eandem Potestatem, cui innititur Totum Ecclesiæ visibilis regimen vsque ad hæc tempora, scripto, verbo & sanguine propugnarunt. Quo etiam conterendi sunt, qui Ecclesiam Dei contra Hæreticos defenderunt: & Catholicos in fide firmarunt, de quibus partim in *Titulo de Conuersione Hæreticorum per FF. Minores* suprà actum est, partim in sequentibus agetur.

Hæc sufficiat prælibasse, vt vniuerso Orbi manifestum sit, Ordinem Minorum Ecclesiæ Dei in omni doctrina salutari præfulsisse, vt meritò *Turris Dauid cum propugnaculis* comparari possit, ex qua *mille Clypei pendent, omnis armatura fortium*, quâ Ecclesia Dei defenditur. Taceo enim doctrinas *Philosophicas, Historicas, Legales, Canonicas,* & *Ciuiles*: Tantùm curiosus Lector dignetur legere eos, qui Scriptoribus Ecclesiasticis recensendis vacauerunt, inter quos pro Ordine fideliter laborauit Noster *P. Henricus Willotus* Belga Fontibus Episcopi natus, Prouinciæ Flandriæ Minister in Opere inscripto: *Athenæ Orthodoxorum Sodalitii Franciscani, qui vel selectâ eruditione, vel floridiore eloquentiâ, vel editis scriptis SS. Dei Sponsæ Romanæ operam nauârunt.* Cant. 4. vers. 4.

Belgas nostros hujus nostræ ætatis non recenseo, quia nonnulli adhuc viuunt. Alii à paucis annis defuncti Scriptoribus sequentibus relinquuntur, vt ex gustu & judicio Posterorum Deus in illis laudetur.

§. XII.

Omnibus operibus charitatis & misericordiæ Ordo FF. Minorum fidelibus Christianis in vniuerso Orbe assistit.

ORdinem FF. Minorum obtinere in Hierarchia Ecclesiastica Gradum Opitulationum *Fund.* 4, & 9. ostendimus: Qualiter autem munus & officia suorum Graduum obierint in spiritualibus multo Animarum fructu hactenùs hoc Fundamento in *Conuersione Infidelium, Reductione Schismaticorum, Correctione & Conuictione Hæreticorum*, & generaliter circa fideles Catholicos illustrandos & perficiendos docuimus. Hic tantisper ad singulares Opitulationum Manipulos descendendum est, vt non videantur tam circa curam Hominum in genere occupati fuisse, quàm more peritorum Medicorum circa Sortem, id est, Indiuidua.

Opitulationes FF. Minorum in conseruandis fidelibus in fundamento fidei Catholicæ Romanæ.

FF. Minorum laborem & firmitatem contra Hæreticos probat multitudo Martyrum Ordinis

STeterunt semper firmi in acie contra Hæreticos, eorumque furori se opposuerunt FF. Minores, vt illos confunderent, & ad viam veritatis reducerent, etiam publicis congressibus vsque ad sanguinem decertantes, vt mille quingenti & amplius Martyres in Historiis Authenticis recensiti manifestè probant. Verùm quia dicente Poetâ:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Nec minor labor eorum in conseruandis fidelibus tempore persecutionum.

Laborem non ininorem impenderunt, vt Catholicos tempore persecutionum conseruarent, prout & modò conseruant, spicas etiam post terga metentium velut relictas recolligentes. De his testimonium referunt Belgii & Germaniæ Regiones tot Hæresibus in hanc horam afflictæ, saluo semper numero Electorum Catholicorum, quos FF. Minorum & aliorum sudoribus conseruat Deus, non sine multorum errantium reductione & accremento. Pauca ex omnibus refero, vt ex iis ad alia *mensura hominis, quæ est Angeli, Arundo illa aurea* in Templo Dei metiendo occupata extendatur. Apoc. 21. vers. 17.

Initium Geuseorum in Belgio initium multorum malorum.

Et vt à Belgicis Prouinciis initium sumamus, in illis luctuosa illa Plaga Geuseorum & Iconoclastarum toti Orbi notissima materiam nobis suppeditat, quæ ab injustissima & perfida rebellione in Regem suum Catholicum exordium nacta, in summam Hæreseon impietatem defertbuit & quæ vsque modo plures Prouincias sub jugo Satanæ continet, donec respiciat Deus: Ipsi enim Rebelles Regi suo & Deo non putauerunt se posse Rebellionem suam in Regem defendere, nisi vt olim Jeroboam fictis erroribus Hæresiarcharum detinerent populum, ne ascenderent in domum Domini in Hierusalem ad Matrem Ecclesiam Romanam, & reuerterentur ad Dominum suum. 3. Reg. 12. vers. 28.

Geuseï maximè persequuntur FF. Minores.

His itaque furentibus in Ecclesiasticos maximè Religiosos, inter alios aliarum Religionum Operarios, Ordo Franciscanus semper pro domo Domini se murum opposuit, & quamuis Conuentuum suorum destructione & expilatione, non tantùm domibus, sed & Ciuitatibus ac finibus Fratres expulsi, & exilio mulctati fuerint: Nihilominùs semper aliqui ex ipsis, inter Catholicos absconditi in Electis Dei seruare fidei sacra germina conati sunt, illa

proprio

proprio sudore & labore vsque ad mortem irrigando.

P. Cornelii Dordracensis Origo & doctrina.

Inter alios *Brugis Flandrorum* enituit Venerabilis Dei Seruus *F. Cornelius Brauuerius Adriani* filius ab originis loco dictus *Dordracenus*, qui à primæua ætate, Hebraicis, Græcis, & Latinis Litteris Louanii instructus, omnium Theologiæ Professorum calculo Eruditissimi Theologi in Vniuersitate nomen, & rem obtinuerat: Quique Brugas Louanio vocatus ibidem *Cathedram publicam* erigens, dum *Septem Psalmos Dauidicos* exponit, Parentum mortè auditâ *Seraphici S. Francisci* Ordinem ingressus, in eo professus, in Lectoris S. Theologiæ ac Concionatoris Muniis miro fulgore triginta annorum spatio resplenduit, ita vt ab ejus ore tota Ciuitas penderet. Cùm igitur Conuentu ad *annum* 1579. funditùs destructo, omnibus Clericis, & honorabilibus Catholicis plurimis expulsis, Geuseorum Rabies rebus potiretur: Ne plebs fidelis remanens in fide periclitaretur, aut lacte Sacræ doctrinæ omninò destitueretur, apud Amicos se abscondens zelosus Pater, Cœtibus priuatis, diebus & noctibus Verbum Dei proponebat, eos ad perseuerantiam in fide animabat, Sacramenta ministrabat, infinitas passus ab Hæreticis calumnias, quibus adhuc respersæ sunt eorum pertidæ Historiæ: A Deo tamen ab illorum insidiis Seruus Dei liber seruatus ad *annum* 1581. plenus dierum & bonorum operum mercedem acceperus in die Seraphici Doctoris *S. Bonauenturæ* ad 14. Julii euocatur, & piè obdormit in Domino, magno quidem Catholicorum luctu, insigni autem fidei magnanimitate & eorum fortitudine: Dum tamquam *Catholicæ veritatis Dictatoris, Hæreticorum mallei & flagelli, Catholicorum Consortatoris & Propugnatoris*, Libellis etiam editis & in suæ doctrinæ memoriam relictis, *Clarissimi Doctoris* Triumphum celebrantes in mediis Hæreticorum tumultibus Catholici omnes seipsis fortiores effecti, contemptis periculis, spectantibus Hæreticis, & stupore velut attonitis ejus funus Sacrum publicè celebrarunt, & ab ipsis *Corpus* illius publicâ pompâ in Xenodochium S. Joannis illatum & tumulatum est, Deo isto magnifico decore Hæreticorum in viuentem calumnias compensante. Et vt extra Fratrum suorum defunctorum Hereditatem ossa non remanerent, ad *annum* 1615. nouo honore, nouâ pompâ, innouatâ virtutum ejus memoriâ, ad Ecclesiam FF. Minorum denuò rædificatam & consecratam incredibili Ciuitatis concursu reportata sunt, & honorificè ibidem terræ denuò restituta.

Fit Frater Minor Lector & Concionator.

Tempore rebellionis clam praedicat & confortat Catholicos.

Moritur.

Honorifica ejus Epitheta.

Quam solemniter sepeliantur.

Solemniter item ejus ossa transferuntur.

Confortabat eodem tempore Catholicos Gandaui existentes Discipulus ejus *V. Adm. P. Franciscus Euerardus*, Magnus Concionator, qui qualem se aduersus Hæreticos exhibuerit, adhuc monumenta posthuma loquuntur, specialiter *Historia septem Fratrum Machabæorum, cujus M. SS. Concionibus eruditissimis explicatum* vidi, in quo inimitabili penicillo vitam impiam, mores perfidos, doctrinam insanam Perduellium Hæreticorum describit. Qui Brugensi Ciuitate in potestatem Regiam ad *annum* 1584. solertiâ Ducis Parmensis restitutâ, primus illius destructi Conuentus Guardianus ad expurgationem Hæreticorum maximè idoneus Brugas missus fuit.

Quid tunc fecerit Gandaui P. Franciscus Euerardus.

Fuit 1. Guardianus Brugis à reductione.

Vbique eâ tempestate laborabant in confortandis Catholicis Franciscani, Exules Catholicos ad exteras Regiones concomitando, inquilinis vbique in vrbibus & pagis assistendo, ex quibus plures sanguine per Hæreticos fuso, terram, ne sterilescerent, irrigârunt: Inter quos B. Memoriæ *F. Petrus Pruis Insulensis*, Vicarius Athensis, dum Gandauum obedientiâ sui Guardiani mittitur, propè Ciuitatem ab Hæreticis in odium fidei ad *annum* 1575. 19. *Nouemb.* crudeliter necatur. Eandem sortem expertus fuerat *F. Joannes Pennemam Guardianus Sluisensis*, dum Verbum Dei prædicaturus ad Pagum S. Laurentii pergit, multis verberibus confectus, & securi in jugulo crudeliter vulneratus. Quem ad lauream Martyrii præcesserat *F. Guilhelmus Olis* ex familia nobili, Conuentus Niuellensis Sacerdos Gandauo Brugas pergens, ab Hæreticis ad arborem alligatus, sclopeto cerebrum trajectus, ac demum à summo per medium dorsi securi (quæ adhuc Gandaui seruatur) dissectus. Sic ob sanctas Opitulationes in Ministerio Catholicorum FF. Minores perfidis Geuseis exosi, ad mortem vbique quærebantur.

F. Petrus Pruis Martyr.

Item F. Joannes Pennemam.

Item F. Guilhelmus Olis.

Hunc zelum hereditario velut jure secuti sunt in Belgio vsque ad hæc tempora FF. Minores, qui Catholicis sub jugo Hæreticorum gementibus singulari labore semper in hunc horam magno fructu astiterunt & assistunt, non sine periculo vitæ, & carcerum quos nonnulli pluribus annis sustinuerunt, vt ad *annum* 1634. *V. P. F. Petrus Schebbe* dum Populo magno affectu & fructu in Termino Brugensi Eerbogensi municipio munia Pastoris pro tempore absentis obibat, vna cum Socio F. Hermete Engler Laico ab Hæreticis captus duros carceres tribus ferè annis passus est. Et in hoc quidem Flandriæ Comitatu Fratres nostri *Prouinciæ S. Joseph* fugatis Pastoribus munia illorum dissimulato habitu soli frequenter suppleuerunt: vt sub idem tempus vel paulò post, dùm in districtus Gandensis parte illa quæ adjacet locis occupa-

Quid FF. Minores Recollecti fecerint in Comitatu Flandria fugatis Pastoribus hocce tempore.

tis à Geuseis nulli Pastorum domi remanerent, nec eò se conferre auderent suis ouibus administraturi necessaria, *V. P. F. Remigius de Heuele* non pauco tempore, magno discrimine, in spirituale solatium Catholicorum ibidem derelictorum id muneris solerter obiuit.

Quin & modò ejectis Fratribus nostris ex Oppido Hulstensi in toto illo Territorio, vnus aut alter semper adest per omnia loca nocte discurrens, vt Missas celebret, Verbum Dei proponat, infirmis Sacramenta ministret, omnia denique Ministeria necessaria Pastoralia obeat, tantâ fatigatione, tantâ inquietudine & sollicitudine, vt nulla ei requies totis noctibus possit suppetere, quippe qui nec sub eodem tecto duobus diebus consequentibus morari possit, ob Satellitum & aliorum continuam in Fratres inquisitionem. Quod onus totis jam vndecim annis, modò vnus, modò alter incredibili labore sustinuit, Deo virtutem subministrante, & illos à Nefariorum manibus conseruante. Tantam verò Diuinæ bonitatis & misericordiæ propitiationem plebs illa huc vsque experta est vt in majori fidei feruore videatur crescere, nullis vel paucissimis ab Ecclesia Romana recedentibus, pluribus potiùs ad illam redeuntibus, & ex alienigenis ad loca illa aduenientibus conuersis.

Quid in Prouincia Flandria.

Quam sortem Fratres *Prouincia F. andriæ* experti sunt ad *annum* 1631. vsque 1634. in Ducatu Limburgensi ac Patria Vltra mosana & appendicibus, cùm à Statibus Holandiæ hæreticis ea loca injuriâ Belli occupantibus, sub pœnis grauissimis & militari exterminio omnibus incolis Exercitia omnia publica Catholicæ fidei prohibita essent. Dei enim prouidentiâ Conuentus *Bollandiensis*, qui Terræ Limburgensi adjacet, & ad *Marchionatum S. Imperii* pertinet, fuit publicum asylum Catholicorum afflictorum, qui protegente velut inuisibili manu Dei, ad Conuentum illum pro salutaribus Romanæ Ecclesiæ ministeriis, vt Missis, Exomologesibus, S. Eucharistiæ participatione, & aliis Diuinis Officiis, singulis diebus à manè vsque ad meridiem tanto concursu totis tribus annis, tantoque feruore publicè concurrebat, vt perpetua velut Solemnitas ibidem celebrari quotidie videretur. Fratribus interim etiam per terram illam pro infirmorum administratione secretò discurrentibus, tum ex Bollandiensi, tum ex Vetuiensi Conuentu etiam illi Regioni adjacente, cùm Pastores omnes extorres & exules essent.

Quid Prouincia Germaniæ Inferioris.

Insignem etiam apud Deum & homines ab antiquo & modernis temporibus gloriam in his adepta est *Prouincia Germaniæ Inferioris*, quæ à tempore, quo Holandiam, & Prouincias Regi Catholico perduelles Hæreticum regimen imasit, coptinuos Missionarios in præcipua loca submisit & subministrauit, & in hunc diem sub ministrat tantâ fruge, vt quamuis proscripta sint Exercitia Christiana publica, ipsi secretas suas Congregationes ex Catholicorum amplissimò numero constitutas habeant, quibus in omnibus Officiis Parochialibus assistunt, intra domesticos parietes Ecclesias plenissimas habentes. Nec desinunt circa Catholicos in ditione Buscoducensi & aliis vicinioribus sub jugo gementibus omnia munia nostræ fidei, & Religionis obire.

Quid Prouincia Coloniæ.

Sed & *Prouincia Coloniæ* eò majores labores circa easdem Opitulationes subit, quò, non tantùm *Frisiæ, vtrisque Transsylvaniæ Ditioni Harlemensi*, & aliis variis Hæreticorum Ditionibus Missionarios submittit, sed cùm Germania tota Hæresibus sit infecta, & in multis locis Pastores desint, omnibus conatur adesse, omnes Catholicos in fide conseruare, reliquias errantium reducere & recolligere, Verbum Dei vbique prædicare, Sacramenta ministrare: ita vt fructus quos Prouinciæ illæ faciunt, volumina integra requirerent: nec inutiliter quælibet Prouincia suos separatim Annales ad majorem Dei gloriam & Ecclesiæ decorem promulgare non enim vna volumine comprehendi possunt.

§. XIII.

Opitulationes FF. Minorum in vitiis extirpandis.

A B octo circiter annis admirationem & stuporem causarunt *Concionum Myriades*, Confitentium & Communicantium innumeræ multitudines, quæ cum ingentibus fructuum Manipulis ad R. P. Joannem de Neapoli Generalem Ministrum ex Prouinciis Nationis Germanico-Belgicæ de ejus mandato fuerunt transmissæ, vt fastis Ordinis insererentur. Nec minori numero ad me à nonnullis missæ sunt, quæ calamum eorum, qui indictæ nouæ Historiæ Seraphicæ Tomos conscribent, præstolabuntur. Hic nejn aliorum messem falcem immittam muneri meo satisfactum sperabo, si nonnulla vitia quibus extirpandis in Ecclesia Dei specialem manum Ordo FF. Minorum adhibuit, hîc compendiosè referam.

Horum autem compendium & Anacephaleosim propono in vno *S. Bernardino* tamquam Concionatorum Coriphæo exhibitam, quæ sollicitudinem Ordinis FF. Mi-

Minorum in vniuerso Orbe in extirpandis vitiis commendat: Neque enim vllo sæculo defuerunt, qui extirpandis loliis hujusmodi laborauerunt, etsi non tanto fructu. Consulatur cap. 27. & 28. vitæ ejus: *Sermones ejus* (inquit Auctor vitæ) *haud quàquam manes erant sed diuinâ pleni fœcunditate, quibus lapidea quæuis corda colliquescerent & emollirentur, ad agendam cum acerba animi contritione veram pœnitentiam, pii verò omnes diuino amore inflammarentur.*

Vitia quibus extirpandis FF. Minores co llaborant.

Accipe effectus: 1. Confessionis & Sacræ Communionis frequentia. *Hinc* (ait) *fiebat, vt sua peccata cum multa contritione conferentur, digneque & reuerenter Sanctam Eucharistiam perciperent, qui multo tempore nunquam ad Sacram communionem accesserant.*

2. *Effectus*; Reconciliationes inimicitiarum: *Nec facilè scripto comprehendi queat, quot Vrbes, Respublicas, & homines odio & timore obduratos, ad pacem, tranquillitatem & concordiam reduxerit.* Infrà: *Videre licebat inueteratas inimicitias ad mutuam consensionem & beneuolentiam redigi.*

3. *Effectus*; Conuersio Lasciuorum: *Quot petulantes Adolescentes & lasciuas fœminas è fœdissimis carnis voluptatibus, quibus computruerant, ad honestam & castam viuendi rationem reuocauit.* Infrà: *Fœminas in lupanaribus flagitiosè viuentes, ad pœnitentiam suis sermonibus permouit, quibus ad contrahenda Matrimonia è communi erario dotes liberaliter tribuebantur.* Et ad præcautionẽ, & sanctæ charitatis prouidentiam: *multas honestas sed inopes puellas curauit matrimonio tradendas, apud locupletes à se conuersos in efficiens, vt bonâ dote afficerentur.*

4. *Effectus*; Abjectio omnis vanitatis & luxus: *Cernere erat fœminas pias & Deo deuotas, mundi pompis & vanitatibus hactenùs deditas, ponere torquet & catenas aureas, abjicere specula & vnguenta, negligere capillorum compositionem, respuere ornamenta, quibus anteà seu lasciua & impudica mulieres perniciosissimè in sui damnationem abusæ fuerant.*

5. *Effectus*; Condemnatio ludorum: *Instrumenta omnium ludorum vetitorum, tabulas lusorias, taxillos, laruas & alias mundi vanitates, maximo numero ad Sanctum Virum adducebant, vt faceret de illis pro suo arbitratu: Ille verò in foro extructo igne, ea omnia comburebat.*

6. *Effectus*: *Vsurarii, piratæ, Latrones ad meliorem frugem se recipientes agebant pœnitentiam, restituebantque malè parta* &c.

Hi sunt fructus Pœnitentium, quos FF. Minores verbo & omni industriâ in vniuerso Orbe in horrea cœli & Ecclesiæ conantur inferre, quæ in Vitis Sanctorum & Illustrium Virorum hujus Ordinis promiscuè leguntur, vt in vita *S. Antonii Paduani*, *B. Joannis Capistrani*, *B. Bernardini Feltrensis*, qui inter cæteros fructus multo studio, multâ contradictione, primus ad tollendas vsuras *Montium Pietatis* Auctor fuit, qui quidem vsque ad fines terrarum se extenderunt. Vtinam autem eâdem sinceritate, quâ priùs instituti sunt, modò perseuerarent! Nec hoc præsens sæculum vsque in hunc diem his fructibus sterile fuit: In quo videmus non tantum in Ciuitatibus, & in Municipiis, sed & in locis penè desertis, in quæ FF. Minores habitacula paruula extruentes penetrarunt; omnes ad Pœnitentiæ Tribunalia, & Sacram Synaxim singulis Dominicis & Festis accedere, à peccatis maximis & inueteratis peccatores conuerti, ad Pœnitentiam & emendationem vitæ animari, operante spiritu & manu Omnipotentis per Fratres nostros. Testimonium reddet vtraque Prouincia Flandriæ, Germaniæ Inferioris, & Coloniæ, quæ non tantùm in Ciuitatibus & Oppidis, sed etiam multiplicatis paruulis domibus illos fructus, non sine labore quidem, sed magno tamen animi solatio experiuntur, ita vt in tanta Fratrum multitudine videantur operarii nimiùm pauci. Quæ omnia pro ædificatione populi Scriptorum ampliores calamos expectant.

Montium Pietatis Auctor Franciscanus.

Frequentatio Sacramentorum per Fratres Minores vbique.

§. XIV.

Opitulationes FF. Minorum in operibus misericordiæ.

S. Franciscus ab initio conuersionis deditus infirmis.

SAnctissimum Patriarcham Franciscum ab operibus misericordiæ vitam suam Seraphicam inchoasse, non tantùm ejus profusa in pauperes liberalitas, sed infirmorum & specialiter Leprosorum in Xenodochiis cura, & in eos exhibita officia probant, de quibus ejus veridicum Testamentum: *Dominus* (ait) *dedit mihi Fratri Francisco ita facere pœnitentiam, quia cùm essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, & ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis: Et recedente me ab ipsis, id quod mihi videbatur amarum conuersum, fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis* &c. Et hanc quidem hereditatem reliquit Fratribus suis *Charitatem* scilicet *ad infirmos & afflictos*, sine quâcunque tribulatione affectos: Vnde & in prima Regula c. 8. permittebat, vt in manifesta necessitate leprosorum, Fratres possent pro eis quærere eleemosynas. Et c. 9. *Debent* (ait) *Fratres gaudere, quando conuersantur inter viles & de-*

Illam pietatem etiam reliquit & commendauit fratribus suis.

& deſpectas perſonas, inter pauperes & debiles, infirmos & leproſos. Et (referente Mariano) S. Pater monebat, vt ſimplices & illitterati Fratres humilibus charitatis operibus in *Xenodochijs & Nozochomijs* ſe exercerent. Vnde & ipſe exemplo præibat, & ſecum aliquos ducendo *primus lectos verſabat, plagas curabat, ſaniem radebat, vlcera lauabat* &c. ac recipiendos ad Ordinem in hujuſmodi exercerj volebat. Et inde iſta charitatis opera ab initio Ordinis FF. Minores ſingulariter præſtiterunt, vt Infirmos viſitarent, Afflictos conſolarentur, Incarceratis, & ad mortem damnatis, aſſiſterent, imò & Peſte Infectis, contempto infectionis periculo, magno affectu inſeruirent. Et his quidem operibus Belgæ Noſtrates magnâ populi æſtificatione diebus noctibuſque vacant, de quibus fruſtrà Cathalogus texeretur. Extat in omnium admiratione exemplum illud B. Mem. *P. Theodorici à Monaſterio*, qui in vna lue peſtifera, quæ Bruxellenſem Ciuitatem inuaſerat, ſolus (cum Paſtores ipſi mortui eſſent) triginta duobus millibus, aliis triginta tribus Sacramenta tum Pœnitentiæ, tum Euchariſtiæ, tum Extremæ Vnctionis miniſtrauit, & aliis charitatis officiis adſtitit morientibus, ipſe à contagione liber. Remiſſâ autem epidimiæ clade, dum populo prædicaret (mirabile dictu) ſe diuinâ reuelatione cognouiſſe ſanctè aſſeruit, duos dumtaxat ex iſtis triginta tribus millibus peſte infectis, & mortuis, quibus Sacramenta adminiſtrauerat, damnatos, cæteris in Sanctorum beatitudine fœliciter receptis. Ita *Arnoldus Raiſius* in ejus Vita, ex monumentis manuſcriptis Conuentus Antverpienſis. Et exillo tempore Ciuitas Bruxellenſis hoc debet FF. Minoribus, in qua, quoties peſtifera lues illam afflixit, FF. Minores merâ charitate ſemper Ciuibus adfuerunt. In qua Opitulatione etiam aliæ Belgii Prouinciæ diuerſis in locis Infectis adeſſe conſueuerunt. Vnde & ex Conuentu Gandenſi *an.* 1625. quatuor magnæ pietatis Sacerdotes qui nimio feruore non tantùm Sacramenta Infirmis miniſtrabant; ſed & agonizantibus aſſiſtebant, eâdem lue correpti, cœlo Animas ſuas conſecrârunt. Hoc tamque Priuilegium peſte infectis inſeruientium à Deo confirmatum videtur: Vt morientes rectà ad cœlum comitantibus Angelis deducantur: *Vt l. 7. Hiſt. c. 16. & 17. apud Euſebium*, & ex Martyrologio Romano *ad 28. Febr.* de illis Preſbyteris & Clericis, qui tempore Imperatoris Valeriani inſeruiebant peſtiferis, conſtat. Et in *Annalibus* noſtris ad *annum* 1445. *n.* 12. Viginti FF. Minores in Inſubria prope Mediolanum, dum peſte infectis miniſtrant & opitulantur, eâdem lue mortui, viſi ſunt à *B. Ladiſlao ab Hungaria* & *B. Franciſco Papienſi* in cœlum aſcendere ſertis & coronis gloriæ in capitibus redimiti: Quæ viſio pluries dubitanti *B. Franciſco Papienſi* oſtenſa eſt, & ipſe *B. Ladiſlaus* primum locum ante illos tenens ampliori gloriâ circumdatus poſteà eidem apparuit. Sic ſuprema illa charitas quâ animas pro Fratribus ponunt, gloriæ mercede compenſatur.

Opera charitatis FF. Minorum erga miſeros.

B. Theodoricus à Monaſterio mirum ſeruitium & fructus circa Peſtiferos.

Peſtiferis inſeruientes rectà tendunt in cœlum.

EPILOGVS.

EX omnibus autem quæ in Orbe per FF. Minores præſtantur, hæc pauca compendiosè propoſui, vt Lectores ad ampliorem Hiſtoriam, quæ concepta eſt, inuitem. Pro Epilogo verò omnium accipe duo non contemnenda Elogia, quæ ex ſingularibus Reuelationibus, à probatis Auctoribus referuntur, & Ordinis fructus ac mercedem continent.

Bartholomæus Piſanus *l. 2. fructu 5. & Conform. in* Ordine 17. *De apparitione Animæ Leproſi Miniſterio & meritis S. P. N. Franciſci ſanati, facta SS. Patriarchæ adhuc viuenti.*

CVm (inquit) B. P. Franciſcus in loco remoto oraret, Leproſus, cui extraordinariè ſeruierat, jam defunctus apparuit ei ſpecioſior Sole, & in aëre ſubleuatus dixit &c. *Ego ſum Leproſus ille quem Chriſtus Benedictus, te promerente, ſanauit, & hodie vado ad Regnum beatum, de quo Deo & tibi gratias ago. Benedicta ſit Anima tua & Corpus tuum, & benedicta ſint verba tua, & opera tua, quia per te multæ animæ ſaluabuntur in mundo. Et ſcias: Quòd non eſt dies in mundo, in quo Sancti Angeli, & Sancti & Sanctæ Dei, non referant magnam gratiam Deo de Sanctis fructibus, qui per te, & tuum Ordinem, vndique patrantur per Orbem. Et propterea confortare, & redde gratias Deo & ſta cum benedictione Dei.* Hæc ibi:

Nota bene.

Legenda Fabiani *Cent. 3. c. 34.*

OMnes ſimul *Apoſtoli* omni die flectunt genua coram Chriſto dicendo: *Precamur Domine Altiſſimam tuam miſericordiam, vt Ordinem noſtrum per Franciſcum renouatum in terra, vſque ad finem digneris conſeruare.* Et reſpondet eis Chriſtus: *Hanc Regulam per me vobis datam, per Franciſcum renouatam vſque in finem conſeruabo.*

Nota.

CO-

CORONIS TOTIVS OPERIS.

TESTAMENTVM S. P. N. FRANCISCI.

Pius mos Antiquorum condendi Testamenta.

HÆc fuit Patriarcharum & Sanctorum Patrum à principio Sancta consuetudo, suis posteris in fine vitæ relinquere Mentis suæ & voluntatis Diuinæ Sacrum Testimonium, siue Testamentum, quo non jam humana & caduca, sed quæ à Cœlesti Patre & Æternitatis Satore Deo acceperunt, piæ mentis augurio, & certâ adprecatione in suos Filios deriuarent & velut Cœlesti Pacto confirmarent. *Fundatur in Scriptura.* Vnde generaliter de ipsis Ecclesiast. 44. *Illi Viri misericordia sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta Nepotes eorum, & in Testamentis stetit semen eorum, & Filii eorum propter illos manent, semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.* Sic enim passim Scriptura refert Sanctos illos in fine vitæ pro Testamento Benedictiones cum sacris monitis pietate plenis, suis filiis denuntiasse. Vt Gen. 49. de Jacob. *Deuter.* 33. de Moyse. 3. *Reg.* 2. de Dauid. Et Ecclesiasticus Patriarcharum & Sanctorum laudes referens omnes Benedictiones, quibus filios Deo confirmante stabiliuerunt *Testamenta* nuncupat. De Abraham quidem c. 44. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, non est inuentus similis illi, qui conseruauit legem Excelsi, & fuit in Testamento cum illo.* Ibid. *Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham Patrem ejus; Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & Testamentum confirmauit super caput Jacob.* Et c. 45. de Moyse: *Dedit illi coram præcepta & legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob Testamentum suum, & judicia sua Israel.* Ibid. de Aaron: *Statuit illi Testamentum pacis &c. vt sit illi & semini ejus Sacerdotii dignitas in æternum.* Ibid. de Dauid: *Et Testamentum Dauid Regi filio Jesse de tribu Juda, hereditas ipsi & semini ejus vt daret Sapientiam in cor nostrum &c.*

Ibid. v. 20. Ibid. v. 24. Eccl. 45. vers. 6. Ibid. v. 30. Ibid. v. 31.

Sic fecit & S. Franciscus. Hoc spiritu informatus & confirmatus S. Patriarcha Franciscus, in fine vitæ Testamentum condidit verè pium, verè Sanctum, in cujus laudem Traditio antiqua Ordinis hoc dedit amplissimum Testimonium, vt exclamando vocaret: *Testamentum pacis, Testamentum nullâ oblivione delendum, nullâ dedignatione spernendum, nullâ superordinatione contrariâ mutandum: Testamentum non morte Testatoris, sed immortalis vitæ condonatione sancitum:* Charitatis *incorruptibile Testamentum: fertile humilitatis feudum: Desiderabilem Paupertatis Thesaurum, Tanti Patris nobis traditione legatum.* Quas laudes refert Firmamentum Trium Ordinum 1. p. fol. 16. Nec non Bibliotheca SS. Patrum Tom. 13. ad finem. Nec sine causa tantis effertur præconiis, quod abundantioris refertum est gratiæ Dei donis & fructibus, vt ex infrà dicendis constabit.

Testamenti ejus mira laus.

TESTAMENTVM S. P. N. FRANCISCI.

DOminus dedit mihi Fratri Francisco ita incipere facere pœnitentiam: quia cùm essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre Leprosos, sed ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis. Et recedēte me ab ipsis id quod mihi videbatur amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et posteà parùm steti, & exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi talē fidem in Ecclesiis suis, vt ita simpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te Sanctissime Domine Jesu Christe hîc, & ad omnes Ecclesias tuas quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Posteà dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus qui viuunt secundùm formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam Sapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes hujus sæculi in Ecclesiis, inquibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos & omnes alios volo timere, amare, & honorare sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt. Et hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso Altissimo Filio Dei, nisi Sanctissimum Corpus & Sanguinem suum, quod ipsi recipiunt, & ipsi soli aliis administrant. Et hæc Sanctissima Mysteria vo-

Conuersionis Francisci initium.

Modus adorandi in Ecclesiis.

Reuerentia erga Clericos.

Sacerdotes omnes honorandi.

Reuerentia erga Mysteria diuina.

lo super omnia honorari & venerari, & in locis pretiosis collocari. Sanctissima nomina & verba ejus scripta vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quòd colligantur, & in loco honesto collocentur. Et omnes Theologos, & qui ministrant nobis sanctissima verba Diuina, debemus honorare & venerari, sicut eos qui ministrant nobis Spiritum & vitam. Est postquam dedit mihi Dominus

Theologi & Concionatores honorandi.

Franciscus à Christo edoctus in fundatione suæ Religionis.

curam de Fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quòd deberem viuere secundùm formam Sancti Euangelii. Et ego paucis verbis & simplicibus feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendam vitam

Vita primorum FF. Minorum.

istam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et eramus contenti vnâ tunicâ intus & foris repetiatâ (qui volebant) cum cingulo & braceis, & nolebamus plus habere. Officium dicebamus, nos Clerici secundum alios Clericos; Laici dicebant *Pater noster*. Et satis libenter manebamus in Ecclesiis pauperculis & delictis, & eramus idiotæ & subditi omnibus. Et ego manibus meis Laborabam &

FF. Minoribus Laborandum manibus & qualiter.

volo Laborare, & omnes alii Fratres firmiter volo quòd Laborent de Laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium Laboris, sed propter bonum exemplùm, & ad repellêdum otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mẽsam Domini petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi Dominus, vt

FF. Minorum Ecclesia, habitacula &c. sint juxta paupertatem.

diceremus: Dominus det tibi pacem. Caueãt sibi Fratres, vt Ecclesias, & Habitacula & omnia alia, quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut

FF. Minores non petant priuilegia.

aduenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus vniuersis, quod vbicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana per se, nec per interpositam personam, nec pro Ecclesia, nec pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum, sed vbicumque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram ad faciendam pœnitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire Generali Ministro hujus Fraternitatis, &

S. Francisci humilis obedientia.

illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia Dominus meus est. Et quamuis sim simplex & infirmus, tamen semper volo habere Clericum qui mihi faciat Officium sicut in Regula continetur. Et omnes alii Fratres ita teneantur firmiter obedire Guardianis suis & facere Officium secundum Regulam. Et si aliqui inuenti essent, qui non facerent Officium secundum Regulam, & vellent alio modo variare, aut non essent Catholici; omnes Fratres vbicumque sunt, per obedientiam teneantur, quòd vbicumque inuenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, vbi ipsum inuenerint, debeant præsentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum firmiter custodire sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quòd non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales Fratres, qui diu noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repræsentent ipsum coram Domino Hostiensi, qui est Dominus Protector & Corrector istius Fraternitatis.

Officium diuinum qualiter faciendum.

Et non dicant Fratres: Hæc est alia Regula: quia hæc est Recordatio, Admonitio, Exhortatio & meum Testamentum, quod ego Frater Franciscus paruulus vester facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, vt Regulam quam Domino promisimus, melius Catholicè obseruemus. Et Generalis Minister & omnes alii Ministri, & Custodes, per obedientiam teneantur in istis verbis non addere, vel demere. Et semper hoc scriptum habeant secum juxtà Regulam, & in omnibus Capitulis quæ faciunt quando legunt regulam, legant & ista verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis, præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant Glossas in Regulam, nec in istis verbis, dicendo: Ita voluit intelligi; sed sicut dedit mihi Dominus purè & simpliciter dicere & scribere Regulam & ista verba; ita simpliciter & purè sine glossa intelligatis, & cum Sancta operatione obseruetis vsque in finem. Et quicũque hæc obseruauerit in cœlo repleatur benedictione Altissimi Patris Cœlestis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum Sanctissimo Spiritu Paracleto, & omnibus Virtutibus cœlorũ & omnibus Sanctis. Et ego F. Franciscus paruulus vester & seruus, quantumcumque possum, cõfirmo vobis intus & foris istam sanctissimam Benedictionem in æternum. Amen.

Hortatur S. Franciscus per suum Testamentum ad obseruandum Regulam.

TESTAMENTI S. FRANCISCI SYNOPSIS.

VT autem Testamenti S. Patriarchæ pretiosos fructus & Piissima legata veri illius Heredes concipere & com-

comprehendere possint, Synopsim siue Summariam hîc pono ipsius *Exegesim*.

Quatuor quidem partibus constat S. P. N. Francisci Testamentum: Et quidem *in 1. Parte* Spiritum *Primæ vocationis* suæ explicat, in perpetuum suis Filiis monumentum; Ibi: *Dominus* (inquit) *ita dedit mihi Fratri Francisco incipere* &c. In 2. *Parte*: Regulæ sibi à Christo datæ veram & primæuam obseruantiam posteris exequendam tradit; Ibi: *Et postquam dedit mihi de Fratribus* &c. In 3. *Parte*: Regulæ sibi traditæ inuiolabilem & intemeratam integritatem futuris omnibus temporibus demandat, ac Testamentum suum commendat; Ibi: *Et non dicant Fratres: hæc est alia Regula* &c. In 4. *Parte*: Benedictiones sibi à Christo pro Filiis suis, veris Regulæ obseruatoribus depositas, plenissimè elargitur, & inuiolabili sigillo confirmat; Ibi: *Et quicunque hæc obseruauerit* &c. Porrò quælibet pars in sua membra distribuitur, nitro ordine & compendio veri Fratris Minoris Spiritum manifestantis, quæ fructuosiùs in Paragraphis sequentibus declarabuntur.

§. I.

Spiritus primæuus Vocationis S. P. Francisci ad filiorum generationem.

Vocatio S. Francisci 4. partibus fuit stabilita.

QVatuor partibus ad Fundamenti quadraturam stabilita fuit *Vocatio* S. Patriarchæ Francisci, nimirùm: *Abnegatione omnimodâ, & Victoriâ totius hominis: Deuotione fideli ad Dominicam Christi Jesu pro nobis crucifixi Passionem: Fide & Reuerentiâ ad Eucharistiæ diuinissimum Sacramentum*, & omnia alia Sanctissima Mysteria, Sacramenta & Signa cum *obseruantia specialis ad Sacros Ministros siue Sacerdotes: Honore & pietate ad* Verbum Dei, & ejus Prædones.

1. Gradus ad Perfectionem consistit in exercitio abnegationis sui.

Primus igitur *gradus*: Dictante Christo Domino fuit, vt viam perfectionis ingrediens antè omnia per exercitium perfectissimæ *Abnegationis*, & *Victoriam* sui velut Januam ingrederetur: *Dominus* (inquit) *dedit mihi Fratri Francisco ita facere pœnitentiam.* Prima enim salutis Janua *Pœnitentia est.* Hanc Præcursor *Joannes* verbo & facto prænuntiauit; Hanc Christus primò docuit: *Pœnitentiam* (ait) *agite, & credite Euangelio*; & hæc est communis omnium saluandorum Porta. Sublimioris autem Perfectionis interius *Ostium* est *Abnegatio sui ipsius: Qui vult* (ait) *venire post me abneget semetipsum.* Audiant itaque Filii S. Patris hujus *Abnegationis* & *Victoriæ* sui exemplar probatissimum: *Quia cupi essem* (ait) *in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre Leprosos, & ipse Dominus conduxit me inter illos & feci misericordiam cum illis.* O stupenda hominis totius *Abnegatio!* Non amarum sed *nimis amarum*, omnem vtique amaritudinem excedens erat *Francisco* solummodò videre, siue oculos conjicere in Leprosos; quanta igitur amaritudo cum Leprosis conuersari, illos tangere, saniem illorum emungere, labiis exsugere, lauare, extergere &c.? Hæc S. *Franciscus* Dei ductu, Dei amore fecit, sibi per hoc gratiam, illis misericordiam acquirens. Hic sensus tremore, intellectus terrore, voluntas horrore conficitur, & omnis Portio Humanitatis abneganda fuit, vbi sensuum tremor, intellectus terror, voluntatis horror superandus fuit. Illuc *Franciscum* adduxit Deus, vt cum Leprosis misericordiam faceret. *Primus* enim post visum Palatium Crucis armis insignitum in ejus conuertione *actus* fuit, quod cum spiritu mouente didicisset: *Christi militiam à sui-ipsius victoria inchoandam: Quadam die* (ait S. Bonau.) *dum ejularet per planitiem, quæ subjacet Ciuitati Assisii, Leprosum quendam habuit obuium, cujus inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mentem jam conceptæ propositum, & recolens quod seipsum oporteret primùm deuincere, si vellet esse Christi miles; ad deosculandum cum equo lapsus adcurrit: Cui cùm manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo repertauit.* Deductio autem Domini prouida in hoc patuit quòd statim leprosus ille ad ipsum actum disparuerit. Sed & *Secundus actus* incrementa hujus *Abnegationis* subministrauit: Cùm enim Christus Crucifixus illi apparuisset Euangelicum illud insusurrans: *Si vis venire post me, abnega semetipsum: Cum prius* (ait S. Bonauentura) *leprosorum non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret: jam propter Christum Crucifixum; qui juxta verbum Propheticum contemptibilis vt leprosus apparuit, vt semetipsum contemneret humilitatis & humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, & cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur & ora.* Sed nec hic *Abnegatio* illa stetit, postquam enim seipsum coram Episcopo Assisiensi denudans, vestimenta etiam Parenti libero affectu cessisset, & pauperculam vestem ab Amico vt pauper recepisset: *Exinde* (ait S. Bonau.) *totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum illis diligentissimè seruiens omnibus propter Deum: Lauabat ipsorum pedes, ligabat vlcera, educebat*

Quale exemplum in hoc præuideri Sancti S. P. Francisci.

S. Francisci misericordia erga leprosos.

S. Bonau. c. 1. Vitæ.

S. Bonau. c. 2. Vitæ.

Marci 1. vers. 15.

Matt. 16. vers. 24.

Matth. 16. vers. 24.

Ibid.

Isa. 53. vers. 4.

quæ seraphicum Patriarcham toto itinere præcedebat, & coram stante stabat, coram ambulante ambulabat, donec sacram Ædem ingrederetur. Hæc igitur est vocatio continens medullam Vitæ Franciscanæ, quæ S. Patri primùm inspirata fuit, & à Fratribus omnibus vsurpata, vt si quando vel à longe Cruces vel Ecclesias conspicerent, hac oratione Christum in illis adorarent.

3. *Gradus ad perfectionem in vocatione S. Francisci suis reuerentia ad V. Sacramentum & Sacra omnia.*

Tertius gradus in vocatione prima fuit *fides* & *Reuerentia* singularis ad *Eucharistiæ Diuinissimum Sacramentum*, & ad omnia quæ sacra Mysteria contingunt, ob quam docet S. Pater se *Sacerdotes hujus sæculi voluisse timere, amare & honorare, sicut suos Dominos*. Porrò illa omnia vno fere Textu inuoluuntur & miscentur, vt posteriora sint causa priorum. *Postea* (ait) *dedit mihi Dominus tantam fidem in Sacerdotibus qui viuunt secundum formam S. Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipsorum, quòd si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad illos*: Causam autem hujus adiicit duplicem; Prior: *Quia filiũ Dei discerno in ipsis* &c. Posterior: *Hæc propter hoc facio, quia nihil corporaliter video in hoc sæculo de ipso Altissimo filio Dei, nisi Sanctissimum Corpus & Sanguinem ejus, quod ipsi recipiunt, & ipsi soli aliis administrant*. Subdit: Et *hæc sacra Mysteria volo super omnia honorari & veneravi* &c. Sensus itaque totius est. Dominus dedit mihi fidem tantam in Sacerdotibus &c. Quia supremorũ Mysteriorum Corporis & sanguinis ejus ministri erant, ita vt ob reuerentiam illorum Mysteriorum (quam volo summam & supremam esse) illos voluerim *timere, amare, & honorare sicut meos Dominos*, nec voluerim *in ipsis cõsiderare peccatum*, quin potius etsi essent pauperculi, & velut sæculo contemptibiles ac despecti, & haberem ego sapientiam Salomonis, *nolo prædicare* in eorum Ecclesiis *contra ipsorũ voluntatem* &c. Hic fuit *Gradus* 3. *Obedientiæ, & Subjectionis ad S. Romanam Ecclesiam*, & ejus Ministros, ob *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum*, in quo Caput nostrum Jesus Christus corporaliter sub speciebus visibilibus continetur, vt sit nobiscum vsque ad consummationem sæculi. De hac singulari fide & reuerentia ad Venerabile Eucharistiæ Sacramentum singulariter communicata Ordini FF. Minorum latè disseruimus in Fundamento 12. §. 2. & 3. De nonnullis quæ hîc de honore Sacerdotum dicuntur, infrà in Quæstiunculis disseremus, ne Synopsis terminos excedamus.

4. *Gradus sunt pietas ad Verbum Dei.*

Quartus gradus in vocatione primaria S. Patris in *honore & Pietate ad S. Scripturam & Verbum Dei* situs est: Propter quæ volebat Theologos, & Ministros Verbi Dei in magna veneratione haberi, causam adiiciens: *Quia* (inquit) *ministrant nobis spiritum & vitam* conformiter ad Scripturam: *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt*. Et Petrus Joan. 6. *Ad quem* (ait) *ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Joan. 6. vers. 64. Joan. 6. vers. 69.

§. II.

Spiritus S. Francisci in Institutione Ordinis & Regulæ Obseruantia.

HÆc est 2. *pars principalis* Testamenti S. Patris, in qua suum suorumque primorum filiorum, ac Discipulorum spiritum & praxim posteris relinquit in purioris Obseruantiæ exemplum.

Regula S. Francisco à Deo reuelata.

Primò itaque pro Basi & fundamento *Regulæ suæ*, ponit *Reuelationem* & præscriptionem illius à Domino sibi factam, absque vllius hominis interuentione: *Et postquam* (ait) *Dominus dedit mihi de Fratribus, Nemo ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quòd deberem viuere secundùm formam S. Euangelii, & ego paucis & simplicibus verbis feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi*. Qualiter autem hæc sint facta, & de vtriusque Regulæ Diuina inspiratione, Institutione, & approbatione latissimè disserimus in 2. 3. & 4. *Fundamentis*. Energia tantum horum verborum Testamenti notanda est: Quòd cùm Testamento suo declaret, Regulam suis præscriptam, ab ipso *Altissimo* per certam Reuelationem processisse, & à se *simpliciter* absque adjecto humanæ inuentionis aut humani dictaminis scriptam esse, & vt talem à Domino Papa confirmatam; Consequenter concludit & infert: Ab humana sapientia, scientia, & judiciis humanis abstractam; & immunem: Et eum, qui ei contradicere præsumit, Dei Ordinationi & sapientiæ resistere, nec sine peccato grauissimo Regulam posse (vt talem) alterari. Eo ferè argumento vsus est S. *Paulus ad Gal.* 1. *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Jesu Christi*. Ex quo superius intulerat: *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo, Euangelizet vobis, præterquam Euangelizauimus vobis, anathema sit*. Sic proportionaliter ex dictis S. Patris infertur: *Nemo mihi* (ait) in Regulæ præscriptione *ostendit quid deberem facere*: Non enim accepi Regulam illam ab homine, neque didici, *sed ipse Altissimus reuelauit mihi*, & vt mihi reuelauit, sic *simpliciter feci scribi*, & vt feci scribi Apostolicâ auctoritate confirmata est. Qui ergò quouis modo aliter hanc Regulam scripserit aut immutauerit, anathema sit. Qualiter verò hæc Regula Diuini sit

Energia istius Reuelationis.

In Regula S. Francisci nihil hominis.

Vnde homo ei resistere non præsumat.

Gal. 1. vers. 11.

Vers. 8.

Iuris, & qualiter S. Sedis Apostolicæ dispositioni subjaceat, docuimus *fundamento* 4. §. 2.

S. Franciscus in suo Testamento recapitulat Regulam suam.

Hâc Basi positâ modos quibus à principio Regula obseruata fuit, & in futurum obseruari desiderat S. Pater, per singula ferè Capita discurrens, veris Spiritus sui heredibus explicat. Et 1. ex *Cap.* 2. Renuntiationem perfectam omnium bonorum ex verbis Euangelii & Regulæ à venientibus ad Ordinem faciendam recenset: *Demùm* ex eodem *Cap.* Habitum Fratris Minoris describit juxta antiquum primorum Fratrum vsum ordinarium: *Et eramus* (inquit) *contenti vnâ tunicâ intus & foris repetiatâ* (*qui volebant*) *cum cingulo & bracis, & nolebamus plus habere.* Vbi verba (*qui volebant*) etsi referantur potissimum ad *repetiationem*, consequenter tamen ad *vnam tunicam*, cum Regula permittat duas, referenda sunt. Indicat autem Fratres in principio ad majorem paupertatem contentos fuisse *vnâ tunicâ*, quam, vt sufficeret ad fomentum necessarium corporis, & diuturniorem vsum, intùs & foris repetiabant. Ex *Cap.* 3. resumit obligationem *Diuini Officii*, & in exemplum primæuæ paupertatis, narrat illius temporis inopem vsum Habitationum & Ecclesiarum, ac Fratrum humilitatem. Ex *Cap.* 5. exponit modum *Laboritii*, & illum commendat, ac docet primos Fratres priùs ex laboritio acquisiuisse necessaria, demùm illis cessantibus ex mendicatis vixisse. Ex *Cap.* 6. prohibet habitacula sumptuosa recipi, & ostendit sub quo modo Fratres domos ad habitandum recipiant. Prohibet etiam per obedientiam, ne Fratres petant aliquam litteram in Curia Romana, ad suam in aliquo loco tutelam, vel sui conseruationem. Tandem cùm obedientiam omnimodam Ministro Generali & Guardiano, qui ipsi assignatus fuerit, promittat, obedientiam ad quam Fratres obliguntur, ex *cap.* 8. & 10. inculcat. *Demum* singulariter suam piam consuetudinem, quâ cum aliquo Clerico Diuinum Officium faciebat, ostendit: Et animaduerti mandat in eos qui Officium Diuinum, secundum Regulam facere respuunt, aut in eos qui Catholici non sunt, quos vsque ad Ordinis Protectoris & Correctoris judicium transmitti præcipit, ibi: *Et omnes alii Fratres teneantur facere Officium* &c. Omnia porrò hæc (exceptis vltimis præceptis & dispositionibus specialibus, quæ in Regula non continentur explicitè, de quibus in Quæstiunculis Testamento adjunctis) à nobis in *Fundamento* 5. sat superque explicata sunt, quæ ibi videri possunt: Cætera inferius attingemus.

§. III.

S. Franciscus Regulæ sibi à Christo dictatæ, ac Testamenti qualitatem, & integritatem manifestat, ac mandato speciali obseruandam indicit.

Testamenti S. Francisci qualitas.

IN *Tertia parte Testamenti* de ipsius & Regulæ suæ integritate sollicitus, ne aliquis prætextu hujus quasi mandati nouissimi, Testamentum vel Regulam alterare præsumeret, Qualitatem Testamenti sui exponit: *Et non dicant* (inquit) *Fratres hæc est alia Regula: quia hæc est recordatio, admonitio, exhortatio, & meum Testamentum &c. propter hoc vt Regulam, quam Domino promisimus, meliùs Catholicè obseruemus.*

Finis Testamenti.

Finis igitur *Testamenti* alius non est, nisi vt *Regula* quam Frater Minor promisit, *meliùs*, id est, perfectiùs, Catholicè, id est, vniuersaliter, secundùm Spiritum Dei & veritatis obseruetur: Etsi enim vox *Catholica*, ex sua natura vniuersalitatem sonet vt tamen jam in Ecclesiæ Titulum singulariè transiit, in Ecclesia supponitur pro *Vniuersali Vnitate vnius Spiritus*, juxtà quam, Omnium *vna est Fides, vnum Baptisma, vnus Deus* &c. Sic proportionatè S. Pater in suo Testamento intendit, vt Regula *Catholicè* obseruetur, vno vniuersali Spiritu, vno intellectu, vnâ vniuersali praxi, absque Schismate, absque sensuum, & particularium opinionum diuisione. Et ad hoc totum Testamentum collimat, in eo quod & Spiritum Primæ suæ Vocationis, & Primorum filiorum ac Discipulorum praxim, cum nonnullis expressioribus suis intentionibus notificet.

Vox Catholica quid significet.

Ephes. 4. vers. 5.

Qualitas Testamenti.

Qualitas autem Testamenti manifestè declaratur, cùm dicit *Aliam Regulam* non esse: sed esse tantum *Recordationem* quâ memoriam antiquæ obseruationis Primitiuæ refricat: *Admonitionem*, quâ de nonnullis, quæ in Regula explicitè non ponuntur, docendo monet, & monendo docet: *Exhortationem*, quâ sui status zelosos ad meliora prouocat: *Suum Testamentum*, quo, vt *Ordinis Fundator*, vltimam suam Voluntatem & Intentionem exponit: Ne, scilicet, Regula per opiniones, fictiones, & interpretationes Voluntati & Intentioni *Fundatoris* contrarias traducatur: *Anima* enim *Legis est Voluntas & intentio Legislatoris*; Et inter bases præcipuas Interpretationis Regulæ nos aliàs *Intentionem*

tionem S. Patris ſtatuimus. Quòd autem præcepta plura in Teſtamento per Obedientiam in certis caſibus propoſita contineant, & qualiter obligent, infrà aperietnus.

Integritatem porrò ſui Teſtamenti ſicut & Regulæ zelans: Mandat *Generali Miniſtro & aliis Miniſtris & Cuſtodibus*, vt *per obedientiam teneantur*, *in iſtis verbis* (ſcilicet Teſtamenti ſui) *non addere vel diminuere*. Et ita vtrumque vult conjungi, vt Teſtamentum Regulæ ſemper adſcribatur, & ſimul conjungantur, & quoties Regula ex Conſtitutionum Ordinis præſcripto legitur, toties & Teſtamenti lectio ſequatur: *Et ſemper hoc* (inquit) *ſcriptum habeant ſecum juxtà Regulam, & in omnibus Capitulis, quando legunt Regulam legant & iſta verba.* Quæ praxis ab initio Ordinis inualuit, vt ſingulis Feriis ſextis in Communitate Fratrum vtrumque legatur. Et denuo ſuam Regulam ab omni arbitraria interpretatione immunem decernens: *Omnibus Fratribus ſuis Clericis & Laicis precipit firmiter per obedientiam ne mittant Gloſſas in Regulam, neque in iſtis* (Teſtamenti) *verbis, dicendo ita voluit, vel volunt intelligi: ſed ſicut* (sit) *dedit mihi Dominus purè & ſimpliciter dicere & ſcribere*, Regulam & iſta verba: *Ita ſimpliciter & purè intelligatis & cum Sancta operatione obſeruetis vſque in finem.* Qualiter verò & quæ Gloſſæ aut Interpretationes ſint prohibitæ, explicauimus *Fundamento* 5. §. 1. & 2.

§. IV.

De ſublimitate Benedictionum Cœleſtium quas S. Franciſcus ſuo Teſtamento Fratribus Regulam obſeruantibus impertitus eſt, & de earum efficacia.

Poteſtas benedicendi & maledicendi à Deo conceſſa Patriarchis & capitibus familiarum.

HÆc fuit ab initio inſcrutabilis Diuinæ Bonitatis dignatio vt Patriarchis & familiarum Capitibus, ac Parentibus, velut Vicarium regimen ejus nomine circa filios ſuos gerentibus, impertiendæ Benedictionis pariter & Maledictionis Poteſtatem ac Officium commiſerit. Vndè *Eccleſiaſtici* 3. adoleſcentem monet Sapiens: *In opere* (inquit) *& ſermone, & omni patientiâ honora Patrem tuum, vt ſuperueniat tibi Benedictio ab eo; & Benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Et efficaciam infert: *Benedictio Patris firmat domos filiorum, & maledictio Matris eradicat fundamenta.* Notiſſimæ ſunt in Scripturis: *Benedictio Noë* in filios ſuos Sem, & Japhet, & maledictio Cham: *Benedictio Iſaac* in ſecundò genito Jacob filio ſuo, & ejulatus Eſau ob ſibi præreptam Benedictionem: *Benedictiones Jacob* ad Ephraim & Manaſſem, prælato in magnitudine & efficacia Ephraim, ſupra fratrem majorem natu Manaſſem: *Benedictiones* denique *Jacob* in ſingulos filios, manifeſtant & Spiritum Diuinum in illis operantem, & earum potentiſſimam efficaciam ſe ad futura tempora longiſſimè protendentem. Hanc in Parentibus Diuinæ virtutis operationem ſublimiùs hæreditarunt in Eccleſia Dei, à Petro & Succeſſoribus, Dei Sacerdotes, & Eccleſiarum Capita; vt: Quæ *Benedixerint, benedicantur* &c. Sed nec Patriarchis ac Fundatoribus Religionum hæc Clementiæ Dei Poteſtas negata eſt, quibus familiæ Deo conſecratæ concreditæ ſunt.

Gen. 27. verſ. 28.

Gen. 48. verſ. 15.

Gen 49.

Etiam Sacerdotibus & Eccleſiarum Capitibus.

Hanc ſanè Benedictionis ſicut Maledictionis efficacem & certam Poteſtatem, *SS. Patriarcha Franciſco* in omnes præſentes & futuros abſolutè conceſſam eſſe probant. 1. Condeſcenſiones Dei ad nutum famuli ſui in mirabilibus ſuis circa Creaturas factæ, quæ à *S. Bonauentura* referuntur *cap.* 5. & 6. Vitæ ejus: In quibus hæ Generales Propoſitiones reperiuntur. Et quidem *cap.* 5. *Non ſolùm* (inquit Doctor) *Creatura ſeruo Dei ſeruiebat ad nutum, ſed & Creatoris vbique Prouidentia condeſcendebat ad placitum.* Notanda vltima verba: *Creatoris Prouidentia vbique*, id eſt vniuerſaliter, *condeſcendebat* S. Patri *ad placitum.* Iterum *cap.* 6. De neglecto mandato *Seraphici Patris* in Reliquiis Sanctorum requirendis, quas ſingulari miraculo publicæ Venerationi ad votum Sancti Viri reſtituit Deus: *Conſidera* (ait) *quæſo Lector Diuine Prouidentia curam circa puluerem noſtrum, & humilis Franciſci excellentem in oculis Dei perpende virtutem: Nam cujus juſſis non paruit homo, votis obediit Deus*: Alluſione factâ ad illa verba *Joſuæ* 10. de ſtatione Solis: *Obediente Deo voci hominis.* Ibidem: *Dignè itaque ſectanda eſt Franciſci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominum immutaret affectum, ac multoties Dæmonum preteritatem ſuo juſſu depelleret.*

Etiam S. Franciſco.

S. Bonau. c. 5. & 6. Vitæ ejus.

Qualiter & Creatura & Creator Franciſco ad nutum condeſcenderint.

Ioſue 10. verſ. 14.

2. Mirabilis *S. Franciſci* Poteſtas in Benedictionibus manifeſtata eſt in *F. Helia* primo Ordinis Minorum Relaxatore, & piorum Fratrum zelatorum perſecutore, De quo cùm *Sanctus Patriarcha* viſionem à Deo accepiſſet, quòd ob relaxationes & abuſus contrà Regulæ puritatem in Ordinem introductos, ac à Helia ejus iniquitates damnandus eſſet, & extrà Ordinem moriturus, Ac vt refert

Quanta efficacia Benedictio S. Franciſci ad F. Helium.

Reuelata fuit Franciſco Helia damnatio.

verſ. 11. *Quanta efficacia.* Gen. 9. verſ. 26.

fert S. Antoninus Tit. 24. c. 9. §. 3.) deinceps Vir Sanctus consortium Heliæ & aspectum refugeret: Dei tandem misericordiâ in S. Francisco operante, hunc visio finem virtute Benedictionis ejus propitium sortita est: Cùm enim Helias aversionem Viri Dei ferre non posset, ab eo hujusmodi aversionis causam importunè inuestigans, tandem hoc responsum accepit: *Se non posse deinceps soliti oculo aspicere eum, quem Deo reuelante didicerat aeternaliter cum Damonibus damnandum, & Dei inimicum.* Ad hæc F. Helias totus tabescens, & treme-factus ad B. Patris pedes prouolutus, instantissimè eum rogabat, vt pro illo oraret, confidens quod Deus illius precibus non negaret, qui ad ejus nutum in omnibus, maximè in peccatorum conuersione semper condescendebat; Allegabat S. Ambrosii dictum: *Deum nouisse mutare sententiam, si peccator emendaret vitam*: Nec semper *absolutas* Dei sententias esse, sed frequenter *comminatorias* & *conditionales*, quæ in salutem peccatorum emendatione secutâ etiam desinere solent. Orauit itaque S. Pater pro grauissimo peccatore, exauditus est, & se exauditum cognouit, ac F. Heliam per pœnitentiam & contritionem veram ad peccatorum remissionem in fine vitæ disponendum intellexit: In horrorem tamen abusuum, quos in Ordinem induxerat, extra Religionem moriturum accepit. Vndè prouenit mira ista Benedictio, quam ante mortem Heliæ dedit seorsim (de qua ex Mariano Annales ad *annum* 1226. *num.* 23.) Cùm enim S. Pater cancellatis manibus B. Bernardum de Quinta-valle primogenitum suum à sinistris existentem (vt olim Jacob Ephraim Manasse) F. Heliæ prætulisset, & F. Bernardo singulariſſimam Benedictionem præ omnibus impertiuisset, omnibusque Fratribus præsentibus & futuris benedixisset: F. Helias alio tempore seorsim à sinistris accessit Benedictionem accepturus; cùm autem cancellatis brachiis dextera S. Patris super Caput Heliæ requiesceret, cæcutiens interrogauit, quisnam esset? cui responsum est Heliam esse. Itaque S. Patriarcha prioris Reuelationis memor: Benè (inquit) *se res habet, & benè requieſcit super eum dextera mea.* Et subjunxit: *Te fili mi in omnibus, & super omnia benedico; Et sicut in manibus tuis Fratres meos & filios augmentauit Altissimus, ita & super te & in te omnibus benedico: In cœlo & in terra benedicat te Rex omnium Deus: Benedico te sicut possim, & plusquam possim, & quod non possim, possit in te, qui omnia potest. Recordetur operis & laboris tui, & in retributione justorum sors tua fruetur. Omnem Benedictionem quam cupis inuenias, & quod digne postulas, impleatur.* Hæc ille. Cujus Benedictionis formam & seriem, si quis pie pariter & Theologicè attendere velit, arcana Dei in Sancto mirabiliter operantis penetrabit: *Te* (ait *Fili mi in omnibus & super omnia benedico. In omnibus* quidem, quæ, nimirum, Benedictionibus cõfirmari possint: *super omnia* autem: quin Benedictiones Dei omnia super excedunt, nec quippiam benedicit Deus, nisi ex mero beneplacito, & gratiæ misericordia, quæ excedit omnem malitiam humanæ creaturæ. Subjungit: *Et sicut in manibus tuis Fratres meos & filios augmentauit Altissimus, ita & super te, & in te omnibus benedico.* Hæ particulæ referuntur ad Filios & Fratres verè Regulæ obseruantes, quos malitia & iniquitas praui Pastoris non inficit: Vndè primò declarat: ab Altissimo multiplicatos fœliciter Fratres & Filios in manibus iniqui Rectoris, quos benedicit *super illum*, & *in illo*, *super te* (inquit) & *in te*: quia Benedictio filiorum excellebat demerita iniqua Regentis. *In illo* etiam dicuntur *benedici*, quia Dei dona distribuuntur, & sanctissimè multiplicantur in manibus indigni etiam distributoris in vtilitatem & incrementum bonorum subditorum. Quin imò illa verba: *Super te & in te*, id est, super Rectore, & in illo, demonstrant Filios benedici: quia merita subditorum etiam in salutem malorum Rectorum aliquando redundant, dum apud Deum pro Rectore indigno intercedunt. *Sequitur*: In *Cœlo & in terra benedicat te Deus*, id est, cœlesti Benedictione, quæ in cœlo confirmata est, & in terra inchoatur. *Sequitur* anxietas Patris ex visione priori cominatæ damnationis Heliæ: *Benedico te sicut possum*, scilicet secundùm secretam dispositionem diuinorum Iudiciorum, *Et plusquàm possum* (neque enim Benedictio Sancti justificare poterat virum iniquum) Agnoscens autem superabundantem Dei misericordiam, quam reuelatione didicerat: *Et quod* (inquit) *non possum, possit in te qui omnia potest*; Optantis sicut & congratulantis, & gratias agentis hæc clausula est, q.d. *Non possum* nec potui per me impio benedicere: Hoc autem potest, potuit, & misericorditer indulget tibi Omnipotens Deus, cujus *Miserationes super omnia opera ejus.* Sequitur: *Recordetur Deus operis & laboris tui*, &c. Sine dubio enim F. Helias, etsi in pluribus peccator, in aliis tamen opera bona & labores sanctos in Ordinis principio interdum insumpserat, quos per peccata mortificatos, orat S. Franciscus, vt reviviscant, & in retributione justorum mercedem accipiant, ab eo qui *reddit* frequenter

Annales an. 1253. n. 31.

Heliæ interpellat S. Franciscum vt pro se intercedat.

S. Ambros.

S. Franciscus orans pro F. Helia exauditur.

Nota.

Benedictionis S. Francisci F. Heliæ data perphrasis.

Pſal. 144. vers. 9.

amos

annos quos comédit locusta & Bruchus &c. Concludit tandem: *Omnem Benedictionem quam cupis, inuenias* (si nimirum bene & ordinate cupias) quod sequentibus verbis magis exprimit: *Et quod dignè postulas impleatur.* Neque enim benè petitur, quod indignè postulatur.

Ex hac Benedictione attendat pius Lector: & virtutem Benedictionis *S. Francisci*, qui & diuinæ maledictionis sententiam in *F. Heliam* voluntate signi declaratam immutauit, Contritionem & Pœnitentiam aliàs damnando obtinuit, merita Sanctorum Fratrum & Filiorum in ejus saluationem obtulit, Reuiuiscentiam bonorum operum impetrauit, & vltrà & contrà possibilitatem suam, Summam & extraordinariam Dei Potestatem, quæ etiam ordinariâ lege impossibilia superat, miserando Peccatori exorauit.

SYNOPSIS
BENEDICTIONIS TESTAMENTARIÆ.

Et quicumque (ait) hæc obseruauerit; In cœlo repleatur Benedictione Altissimi Patris, & in terra repleatur Benedictione dilecti filii sui cum sanctissimo spiritu Paracleto & omnibus virtutibus cœlorum, & omnibus sanctis.

Benedictio Testamenti S. Patris quanta.

HÆc est completissima *Benedictio*, quâ major dari non potest, quæ omni Fratri Minori Regulam & Testamentum sanctissimi Patris obseruanti hereditario Jure omnia bona, & Diuinæ Bonitatis thesauros plenissimè ex parte Dei addicit, cujus energiam breuiter expendo.

Ejus Paraphrasis.

Et quicunque hæc obseruauerit, quæ, nimirum, tum ex Regula tum ex verbis Testamenti obseruanda proposuit: *In cœlo* quidem *repleatur Benedictione Altissimi Patris cælestis*: Hoc est Præmium & Merces æternæ Gloriæ & Beatitudinis reseruatæ electis, juxta incomprehensibilia Decreta gratuitæ Prædestinationis: Hàc enim ratione vtitur Titulo *Altissimi Patris* quia hæc retributio effectus est *Altitudinis Diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, cujus nemo *Consiliarius fuit*. Quia verò ista Retributio à Paterna Bonitate initium & consummationem sumit, ideò vsus est Titulo *Patris*. De Præmio igitur plenissimæ gloriæ in Patria Frater Minor Obseruans, hac Benectione finaliter assecuratur. Sequuntur autem *Benedictiones Viæ: Et in terra repleatur Benedictione dilecti filii sui.* Hæc est Benedictio cujus FF. Minores heredes sunt cum Apostolis, & iis qui omnia reliquerunt, & bajulantes Crucem, Iesum Christum, per Euangelicam vitam & Apostolicam Consiliorum Euangelicorum semitam secuti sunt. De quibus in variis Euangelii locis, specialiter in sermone illius post Cœnam; quo tempore varia Apostolis impertiuit, & adprecatus est dona, quæ proportionaliter perfectis Christi, & Apostolorum sectatoribus communicantur. Addit autem (*Cum spiritu Paracleto*) vt inditet dona spiritus sancti cuilibet pro sua vocatione, & operatione, ad quam à Deo & Superioribus impenditur, accommodè distribuenda. Tandem subjungit: *Cum omnibus Virtutibus cælorum & omnibus sanctis*: Vbi Operationes Hierarchicas spirituum cœlestium sub Virtutibus cœlorum comprehendit, in quibus (vt docuimus *Fundamento* 9. per totum) Fratres ordinatè participant: sub *Sanctis* autem singularem omnium sanctorum affectum ad FF. Minores in via juuandos denotat. Hæc omnia in hac Benedictione virtute contineri ostendit alia Benedictio, quam Fratribus per mundum fructificantibus S. Pater impertiuit: *Benedicti* (ajebat) *vos à Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam virtutis illis ostenditis, & vos in sancta Euangelii obseruatione puros & sinceros custoditis: Qui vobis benedicit à Domino benedicatur, qui vos fouet aut suscipit, mercedem recipiat sempiternam: Nullam in vobis Potestatem Satan exerceat, suprà id quod potestis non tentet: Vobis super illam & suos sit imperandi potestas: Portas illius possidete, & diripite spolia: Patris vos adjunet Potentia: Filii vos dirigat sapientia: spiritus sancti vos foueat Clementia. Amen.*

Et ego Frater Franciscus paruulus vester & seruus quantumcunque possum, confirmo vobis intus & foris istam Sanctissimam Benedictionem in æternum. Amen.

HÆc est Clausula Confirmatoria: quæ indicat Potestatem Confirmantis sibi singulariter à Deo communicatam ad certam efficaciam: Particulæ enim: *Quantumcunque possum*, insinuant fa-

ctam sibi Potestatem; si enim Potestatem non haberet, quomodò illius magnitudinem per Particulam (quantumcunque) extendere præsumeret? si Potestatem efficacem non haberet, quomodò absolutè Verbo (*Confirmo*) vteretur? si Potestas vniuersaliter se ad omnia; quæ in Benedictione exponuntur non extenderet, quomodò se *sanctissimam illam Benedictionem* confirmare assereret? Nec minus Benedictionis efficaciam indicat verbum *Repleatur* quod bis in Benedictione repetitur: Illud enim non *Optatiui* modi, sed velut, *Imperatiui passiui* est, & velut, Impertientis aut impertitum declarantis. Benè optimè exclamauit, qui laudes Testamenti exclamando antiquitus, declarauit sequentibus verbis, quæ ante & post Testamentum repetuntur.

Laudes Testamenti.

O Testamentum Pacis! Testamentum nullâ oblitione delendum, nullâ dedignatione spernendum, nullâ superordinatione mutandum! Testamentum, inquam, non morte Testatoris sed immortalis vitæ condonatione sanctum. Beatus qui non spernit vel abiecit charitatis incorruptibile Testamentum, fertilè humilitatis feudum, desiderabilem Paupertatis Thesaurum, Tanti Patris sibi traditione legatum.

Ad Fratres Minores.

Testamenti S. Patris sufficientia.

HOc vnicum Testamentum sufficere debuisset ad Euangelicæ Regulæ æternum Encomium: Integritatis integeratæ speculum: Obseruantiæ veræ incitamentum: Vitæ S. Patris & sociorum monumentum: Intentionis illius purissimæ documentum: & imitationis singulare Exemplum: Quia subjuncta Benedictio amorem pariter & timorem, solatium Animæ & æternæ vitæ fidam securitatem ministrans, omne gaudium & totius desiderii nostri continebat complementum. Verùm qui mundum tradidit Disputationibus hominum, secreto suo judicio permisit, vt etsi verba in honore haberentur, non defuerint tamen qui de re ipsa disputarent, & obligationem Testamenti: ac ejus obseruantiam in dubium reuocarent, & ad S. Sedis Judicium rem aliàs clarissimam euocarent. Vnde cogor aliquot quæstiunculas subjungere, vt certa ab incertis, sancta à profanis, vera à falsis secernerem. Monitos verò vos Fratres meos volo, illos qui se subtrahunt à voluntate & intentione Testatoris, se reddere indignos & incapaces Paternæ Benedictionis.

QVÆSTIVNCVLÆ

Elucidatoriæ Testamenti

S. P. N. FRANCISCI.

QVÆSTIVNCVLA I.

An FF. Minores teneantur ad obseruantiam Testamenti S. Francisci?

HÆc Quæstio ab initio nascentis Ordinis post mortem S. Patris zelosis Fratribus ob relaxationes sub *Helia* suscitatas mota est sub *Ioanne Parente* Ministro Generali ad *annum* 1230. Nam Fratres suæ Professionis & Regulæ puritatem sectantes, & jam experti Regulæ nonnulla præcepta in diuersas Interpretationes distrahi contrà voluntatem S. Patriarchæ in Testamento suo expressam: desiderauerunt ad S. Sedis Judicium Quæstionem illam deferri: *An tenerentur Fratres etiam ad Testamenti Obseruantiam?* Et quamuis reniteretur pius Generalis, ne per hujusmodi quæstiones simplicitas Regulæ & Testamenti alteraretur, nihilominus, multitudine consulentium victus, permisit vt Summi Pontificis *Gregorii* 9. qui in omnibus ad Regulam & statum FF. Minorum spectantibus Seraphico Patri familiariter semper adstiterat, in hac Quæstione & in aliis nonnullis sententia requireretur, in cujus tamquàsummi Sacerdotis pectore, *Rationale Judicii* appensum erat. Ad illum ergo Anagniæ existentem Generalis Ordinis cum nonnullis Prouincialibus accedens, retulit Declarationem illam ipsius *Gregorii* 9. Quæ incipit; *Quo elongati à seculo.* Datam *Anagniæ* 4. *Kal. Octob. Pontif. anno* 4. in qua inter alias Declarationes sequens Resolutio continebatur.

RESOLVTIO

PONTIFICIA.

Testamentum S. Patris non obligat.

FRatres Minores ad obseruantiam Testamenti siue mandati quod S. Franciscus condidit in vltimo vitæ suæ, non tenentur. Ita *Gregorius* 9. in supracitata Declaratione *n.* 1. Cujus Resolutionis rationem addit: quia *S. Franciscus sine consensu Fratrum & maximè Ministrorum, quos vniuersos Testamentum tangebat, obligare nequiuit, nec successorem suum quomodolibet obligauit, cùm non habeat imperium par in parem.* Quam Resolutionem confirmauit *Nicolaus* 3. in

sua

sua Declaratione, quæ incipit: *Exiit qui seminat a.* 13. Et hæc quidem Pontificia Declaratio, siue Resolutio hactenùs in Ordine obseruata est; eò maximè quod Pontifices illi, eam se dedisse asserant *ad euitandum Animarum periculum*, & difficultates, quas propter hæc Fratres possent incurrere, & *ad dubietates de cordibus Fratrum amouendas*. Nihilominùs tamen semper Ordo voluit Sacrum illud *Testamentum* in honore & reuerentia haberi, & (vt fuit expressa Sanctissimi Patris voluntas) semper post Regulam legi, prout Antiquissima Ordinis Statuta testantur.

Semper tamen fuit in honore.

In Testamento continentur aliqua quæ sunt Regulæ &c.

Porrò etsi de Declaratione Pontificia nullatenùs sit dubitandum: Quia tamen in *Testamento* varia continentur, quæ præcepta Regulæ, & alias obligationes Jure Diuino vel Humano, aut alio modo ex circumstantiis Fratres obligantes complectuntur, & *S. Franciscus* non tam in qualitate *Generalis Ministri* (cùm jam Generalatum à se, quantum in se erat, abdicasset) sed in qualitate *Patriarchæ & fundatoris* ac *Legislatoris* à Deo commissi *Testamentum* condiderit: sæpiusque in Fratrum ignominiam *Testamentum* allegetur, quasi Vltimæ Voluntatis & intentionis Paternæ essent transgressores: vt certa ab incertis & dubiis, vera à falsis, consilia & monitiones ab obligatoriis secernamus, nonnullas Resolutiones subiiciemus, proposito primo Fundamento illarum doctrinali.

Fundamentum Doctrinale ad sequentes Resolutiones.

PRo pleno & fundamentali intellectu eorum, quæ in Testamento S. Patriarchæ *Francisci* continentur, aduertendum est: 1. Quòd quamuis protestetur *Testator* se aliam Regulam non condere ab ea, quæ à Summis Pontificibus est approbata, sed tantùm suam voluntatem exponere, per modum *Recordationis, Admonitionis, Exhortationis, & Testamenti*, quia tamen nonnulla continentur mandata per Obedientiam: vt, *de non petendis litteris in Curia Romana*; *De non mittendis Glossis in Regulam* &c. non incongrua quæstio moueri potest, super hujusmodi præceptis.

S. Franciscus duplicem personam representat fundatoris & Generalis Ministri.

Aduertendum. 2. Quòd *S. Franciscus* duplicem repræsentauerit in viris personam: Erat enim 1. *Fundator & Institutor Ordinis*, ac ex parte Regulæ velut *Legislator*: 2. Erat *Generalis Minister*, & omnium Fratrum *Legalis Superior*. Quamuis autem multis annis antè mortem Generalatui renuntiauerit, Renuntiationem tamen Patres non acceptârunt, nisi quoad *Exercitium*; semper enim *S. Franciscus* vt *Generalis* vsque ad mortem recognitus est, & qui Regimini actuali præfuerunt ipso viuente *Vicarii Generales* sunt nominati.

Manfit semper Generalis.

Vnde hic dupliciter *Præcepta Obedientiæ* possunt intelligi: Aut enim *Obedientiam Regularem*, quâ subditus suo Prælato siue Superiori subiicitur includunt, quæ ex vi voti & Regulæ obligat in omnibus, quæ non sunt contrà Animam & Regulam: Aut *Obedientiam Naturalem* siue *Moralem* Filiorum Spiritualium ad *Patrem & Ordinis Fundatorem*, ac *Legislatorem*, quæ etiam juxta materiam & circumstantias obligare potest. Et quamuis benè *Gregorius* 9. declarauerit *S. Franciscum* non potuisse obligare successores vt *Generalis*, sicut nec actualia præcepta post mortem obligant, non soluitur tamen difficultas: *An ratione materia substratæ in qualitate Fundatoris & Legislatoris potuerit obligare? Vnde.*

Duplex Obedientia, Regularis & moralis

3. Distinguenda venit Materia *Testamenti* juxta distinctiones in Synopsi positas: Aut enim consistit in materia *Personalis Vocationis*, quæ primò narratur, de qua certum est ex natura sua Fratres non obligare, nec præceptum continere: Aut consistit in 2. parte, quæ *Observantiam Regulæ* continet, & hæc pars, juxta Regulæ præcepta, quæ in ea explicantur, obligat: Aut consistit in 3. parte, quæ de *Regula* & *Testamento* non minuendo vel glossando agit, & materia Glossæ vel mutationis attenda erit. His ita prænotatis pono sequentes Quæstiunculas.

Distinctio materiæ Testamenti.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid de Sacerdotibus honorandis, & de non prædicando in eorum Ecclesiis contra ipsorum voluntatem?

MAximam semper detulit *S. Francisco*, & à suis Fratribus deferri voluit reuerentiam, & honorem Sacerdotibus & Clericis S. Romanæ Ecclesiæ, etsi fortè infirmitatibus hujus sæculi detentis, & etiam despectis: Vndè in verbis *Admonitionis* Sacræ ad omnes Fratres suos (quæ habetur *Tomo* 1. *Opusculorum* c. 25.) *Beatus seruus* (inquit) *qui portat fidem in Clericis, qui viuunt rectè secundùm formam S. Romanæ Ecclesiæ: & Væ illis qui ipsos despiciunt: Licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos judicare, quia ipse solus Dominus reseruat sibi eos ad judicandum: Nam quantò maior est omnibus administra-*

Reuerentia maxima S. Francisci & suorum ad sacerdotes & Clericos etiam peccatores.

nistratio eorum quam habent, de sanctissimo Corpore & sanctissimo sanguine Domini nostri Jesu Christi, quod ipsi recipiunt, & ipsi soli alios administrant, tantò majus peccatum habent, qui peccant in ipsos, quàm in alios homines istius mundi. Hæc ibi. Volebat igitur S. Franciscus Clericos siue Sacerdotes etiam peccatores, & quouis modo despectos honorari à Fratribus, propter statum & Ministerium sacrorum, ex quo deducit grauitatem peccati, si quis in ipsos peccet. Grauiter tamen mulctat peccata Sacerdotum, cum asserit *solius Dei judicio reseruari.*

Vnde hortatur suos Fratres ad concordiam & pacem cum illis.

Et quia aduertebat Sanctus difficultates interdum insurgere posse inter Fratres & Clericos ratione concurrentiæ in ministerio salutis Animarum. *Collat. 12. Opus. Tom. 3.* grauissimam & sapientissimam dat Fratribus suis Instructionem: *In adjutorium* (ait) *Clericorum missi sumus, Fratres charissimi, vt quod in illis inuenitur minus, suppleatur à nobis. Quilibet recipiet mercedem, non secundum auctoritatem, sed secundum laborem.* Et expendens tàm qualitatem Ministerii quàm ejus executionis modum. *Scitote Fratres* (inquit) *quòd Deo est gratissimum Animarum lucrum: Hoc consequi melius possumus cum pace Clericorum, quam cum discordia. Si autem ipsi salutem impediant, Dei est vltio, & ipse retribuet eis in tempore. Ideoque estote subjecti Prælatis, nè, quantum in vobis est, malus zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, Clerum & Populum lucrabimini, & hoc acceptabilius Deo erit, quam populum solum Clero scandalizato lucrari. Tegite eorum lapsus, multiplices supplete eorum defectus, & cum hæc feceritis humiliores estote:* Sancta vere & salubris monitio ac instructio. Notant enim Historici & alii scriptores tempore *S. Francisci* Clerum multum deprauatum fuisse, ideò & studebat Fratres reducere, vt Clerum populo reunirent, & vtrumque Deo reconciliarent. De his legi potest *S. Antonius de Padua serm. 10. post Dom. Trinit. & serm. 21.* per totum; *S. Bonauentura q. vlt.* circa Regulam FF. Minorum.

FF. Minores in adjutorium Ecclesiasticorum dati.

Deuter. 23. vers. 35.

Tegendi & ferendi Ecclesiasticorum defectus.

Hæc S. Francisci deuotio ad Sacerdotes duranit ab initio vsque ad finem.

Et hunc deuotionis ad Sacerdotes spiritum sibi à principio vocationis inspiratum in suo Testamento exprimit S. Pater. Vnde & in vltima Benedictione, quam, loqui amplius non valens, curauit scribi per F. Benedictum de Piratro: *Scribe* (inquit) *sacerdos Dei qualiter benedico omnibus Fratribus meis, qui modo sunt in Religione & qui venturi sunt vsque ad finem sæculi. Quoniam propter infirmitatem meam loqui non valeo, breuiter voluntatem meam & intentionem in signum memoriæ meæ Benedictionis & Testamenti cunctis Fratribus præsentibus & futuris patefacio. Fratres semper se diligant ad inuicem, sicut ego dilexi & diligo illos: semper diligant & obseruent Dominam meam Paupertatem: Et semper Prælatis & Clericis S. Matris Ecclesiæ subjecti existant. Benedicat & custodiat eos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Hæc Sanctus.

Quod spectat etiam ad Prædicationis Ministerium, Sanctus non desiderabat vt Fratres inuitis Sacerdotibus in eorum Ecclesiis prædicarent, quam suam intentionem sæpiùs Fratribus declarauit.

Quæritur itaque: Quid de his S. Patris intentionibus in suo Testamento expressis dicendum?

RESOLVTIO I.

Ex vi Testamenti non tenentur FF. Minores deferre singularem honorem Sacerdotibus sæcularibus &c.

NVllum *ex vi Testamenti* præceptum impositum est *Fratribus singularis honoris deferendi Sacerdotibus Sæcularibus, nec abstinendi à Prædicatione Verbi Dei in eorum Ecclesiis cùm recusant.* Ratio sumenda est ex verbis *Testamenti*, quæ tantùm sonant singularem deuotionem Sancti Patris ad illos, & sanctam charitatis subjectionem, quâ sæculares Sacerdotes & honore præueniebat, & eorum voluntati se humiliter conformabat. Et quidem verba Testamenti loquuntur de tempore primæ vocationis, cùm necdum Ordinem instituisset. Dixi (*ex vi Testamenti*) quia aliunde interdum obligatio nasci potest.

RESOLVTIO II.

Qualem teneantur deferre illis ex diuino præcepto. Ecclí. 7. vers. 31. vers. 32. vers. 33.

HOnorem *Sacerdotibus omnibus conuenientem tenentur FF. Minores Sacerdotibus exhibere diuino præcepto propter Statum illorum.* De hoc honore Scripturæ passim loquuntur. Vnde & Eccli. 7. *In tota anima tua time Dominum & Sacerdotes ejus sanctifica: In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros ejus nè derelinquas: Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* In quibus verbis primum post Deum honorem vult impendi Sacerdotibus ejus & Ministris: Qui honor amplius Sacerdotibus noui Testamenti conuenit ratione Sacrificii Diuinissimi & Sacramentorum quorum sunt Ministri.

RESOLVTIO III.

Qualem illis deferant ex intentione S. Francisci.

ORdo *FF. Minorum tum vt satisfaceret intentioni, voluntati, & exemplo S. Patris sui semper Sacerdotibus sæcularibus singularem detulit reuerentiam & honorem, & ad illos singularem deuotionem gessit & gerit.* Hæc ex communi Traditione, & Historiis sufficienter constant. Et huic Traditioni

tioni vsquè ad hæc tempora delatum est : quòd si aliquæ interdum querimoniæ sint, ad infirmitates individuorum personales referri debent vtrimque, absque præjudicio Sanctissimæ obseruationis hujus Traditionis.

DE PRÆDICATIONIBVS.

CVm Prædicationis officium & ministerium respiciat & suspiciat naturam Missionis, & auctoritatem Mittentis : Aduertendum ingenuè, Neminem ex officio prædicare posse populo nisi missus: Rom. 10. vers. 15. *Quomodo enim* (ait Apostolus) *prædicabunt nisi mittantur ?* Missionem autem Concionatorum suis præceptis & legibus ab Ecclesia determinatam esse, quas leges respectiuè quilibet Concionator sequi tenetur.

RESOLVTIO IV.

An liceat FF. Minoribus prædicare in Ecclesiis sæcularium contradicentibus earum Rectoribus.

NOn licet Fratri Minori prædicare in Ecclesiis nisi secundùm auctoritatem & facultatem respectiuè sibi à Superioribus mittentibus delegatam, & commissam. Hæc Resolutio ex terminis patet. Mittentes autem sunt Summus Pontifex, Episcopi, aut Prælati simili potestate in Ecclesia gaudentes.

RESOLVTIO. V.

SAcra semper & sancta fuit intentionis S. Francisci obseruantia in Ordine Minorum, non prædicare in Ecclesiis sacerdotum sæcularium, contradicentibus Sacerdotibus earundem, nisi auctoritate Superiori Papa, aut Episcoporum eis commissum esset, & titulo aliquo obedientiæ vel justitiæ obligaretur.

Et hoc quidem sufficit ad purissimam intentionem Seraphici Patris adimplendam, qui ita hunc respectum ad Sacerdotes quantumuis pauperculos obseruauit, & obseruari à suis fideliter desiderauit, vt obedientiæ ordinatæ ad Ecclesiam Romanam derogari non voluerit, nec velle rationabiliter potuerit. Hæc iterum Resolutio ex terminis clara est.

Dixi itaque, *Nisi auctoritate Superiori Papa* &c. Hæc enim praxis à principio Ordinis seruata fuit. 1. Ex Regulæ præcepto : *Ne Fratres prædicarent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuisset contradictum*, de quo præcepto latiùs in Expositione litterali Regulæ ad cap. 9. in *Fundamento* 5. §. 3. Vnde volente & consentiente Episcopo, Parochus legetimè contradicere non potest, sicut & mandante Pontifice Summo Episcopus consentire tenetur. Porrò variæ Prouisiones, Decreta, & Ordinationes super his à S. Sede prodierunt, quæ à Fratribus Minoribus & aliis Regularibus, sicut & à Parochis & Episcopis obseruari debent ; & quæ in *Clementina*; *Dudum* latiùs & alibi proponuntur, & nos in *Fundamento* 11. *Sect.* 4. §. 2. recensuimus, quas cùm FF. Minores obseruant, & se illis accommodant, transgressores Intentionis & Exempli sui Patriarchæ *Francisci* dici non possunt, quippe qui se & Ordinem suum ex voto & præceptis Regulæ, pedibus S. Romanæ Ecclesiæ subiecit.

Insulsus igitur, inanis, & impertinens est clamor quorundam Parochorum, qui interdum publicè & ex suggestibus, ac in scriptis, FF. Minoribus juxta Leges & Prouisiones Ecclesiæ prædicantibus improperant & imponunt; Quod : sui Seraphici Patris voluntatem transgrediantur, si quando contrà vel præter eorum beneplacitum in sæcularibus Ecclesiis prædicant. Obligantur enim Ecclesiæ Romanæ ex intentione sui Patris primò obedire, ejusque Decretis se accommodare. Aliàs vbi res libera est ab omni lege, veri Fratris Minoris est etiam voluntati Presbyterorum sæcularium in eorum Ecclesiis se accommodare, quod & communiter præstant, & præstare debent.

Quam insulsè prædicent & c. qui dicunt FF. Minores prædicantes in alienis Ecclesiis contra Rectorum earum voluntatem, non sequuntur S. Francisci intentionem.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quid de Ecclesiis & habitaculis, nisi essent secundùm paupertatem, non recipiendis.

ET hic Textus scrupulos zelosis Fratribus à principio Ordinis mouit; *Caueant* (ait) *sibi Fratres, vt Ecclesias, habitacula, & omnia alia, quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet S. Paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut aduenæ & peregrini.*

RESOLVTIO I.

Quæ Ecclesia & habitacula sint FF. Minoribus inhibita.

HIc Textus de Ecclesiis & Habitaculis duo continet præcepta, non ex vi Testamenti, sed ex vi Regulæ ad peccatum mortale in materia graui obligantia : *Alterum* ; de cauenda excessiua pretiositate & curiositate, ac superfluitate ædificiorum & Ecclesiarum, qualia, sicut non vult omninò contra paupertatem à Fratribus recipi ; ita minùs à Fratribus ædi-

ficari; *Alterum*, De juridica Possessione talium, quam prohibet: mandans Fratribus, vt in domibus & Ecclesiis, in quibus habitant, habitent sicut aduenæ & peregrini, simplici earum vsu contenti absque vllo jure juxta illud cap. 6. Regulæ: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam Peregrini & aduenæ in hoc sæculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter.* De quo præcepto latiùs in Expositione litterali.

RESOLVTIO II.

Ordo non admisit Ædificia vel Ecclesias contra Paupertatem.

NVmquam Ordo admisit Ædificia, vel Ecclesias contra Paupertatem ædificari. Hanc Resolutionem nobis testatam reliquerunt antiquissimæ Ordinis Constitutiones, & Ordinationes: Vt sunt illæ, quæ tempore *S. Bonauen.* in Capitulo Narbonensi emanârunt: In quibus sigillatim omnes pretiositates, curiositates, & superfluitates explicantur & proscribuntur, tamquâ Regulæ contrariæ: Et ipse *S. Bonauentura* inter eas quæ Ordinem destruunt & relaxant in Epistola Circulari: *Occurrit* (inquit) *ædificiorum constructio curiosa, quæ pacem Fratrum inquietat, amicos gratat, & hominum peruersis judiciis nos exponit.* Vndè & *Clemens* 5. in Decreto: *Exiui de paradiso* c. 10. *Hinc est* (ait) *quòd cum vir sanctus Fratres suos in paupertate summa & humilitate fundare voluerit, &c. conuenit ipsis Fratribus, vt nullo modo deinceps fieri faciant vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quæcumque ædificia, quæ considerato Fratrum numero, excessiua in multitudine & magnitudine debeant reputari &c.*

RESOLVTIO III.

Vnde excessus in ædificiis colligendus.

EXcitatis quæstionibus *super paupertate seruanda in ædificiis, omnis excessus expendendus est*, 1. circa materias pretiosas communem populi vsum excedentes, vt sunt Marmor, Jaspis, & Lapides qui juxta Regionis vsum pretiosi æstimantur. 2. Circa ædificiorum formam, vt non adhibeantur columnæ, cælaturæ, sculpturæ, picturæ, quæ pretiositatem, curiositatem & superfluitatem aliquam inducant. 3. Vt amplitudo, considerato numero & officiis, ac exercitiis Fratrum inhabitantium, non censeatur excedere. Ita fuit constitutum in Capitulo Generali Narbonensi, & contrà excessus semper reclamatum. Videantur Constitutiones illæ in *Firmamento Trium Ordinum* p. 1. Vbi, vt supra dictum est, sigillatim omnia recensentur, quæ Paupertati obsistunt. Legenda etiam inter Quæstiones *S. Bonauentura* super Regulam, quæst. 9. vbi reddit rationem accuratam & justificationem super ædificiis amplis, altis, multiplicibus, ex lapidibus & lateribus constructis, ac areis circumdatis, & probat non esse considerandis circumstantiis contra Paupertatem. Recensetque tamen quinque abusus, qui in his committi possunt; juxta quæ pius Regulæ & Testamenti S. Patris zelator se regulare poterit, ne impingat. Neque enim pius Patriarcha omnem magnitudinem & amplitudinem ædificiorum eorumque multitudinem sub peccato concludere voluit, sed prælagiens quod ratione populi, multitudinis Fratrum, & exercitiorum futurum erat: Aliquando *Fratri Leoni* suo socio & Confessario exploranti ejus judicium super ædificiis Fratrum, quæ ex tunc in amplitudinem & altitudinem excrescebant, coram astantibus respondit: *Fratres mei* (inquit) *audite: Ex nostris quidam modo multa & magna ædificant cœnobia, & post nos venient alii Fratres nostri, qui magnas facient domos, in quibus nobiles seculares honorificè habitare poterunt, & tunicas facient sibi valde bonas: sed sufficit mihi in tempore illo, quòd Fratres mei custodiant se à peccatis mortalibus.* Ita Colloq. 17. ex Pisanol. 2. Conform. fr. 4. & 6. Tom. 3. Opusc. Ex quo colligitur non omnem excessum in ædificiis peruenire ad peccatum mortale, imò seruatis supradictis conditionibus non peruenire ad peccatum.

Non omnem magnitudinem & amplitudinem in ædificiis sub peccato prohibuit S. Pater.

RESOLVTIO IV.

Quid Pontifices circa qualitatem & quantitatem ædificiorum pro FF. Minoribus statuerint.

SVmmi Pontifices, *vt præcauerent Fratribus in duobus illis Regulæ Articulis in Testamento resumptis duo, sanxerunt: Primum*; Ecclesias omnes pro FF. Minoribus quouis modo ædificatas, aut eis donatas in absolutum dominium Romanæ Ecclesiæ assumpserunt: similiter & habitacula & Contentus, in quibus Donantes dominium expresse sibi non reseruârunt: Ex quo S. Sedis Decreto: Fratres vbicunque habitant, & in Ecclesiis quæ pro ipsis construuntur, juxta ipsa verba Regulæ & Testamenti, non hospitantur, nisi vt *Aduenæ & Peregrini. Secundum*: Quia à relaxatis Fratribus interdum aliqua habitacula & domus receptæ aut ædificatæ erant, in quibus fortè excessus aliquis factus fuerat contra Paupertatem; *Sixtus* 4. de plenitudine Potestatis Apostolicæ permisit FF. Minoribus Regularis Obseruantiæ, vt eas inhabitare sanâ conscientiâ possent pro sua commoditate. Sic & Regulæ & Testatoris voluntati regulariter est prouisum

uisum Consulatur Compendium *A Sorbo V. Ædificare §. 6.*

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quid de litteris in Curia Romana non postulandis.

NOn abs re expendendum hîc credidi præceptum grauissimum per Obedientiam, quòd statim præcedenti Textui subjungitur: *Præcipio* (ait S. Pater) *firmiter Fratribus vniuersis per Obedientiam, quòd vbicunque sunt Fratres, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie Prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed vbicunque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram ad faciendam ibi pœnitentiam cum Benedictione Dei.* Quæ verba etsi à S. Patre, vt Patriarcha & Fundatore Ordinis, tantùm asserantur dicta, magnum tamen vim continent, & materiam grauem indicant; Neque enim credendum est sanctissimum Patrem vsurum fuisse tam grauibus verbis, vt aliquid *vniuersis Fratribus, firmiter & per Obedientiam præciperet*, nisi præcepti materia grauissima subjaceret, ita vt quamuis præcisè ob præceptum non obligaret, ex grauitate tamen materiæ subjacentis contrauenientes peccare censerentur. Pro cujus præcepti explicatione pono sequentes Resolutiones.

RESOLVTIO I.

Non prohibuit S. Franciscum petere quascunque litteras à Curia Romana.

NOn *prohibuit S. Pater Fratribus suis petere generaliter quascunque litteras à Curia Romana.* Ratio clara est: Quia expressit litterarum qualitatem, vt *pro Ecclesia, pro aliquo loco, sub specie Prædicationis, pro persecutione suorum corporum.* Sunt autem aliæ Litteræ, quæ cùm necessariæ sint siue ad Religionis & Regulæ conseruationem, siue ad Conscientiarum quietem, siue ad Officiorum & Exercitiorum Ordini commissorum legitimam & debitam executionem (quæ sine Litteris Apostolicis fieri non possunt) hujusmodi Litteras petere non tantùm non prohibuit, sed nec prohibere potuit.

Vndè & illius tempore Litteras aliquas à Curia Romana & Sede Apostolica in gratiam ejus & Fratrum suorum emanasse constat ex Monumentis, & Bullariis. Et 1. *an Monumentis Ordinis Tract.* 1. in principio, in *Bullario Rodriguez*, nec non in *Regesto Pontificio* ad Tom. 1. Annalium P. *Waddingi* respectiuæ hæ Litteræ habentur: 1. Litteræ Apostolicæ *Honorii* 3. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, & alios Ecclesiarum Prælatos, quæ incipiunt: *Cùm dilecti Filii Franciscus & socii ejus de vita & Religione FF. Minorum* &c. In quibus vbi de eorum vita sancta differit; Mandat omnibus, vt FF. Minores recipiant, & eis se ob reuerentiam Diuinam & Apostolicam, fauorabiles & benignos præbeant. Datæ erant Litteræ 3. *Idus Junii Pontif. an.* 3. qui erat *Christi* 1218. *Religionis Minorum* 11. Rationem autem harum Litterarum referunt Monumenta: Quia Fratres Minores necdum noti, tamquam insani, & Nouitatum inductores, multa patiebantur. Litteræ aliæ ejusdem Pontificis ibidem referuntur Viterbii datæ 4. *Kal. Junii Pontif. anno* 4. qui erat *Christi* 1219. *Religionis* 12. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos &c. per Regnum Franciæ constitutos, quibus Pontifex similiter FF. Minores pro Diuina & Apostolicæ Sedis reuerentia, vt in omnibus Diœcesibus Galliæ recipiant, propensius commendat; Incipiunt: *Pro dilectis Filiis Fratribus de Ordine FF. Minorum* &c. Litteræ tertiæ quæ in Monumentis Ordinis referuntur, sunt ejusdem *Honorii* Pontificis *anno* 5. qui erat *Christi* 1220. *Religionis* 13. quibus inhibetur Fratribus, ne vllum ante elapsum probationis annum ad Professionem recipiant; incipiunt: *Cùm secundum consilium.* Demùm in Regesto supracitato *Honorius* 3. *anno Pontif.* 9. qui erat *Christi* 1224. *Religionis* 17. per Bullam quæ incipit: *Quia populares tumultus* &c. concedit FF. Minoribus ad eorum preces & instantiam, vt in locis & Oratoriis suis, cum Altari Viatico possint Missarum solemnia celebrare &c. seruato Iure Parochialium Ecclesiarum. Cumque huic facultati se multi Prælati in Gallijs opponerent, & Fratres etiam promulgatis in eos Excommunicationibus vti illâ facultate prohiberent, *Honorius* 3. grauissimam dedit Bullam ad Episcopum Parisiensem, quæ incipit: *Non deberent Ecclesiarum Prælati* &c. Cui mandat per Apostolica scripta, vt Auctoritate S. Sedis dictos Prælatos à similibus attentatis contra FF. Minores cohibeat, & faciat illos facultate illâ de Altari Viatico plenè & liberè gaudere. Data est Bulla *Reate* 14. *Kal. Octob. Pontif. anno* 10. qui erat *Christi* 1225. *Religionis* 18. vltimus ante mortem S. Patris. Similem Bullam dedit idem Pontifex eodem anno ad Archiepiscopum Rhemensem, super eadem causa, quæ incipit: *In his quæ ad cultum Diuinum* &c. Quæ omnes Litteræ cùm viuente adhuc S. P. Francisco ad instantiam vel querelas Fratrum sint datæ; Manifestè infer-

fertur: Prohibitionem S. Patris de non petendis Litteris in Curia Romana, non se extendere ad quascunque Litteras. Et ampliùs res manifestatur ex postulationibus Declarationum in Regulam post mortem ejus, nec non facultatum Apostolicarum ad munia Prædicationum & Confessionalium ritè obeunda &c. Quæ cùm non nisi à S. Sede (vt plurimum pro vniuerso orbe necessariò) concedi non possent, necessario in Curia Romana pro similibus Litteræ peti debebant.

RESOLVTIO II.

Quid prohibuerit S. Pater per prohibitionem petendi Litteras in Curia Romana.

S. *Pater Franciscus per Litteras, quas prohibet peti in Curia Romana præcepto Obedientiæ, solum intellexit Litteras, quæ aliquam manutentionem, vel Juridicam Actionem contra Regulam aut continent, aut sapiunt*; quia tales aut ob transgressionem Regulæ, quæ Jus omne Politicum Fratri Minori interdicit, vel propter speciem hujusmodi Juris, quam talis Litterarum impetratio sonat, scãdalum generãt. Et hoc distinctè indicant verba Testamenti: *Non petant Litteras in Curia Romana neq; pro Ecclesia, neq; pro aliquo loco, neq; sub specie Prædicationis, neq; pro persecutione suorum corporum, sed fugiant ad aliam terram*, &c.

FF. Minores incapaces sunt omninò. Iuris Politici.

Notandum igitur 1. (vt sæpiùs in hoc Opere ex professo docuimus) FF. Minores ex Regula omnino incapaces esse omnis veri Juris Politici, siue Ciuilis omnis, vel quasi Ciuilis, non tantùm in temporalibus, sed etiam quasi temporalibus, vt Ecclesiasticis, & iis quæ ex adjuncto tantùm spiritualia sunt. Vnde quidquid Frater Minor in rebus habere videtur, illud Juris alieni est, siue sit vsus, siue ministerii, siue obedientiæ & subjectionis, ac seruitutis. Sicut enim alieno viuit, alieno vestitur, in alieno hospitatur: Sic in Ministeriis suis, vt in Prædicationibus, nomine & Iure Ecclesiæ prædicat, Ius Ecclesiæ in Confessionali administrat: ita vt verè nihil Fratri Minori attribui possit, quod aliquo Titulo Juris Ciuilis vel quasi Ciuilis habere censeatur; quippe qui & omne Jus propriæ voluntatis in abnegatione sui dimisit.

Sunt tamen capaces aliquarum obligationum ciuilium & qualium.

Notandum 2. FF. Minores, etsi non sint capaces Juris Ciuilis, vel quasi Ciuilis: esse tamen capaces obligationum aliquarum Ciuilium vel quasi Ciuilium, quæ vel ex debito Obedientiæ, vel depositi, vel pacti, aut hujusmodi oriuntur. Sic Frater Minor etsi in Ecclesiam vel domum, quam inhabitat, nihil Iuris habeat: obligatur tamen illam conseruare, reparationem curare, quamdiu illam inhabitat, illam ab omni violentia defendere, à quocunque ei vsus concessus sit. Sic depositum aliorum tenetur custodire, si susceperit, & cùm pactum fecit cum aliquo de obsequio vel ministerio illi præstando, tenetur illud adimplere: Sic obligationes Prædicationum & Confessionum contrahunt, vel titulo naturalis justitiæ, quia populi bonis aluntur: vel pacto quo interdum aliis Ministerium suum addicunt.

F. Minor non potest petere Litteras in Curia Romana pro aliquo jure proprio in aliquem locum &c.

Dico itaque 1. *Non licet Fratri Minori petere Litteras in Curia Romana pro aliquo Iure proprio, & vero manutenendo vel acquirendo in aliquam Ecclesiam vel locum* &c. Ratio est: Quia supponitur hic interuenire actus proprietatis prohibitus per Regulam Fratri Minori, dum sibi vult domum vel Ecclesiam per recursum ad Curiam Romanam Jure retinere, vel Jure proprio sibi debitam probare. Et hic est sensus verborum Testamenti, quem S. Pater verbis sequentibus indicat: *Sed* (inquit) *vbicunque non fuerint recepti fugiant ad aliam terram ad faciendam Pœnitentiam cum Benedictione Dei.* Dixi (*pro Iure proprio*) licet enim petere Litteras in Curia Romana pro Jure alieno in aliqua Ecclesia vel loco conseruando. Explico: Vtitur Frater Minor Ecclesiâ vel domo, quæ in dominium Ecclesiæ transiit: si Frater Minor ab illa eiiciatur, vel in illa molestetur, licet recurrere & conqueri apud S. Sedem de Jure Matris Ecclesiæ violato, & Litteras ad impediendum Inuasorem impetrare, & ad hoc Frater Minor obligatur. Ratio est: Quia Jure charitatis tenetur alienum dominium in re suis vsibus & custodiæ depositum, quantum in se est, conseruare & prouidere vt conseruetur. Quo sensu *Nicolaus* 3. permittit vt FF. Minores, possint monere Prælatos & alios, ad quos pertinet prouidere, vt Testamentorum legata soluantur, vt piorum legatorum sibi factorum Prælati executionem curent; Non quia in illa Jus habeant, sed vt defunctorum voluntas adimpleatur. Monitio enim illa non est actio Juridica, sed tantùm veritatis insinuatio.

Petest autem pro Jure alieno.

Imò quandoque ad hoc obligatur.

Nota.

Dico 2. *Non licet Fratri Minori sub specie prædicationis vel ratione persecutionis, petere aliquas Litteras in Curia Romana, ad aliquod Ius in loco vel Ecclesia sibi conseruandum.* Ratio jam dicta est; quia Frater Minor non est capax Iuris.

Non potest petere ad aliquod Jus in loco sibi conseruandum.

Dico 3. *Si quando petunt FF. Minores Litteras in Curia Romana pro Prædicationibus vel Officiis in aliquibus locis exercendis; Non prætendunt aliquod Ius proprium. sed vt plurimum petunt ex debito satisfacere obligationi Obedientiæ, Iustitiæ, vel Charitatis.* Obedientæ quidem: Vt cum Auctoritate Summi Pontificis, vel eorum ad quos spe-

FF. Minores petendo in Curia Romana litteras, petunt satisfacere debito suo.

In quo istud debitum consistat.

spectat, mittuntur ad aliquas terras ad prædicandum & Sacramenta ministranda cum assignatione terminorum, vt ab antiquo factum est, in diuisione & assignatione Prouinciarum & Conuentuum ac locorum Ordini Minorum: Ad hoc enim ad illa loca FF. Minores mittuntur, vt sub obedientia in exercitiis sibi à S. Sede Apostolica commissis fructificent. *Item:* Si paciscantur cum Parochis & populis de ministrando Concionatore, qui certis temporibus & locis prædicet; FF. Minores obligantur ex justitia in illis locis tempore indicto prædicare: Et aliæ multæ quæstiones aliquando sunt motæ & mouentur super assignatione & diuisione terminorum & seruitiorum inter Ordines Religiosos, super quibus petuntur Resolutiones à Curia Romana, cujus solâ Auctoritate & Litteris obortæ quæstiones sedari possunt. In his itaque FF. Minores non sua Jura defendunt, sed fideliter Obedientiæ & obligationibus suis satisfacere contendunt, absque aliquo veri Juris Ciuilis, vel quasi Ciuilis Titulo. Cùm enim juxta *S. P. N. Francisci* doctrinam *Collat.* 10. Fratres Minores in adjutorium Clericorum missi sint, ad animarum salutem, vt quod in illis inuenitur minus, suppleatur ab illis: Sintque velut Operarii ad culturam Vineæ assumpti, Aut (vt benè *S. Bonauentura* in Opusculo illo, *Quare FF. Minores predicent*) sint socii assumpti ad Petri Nauiculam, vt Petrum adjuuarent in Captura piscium, quia præmultitudine rete rumpebatur: Ex his Titulis Obligationem fidelitatis contraxerunt, cui etiam, monito Domino Vineæ & Piscationis Præside, per sincerum laborem satisfacere volunt, vt sic teneant Domini auctoritatem, serui autem exhibeant sibi commissam operam & laborem.

FF. Minores dati sunt in adjutorium Clericorum.

Intentio primaria S. Francisci fuit omnes conuertere & vincere humilitate & patientia.

Fuit porrò semper intentio S. Patris, vt Fratres sui non aliquo Jure, vel Juris auctoritate suas operas impenderent, sed patientiâ & humilitate vincerent: Verùm Ecclesiæ aliter visum est, quæ voluit populis suis satisfieri, & Operarios conductitios in Messem mittere sub modis & legibus suæ beneplacitæ voluntatis. Mens primaria S. Patris benè explicatur *Colloq.* 14. *Tom.* 3. *Opusc.* vbi hæc narratio continetur: *Ex Fratribus* (ait Textus) *quos binos in omnem terræ Regionem ex Comitiis Generalibus Assisii* (*vbi supra quinque millia ex omnibus Prouinciis conuenêre*) *ad disseminandum Verbum Dei transmisit, quidam cum mœrore transeuntes, apud eum conquesti sunt, quòd ab aliquibus Episcopis repulsi in eorum Diœcesibus prædicare non potuerint, dicentes: Pater ad terras quas assignasti, transiuimus, mandatis tuis obediuimus, votis tamen non satisfecimus, nec pro voto populis profecimus. Plures enim Pontifices è Diœcesibus suis nos pepulerunt, & quidem (vt pauperibus sæpè contingit) tanquam ignotos & suspectos non modicis injuriis affecerunt. Impetra ergo Patet a summo omnium Pontifice licentiam & priuilegium, vt vbique terrarum licèt Episcopi contradicant, prædicare valeamus. Quos B. Pater pie increpans ait: O Fratres mei Dei voluntatem ignoratis, & mihi insipienter auferre vultis mundi victoriam. Vult etenim Dominus Iesus Christus, vt mundum in profunda subjectione & humilitate vincam, & maximo opere omnes animas ad ipsum trahamus per humilitatis exemplum. Fratres mei; omnes verbo conuertetis, si omnibus, factis vos humiliatis &c.* Hæc fuit intentio S. Patris, hæc fuit prima norma Ordinis, hæc fuerunt exempla posteritatis; Donec S. Sedes & Ecclesia Mater videns Operariorum necessitatem, Pastorum paucitatem, plurimorum inertiam aut incapacitatem, populorum & Animarum indigentiam; leges præfixit, Operariis subsidiariis labores & operas demandauit, Illos à malorum dominorum molestiis liberos esse voluit, omnibus sui operis modos & terminos præscripsit: quos cum debito fidelitatis obseruare specialiter FF. Minores voto obedientiæ S. Romanæ Ecclesiæ adstricti teneantur non est mirum si aliquando querimoniæ ad Patrem familias deferantur: Non quibus Jus aliquod expetatur, sed vt bonum Patris familias fidelitate Operariorum & laborantium conseruetur.

Nulla littera à Curia Romana requisita aut recepta à FF. Minoribus quæ aliquod Jus Ciuile sonat.

Itaque Romanas Litteras ad aliquod Jus proprium conseruandum, nunquam FF. Minorum Ordo requisiuit; quæ fiebant inter Fratres & filios, vt aliquando Joseph Patri, retulerunt, nè sceleris arguantur. Vnde si Litteræ Pontificiæ venerint: ad Ecclesiam conseruandam, ad solatium Animarum, ad Operariorum animos corroborandos venerint. Nulla autem potest in hanc horum exhiberi littera Ordini data, aut Ordine recepta, quæ Jus aliquod Ciuile, vel quasi Ciuile sonat: Vnde S. Patris intentio Testamentaria ita est seruata ad Regulæ obseruantiam, vt tamen fideles obedientia ad sanctam Matrem Ecclesiam debuerit non solum ex intentione Sanctissimi Patris, sed etiam ex expresso illius voto intemerata permanere.

ADMONITIO PIA.

Nota. CHaritatiuos Interpretes obtestor, vt in suis interdum Iudiciis verè temerariis, verè injustis, litteram hanc attendant: Et sic Litteras Curiæ Romanæ, si quæ interdum in gratiam FF. Minorum adueniant interpretentur vt sciant Litteras Obedientiæ & seruitutis esse, in eis non laborem minuentes, sed potius augentes, non tam ad quietem & solatium illorum, quàm ad laborantium consortationem & laborum augmentum.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quid de præcepto non mittendi Glossas in Regulam & Testamentum?

NOn caret etiam suis difficultatibus præceptum per obedientiam in Testamento superadditum. *Et omnibus* (ait S. Patriarcha) *Fratribus meis Clericis & laicis præcipio per Obedientiam, vt non mittant Glossas in Regula, neque in istis verbis*, dicendo: *Ita volunt intelligi, sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter & purè dicere & scribere, sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finem.*

Quod præceptum consonat cum voluntate Christi Regulæ dictatoris, quando coram *F. Helia* & Ministris, qui secundæ Regulæ aduersabantur, Christus in nube apparens obscuramdam declarauit Regulam à se dictatam: *Ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa.* De qua Declaratione alias *Fundamento* 5. *Titulo* 5. §. 1.

RESOLVTIO I.

Quales Glossæ in Regula & in Testamento S. Francisci prohibitæ sint?

NOn sunt per hæc verba Testamenti, aut Declarationem Christi Domini prohibitæ sinceræ Interpretationes Regulæ, quibus verba simpliciter, & verborũ sensus, aut mens & intentio Institutoris fundamentaliter exponitur: Ita latiùs docuimus *loco & Fundamento suprà citato*: vbi & locum Testamenti expendimus. Vbi etiam §. 2. justificauimus *Expositionem 4. Magistrorum F. Alexandri de Hales, F. Joannis de Rupella, F. Roberti de Rastia, F. Richardi siue Rigandi*, qui ad *annum* 1242. electi fuerant à Capitulo Generali Montispessulano ad litteralem Expositionem instruendam simpliciter & absque Glossa. Quæ Expositio in Capitulo Generali Bononiæ posteà examinata, & tamquam purè litteralis approbata fuit. Iustificauimus etiam Expositiones *S. Bonauenturæ & Hugonis de Dina.*

RESOLVTIO II.

TVm à Christo Dictatore Regulæ, tum à S. Francisco Scriptore reprobatæ sunt Glossæ & Interpretationes, quæ Regulam seu verba Regulæ à sensu proprio & ab intentione Institutoris deuio, impure intrepretantur. Vide *Fundam. 5. locis citatis.*

RESOLVTIO III.

Sub qua obligatione & vnde.

PRæceptum in Testamento positum de non mittendis Glossis in Regulam, aut de non diminuendo vel addendo ad Testamentum, obligat in materia grauis ad peccatum mortale, non ex vi Testamenti, sed ex substrata materia, per se, & Iure diuino prohibita. Ratio est: Quia in regraui prohibita est omnis falsitas, & doctrina errorem inducens: sed Glossæ alterantes sensum Regulæ & Testamenti continent falsitatem, & errores seminant, ergò in regraui sunt prohibitæ sub mortali. Res autem grauis expendenda est: si Glossa aliquod præceptum, vel formale, vel æquipollens, aut aliàs obligans contingat, & à vero sensu & mente Auctoris deflectat. *Item*, si ex alterata Intentione Institutoris per Glossam arbitrariam nascantur abusus, Regularis disciplinæ relaxationes, aut in disciplina Regulari impertinentes obseruationes, quæ Religioni graue damnum inferunt. *Item*: si ad similia aliis Interpretibus viam aperiant. Quod etiam de Testamento dicendum est, cùm Testamentum sit vt plurimùm Compendium Regulæ, vel declaratio Spiritus & intentionis S. Patris. Vndè hoc eodem fundamento *Nicolaus* 3. prohibuit tantis pœnis & censuris suam Declarationem: *Exiit qui seminat*, glossari, quia ex hujusmodi glossis destructio veræ Interpretationis & consequenter Obseruantiæ Regulæ nascitur, aut quæ sunt verissima & certissima, in dubium vertuntur, & tota virtus Scripturæ euanescit.

Granitas materia in hoc, vnde expendenda.

Testamentum S. Patris qualiter accipiendum & obseruandum.

Ex dictis autem omnibus manifestum est: Quâ reuerentiâ Sanctum beatissimi Patris Testamentum ab omni vero Filio suscipiendum sit; quâ deuotione obseruandum; quàm inutiliter ad judicium S. Sedis pro illius Interpretatione Scrupulosi Fratres recurrerint, renitente B. Generali *Joanne Parente*, quid S. Sedis Responsio honoranda prudentissimè intulerit. Æquiparauerat Testator suum Testamentum Regulæ, non quia obligationem nouam

uam superaddidisset, sed dumtaxat, quia per Testamentum, quæ in Regula dictante Christo posuerat, confirmabat, & insuper suam in illis intentionem & spiritum vocationis suæ declarabat: Nullam porrò nouam obligationem induxisse, verba ejus declarant cùm dicit: *Et non dicant Fratres, hæc est alia Regula* &c. Et idipsum Summi Pontifices responderunt.

Quid in Testamento contineatur.

Porrò cum Testamentum contineat fere Compendium Regulæ in iis quæ poterant aliquod dubium causare: Partim quæ in ipsis Regulæ præceptis continebantur, expressit, ad quæ Fratres ex vi voti tenebantur: Partim aliqua superaddidit, quæ Jure Diuino Naturali aut Positiuo aliàs prohibita erant, vt in Quæstiunculis explicatum est. Stet igitur Responsio Summorum Pontificum: Vt *Franciscum* Christi Confessor piam suam intentionem in isto suo Testamento sine mandato aperuisse credatur: Et quòd Fratres justis votis & desideriis sanctis sui Patriarchæ affectare debeant omnimodè conformari: Non obligati tamen sub peccato aliquo mortali ad illius obseruantiam, nisi alias ex Regula ipsa vel aliunde Jure Diuino vel Humano teneantur. Et in hoc cardo omnium Quæstionum piè, justè & sanctè disponitur ad januam omnis veritatis aperiendam vel claudendam.

BREVIS CHRONOLOGIA

MONARCHICI STATVS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

tam

in SVCCESSIONE continuata, & non interrupta, MINISTRORVM GENRALIVM;

quàm

in constanter asserta, & conseruata OBSERVATIONE REGVLÆ à Christo dictatæ

à

sua origine vsque ad præsentem diem.

PRÆFATIO.

PRæsumptuosus nonnullis videbitur hic Titulus, sicut & calamus Scriptoris; pauperculo enim Gregi MONARCHIAM adscribere, superbiam sonat; Ordini, toties relaxationibus afflicto, & in tot Congregationes diuiso, & velut scisso, constanter conseruatam obseruationem Regulæ, vt à Christo dictata est, addicere, præsumptionem inuerecundam sapit. Verùm attendat prouidus & non præuentus Lector: Nos hîc nomine MONARCHIAE pompas & imperia Politica non respicere; sed vnius Superioris regimen, multis curis, graui sollicitudine, & conscientiæ onere

Status Ordinis Minorum cur Monarchicus dicatur?

nere circumseptum; quorum causâ MONARCHA, siue Præfectus hujus MONARCHIAE Minoriticæ vocatur MINISTER & *Seruus totius Fraternitatis.* Nec possumus aliter loqui, quia regimen illud Monarchicum sub præcepto Ordini ex Regula impositum est *c.* 8. ac in tali qualitate à prima origine Christo dictante, sic institutum est & demandatum: *Vniuersi*, inquit, *Fratres vnum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere* GENERALEM MINISTRVM, *& Seruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* Et quidem sub *vniuersis Fratribus*, vniuersitas totius Ordinis indicatur, ita vt singula & omnia indiuidua Ordinis comprehendat: *Vnum de Fratribus*, excludit pluralitatem *Capitum*, & concludit quòd *Caput* debeat esse homogenicum, ejusdem, scilicet, Regulæ & Professionis: Cùm dicit, *semper*, omne tempus includit, nec permittit vacationem MONARCHIAE, & Regiminis: Cùm audis, MINISTRVM *& Seruum*, non pompam præfecturæ, sed seruitutem cogita: Cùm addit, *totius Fraternitatis*, omnes à Fraternitate excludit, qui vni illi *Capiti* non obediunt, ideoque addidit, *& ei teneantur firmiter obedire.* Porrò de Electione disponit, tam vacante sede, quàm deficiente vtili regimine, vt MONARCHA ille sciat, non sibi sed Religionis vtilitati se esse constitutum. Hic est MONARCHICVS ille STATVS intrà Ordinem, qui descendit per PROTECTOREM à Summo Ecclesiæ MONARCHA, eique in *Hierarchico Statu* subjicitur. Qualiter verò hic STATVS MONARCHICVS à Monade regiminis dictus, absque vlla interruptione ab initio Ordinis vsque ad hæc tempora durauerit, infrà per

Regulæ c. 8. Textus 1. Explicatur.

Suc-

Succeſsionis lineam ordinatam oſtendetur.

Major fortè occurret difficultas in demonſtratione Obſeruantiæ intemeratæ, & non interruptæ, illius ſanctæ Regulæ, vtà CHRISTO S. *Franciſco* dictata eſt; ſperamus tamen illam demonſtrare, innixi promiſsioni S. Patriarchæ à CHRISTO factæ, de qua S. Bonauentura in Legenda majori: Cùm enim B. P. FRANCISCVS, ſemel malis turbatus exemplis aliquorum Fratrum, anxio ſpiritu miſericordem Patrem precaretur pro filiis, reſponſum hujuſmodi reportauit à Domino: *Cur tu pauper homuncio conturbaris? An ego te ſuper Religionem meam ſic Paſtorem inſtitui, vt me principalem neſcias eſſe patronum? Hominem ſimplicem ad hoc te conſtitui, vt quæ in te fecero, non humanæ in te induſtriæ, ſed ſupernæ gratiæ adſcribantur. Ego vocaui, ſeruabo, & paſcam, & aliis excidentibus alios ſubrogabo, ita vt ſi nati non fuerint, faciam illos naſci. Et quantiſcunque fuerit impulſibus pauperculahæc concuſſa Religio, ſalua ſemper meo munere permanebit.* In hac igitur promiſsione CHRISTI, S. Patriarchæ facta, ſtat linea hujus declarationis perpetuatæ obſeruantiæ Regulæ; Si enim veros obſeruatores promittat aliis excidentibus ſemper ſubrogare, & ſi nati non fuerint, facere illos naſci, ac vt olim de veris Iſraëlitis, *de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*; hoc ipſum inueſtigandum aſſumimus, nimirum: Qui illi fuerint, qui etiam in magnis Ordinis afflictionibus fuerint veri filii S. P. FRANCISCI, Regulæ ipſius obſeruatores, in quibus verum ſeruatum ſit ſemen, & Ordinis integritas? Scimus enim, *Quòd*, juxta Apoſtolum ad Rom. 9. *non exciderit verbum Dei*, nec CHRISTI IESV filii ejus: Scimus, quòd ſicut *non*

Obſeruatio Regulæ difficilius probatur, quam ſucceſsio Generalium.

S. Bonau. in legenda, ma.

Probatio obſeruantiæ innititur promiſsioni Chriſti.

Lucæ 3. verſ. 8.

Rom. 9. verſ. 6.

Vers. 7. Vers. 8. *omnes, qui sunt ex Israël, ii sunt Israëlitæ*, nec *qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii promissionis æstimantur in semine*: Ita non omnes habitu & apparatu *Fratres Minores*, illos veros Minores fuisse; nunquàm tamen defuisse in Ordine veros obseruatores, in quibus obseruantia Regulæ, sub Monarchico Capite, obseruata fuit: Scimus & in Ordine verificatum esse responsum ad *Eliam*; Quod quamuis prophetas & primos patres aliqui velut occiderint, & altaria veræ obseruantiæ suffoderint, ita vt vnus fortè putaretur solus remanere; Deum tamen in Religione Franciscana, omni tempore cujuscumque tempestatis vel relaxationis, semper *reliquisse sibi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua antè Baal.* Hoc intendo in hac Chronologia clarè demonstrare, Hoc in funiculo Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ostendere volo; in qua optimè probatur Ecclesia Sancta, Catholica, Apostolica semper contra portas inferni præualuisse: Quia etsi maximæ orbis partes ab illa interdum defecerint; semper tamen Fides Orthodoxa mansit in Sede Petri, Concilio Apostolorum, Conciliis Generalibus, & filiis fidelibus Romanæ Ecclesiæ obedientibus, quantumuis respectu orbis corrupti pusillo grege. Faueat cœptis Deus.

Nunquam defuerunt veri obseruatores Regulæ.

Rom. 11. vers. 4.

PRI-

PRIMVS
ORDINIS FRATRVM MINORVM
MINISTER GENERALIS
ac
FVNDATOR INCLYTVS,
SS^mus. P.N.FRANCISCVS Asisiensis.

ANno salutis 1210. SS. P. N. *Franciscus*, Ordinis Minorum Fundator inclytus; renuntiatus est *Minister Generalis* per *innocentium III.* ipso, scilicet, die, quo primam Regulam approbauit, & ipsius ac Sociorum professionem propriis manibus excepit, & prædicandi pœnitentiam omnibus facultatem fecit. Etsi enim à prima sua conuersione Socios habere cœperit, & fideles priuatis exhortationibus ad pœnitentiam animare, tamen cùm Regulam necdum approbatam haberet, nec Socii aliquam professionem emisissent, sicut nec Superior Regularis dici potuit, sic nec tunc *Generalis Ministri* officio functus dicendus fuit, cùm officium illud necdùm institutum & approbatum fuerit. Hoc igitur ipso, quo Pontifex Regulam, & Ordinem Fratrum Minorum, confirmauit, & professiones excepit, S. Patrem Ordini & Fraternitati huic *Ministrum Generalem* præfecit: qui enim ab *anno* 1206. Generalatum ejus computant, in hoc quidem decipi deprehenduntur, quòd annum Generalatus sui ab anno conuersionis, quo Socios habere cœpit, numerent: etsi enim aliquibus Fratribus tunc, vt Pater & instructor, præsederit, *Generalis* tamen *Ministri*, & Superioris Regularis, nec nomen, nec rem, habere potuit ante Regulæ approbationem, & suam suorumque primam professionem, quia hæc superioritas per Regulam illi aduenit. Vnde in *Ministerio Generali* sexdecim tantùm annis Religionem rexisse, vt *Minister Generalis*, dicendus est. videlicet, ab *anno* 1210. vsque ad annum 1226. quo obiit.

Quando S. Franc. Generalis Ordinis Minister effectus sit.

Errant, qui ab anno conuersionis ejus 1206. Generalatum ejus computant.

16. annis Ordinem rexit, vt Generalis.

Quantus vero ardor, feruorque Religionis, ipso viuente, extiterit, probant vitæ Sociorum ejus duodecim; Inter quos primus, F. *Bernardus de Quint aualle*, ad Diuinæ sapientiæ fontem penetrans, secreta Scripturarum Diuinarum pandebat, & consolationibus supernis replebatur: *F. Ægidius*, vt alter *Paulus*, ad tertium vsque cœlum rapiebatur, & cœlestibus potestatibus se ingerebat: F. *Philippus Longus*, ab Angelo calculo

Ipso viuente quantus fuerit feruor Religionis.

ignito, vt Isaias, tactus, purgatissimi spiritus euasit: F. *Siluester* cum Deo vt amicus cum amico familiaribus colloquiis delectabatur: F. *Ruffinus*, Nobilis de Assisio, in vita sanctificatus, & in cælo canonizatus habebatur: F. *Petrus Cathaneus* vitâ spectabili ita eminebat, vt tamquam sol inter astra Dei suspiceretur: F. *Leo* prophetico spiritu clarebat: F. *Massæus* ad humilitatis fundum descenderat: F. *Moricus* austeritatis angustiis, herbis & leguminibus solis victitans, continebatur. Et B. Pater perfectum Fratrem Minorem depingere volens ex Diuinis præuentionibus & dotibus Sociorum (in Speculo vitæ Sociorum c. 66. optabat illi F. *Bernardi* fidem; F. *Leonis* simplicitatem & puritatem; F. *Ægidii* eleuatam in contemplatione mentem; F. *Masſæi* deuotum eloquium; F. *Iuniperi* patientiam; F. *Ioannis de Laudibus* fortitudinem corporalem & spiritualem; F. *Rogerii* charitatem; F. *Lucidi* solitudinem, & ab omni re temporali abstractionem.

Speculū vitæ Sanctorum c. 66.

Veri F. Minoris, descriptio.

1. Generale Capitulum Assisii celebratur.

Tempore sui Generalatus celebrata sunt quatuor Capitula Generalia. Primum *Assisii* in S. Maria de Angelis *anno* 1226. sub *Honorio* III. In quo de Religionis nouiter institutæ statu, & magno Dei fauore, actum est, & ad omnes partes fidelium Fratres dimissi sunt, instituto ex iis semper aliquo Ministro, ita vt totam Europam ex hoc Capitulo Fratres dimissi penetrârint. Omnibus etiam Superioribus auctoritas data est nouitios recipiendi, cùm antè solus S. P. *Franciscus* suo Sodalitio aggregandos recepisset.

2. Ibidem cui interfuerunt 5000. Fratrum.

Secundum Capitulum celebratum fuit *ibidem*, *anno* 1229. Ad quod ex omnibus orbis partibus quas penetrauerant, conuenerunt Fratrum quinque millia, præter eos, qui in Conuentibus ad Diuina & domestica peragenda officia remanserant. Quod Capitulum etiam vocatum est *ad Storeas*, eò quòd ob multitudinem Fratrum, deficientibus habitaculis, in *Storeis* vbique stratis Fratres dormire cogerentur. Adfuit & præfuit huic Capitulo Cardinalis Ostiensis *Hugolinus*, primus Ordinis *Protector*; qui videns Ordinem Fratrum in tanta multitudine, simul & orationum feruorem, colloquiorum sanctorum vtilitatem &c. admirans clamabat; *Castra Dei sunt hæc.* Verè *Castra*; quippe in quibus plusquam quingenti Fratres loricis, & ferreis camisiis, ac catenis, ad carnem induti reperti sunt. Adfuit & S. *Dominicus*, cum septem Sociis, non minori stupore repletus in tali Fratrum multitudine tam ordinata, quibus velut diuinitùs missa cibaria adferebantur.

Vocatum est ad Storeas.

Præfuit D. Hugolinus 1. Ordinis Protector.

Gen. 32. 2.

Adfuit S. Dominicus.

Ordinationes hujus Capituli.

In hoc Capitulo ordinatum est: Vt in honorem *Immaculatæ Concept. B. Virginis*, Ordinis Matris, missa quolibet sabatho cele-

celebraretur : Et vt nomina Apostolorum *Petri* & *Pauli* in oratione, *Protege nos* &c. exprimerentur, qui vtique Ordinis Patroni principales erant. Actum etiam est de paupertate & humilitate seruanda in habitaculis & domibus pro Fratribus construendis, & de materia eorundem, Resolutumque est, ut, quamuis de materia non esset omnium eadem sententia, Fratrum tamen habitacula vbique humilia essent, & paupertatem saperent, juxta consuetudinem regionum.

S. Pater in Syriam profectus, Heliam Vicarium instituit.

Ex hoc Capitulo missis denuò Fratribus per vniuersum orbem etiam ad infideles, ipse S. Pater in Syriam ad Soldanum suam missionem aggressus est, relicto *F. Helia* suo Vicario ad eorum Fratrum regimen, qui inter fideles conventus habebant, in felici tamen regiminis successu, cùm *Helias* ex tunc ad relaxationes, magno Fratrum puritatem Regulę zelantium luctu, declinârit. Quæ causa fuit, vt S. Pater Italiam repetere coactus fuerit, & suæ Religioni penitiùs inuigilare.

Deposito Heliâ Petrus Cathaneus substituitur.

In regressu igitur tertium Generale Capitulum *Assisii* ad *annum* 1220. celebrauit in festo S. Michaëlis, in quo absoluto *F. Heliâ* à Vicariatu Generali, quem in sua absentia gesserat, *F. Petrum de Cathaneo*, suum discipulum, & virum sanctum ac suæ Regulæ zelosum in suum successorem, cui totum Religionis regimen incumberet, designare tentauit, ad quem finem S. P. Generalatui, & omni superioritati renuntiauit, allegãs suas infirmitates multiplices, quæ illum à regimine Fratrum absoluebant. Verùm Fratribus omnibus huic renuntiationi omninò refragantibus, quippe qui nollent alium Generalem à primo suo Fundatore agnoscere, sub titulo Vicarii Generalis *F. Petrus à Cathaneo* Ordini præfectus est, qui vix per annum in Vicariatu Ordinem rexit; in Martio enim anni sequentis, non paruâ Ordinis jacturâ, mortuus est miraculis clarus.

Ex Dei reuelatione Helias reassumitur.

Ob ejus igitur mortem in sequenti festo Pentecostes S. Pater Fratres suos ad Capitulum Generale quartum *Assisium* conuocauit, vt alius Vicarius Ordini substitueretur, atque in oratione assidua consulto Domino responsum accepit, *Heliam* iterum in Vicarium reassumendum. Quod quamuis sibi videretur durum, nimirum, hominem de relaxationibus conuictum, & ob relaxationes ab officio depositum, restituere; nihilominus Dei judicia adorans, qui nouit etiam de malis bona elicere, *Heliam*, in Vicarium denuò reassumendum proposuit, & de facto in Vicarium reassumi curauit. In quo officio vsque post mortem S. Patris continuauit, scilicet vsque ad *annum* 1227.

Hîc

Obseruantia Regulæ conseruatur viuente S. Franc.

Hîc porrò notandum est: Regulæ obseruantiam toto tempore, quo S. Pater vixit, ejus vigilantiâ conseruatam fuisse; etsi enim aliqui relaxationes molirentur, nunquam tamen fuerunt publicè admissæ, aut permissæ, sed à S. Patre condemnatæ, & ejus monitionibus ac mandatis correctæ. Vnde in Collatione 25. interrogatus à quibusdam, quarè non corriperet defectus, qui in Ordine fiunt, respondit: *Quousque*, ait, *habui prælationis officium super Fratres, & ipsi permanserunt in vocatione & professione sua, licet à principio meo conuersionis semper infirmus fuerim, cum parua mea sollicitudine satisfaciebam eis exemplis, & prædicationibus.* Posteà referens causam, cur actualem prælatuarum dimisisset, subnectit: *Veruntamen*, ait, *vsque ad diem mortis meæ non cessabo exemplo & operatione docere Fratres ambulare per viam, quam mihi Dominus ostendit, & quam ego jam docui verbo & exemplo, vt sint inexcusabiles coram Domino.* Etsi igitur actuale Generalis officium S. Pater reliquisset, Fundatoris tamen reuerentia, & habitualis Ministerii Generalis dignitas in eo remanens, hoc efficiebat, vt, & Vicarii Generales, & Capitula Generalia, ejus mandatis parerent.

Collat. 25.

SECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM; F. HELIAS de Cortono.

Capit. Gener. Romæ.

ANno igitur 1227. Romæ Generale Capitulum quintum in vigilia Pentecostes congregatum est, assistente sanctissimo Pontifice *Gregorio* IX. (qui juxta oraculum S. Patris *Honorio* III. successerat) in quo electum fuisse in Generalem Ministrum F. *Heliam*; pietatis & noui zeli ad Ordinis decorem promouendum speciem præ se ferentem, communior opinio est: Quamuis alii secundum Ordinis Generalem Ministrum F. *Ioannem Parentem* asserant, vt R^mus P. *Gonzaga*, in Origine Seraphicæ Religionis, in Tabula Generalium. Verùm si attendamus, quod hic annus fuerit 1227. certum est *Ioannem Parentem* Ministrum Generalem isto anno electum non fuisse, qui ab omnibus, etiam à R^mo P. *Gonzaga*, dicitur electus *anno* 1230. Vnde vel dicendus est F. *Helias*, sub titulo Vicarii Generalis, regimen Ordinis continuasse, Capitulo Generali in hoc consentiente, cùm jam in morte S. Patris Vicarius esset, vel si titulum Ministri Generalis obtinuit, secundus Minister Generalis Ordinis adstruendus est. Igitur

In eo Helias, vel Vicarius Generalis continuatus est, vel Minister institutus.

locus

locus hic sub qualicumque qualitate vsque ad *annum* 1230. relinquitur F. *Heliæ*, qui cùm constet post mortem S. Patris vsque ad præfatum annum Ordini præfuisse, locum saltem Ministri Generalis suppleuit; quod insinuat Memoriale Ordinis in Firmamento, *Qui*, inquit, *aliquanto tempore antè F.* Ioannem Parentem *locum Ministri tenuit.* Quæ omnia eodem ferè modo resoluuntur à quodam antiquissimo Patre, & in rebus Ordinis versato F. *Peregrino à Bononia*; qui tempore *Gundisalui* Generalis interrogatus; quotus dictus *Gundisaluus* in serie Generalium computari deberet, per Epistolàm in hæc verba respondit: *Si*, inquit, *personæ tantùm Generalium recenserentur, ille*, scilicet Gundisaluus, *erat numerandus quintus decimus; si tamen duæ præfecturæ F.* Heliæ, *prima post obitum S. Francisci, secunda post depositionem* F. Ioannis Parentis *computaretur, dicendus est sextus Decimus.* In quibus verbis patenter discernit personas Generalium à præfectura; & F. *Heliam* in prima præfectura post obitum S. *Francisci* non videtur inter personas Generalium computare, fortè quia locum tantùm tenebat.

Firmamentum.

Responsio F. Peregrini à Bononia.

Hoc porrò tempore zelatores Ordinis zelum suum ostenderunt; quorum duces fuerunt S. *Antonius Paduanus*, & F. *Adam de Marisco*, qui relaxatam vitam F. *Heliæ* abhorrentes, in faciem illi se opposuerunt, vt sarta tecta Regulæ in obseruantia conseruarentur, vnde quamuis ab illo grauissima passi, ad *Gregorium* IX. suas querelas detulerunt; quibus permotus Pontifex *Heliam* à regimine Ordinis, propter suos excessus absoluit.

Ob zelatorum querelas deponitur Helias.

TERTIVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
F. IOANNES Parens.

COnuocato igitur *anno* 1230. Capitulo sexto Generali, non *Assisii*, vt aliqui, sed *Romæ*, F. *Helias* à *Gregorio* IX. anno 4. Pontificatus sui depositus est, & omnium suffragiis electus est in Generalem Ministrum F. *Ioannes Parens*, natione Florentinus, Hispaniæ Minister, vir sanctus & justus, qui totum Ordinem nudis pedibus visitauit, & verus *Parens* omnium Fratrum fuit, omnibus viam veritatis verbo & exemplo ostendens, nemini plus æquo parens.

Capit. Generc. Romæ.

Laus F. Joannis Parentis.

Sub hoc Generali spiritus Regulæ visus est innouari, & à quodam tepore resuscitari, & cùm quædam questiones super nonnullis Regulæ articulis mouerentur, zelo purioris obseruantiæ, pro illarum resolutione, communi consensu,

recursus habitus est ad *Sanctissimum D. Gregorium* IX. qui tempore S. Patris primus Protector Ordinis existens summâ familiaritate eidem adfuerat, & omnes illius intentiones scrutatus fuerat, illius vtique in omnibus adjutor. Tunc prodiit illa declaratio, quæ incipit: *Quo elongati à sæculo.* Data Anagniæ 4. Kal. Octob. Pontif. anno 4. Quia verò Pontifex aduerterat F. *Heliam*, qui secundæ Regulæ à Christo dictatæ, & ab *Honorio* III. approbatæ à principio se opposuerat, ex inde minus illius obseruantiæ affici, coëgit illum coram se Regulam illam solemniter profitéri, vt nullam excusationem de illius Regulæ obseruantia prætendere posset.

Prodit Greg. IX. declaratio Regulæ.

Helias cogitur regulam profiteri coram pontifice

In hoc Capitulo pro reuerentia, quam S. *Franciscus* erga Eucharistiam mandauerat, ordinatum est, vt illa vbique in pixide argentea, claue obserata seruaretur. *Item.* Ne Fratres nomine *Magistri* appellarentur. Et vt relaxatis timor justè incuteretur, mandatum est, vt incorrigibiles absolutè ab Ordine expellerentur. *Item*, Ne etiam Nouitii sacerdotes confessiones audire permitterentur.

Ordinationes.

QVARTVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
F. HELIAS de Cortono.

Tumultuarie Helias Generalis creatur.

Anno 1236. conuocauerat Capitulum Generale ordine septimum F. *Ioannes Parens* in Conuentu S. Mariæ de Angelis; in quo, pessimo exemplo, Vocales, qui *Heliæ* fauebant, tumultuariè, violento impetu, in Conclaue ingredientes, F. *Heliam* Generalem acclamârunt, & continuatâ violentiâ in locum Generalis intruserunt; prætextum sumentes, quòd à S. *Francisco* in morte Generalis relictus esset, & ei Ordinem suum commendasset. Confusionem videns B. M. F. *Ioannes Parens*, habitu detracto, seminudus in medium prorupit, & genibus flexis de defectibus in regimine commissis culpam agnouit, & *Generalatus* officio resignauit. Interim contentiones suscitatæ sunt, zelatoribus Regulæ F. *Ioannem Parentem* continuare volentibus, eoque res deuenit, vt deferretur negotium ad Pontificem; qui à filiis tenebrarum *Helianæ* relaxationis deceptus, *Heliam* Generalem confirmauit, pessimo semper effectu. Nam *Helias*, pessimus hypocrita, per hanc eleuationem ferocior factus, primò sub titulo visitandi Ordinem, Visitatores sui genii mittens, relaxatio-

factum laudabile Joannis Parentis.

Helias confirmatur à Pontifice.

tionibus Ordinem dissoluere tentauit, impetratis multis priuilegiis contrà Regulæ puritatem; & cùm Socii BB^mi Patris, ac puritatis Regulæ sectatores, firmiter se *Heliæ* opponerent, *Helias* captatâ suis hypocriticis & fictis pietatibus beneuolentiâ Summi Pontificis, ab illo auctoritatem impetrauit, vt in zelatores, tamquàm inobedientes, aduertere posset. Quod & fecit, & in omnes zelatores Regulæ ferociùs insurgens, in eorum, Patrem zelo, pietate, doctrinâ, & vitâ sanctâ omnibus præfulgentem, quem sibi in Regulæ conseruationem ad resistendum relaxationibus præfecerant, crudelius animaduertit, & eum compedibus & vinculis constrictum carceri mancipauit.

Impetrat priuilegia contra Regulam.

Persequitur Regulæ zelatores.

Hic fuit F. *Cæsarius* Spirensis Theutonicus, & primus Theutoniæ siue Germaniæ Minister à S. *Francisco* institutus: Qui ad *annum* 1220. *Heliâ* à Vicariatu depositò, cùm audisset S. *Franciscum* prædicentem Fratres á Regulæ obseruantia declinaturos, his verbis ad S. Patrem accessit: *Pater*, inquit, *firmiter proposui Euangelium & Regulam, juxta puram intentionem, quam Christus per se locutus est, vsque in finem, ejus gratiâ cooperante simpliciter obseruare. Vnam à te postulo gratiam, vt si diebus meis Fratres à pura obseruantia declinauerint, possim cum tua licentia & benedictione cum aliis sinceris professoribus à transgressoribus recedere, & separatim Regulam obseruare.* Repletus gaudio S. Patriarcha postulanti annuit, & eum amplexatus cum benedictione hæc verba intulit: *A Christo*, ait, *& à me scias, Fili mi, esse concessum, quod postulas.* Et in confirmationem manum super caput ejus ponens dixit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hoc igitur oraculo confirmatus *Cæsarius*, dum sub *Helia* Generali vidit Regulæ obseruantiam omninò conturbari, causam zelatorum Regulæ in se susceperat, vnde & *Congregationi Cæsarenorum* initium dederat, qui ad aliquod tempus in siluas & loca deserta sub F. *Cæsarii* ductu se receperant ad Regulam in sua puritate conseruandam, donec aliud Deus prouideret.

F. Cæsarium *in carcerat.*

Licet recedere à Regulæ transgressoribus.

Ps. 109. vers. 4.

Nec Dei altissima judicia permiserunt hanc Religionis plagam inultam remanere: *Cæsarius* enim, Deo sic permittente, dum carceris ostio aperto putat ante carceris januam aliquid aëris ad refrigerium captare, à custode carceris fugam timente fuste percussus, ipso vulnere verus Martyr pro justitia obiit, illis verbis; *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*; & *In manus tuas commendo spiritum meum*: Cujus animam, ipsâ horâ transitus ipsius, Summus Pontifex *Gregorius* IX. in quodam mentis excessu vidit, Angelis comitantibus, splendidissimâ luce circumdatam in cælum efferri; cumque Pontifex in-

Luc 23. vers. 24. Ps. 30. vers. 6.

Videt Pontifex animam Cæsarii in cælum efferri.

interrogaſſet, cujus anima eſſet, ab Angelo reſponſum eſt, eſſe animam F. *Cæſarii*, ob propugnatam Regulæ ſuæ obſeruantiam, à ſuis Martyrio affecti &c. *Cujus* (inquiebat Pontifici) *reddes rationem in die mortis tuæ, ob fidem nimis leuiter præſtitam aduerſario ejus.* Sic Deus prouidit ſecreto ſuo judicio, vt Regulæ Puritas a relaxationibus *Heliæ* vindicaretur, & ſanguine F. *Cæſarii* velut irrigata, multitudine verorum obſeruantium incrementa ſumeret, & à ſcoriis purgaretur.

QVINTVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
F. ALBERTVS de Piſis.

Heliam deponit.

IGitur *Gregorius* IX. terrore judiciorum Dei perculſus, & de peruerſitate *Heliæ* pleniùs informatus, coacto Capitulo Generali *Romæ* ad *annum* 1238. in profeſto Pentecoſtes, F. *Heliam* confuſibiliter à Generalatu depoſuit: & in medio Fratrum habitâ feruentiſsimâ oratione, de reſtituenda & ſtabilienda ſimplicitate & ſinceritate obſeruantiæ Regulæ, ſucceſſorem eligi mandauit. In *Heliæ* itaque *primi relaxatoris Ordinis* locum, communibus ſuffragiis, ſtatim electus & ſuffectus eſt, F. *Albertus de Piſis*, vir vitæ integræ, & religioſæ perfectionis, qui Miniſter Angliæ, Hiſpaniæ, & Germaniæ fuerat, & regiminis ſancti primitias vberes dederat.

SEXTVS GENERALIS
ORDINIS FRATRUM MINORUM,
F. HAYMO Anglicus.

ET hîc adorandæ ſunt Diuinæ Altitudinis diſpoſitiones: Vir enim ſummæ perfectionis *Albertus de Piſis*, dum incipit pro puritate Regulæ laborare, intra paucos menſes expleuit tempora multa; nam electus ad 15. *Maii*, euocatur in cælum in feriis Natiuitatis B. Mariæ Virginis in Septembri, non ſine mœrore & planctu totius Ordinis. Cujus mortem lugens Pontifex, illud lugubre Carmen, quod incipit: *Plange turba paupercula, ad Patrem clama pauperum* &c. *vt nobis reddat orphanis, tanti Patris Vicarium*; miſit ad vniuerſas Prouincias, vt in choro legeretur, donec alius Generalis ſubrogatus eſſet: quæ

Luget Alberti obitum.

An-

Antiphona adhuc dum ingressus sum Religionem ad *annum* 1602. post Completorium feriis 4. canebatur.

Coacto igitur iterum Romæ Capitulo Generali ad *annum* 1239. præsente, & suffragia excipiente, *SS^mo* D. *Gregorio* IX. omnium votis Minister Generalis renuntiatus est, F. *Haymo de Veruersham Anglicus*, maximus Theologus, & totius speculum honestatis: quem *Gregorius* confirmauit.

Hujus Generalis tempore, obseruantia Regulæ, quæ hiemali velut brumâ percussa erat, reflоruit: Nam & ad tollendas varias quæstiones ad *annum* 1242. F. *Haymo* Capitulum Generale *Bononiæ* indixit; in quo doctrinâ & religione clarissimi viri, F. *Alexander de Ales*, F. *Ioannes de Rupella*, F. *Rigaudus* siue *Richardus*, & F. *Robertus de Bastia* electi sunt, vt habitâ cum F. *Gaufredo de Bria* Custode Parisiensi collatione, aliqua simplex, sincera & litteralis expositio super Regulam fieret; vnde *Expositio* illa *Quatuor Magistrorum* in Capitulo Generali examinata & approbata prodiit, & vt in Ordine toto legeretur, & teneretur, mandatum fuit. Plura in hoc Capitulo concluſa fuerunt: Vt de quæstibus minuendis: De Cistercienſibus Monachis ad Ordinem non recipiendis. Quia autem aduertebat ex sui prædecessoris F. *Heliæ* nimia præsumptione multa inordinata in Ordinem irrepsisse; voluit potestatem Generalis, & Prouincialium Ministrorum, Capitulo Generali velut submittere. Quod cum grano salis accipiendum est, nimirum: Vt si aliqua ad Regulæ obseruantiam, vel ad vniuersale Ordinis, aut particulare Prouinciarum regimen pertinentia, determinanda essent, ea non à solis Generalibus vel Prouincialibus determinarentur; sed judicio, & consultationi, ac resolutioni Capitulorum Generalium, siue respectiuè Prouincialium, remitterentur.

Obseruantia Regulæ reflоret.

Prodit Expositio 4. Magistrorum.

Arctatur Ministrorum potestas.

In hoc etiam Capitulo inhabilitati fuerunt Laici ad officia Ordinis, nimirum, Generalatus, Prouincialatus, & Guardianatus. Quod non potuisse fieri, & contra Regulam esse, ab aliquibus reclamatum est: Puto autem id ritè factum à doctissimo Patre *Haymone*, quia illa officia secum vehunt Iurisdictionem spiritualem, & curam animarum, cujus Laicus, vt Laicus, incapax est. In eodem quoque Capitulo, quæ de Summi Pontificis commissione in ritibus Officii Diuini F. *Haymo* disposuerat, in Ordinem primùm cœperunt introduci.

Laici ad officia inhabilitantur.

Nota.

SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. CRESCENTIVS Æsinus.

F. *Haymone Anglico* quinto ferè anno sui Generalatus; ad *annum*, scilicet 1244. ad superos abeunte, *Innocentio* IV. Summo Pontifice, *Genuæ* indicta sunt Comitia Generalia.

Frustra tentat Helias in Generalem eligi.

Quod audiens F. *Helias*, qui prætextibus quibusdam componendæ pacis ad *Fredericum* II. confugerat, iterum cum suis asseclis multa molitus est, si quo modo ad Ordinis Generalatum iterum ascendere posset; eo maximè, quòd à Pontifice accersiretur, vt de rebus cum *Frederico* actis Pontificem informaret. Verùm infausto omine sibi sua cessit astutia: deprehendit enim Pontifex ipsius dolos, & machinationes malitiosas contra Ordinem, & Regulæ veros zelatores, & obseruatores: vnde datâ electione liberâ Generalis Ministri electus est canonicè F. *Gescentius Æsinus*, Prouinciæ Marchiæ, vir senex, justus, & disciplinæ zelo probatus; reprobatus verò est à Pontifice F. *Helias*, & omni gradu, gratiâ, & priuilegio priuatus, cujus malitiâ foris exundante hominis miserrimum statum declarauit: & quia prætextu cujusdam indulti *Gregorii* IX. fultus, præsumebat Fratres aliquos sibi aggregare, illis præsidere, cum illis Conuentum facere; vnde omnia illius machinamenta in Ordine fouebantur, ab *Innocentio* IV. in his Comitiis exauctoratus est, & inhibitum sub pœna excommunicationis, ne quis illi adhæreret. Et hic fuit finis *factionis Helianæ*; Ipse enim ex tunc velut in rabiem actus, apostata ab Ordine, ad *Fredericum* II. Imperatorem profugit, Ecclesiæ rebellis factus, ab Ecclesia excommunicatus; in qua excommunicatione perdurauit, donec finem vitæ suæ intelligens pro absolutione ad Pontificem misit, quam & misericorditer obtinuit ante mortem, extra habitum tamen Ordinis (vt prædixerat S. *Franciscus*) mortuus.

A Pontifice omni gradu & gratiâ priuatur.

Fit apostata, & ad Fredericum profugit.

In his turbis Corpus Ordinis in obseruantia perstat.

Ne quis verò in tot turbis suspicetur Regulæ obseruantiam in Corpore Ordinis interruptam; hîc aduertendum est, vt benè in Annalibus suis ad *annum* 1244. adnotat P. *VVaddinghus*: Nimirum, Pugnantibus zelatoribus Regulæ contra apertè relaxatos, Corpus Religionis in medio sistens inter extrema securum iter tenuisse, ac solidæ Regulæ obseruantiæ adhæsisse, ita vt nec excessibus nonnullis nimii feruoris zelato-

latorum se immiscerent, nec ad defectus relaxatorum declinaret. Vnde iterum ob quæstiones insurgentes, ne puritas Regulæ violaretur, recursus habitus est à Corpore Ordinis ad *Innocentium* IV. qui Pontificatus sui anno 3. declarationem illam dedit, quæ incipit; *Ordinem vestrum.* Data Lugduni 4. Kal. Octob. in qua multa dubia circa Regulam proposita resoluit.

Regulam declarat Innoc. IV.

OCTAVVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM.
F. IOANNES de Parma.

ANno itaque 1247. vt verior opinio habet, ex indictione Summi Pontificis *Innocentii* IV. (vt constat ex ejus litteris datis *Lugduni 6. Idus Maii Pontif. anno* 4.) celebratum est Capitulum Generale *Auinione*, quo se Pontifex cum tota sua curia contulerat; in quo F. *Crescentio Æsino* per litteras absolutè officio renuntiante, omnium votis in Generalem Ministrum electus est F. *Ioannes de Parma*, tantâ quidem exultatione, vt spiritus S. *Francisci* in eo reuixisse assereretur, congratulantibus illi Sociis S. Patris, qui superstites erant, inter quos B. *Ægidius* his verbis eum salutasse dicitur: *Benè venisti*, inquit, *Pater, sed tardè*: ob præcedentes nempè turbas, & alia, quæ irrepserant.

Dictum B. Ægidii.

Hic itaque Generalis, restaurandæ paci, & disciplinæ incubuit, & amandatos velut in exilium Regulæ zelatores litteris consolatus, omnes ad propriam Prouinciam reuocauit, tribus annis pedes vniuersum Ordinem visitauit, duobus sociis contentus, vnâ tunicâ amictus; defectus absque dissimulatione correxit; Prælatos incapaces & inidoneos, ab officiis amouit; Ordinis primum decorem restituit, verumque paupertatis & humilitatis exemplar omnibus fuit. Porrò Diuinorum Officiorum tam sincerus zelator fuit, vt Capitulum *Metis* celebrans, prohibuerit quippiam in choro legi, vel cantari, quod ab Ordinario Romano, vel Capitulo Generali approbatum, & pro Ordinis vsu susceptum, non esset. Vnde grauiter condemnabat singulares sæcularium, vel aliorum Regularium modos, vel sonos introducentes: asserebat enim, quod *contra Regulam nemo sit deuotus, & quòd sic agens, non supererogare, sed derogare dicendus esset* &c. Sub hoc igitur Generali obseruantia Regulæ è nebulis & turbinibus, quibus tenebatur, velut nouo sole in clarissimum splendorem emersit.

Quanta egerit hic Generalis pro Regulæ Obseruantia.

Zelat Diuina officia.

NONVS

NONVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
S. BONAVENTVRA à Balneo Regio.

ANno 1254. *Alexandro* IV. ordinante celebratum est Capitulum Generale *Romæ* in Conuentu de Ara-Cœli, in Festo Purificationis; in quo F. *Ioannes de Parma* allegatâ impotentiâ Generalatui cessit, & multâ instantiâ obtinuit, vt ad electionem successoris Patres congregati procederent, quamuis totis duobus diebus Patres, & ipse Pontifex institissent, quatenus prædictus Pater in officio continuaret. Illo igitur non acquiescente, institerunt vt ipse *de Parma* in electione futura primum suffragium ferret; denominauit itaque suo suffragio F. *Bonauenturam à Balneo Regio*, in quem statim omnes conuenerunt, cùm esset omnis virtutis & pietatis speculum.

De Parma cedit officio.

I. Dat suffragium pro S. Bonau.

Sub hoc SS^mo Generali plura Capitula celebrata sunt; totus enim ejus scopus fuit, vt purissimam Regulæ obseruantiam suo nitori secundùm mentem Seraphici Fundatoris vbique restitueret.

Quantum S. Bonau. promouerit Obseruantiam Regulæ.

Primo igitur ad *annum* 1260 conuocauit Generale Capitulum *Narbonæ*. Vbi ad regularem disciplinam, reuisis omnibus, quæ ab initio in Ordine pro puriori Regulæ obseruantia ordinata erant, exaltandam, Statuta sub compendio condidit, & in illis omnia priora ad formam conuenientem sub duodecim Capitulis reduxit. Quæ Statuta fuerunt velut Fundamentum omnium, quæ posteà in Ordine condita sunt. Multa hîc de Paupertate sunt concluſa; plurima ad Regulæ præcepta pertinentia ad praxim claram reducta; *Innocentii* IV. declaratio in iis, in quibus à *Gregorii* IX. declatione videbatur declinare, auctoritate *Alexandri* IV. suspensa; ob habitum pastoritium, & alias Religiosi habitus deformitates ab aliquibus vsurpatas, forma & figura vna habitus designata est, & ob excrescens acumen Caputii pyramidalis ordinatum est, vt acumen quidem illud per scapulas retrò penderet, cujus pondus, cum ob suam amplitudinem factum esset capiti importabile, commoditati & necessitati rotundo quodam operimento capitis superaddito prouisum est, & figura habitus ad normam, quæ adhuc modò uiget inter veros obseruantes, reducta est. In eodem Capitulo Prouinciæ Ordinis, prioribus, quæ jam erectæ erant, aliis additis, ordine & terminis distinctæ fuerunt. Multa etiam circa Ritus Breuiarii

Statuta ejus cæterorum fundamentum.

Formam habitus ordinat.

&

& Missalis piissime ordinata sunt, quæ posteà in vniuersæ Ecclesiæ vsum transierunt.

Anno 1263. iterum sanctissimus Generalis Comitia Ordinis *Pisis* congregauit: deinde *Parisiis* ad *annum* 1266. & demum *Assisii anno* 1269. necnon iterum *Pisis* ad *annum* 1272. Quæ omnia nihil spirarunt, nisi Regularem perfectionem, & in iis maximè, quæ sunt Diuinorum Officiorum, pietatem & deuotionem. Quæ potest Lector videre in Chronologia historico-legali nuper edita.

Ejus scriptis F. Minor ad perfectionem ducitur.

In hoc Seraphico viro hoc obseruandum. Tota sua vita, præter alia opera, quæ in rebus toti Ecclesiæ vtilibus composuit, singulariter plurima edidisse Regularem Statum concernentia, ita vt verus frater Minor ipsius solius operibus ad apicem Seraphicæ perfectionis duci possit. Et 1. in essentialibus Regulæ manuducitur, per *Expositionem Regulæ*, quàm edidit; per *Resolutiones variarum quæstionum super Regulam*; per *Apologiam de paupertate Christi*; per *Quæstiones de Sandaliis Apostolorum* &c. quæ in ejus opusculis continentur. Extant etiam duæ *Epistolæ* ad vniuersum Ordinem missæ, quarum prior incipit: *Licet insufficientiam meam.* Data Parisiis *anno* 1257. in die S. *Georgii* martyris; altera posterior, quæ incipit; *Quoniam ad hoc* &c. absque data: in quibus de omnibus ad Regulam spectantibus Fratres instruit. In accidentalibus autem ad perfectionem ducentibus non defuit; vt in *Speculo disciplinæ* pro Nouitiis; in *Itinerario mentis in Deum*; Item, *De septem itineribus æternitatis*, & aliis variis. Ita vt de illo dici possit, quòd verbo, vitâ, & exemplo sit & fuerit vnicum *Speculum veri Fratris Minoris*, quod speciali miraculo Ordini Franciscano reseruauerat *Christus*, dum precibus S. *Francisci*, voto ad eum facto, è faucibus mortis puer ereptus fuit.

Rexit 18. annis.

Porrò Ordinem rexit *octodecim* totis annis, donec ad Ecclesiæ vniuersalis vtilitatem ad Concilium Generale Lugdunense euocatus, *Cardinalis S. R. Ecclesiæ*, & *Episcopus Albanensis* est creatus.

DECIMVS GENERALIS
ORDINIS FRATRUM MINORUM,
F. HIERONYMVS de Æsculo.

In Concilio Lugd. Æsculanus absens eligitur.

SEraphicus Doctor S. *Bonauentura* ad Cardinalatum assumptus, in regimine quidem de mandato Summi Pontificis mansit vsque ad electionem successoris, statim tamen pro successore Ordini præficiendo ad *annum* 1227. in festo Pentecostes sub Pontificatu *Gregorii* X. Capitulum Generale, tempore Concilii Generalis, Lugdunum conuocauit, eique præsedit: in quo F. *Hieronymus de Æsculo*, Prouinciæ Marchiæ (qui à legatione Constantinopolitana cum Legatis Græcorum ad Capitulum regrediebatur) electus est totius Ordinis Minister Generalis.

Aliis implicatus rogat ab officio absolui, sed frustrà.

Qui suo officio satisfacere contendens indixit posteà Capitulum Generale *Patauii*, cui tamen, cùm detentus esset Legationibus ad componenda bella inter Hispaniæ, & Galliæ Reges exorta, adesse non potuit, sed misso F. *Bonagratia de Perseceto* Bononiensi, qui vt Vicarius Generalis præsideret, & suam excusationem ac mandata deferret, per eum ab officio (à cujus executione, variis à Summo Pontifice negotiis implicatus, impediebatur) absolui poposcit; quod tamen obtinere non potuit, sed renouatis suffragiis iterum à toto Capitulo reelectus est. Verùm dum publicis semper Legationibus insistit, *Cardinalis* tituli *S. Potentianæ* à *Nicolao* III. creatur; & nihilominus de mandato Pontificis vsque ad sequens Capitulum Generale continuatur.

VNDECIMVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM.
F. BONAGRATIA à S. Joanne.

F. *Hieronymo Æsculano* Cardinale, auctoritate Apostolicâ, officium Generalis Ministri continuante, *anno* 1279. indictum est Capitulum Generale *Assisii*, quo Patres omnes vocales conuenientes ejus aduentum diutius expectare, monente Summo Pontifice *Nicolao* III. coacti sunt, ob remoras iterum ex negotiis publicis emergentes. Aduenit tandem

Ordi-

Ordinis Rector Generalis, & electione succeſſoris datâ electus eſt communibus votis F. *Bonagratia* Bononienſis, quem alii *de Perſecto*, alii *de S. Ioanne* agnominant, vir Deo plenus.

Placuit electio Summo Pontifici *Nicolao* III. qui *Suriani* exiſtens ad ſe præcipuos Patres conuocauit, vt ſi quid fortè Statui, & regimini Ordinis expediret, auctoritate Apoſtolicâ, aut prouideretur, aut ſuppleretur. Conuenit itaque Pontificem nouus Generalis cum Prouincialibus Miniſtris, & viris præcipuis ad hanc comparitionem delectis; atque in hac Patrum corona *Nicolaus* III. qui aſſumptus ad Pontificatum Officium Protectoris ſibi, pro affectu quem ad Ordinem gerebat, retinuerat, ſuffragiis Patrum Nepoti ſuo *Matthæo Rubeo Vrſino* officium illud miris commendationibus, extraordinariâ energiâ, Annulo porrecto commiſit, vt eſſet deinceps *Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.* Et vt Ordini toto, jam in obſeruantia Regulæ florido, aduersùs obtrectatores proſpiceret, ad Fratrum conſcientias ſerenandas, & ſtabiliendas, relictis omnibus negotiis Eccleſiæ ad multorum admirationem, *Suriani* ſequeſtratus cum Eminentiſsimis aliquibus Cardinalibus, & viris ac Patribus Ordinis clariſsimis, edidit declarationem illam, quæ incipit: *Exiit, qui ſeminat*; quæ eſt totius obſeruantiæ Regulæ vſque in hanc horam directrix: De qua & nos *Fundamento* 5. §. 4. *prop.* 4. *in Synopſi.* Quam declarationem per vniuerſas Prouincias obſeruandam miſit P. Generalis *Bonagratia*, datis feruentiſsimis litteris, quibus ad ejus obſeruantiam Fratres adhortatur, & plurima ſpecificat, quæ ad Ordinis perfectum decorem, & vitiorum extirpationem pertinent. Litteræ incipiunt; *A Domino Ieſu.* Datæ *Viterbii* 8. *Idus Octob. anno* 1279. Quæ quia multa vtilia continent, illas Lector videre poteſt in Chronologia Hiſtorico-Legali ad quartum decimum Capitulum Generale.

Matthæus Rubeus ſit Ordinis protector.

Prodit celebris Regulæ Declaratio; Exiit qui ſeminat.

Litteræ Generalis.

Magnus ſanè fuit zelus hujus Generalis, ſub quo doctrina F. *Petri Ioannis Oliui* in Capitulo Generali Argentinenſi (quâ nimio zelo in Ordinis zelatores inuehebatur) propoſita eſt: Ad cujus examen dum *Auinionem* venit, in morbum incidit, vbi & ad *annum* 1284. relictâ opinione magnæ ſanctitatis, naturæ debitum ſoluit, campanâ majori Conuentus, nullo mouente, ſonante, cùm Ordinem annis quinque feliciter rexiſſet. Et ne Religio ejus morte ob dilationem Capituli Generalis aliquod pateretur detrimentum, inſtitutus eſt Vicarius Generalis, F. *Guilielmus de Falgario*, Tholoſanus, Prouinciæ Aquitaniæ Miniſter.

Ejus zelus.

Miracula in ejus morte.

DVODECIMVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
F. ATHOLOTTVS aliàs ARLOTTVS de Prato.

ANno 1285. in Comitiis Generalibus Mediolani celebratis, præsidente F. *Guilielmo de Falgario* Vicario Generali, electus est in duodecimum Generalem Ministrum, F. *Arlottus de Prato*, Prouinciæ Thusciæ Minister; qui pro firma obseruatione Regulæ, decernente & consentiente toto Capitulo Generali, misit Epistolam ad vniuersum Ordinem, varia Statuta complectentem; quibus primò omnem proprietatem, vsque etiam ad libellum, à Fratribus propulsabat; familiaritates omnes mulierum excludebat; discolis Fratribus, ne eorum praui mores inualescerent, remedium imponebat; Iuniorum Fratrum institutioni & educationi prouidebat.

Arlottus Zelat Obseruantiam Regulæ.

Vix anno vno Ordinem rexit, *anno* enim 1286. Parisiis diem clausit extremum, non sine Ordinis detrimento, cùm ipse maximam spem optimi regiminis dedisset. Regimen verò vsque ad alterum Generale Capitulum ex decreto Capituli Mediolanensis suscepit denuò, F. *Guilielmus de Falgario*, qui suprà.

DECIMVSTERRTIVS GENERALIS
ORDINIS FRATRVM MINORVM,
F. MATTHEVS de Aqua Sparta.

ANno 1287. conuocatis ad *Montem Pessulanum* Comitiis Generalibus electus est decimus tertius Generalis F. *Mattheus de Aqua Sparta*, prouinciæ S. *Francisci*, S. Theologiæ Magister, & S. Palatii Lector: Qui *anno* sequenti 1288. *Hieronymo de Æsculo* nuper Ministro Generali ad *Summum Pontificatum* assumpto (qui *Nicolaus* IV. est dictus) S.R.E. *Cardinalis tituli S.* Laurentii in Damasco creatus est, & auctoritate Pontificis regimen Ordinis vsque ad Capitulum Generale futurum retinuit.

Tepidè regit Aquaspartanus.

Hic Statuta in Capitulo Mediolanensi facta confirmauit: Verùm ad Cardinalatum assumptus in regimine tepidè nimis se habens, & omnibus ad gustum satisfacere volens, etsi

aliàs

a liàs bonus, & benè intendens, relaxationibus & relaxatoribus locum dedit; *dum enim dormiunt homines, inimicus homo venit, & superseminauit zizania in medio tritici.* In quibusdam enim locis (vt notant Annales ad hunc annum) sancta Paupertas multa passa est dispendia, dum sub titulo necessitatis oblationes pecuniariæ in primitiis, cippi & trunci in templis, fundationes anniuersariorum, contractus stipendiarii missarum &c. irrepserunt; domiciliis etiam pauperculis derelictis, domus & conuentus sumptuosi erecti sunt, lugentibus piis & sanctis Fratribus, quibus tunc Ordo abundabat. Et quamuis totum corpus Ordinis non infecerit, in Italia tamen paulatim malum serpebat. Cui malo vt in principio mederetur, quidam zelosi Patres in publicas obtestationes prodierunt, & transgressoribus S. paupertatis se murum opposuerunt. Inter quos fuerunt F. *Raymundus*, B. *Petrus Maceratensis*, & F. *Thomas Tolentinas*, qui & vsque ad carceres & vincula restiterunt, sed contra eos nonnullorum Rectorum potentia præualuit vsque ad sequens Capitulum Generale.

Matth. 13. v. 25.

Hinc relaxatio in Ordine.

Opponunt se zelatores multa passu.

DECIMVSQVARTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. RAYMVNDVS Gaufredi.

INdixerat ad *annum* 1289. Cardinalis *Aquaspartanus*, Ministri Generalis officio, vt suprà dictum est, fungens, Capitulum Generale *Assisii*, vt regimen Ordinis à se ablegaret, pertæsus difficultatum, quæ in Ordine contra puram Regulæ obseruantiam succrescebant (nam & eo tempore *Aquaspartanus* zelo Regulæ quendam F. *Nicolaum* Franciæ Ministrum ob libellum periculosum, quem contra declarationes *Nicolai* III. ediderat, reprobato libello cum sectatoribus condemnauerat:) Sed Summus Pontifex *Nicolaus* IV. in Reatinam ciuitatem se recipiens, Capitulum Generale *Reate* euocauit, eique cum duobus Cardinalibus ex Ordine assumptis præsedit. In quo Capitulo pluralitate suffragiorum in Generalem Ministrum electus est F. *Raymundus Gaufredi*, vir doctus, & deuotus, bonorum fautor, disciplinæ Regularis, & Euangelicæ paupertatis acerrimus zelator. Capitulum hoc ex præsentia Summi Pontificis & Cardinalium celeberrimum fuit, solemnitatis verò eminentiam conciliauit *Caroli* heredis regni Siciliæ, cum Consorte sua, coronatio; quæ tunc à Pontifice facta est.

Condemnatur F. Nicolaus Franciæ Minister.

Capitulo Gen. Reatini adest Pontifex, 2. Cardinales; & Rex Siciliæ coronatur.

Hujus Generalis zelus.

Porrò hic Generalis ſtatim à ſua inſtitutione in componendis turbis in Ordine ſubortis, & relaxationibus, ac abuſibus contra paupertatem irrepentibus reſcindendis, omnem operam impendit: & ad Prouinciam Picenam veniens, in qua diſsidia illa & relaxationes cœperant, grauiſsimè Patres objurgauit, quòd eorum incuriâ hujuſmodi abuſus irrepſiſſet. Porrò Patres zelatores, de quibus ſuprà, à carceribus liberauit, priſtinæ ſuæ famæ reſtituit, & eos amplexatus verbis conſolatoriis demulcens, vt ſuis perſecutoribus ignoſcerent, perſuaſit, ac vt in firmo ſuo propoſito de tuenda S. paupertate permanerent, exhortatus eſt. Cùm autem aduerſarii illos accuſarent de nimia ſuperſtitione in articulis paupertatis: *Vtinam* (ajebat piiſsimus Generalis) *ego, & totus Ordo, hoc peccato laboraremus!* Sic officium ſuum in Ordinis ædificationem zeloſus Generalis proſecutus eſt, & conuocato ad *annum* 1295. Generali Capitulo *Aſsiſii*, multa pro integritate Religionis prudenter ſanciuit: & dùm eodem anno forti animo oblatum *Bonifacio* VIII. ſui Pontif. anno 1. Epiſcopatum Patauinum, allegatâ ſuâ huic oneri imparitate, reſpuit, indignatus Pontifex eum à Generalatu abſoluit.

Dictum injungc.

A. Bonifacio deponitur ob recuſatum Epiſcopatum.

Clareni impetrant ſeparationem ab Ordine.

Sub hoc Generali Miniſtro quidam zelatores, à monte Claro *Clareni* dicti, duce F. *Angelo Clareno*, ſiue *de Cingulo*, ad *annum* 1294. à *Cœleſtino* V. petierunt, vt liceret illis quædam loca in ſolitudinibus erigere, & eremiticam vitam ſub ſtrictiſsimis modis *Regulæ S. Franciſci* ducere. Sancto propoſito annuit *Cœleſtinus*, qui ideò vocati ſunt *Eremitæ Domini Cœleſtini*. Verùm *Cœleſtino* mortuo grauiora paſsi, ſub *Bonifacio* VIII. variè diſperguntur, & cùm ab Ordinis regimine ſe ſubtraxiſſent Epiſcopis ſubjecti, paulatim defecerunt, quorum reliquiæ ſub *Leone* X. ad *annum* 1517. corpori Religionis reunitæ fuerunt, quamuis dicantur nonnulli etiam vſque ad tempora *Pii* V. remanſiſſe.

Dicti Eremitæ D. Cœleſtini.

Quando reuniti.

In hoc autem adoranda ſunt Dei judicia circa Ordinis Franciſcani regimen, quòd quoties aliquæ relaxationes irrepunt, toties excubiæ quædam ſanctæ Fratrum zelatorum videntur excitari, qui contra inimici ſtrages, ad arma Fratres concitant, vt ab inſidiis caueant: quod numquam abſque fructu aliquo contingere ſolet.

DE-

DECIMVSQVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES de Muro.

ANno 1296. in feriis Apostolorum *Petri & Pauli, Bonifacius* VIII. conuocauit Patres *Anagniam*, vbi & Capitulum Generale celebrauit, & in eo præsedit, communibusque suffragiis electus est decimusquintus Generalis, F. *Ioannes de Muro*, prouinciæ Anconitanæ, S. Theologiæ Magister, & aliquando S. Palatii Lector.

Zelat bis Generalis Ordinis disciplinam.

Hic etiam Generalis fuit magnus Religiosæ disciplinæ promotor, sub quo in hoc Capitulo Generali omnium præcedentium Capitulorum ordinationes, Regulæ obseruantiam concernentes, renouatæ, & denuò stabilitæ sunt. Et ad *annum* 1302. dum celebrat Capitulum Generale *Ianuæ*, rogatus vt relaxationibus, quæ præcipuè circa puritatem Altissimæ Paupertatis irrepebant, mederetur; ad omnes prouincias litteras verè paternas, verè pias, verè status Fratrum Minorum assertrices, & abusuum extirpatrices scripsit. Quæ habentur in *Firmamento trium Ordinum, p. 1. fol.* 23. Data autem est Epistola tempore Capituli Generalis *Ianuæ*, *anno* 1302. Quantæ verò energiæ, & obligationis fuerit hæc Epistola constat, tum ex adjurationibus, quas facit, *per impretiabile pretium Sanguinis Christi*, & *per Stigmata SSmi P. Francisci*; tum per excommunicationis latæ sententiæ pœnam, quam fert in transgressores; tum ex clausula finali, quæ sic habet: *Hæc autem Statutoria Littera cum Constitutionibus legatur in publico, & in locis singulis reseruetur, ne aliqui Fratres in posterum, quod per Altissimæ Paupertatis propositum Deo vouerunt, irritum facientes, tantò seueriorem damnationem incurrant, quantùm Diuino timore postposito inuenti fuerint contemptores. Valete* &c.

Paternas dat litteras ad totum Ordinem.

Obest Ordini ejus promotio ad Cardin.

Hoc zelo deinceps suum regimen prosecutus est vir de Religione Franciscana benè meritus; verùm Legationibus variis ad Regem Galliæ, & Comitem Flandriæ pro eorum concordia impeditus, & per *Bonifacium* VIII. Episcopus *Cardinalis Portuensis* creatus, etsi reliquum temporis sub titulo Vicarii Generalis vsque ad Comitia Generalia in regimine Ordinis peregerit, non potuit tamen primam vigilantiam adhibere, alioquin (vt Scriptores asserunt) diligentiâ & labore omnes de facto abusus irrepentes suffocasset. Multùm enim emine-

bat

bat vitâ, verbo, exemplo, qui & S. *Ludouicum* Episcopum ad Ordinem admiserat, & in magna æstimatione apud Pontificem, & Monarchas habebatur. Non defuit tamen Ordini illius *Protector* factus ad *annum* 1307.

DECIMVSSEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. GVNDISALVVS de Valle Bona, vulgò Balboa.

ANno 1304. in festo Pentecostes indicto Capitulo Generali *Assisii*, Præsidente Cardinale *Ioanne de Muro*, tamquam Ordinis Vicario, electus est in decimumsextum Generalem Ministrum F. *Gundisaluus de Valle-Bona*, Hispanus, Prouinciæ S. Iacobi alumnus, tunc autem Prouinciæ Castellæ Minister, & S. Theologiæ Magister.

Maximus fuit Regulæ zelator.

Hic sui prædecessoris zelum etiam cum multo incremento affecutus, ad extirpandas omnes relaxationes per vniuersum Ordinem viâ facti se accinxit. Ordinationes itaque suorum prædecessorum executioni mandari voluit: Epistolam F. *Ioannis de Muro*, de qua suprà, à fratribus super se portari jussit: Personaliter autem per Ordinem discurrens ædificia nimis sumptuosa dirui faciebat, vestes excessiuas fratribus auferebat, eleemosynas perpetuas, & annualia, vt suis dominis restituerentur compellebat, & (vt dicit *Aluarus Pelagius* de planctu Ecclesiæ) *Totum Ordinem in vita sua expropriauit*, sententiam excommunicationis ferens contra omnes Fratres subditos & Prælatos, nisi intrà certum terminum illis, à quibus habebant redditus, vel eorum heredibus, eos resignarent.

Aluarus, Pelagius.

Hunc describit *Aluarus Pelagius* l. 2. de planctu Ecclesiæ c. 33. *Genere & virtutibus Nobilem, paupertatis & Regularis obseruantiæ zelatorem, virum doctissimum, in cælis coronatum, & glorioso throno fulgentem apparuisse, quia purissime in Ordine justitiam seruauit.* Sic enim post mortem pluribus in Conuentu Parisiensi in throno residens apparuisse, cum sceptro & corona, Historiæ Ordinis referunt.

Apparet post mortem gloriosus.

Disceptatio scandalosa, de Regula obseru.

Sub hoc porrò Generali in principio sui regiminis grauissima illa disceptatio de obseruantia Regulæ orta est; F. *Vbertino de Casali*, & F. *Raymundo Gaufredi*, quondam Ministro Generali cum sociis multis Communitatem Ordinis accusantibus, quòd in illâ Regula non seruaretur; ex alia parte F. *Alexandro de Alexandria*, qui posteà fuit Generalis, Communitatem

tem Ordinis defendente. Quæ disceptatio satis scandalosa occasionem dedit *Clementi* V. Capitulum Generale conuocandi *Viennam*, vbi Concilium Oecumenicum & Vniuersale celebrabatur. In quo ad sedandas difficultates & scandala prodiit illa præclara declaratio Regulæ, per *Clementem* V. quæ incipit: *Exiui de Paradiso* &c. per quam quæstionibus & dubiis, super Regulæ pura obseruantia obortis, abundè satisfit, ad conscientiarum quietem & pacem. Et sic sedati sunt animi nimis concitati, ac Communitas Ordinis justificata, rescissis abusibus, si qui apud aliquos irrepsissent, per vigilantiam Ministri Generalis. Nec poterat sanè vniuersalis Communitas Ordinis de transgressione Regulæ legitimè accusari, cui præfuerant, vt in superioribus visum est, viri tam Religiosi, & in quo tot puritatis Regulæ zelatores adhuc viuebant.

Declaratione Clementis V. Exiui de Paradiso, sedantur animi.

DECIMVSSEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM, F. ALEXANDER de Alexandria.

MOrtuo B. M. *Gundisaluo* Generali *anno* 1313. congregatum est Capitulum Generale *Barcinonæ*: in quo electus est Minister Generalis F. *Alexander de Alexandria*, Prouinciæ Ianuæ Minister. Qui prædecessorum statuta denuòstabiliuit, & cùm tantùm anno cum dimidio Ordinem rexisset, naturæ debitum soluit.

Sedes Romana, & officium Generalis vacat.

POrrò *anno* 1313. 19. Maii è viuis excesserat *Clemens* V. & ratione mortis, cùm in electione successoris Cardinales non conuenirent, Sedes Apostolica vacauit duobus annis, & aliquot mensibus. Mortuo igitur Pontifice in Maio, & Generali Ministro *Alexandro de Alexandria* in Octobri, quamdiu Sedes Romana vacauit, tamdiu ferè Ordo Fratrum Minorum absque Generali Præfecto fuit, anno scilicet vno, & octo mensibus, non sine magno Ordinis detrimento: Nam occasione captatâ vacationis huius, tam Apostolicæ Sedis, quàm Ministerii Generalis, Fratres circa centum viginti in *Gallia Narbonensi* ex diuersis Prouinciis in vnum collecti, sub prætextu quòd declarationes *Clementis* V. non obseruarentur, nouam, vt dicebant, Reformationem erigere statuerunt, nullâ legitimâ Superiorum auctoritate, nullâ Regulari obedientiâ, fulti. Igitur viâ facti plures Conuentus, expulsis Fratribus eorum incolis, occupauerunt, nouum viuendi modum stabilierunt, Custodes, Guardianos, & alios Officiales, absque vllius

Pseudo reformatorum Narbonensium excessus.

auctoritate, sibi instituerunt, depositio habitu in Ordine vsitato, curtos, deformes, & nouitate plenos assumpserunt; & quia noua semper placent, maximè vbi vmbra quædam pietatis affingitur, multos ad suum consortium attraxerunt, & protectionem Principum, specialiter Regis Galliæ sibi deuinxerunt. Qualiter autem dissipati fuerint, dicetur sub Generali sequenti.

DECIMVSOCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. MICHAEL de Cesena.

ANno igitur 1316. *Ioanne* XXII. ad Cathedram *Petri* euecto, Capitulum Generale *Neapoli* eodem anno indictum est: in quo in Ministrum Generalem absens electus est, F. *Michaël de Cesena*, Prouinciæ Bononiæ, S. Theologiæ Magister. Qui acceptis litteris electionis suæ venit *Assisium*, vbi præcipui Patres conuenerant ad Ordinis constitutiones recognoscendas, & in nonnullis, vbi de Regulæ integritate non ageretur, etiam mitigandas, vndè & multa ibidem sanctè statuta sunt, formam habitus, & articulos Paupertatis contingentia, necnon alia circa nuditatem pedum, iter pedestre, rescissis equitationibus omnibus, demandata sunt.

Redeunt ad obedientiam Ordinis.

Huic etiam Generali F. *Michaëli de Cesena*, & aliis Patribus demandata fuit dissipatio Pseudo reformationis Narbonensium, qui & ad obedientiam Ordinis omnes, præter viginti, redierunt. Vt autem communes querimoniæ iterum ab Ordine propulsarentur, Summus Pontifex *Ioannes* XXII. dedit illam Extrau. quæ incipit: *Quorundam exigit*; in qua confirmans Declarationes prædecessorum suorum *Nicolai* III. & *Clementis* V. & nonnulla de granariis & cellariis penitiùs explicans, condemnat omnes curtos, strictos, difformes habitus, mandans vt habitus forma à Superioribus pro vniuerso Ordine constituta, seruetur. & pro vera habitus S. *Francisci*, siue Ordinaria forma, vniuersaliter habeatur.

Regulam declarat Ioannes XXII.

Quis habitus S. Franc. censensus.

Fuit hic Generalis zelosissimus Regulæ assertor, sed dum exacerbato Pontifice persecutiones contra paupertatem Fratrum Minorum enatæ sunt, & nimio zelo cum F. *Guilielmo Ockamo* se defendit, infausto euentu res ipsius, & *Ockami* peraguntur. De quibus videantur, quæ à nobis latissimè sunt deducta *Fundamento* 10. §. 4.

DE-

DECIMVS NONVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. GIRALDVS siue GERARDVS Odonis.

DVm feruent tribulationes Ordinis *Michaele de Cesena* à Generalatu depoſito, Comitia Generalia *Pariſiis anno* 1329. celebrata ſunt, & per electionem canonicam F. *Giraldus*, aliis *Gerardus Odonis*, Prouinciæ Aquitaniæ, Miniſter Generalis creatus eſt, Pontificatus *Ioannis* XXII. *anno* 13. Qui altero Capitulo Generali ad *annum* 1331. conuocato, nouam Statutorum compilationem fecit, & inſuetos aliquos ritus & ceremonias adinuenit, quæ ſequenti Capitulo Generali, *anno* 1334. *Aſsiſii* celebrato caſſatæ ſunt. *Timent à Gerardo Regulæ zelatores.*

Timuerunt ab homine iſto Regulæ zelatores, ob periculoſos conceptus, quos ſibi proponebat; & de facto apud *Ioannem* XXII. aliquando egit de abrogandis omnibus Pontificum Declarationibus, prætextu Regulam magis purè ad litteram obſeruandi; In quam nihilominus tres peſsimas gloſſas intendebat introducere, de quibus egimus latè *Fundamento* 5. §. 4. per totum. Sed ipſe grauem à Pontifice & Cardinalibus paſſus eſt repulſam, non ſine ejus ignominia & confuſione. In fine Generalatus defuncto *Ioanne* XXII. & ſuccedente *Benedicto* XII. promulgari curauit in Capitulo Generali *Caturci anno* 1337. celebrato Conſtitutiones à *Benedicto* præfato, multis viris magnis adhibitis, compoſitas; quas refert *Chronologia Hiſtorico-Legalis* ſub 22. Generali Capitulo.

VIGESIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FORTANERIVS Vaſalli.

ANno 1342. aſſumpto F. *Gerardo Odonis* ad Patriarchatum Antiochenum, & Epiſcopatum Catanienſem, *Clemens* VI. anno 1. ſui Pontificatus conſtituit Ordinis Minorum Vicarium Generalem, F. *Fortanerium Vaſalli*, Prouinciæ Aquitaniæ: qui & *anno* ſequenti 1343. in Comitiis Generalibus *Marſiliæ* celebratis, multum illum commendante Summo

Reducuntur statuta ad Narbonenſia.

Pontifice, in Miniſtrum Generalem, concordibus omnium ſuffragiis, electus eſt. Qui multâ auctoritate à Summo Pontifice fultus eſt, vt feliciùs Ordinem gubernaret; vnde & in hoc Capitulo Patres pertæſi multitudinis & varietatis Statutorum, omnia reduxerunt ad prima *Statuta Narbonenſia* à S. *Bonauentura* compilata, paucis additis neceſſariis ad Regularem obſeruantiam & diſciplinam.

Fauet Fortanerius Regulæ zelatoribus.

Multùm fauit hic Generalis Regulæ zelatoribus, iis maximè, qui in Conuentu S. Bartholomæi Bruliani aliqua jam ſemina obſeruantiæ, ſub diſciplina F. *Ioannis de Vallibus* plurium cordibus inſerebant. Cùm autem vir maximus, tam in ſcientiis, quàm in agendorum prudentia, haberetur, ad *annum* 1347. à Pontifice nominatus eſt *Archiepiſcopus* Eccleſiæ Rauennatis. Ne verò interim Ordo regimine deſtitueretur, conſtitutus eſt à Pontifice vſque ad ſequens Generale Capitulum Ordinis Vicarius.

VIGESIMVSPRIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. GVILIELMVS Farinerii.

ANno 1348. celebrata ſunt Comitia Generalia Ordinis in ciuitate *Veronenſi* Præſide F. *Fortanerio Vaſſalli*, Archiepiſcopo Rauennate, Vicario, ut diximus, Generali; in quibus ad Ordinis regimen & Miniſterium Generale cooptatus eſt, F. *Guilielmus Farinerii*, S. Theologiæ Magiſter, ac Prouinciæ Aquitaniæ Miniſter.

Sub hoc Generali duo potiſsimùm ſunt celebrata Capitula Generalia: Prius *Lugduni anno* 1350. in quo varia ſunt decreta circa Diuina Officia: Alterum verò Capitulum celebratum eſt *Aſsiſii*, in quo iterùm decretum eſt, vt obſeruarentur per vniuerſum Ordinem *Conſtitutiones S. Bonauenturæ* in duodecim capita diſtributæ, quas & Generalis per omnes Prouincias miſit, & publicari ac obſeruari mandauit: vndè, etſi nihil de ſuo addiderit, vocatæ ſunt *Conſtitutiones Farinerii*. Hic autem Statuta cum cœpiſſent vniuerſaliter obſeruari, tantum fructum in Ordine cauſauerunt, vt in omnibus ferè Prouinciis velut ſemina fuerint ad futuram obſeruantiam, quæ pauco poſt tempore in F. *Paulutio de Trincis* incœpit continuis vſque ad tempora S. *Bernardini* incrementis.

Renouatur ſtatuta Narbonenſia.

Quo fructu.

Exſurrexerat quidem ſub his temporibus F. *Gentilis de Spoleto*,

leto, qui ad rigorosam obseruantiam aspirans, à *Clemente* VI. pro se & sibi adhærentibus quatuor paruos Conuentus in Prouincia S. *Francisci* impetrauerat, cum facultate in singulis recipiendi duodecim Fratres; verùm quia à regimine Generalis, & Ministrorum Prouincialium, se subtraxerant, quamuis piissimi piissimè viuerent, reclamante Ministro Generali, ac Patribus Capituli Assisiatis, apud *Innocentium* VI. dissipata, Congregatio fuit, & fratres ad Conuentus communes reducti sunt: qui tamen posteà sub F. *Paulutio*, firmioribus principiis, & melioribus modis, intentum pium sunt consecuti; vt suo loco insinuabitur. Gentilis de Spoleto zelat obseruantiam.

Anno tandem 1356. dum prudenter Ordinem gubernat F. *Guilhelmus Farinerii* Generalis, ab *Innocentio* VI. ad *Cardinalatum* sub titulo *SS. Petri & Marcellini* est reuectus; relicto tamen ei, auctoritate Pontificis, Religionis gubernio usque ad Comitia Generalia sequentia.

VIGESIMVSSECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM

F. IOANNES de Buco.

ANno 1357. indicto Capitulo Generali *Barchinonæ*, præside *Guilhelmo Farinerii*, vt Ordinis Vicario, electus est in Ministrum Generalem, F. *Ioannes de Buco*, aliàs, *Bucchio*, prouinciæ Aquitaniæ; qui *anno* sequenti 1358. in Conuentu Baluensi, prouinciæ Burgundiæ, dum Patres ad Capitulum Generale conuocauit, 5. Maii mortuus est, & regimen Ordinis iterum Cardinali *Farinerio*, sub titulo Vicarii, concreditum fuit.

VIGESIMVSTERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. MARCVS de Viterbio.

Anno 1359. indictis Comitiis Generalibus *Ianuæ* per *Farinerium* Cardinalem, in Generalem Ministrum electus est, F. *Marcus de Viterbio*, Prouinciæ Romanæ; qui velut *Angelus pacis* à Summo Pontifice *Vrbano* V. ad Principes Sabaudiæ, ad Pisanos, & Florentinos, necnon ad Italiæ tumultus

ſedandos, miſſus, omnes diſcordias mirâ dexteritate, & incredibili facilitate, pauciſsimo tempore ſedauit, & pro meritis Cardinalatiâ dignitate Tituli S. *Praxedis* ab eodem Pontifice donatus eſt 14. Octob. 1366.

Nec huic Generali defuit zelus pro Ordine, quamuis rebus maximis à Summis Pontificibus pro vniuerſali Eccleſiâ applicatus foret, quippe qui obſeruantiam Regulæ in omnibus promouit.

VIGESIMVSQVARTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. THOMAS Farignanus de Bononia.

ANno 1367. 6. *Iunii* in feſto Pentecoſtes *Aſsiſii*, præſidente Capitulo Generali *Nicolao* Ordinis Protectore, omnium ſuffragiis, electus eſt in Generalem Miniſtrum, F. *Thomas Farignanus* de Bononia, S. Theologiæ Magiſter, & in Academia Bononienſi Profeſſor, & Prouinciæ Bononienſis Miniſter. Hic fuit Regulæ ſuæ aſſertor, & Ordinis ſibi commiſsi paſtor vigilantiſsimus, ſub quo feliciter incœperunt primordia Reformationis Obſeruantiæ Regularis; F. *Paulutio de Trincis* Fulginate (qui zelum paupertatis, & ſtrictioris diſciplinæ hauſerat à piiſsimis Patribus F. *Ioanne de Vallibus*, & F. *Gentili Spoletano*) Obſeruantiæ prima fundamenta jaciente. Sic verò ordinatè, humiliter; ac ſtabiliter initia Obſeruantiæ jacta ſunt ad *annum* 1369.

Pauluſ de Trincis *inchoat Reformationem obſeruantiæ Regularis.*

Frater *Paulutius*, ſiue *Paulus de Trincis* Fulginas, genere & pietate ſpectabilis, etſi formâ corporis, & aliis naturæ accidentibus contemptibilis (ex quibus dictus eſt *Paulutius*) poſt tribulationes, cum Fratribus ſpiritualibus aliàs diſsipatis perpeſſas, de licentia Superiorum in turrim quamdam, ſibi ab *Hugolino de Trincis*, Fulginei Principe, ſuo conſanguineo, in eadem ciuitate conceſſam, ſolitariè victurus receperat; in qua oratione, & contemplatione, ac jejuniis, & auſteritatibus, ſpiritum & corpus Deo ſacrificans, odorem ſuauiſsimum ſanctitatis longius exhalabat, & fratres ſui Ordinis ad perfectionis ſtudium litteris aliquando incitabat, & anhelantes confortabat: vnde in augurium futurorum cùm quadam die in illa turri vehementius pro Regulæ zelatoribus oraret, tanto feruore repletus eſt, vt tota turris foris ignita apparuerit, flammis tectum ſuperantibus; quo igne excitatus populus

Miraculum.

lus ad turrim accurrens, inuenit solum F. *Paulutium*, in oratione raptum, & flammis circumamictum, intacto corpore, ædificioque toto integro. Quæ res diuulgata magnam causauit omnibus vicinis ad virum sanctum deuotionem, & reuerentiam, isto rumore sanctitatis vbique sparso. Quod quidem portentum non sine effectu mansit: Dum enim feruentibus illis exercitiis vacat, & rem Dei *Paulutius* prosequitur, F. *Thomas Farignanus* Generalis Fulgineum venit, Capitulum Prouinciale Prouinciæ S. Francisci ibidem celebraturus: quem cùm *Hugolinus* Princeps loci honorificè, datis etiam Capituli expensis, recepisset, Patribus Capitularibus omnibus Principi congratulantibus in recessu, hoc vnicum Princeps pro F. *Paulutio* petiit beneficium; vt cum aliquot sociis illi liceret se recipere in tuguriolum *montis Bruliani*. Postulationi annuit (quamuis aliis Patribus posteà dissuadentibus) Minister Generalis. In locum ergo illum, verè ex circumstantiis horridum, sub obedientia, & fauore P. Generalis, statim transiit F. *Paulutius*, & socios adhærentes habuit (inter quos F. *Angelus de Monte-Leonis*, & F. *Ioannes à Stronconio* insignes concionatores eminebant) ac tantisper obseruantiæ spiritus crescens pauco tempore ita inualuit, vt à præfato Generali, & successoribus varia Cœnobiola in Prouinciis S. Francisci, Romana, & Thusciæ fratres illi obtinerent; sicque in Corpore Ordinis, sub obedientia ordinata Ministri Generalis, absque aliqua ab Ordine diuisione, Reformatio Obseruantiæ sub hoc Generali incipiens vniuersum Ordinem & orbem impleuit.

Obtinet locum montis Bruliani.

Deinde alia.

Verùm beneuolentia Generalis erga istos Fratres suas postmodum, procurante satanâ, passa est tentationes: nam à Regulæ relaxatoribus (dissimulato tamen hoc in zelatores beneficio) *Farignanus* Minister apud Pontificem accusatus est, quasi de fide non benè sentiret. Et quidem per sesquiannum circa has calumnias occupatus, & à regimine suspensus, tandem Romæ in Ecclesia S. Petri publicè coram tribus Cardinalibus, Prælatis multis, & Religiosorum copiosa multitudine, probatâ per centum testes & ampliùs suâ innocentiâ, cum confusione aduersariorum dignitati & regimini restitutus est, in quo vsque ad *annum* 1372. perseuerauit, ad Patriarchatum Gradensem à *Gregorio* XI. & posteà ad Cardinalatum assumptus.

Accusatur Generalis apud Pontificem.

Suspenditur ab officio.

Restituitur.

VI-

VIGESIMVSQVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. LEONARDVS de Giffonibus.

ANno 1373. congregato Capitulo Generali Tholosæ ob promotionem F. *Thomæ Farignani* ad Gradensem Patriarchatum superiori anno factam, electus est in Ministrum Generalem F. *Leonardus de Giffonibus* Minister Prouinciæ Terræ-Laboris. Et hoc quidem Capitulum honorauit Pontifex tribus *Diplomatibus*, quibus pro suo in Ordinem affectu hortabatur Vocales, vt Ministrum Generalem eligerent, qualitatibus, quas in descriptione Ministri Generalis requirebat S. *Franciscus*, ornatum; Instabat præterea vt etiam postularent Protectorem, qui Ordinis profectui, & patrocinio inuigilaret; denique prohibebat, ne Generales Ministri, in terras longinqnas proficiscentes, constituerent Vicarios alios, quàm ex Ordine, & Ordini subditos; quia per abusum interdum committebant in absentia sua aliquibus Cardinalibus, vel Episcopis, regimen Ordinis.

Paulus de Traincis fit Superior Obseruantiæ.

Fuit hic Generalis Obseruantiæ sanctæ faustis principiis, quippe qui F. *Paulum de Trincis* in suo viuendi modo cum sociis confortauit, & super omnium Eremitoriorum & paruorum conuentuum Guardianos Superiorem, sub Generalis Ministri obedientia, constituit.

VIGESIMVSSEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. LVDOVICVS Venetus, alias, Donatus.

ANno 1379. Capitulum Generale celebratum est *Strigonii* in Hungaria ad preces *Ludouici* Regis, consanguinei S. *Ludouici* Episcopi, & matris ejus *Elizabethæ*, propter affectum, quem ad Ordinem Minorum gerebant. In his Comitiis in Generalem Ministrum est electus F. *Ludouicus Venetus*, aliàs, *Donatus*, Minister Prouinciæ S. Antonii, qui superiori anno per *Vrbanum* VI. (deposito à Generalatu F. *Leonardo Giffono*, eò quod Antipapæ partes sequi diceretur, & ab eo pileum Cardinalitium recipere recusasset) Vicarius Ordinis fuerat institutus.

In

In his Comitiis Actum est de electione & exercitatione doctorum Religiosorum, qui ad infidelium partes mitti possent, in subsidium eorum, qui jam laborabant, & quorum imminuebatur numerus. Actum est etiam de idoneis ad præfecturas promouendis, & de extirpandis abusibus in Ordinem irrepentibus.

Fuit etiam hic Generalis Obseruantiæ incrementis, in omnibus quæ ad illius propagationem ordinatam pertinebant, operam suam & auctoritatem communicando. *Ordinationes Capituli.*

VIGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PETRVS de Cassana.

Ludouicus Venetus ad Cardinalatum ad *annum* 1383 euectus, tamquam Ordinis Vicarius Comitia Generalia eodem anno *Ferrariæ* conuocauit; in quibus electus est in Generalem Ministrum F. *Petrus de Cassana* S. Theologiæ Magister, & Prouinciæ Pennensis Præfectus; qui Ordinem vno tantùm anno, & aliquot mensibus rexit, mortuus dum visitaret Prouinciam Hetruriæ in Conuentu Pistorienſi.

VIGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. MARTINVS à S. Georgio.

DEfuncto F. *Petro de Cassana*, indictum est Capitulum Generale *Patauii anno* 1385. in quo in Ministrum Generalem electus est F. *Martinus à S. Georgio*, Prouinciæ Ianuensis Custos.

Annotatio de Schismate.

Hîc breuiter aliqua notanda sunt super Schismate, quod defuncto *Gregorio* XI. Ecclesiam afflixit: Electo quidem primò ad annum 1378. *Vrbano* VI. & in Sede Petri Romæ collocato, sed posteà ortis grauissimis dissidiis à Gallis Cardinalibus, potissimum *Fundis* concurrentibus, & illuc evocatis Italis, qui Cardinalem Gebennensem (qui *Clementis* VII. nomen sibi assumpsit) per electionem nouam in

Pontificatum ſubſtituerunt: qui & *Auinione* locum ſibi delegit, quia ſoli ferè Galli illum primò ſequebantur, quamuis poſteà etiam alii illi adhæſerint. Ratione igitur iſtius Schiſmatis nonnihil Ordo paſſus eſt, & vt fieri ſolet, Regnis & Prouinciis Principes ſuos in hujuſmodi ſequentibus, in aliquibus etiam Ordinis Prouinciis aliqui ſibi Generales aggregare tentarunt, præter eum, quem ſanior pars Ordinis, Romanæ Eccleſiæ adhærens, ordinario modo in Comitiis Generalibus eligebat. Vnus autem potiſsimùm refertur, qui *Anti-Miniſtri* locum tenuit, numquam tamen in numerum Miniſtrorum Generalium adſcriptus; F. *Angelus*, ignoti prorſus cognominis, qui, Præſide F. *Leonardo Giffono*, ad partes *Clementis* declinante, Neapoli in conuenticulo aliquo tumultuario paucorum Fratrum, electus eſt Miniſter Generalis, & pro Generali Miniſtro ſe geſsit multis annis vſque ad tempora *Benedicti* XIII. Per hunc Anti-Miniſtrum Generalem Patribus in prouincia Turoniæ ſub Obſeruantia Regulari ſe reformare volentibus, primus *Conuentus Mirabellanus* diœceſis Pictauienſis datus fuit, è quo poſteà (aggregatis vndecim aliis locis intra limites Prouinciarum Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ) fauente F. *Ioanne Philippi* Miniſtro Prouinciali Turoniæ, pauco tempore mira incrementa Regularis Obſeruantia conſecuta eſt.

Creatur in ſciſmate Anti-miniſter Generalis F. Angelus.

Fauet hic obſeruantia.

Alii Anti-miniſtri referuntur.

Si qui fortè alii Miniſtri Generales ab enumeratis, vel enumerandis in hoc cathalogo, in hiſtoriis referantur, *Pſeudo-Miniſtri* habendi ſunt: vt fuerunt ſequentes; F. *Guilhelmus de Iannettis*, qui vero Miniſtro Generali F. *Antonio de Piceto* ſecedente ob Schiſma ad Apontios, Generalis nominatus fuit, cui tamen paucæ prouinciæ obedierunt. Alter fuit F. *Ioannes Bardolim anno* 1409. qui apparenter F. *Angelo*, de quo ſuprà, ſucceſſerat. Refertur & ad *annum* 1443. quidem F. *Matthias Doringus*, Saxoniæ Miniſter, in diſsidio Baſileenſi *Bernæ*, nominatus; qui omnes tamquàm *Pſeudo-Miniſtri* à linea legitima excluduntur.

VI-

VIGESIMVS-NONVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. HENRICVS Astensis, aliàs, Alferus.

ANno 1387, *Florentiæ* conuocatum est Capitulum Generale; in quo electus est in Ministrum Generalem, F. *Henricus Astensis*, aliàs, *Alferus*, Prouinciæ *Ianuæ*; qui mortuo F. *Martino à S. Georgio* Vicarius Generalis ab *Vrbano* VI. factus fuerat, & Capitulo præsedit; qui etiam cum Patribus congregatis præcedentium Capitulorum constitutiones pro Regulæ obseruantia confirmauit.

Et hic Generalis multùm Obseruantiæ Regulari surgenti fauit; quippe qui ad *annum* 1388. F. *Paulum* siue *Paulutium de Trincis* super quindecim loca, quæ habebat, suum Commissarium cum plenitudine potestatis instituit, & alios suo loco Commissarios eligendi potestatem dedit. Fauerat & F. *Paulutio* F. *Guilhelmus Astensis* Minister prouinciæ S. *Francisci*, qui suam auctoritatem plenariam ad *annum* 1384. cum potestate recipiendi nouitios eidem F. *Paulutio* communicauerat, & facultatem dederat nouos Conuentus ædificandi.

Constituit Astensis Paulutium Commissarium super 15. loca.

Sub hoc Generali celebrata sunt plura Capitula Generalia. Primum *Coloniæ* ad *annum* 1392. Secundum *Arimini* ad *annum* 1396. Tertium *Assisii* ad *annum* 1399.

TRIGESIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANTONIVS de Pireto.

ANno 1405. mortuo F. *Henrico Astensi* post 18. annos regiminis, celebratis Comitiis Generalibus *Argentinæ*, siue, vt aliis placet, *Monachii* in Bauaria, ibidem eodem anno in Ministrum Generalem electus est, F. *Antonius de Pireto*, Prouinciæ Romanæ.

Hic non minori affectu prosecutus est nouellam Congregationem Obseruantiæ Regularis, quàm suus Prædecessor: vnde & F. *Ioannem de Stronconio*, qui F. *Paulo de Trincis* in Præfectura dictæ Congregationis successerat, Commissarium confirmauit, & super istam Familiam Vicarium appellari

Ioannem à Stronconio Paulutii successorem confirmat &c.

lari voluit, multaque præstitit, vt ista familia in totius Religionis bonum promoueretur; qui & expulsos à Conuentibus in Prouincia Turoniæ restituit, & domicilia plurima illis elargitus est.

TRIGESIMVS PRIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANGELVS Saluettus.

MOrtuo *anno* 1420. F. *Antonio de Pireto*, anno sequenti celebratum est Capitulum Generale *Forliuii* in Æmilia; in quo in Ministrum Generalem electus fuit, F. *Angelus Saluettus*, ex Magistro sacri Collegii Bononiensis, Minister Hetruriæ. Nec minùs hic fouit familiam Obseruantiæ Regularis; quippe qui & in hoc Capitulo multo zelo Paupertatis restitutionem pro toto Ordine vrsit. Ordinem rexit duobus tantùm annis, & mensibus quinque, *Senis* mortuus *anno* 1423.

Fouet Obseruantiam.

TRIGESIMVS SECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANTONIVS de Massa.

MOrtuò F. *Angelo Saluetto*, Summus Pontifex *Martinus* V. Vicarium Ordinis instituit, F. *Antonium de Massa*, S. Theologiæ Magistrum, vsque ad Comitia Generalia: quæ *anno* 1424. conuocata sunt *Ferrariæ*; Vbi de voto & dispensatione Pontificis (cùm esset Capituli Præses, & hoc titulo ineligibilis) idem F. *Antonius de Massa* electus est in Ministrum Generalem, sed infausto Religioni omine; Qui enim erat doctissimus & facundissimus concionator, malus & negligentissimus fuit commissi sibi gregis pastor: nam quæ à Prædecessore multo zelo inchoata erant, maximè in articulis Paupertatis, Reformatio, sub illo tota euanuit, languente disciplinâ Regulari, & variis corruptelis subintrantibus, quibus conniuebat: & quantùm Prædecessores Familiæ Obseruantiæ, & ejus zelatoribus fauerant, tantùm ipse eis contrarius erat: Deo quidem sic prouidente, vt Familiâ Obseruantiæ exaltaretur, prout & in Concilio Constantiensi imminente factum est.

Aduersatur Obseruantiæ.

Vnde

Vnde & *Martinus* V. (qui *anno* 1429. indixerat pro anno sequenti Capitulum Generale in ciuitate *Leodiensi*, & mutatâ mente ipsum *Romæ* congregare proposuerat) tandem in festum SS^mæ. Trinitatis *Assisium* transtulit, & omnes Vocales, tam qui sub Ministris, quàm qui sub Vicariis Obseruantiæ viuebant, per obedientiæ præceptum illuc conuenire mandauit, in quo maximæ querimoniæ contra *Antonium de Massa*, Ministrum Generalem, delatæ, & probatæ sunt, & ipse ab Officio pro demeritis depositus, Episcopus tamen patriæ suæ factus est. Et hoc fuit primum *Generalissimum Capitulum*.

Deponitur ab officio.

TRIGESIMVSTERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM.

F. GUILHELMVS Cassali.

ANno 1430. in Generalissimo Capitulo Assisii, vbi tam Patres *de Communitate*, quàm *Familiæ Obseruantiæ Regularis* juxta mandatum Summi Pontificis ad vnionem conciliandam conuenerant Præside *Ioanne Ceruantes*, tit. S. Petri ad vincula S. R. E. Cardinali, depositio F. *Antonio de Massa*, omnium suffragiis electus est in Generalem Ministrum totius Ordinis, F. *Guilhelmus de Cassali*.

Hic vir, vtique doctus, pius, & religiosus, in omni virtute conspicuus, Ordinis Reformationem maximè zelauit, *Familiam Obseruantiæ*, vt potuit, & quantum potuit, adjuuit, & vt vniuersus Ordo in perfectam Regulæ obseruantiam conueniret, omnem operam & industriam adhibuit: ac (cooperante suâ sapientiâ & consiliis F. *Ioanne Capistrano*) communes leges constitutæ sunt, ad quas obseruandas vtraque pars *Iure jurando* se adstingeret: & quamuis pauca essent, quæ humilem & pauperculum statum *Obseruantum* illius temporis respicerent, ipsi tamen *Obseruantes* illis condescendebant, vt illarum vi & virtute omnes abusus, qui in *Communitatem Fratrum* irrepserant, eliminarentur, & perfecta Regulæ obseruantia in toto *Religionis Corpore* stabilius firmari posset. Ista sunt *Statuta*, quæ *Martiniana* vocantur, quia *Martini* V. auctoritate stabilita fuerunt.

Zelat vniuersalem Regulæ Obseruantiam.

Statuta Martiniana.

Verùm Capitulo dissoluto, qui ex parte *Communitatis* erant, à bonis propositis resilierunt, & dispensationem à Iuramento de obseruandis statutis petierunt, & ipse etiam Generalis tædio affectus eandem dispensationem à suo Iuramento obti-

Sed inconstanter agit.

nuit, & plus æquo *Fratribus de Communitate*, vt dispensationes obtinerent pro sua infirmitate condescendit: *Obseruantium* tamen partibus semper fauens, & obseruantiam promouens. Quo factum est, vt Obseruantiæ Regularis Patres sub *Eugenio* IV. sibi melius consulere voluerint, & aliam regiminis formam delegerint, donec totum *Corpus Ordinis* in Regulæ perfecta obseruatione restitueretur, vt posteà distinctiùs dicetur. Cæterum administrato Ordinis regimine 13. annis *Guilhelmus de Cassali Florentiæ* piè mortuus est *anno salutis* 1442.

TRIGESIMVS-QVARTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANTONIVS de Rusconibus.

MOrtuo F. *Guilhelmo de Cassali* institutus est à Summo Pontifice *Eugenio* Vicarius Generalis Ordinis vsque ad Comitia Generalia, F. *Albertus de Sartiano*, vir doctrinâ, pietate, & religiosâ vitâ insignis, ex familia Obseruantium, qui ad annum sequentem 1443. indixit Comitia Generalia *Patauii*: in quibus vtriusque familiæ Patres, tam *de Communitate*, quàm *de Obseruantia*, ad bis mille conuenerunt. In hoc Capitulo magna fuit suffragiorum discordia pro electione Generalis, *Eugenio* IV. desiderante, vt *Albertus Sartianus*, qui vtrique parti familiaris fuerat, in Ministrum Generalem assumeretur: verùm Patres *de Communitate* pro vno ex suis agebant, & *S. Bernardinus de Senis*, quod (vt de eo scribitur) in oratione didicisset, *Obseruantiam adhuc in suis exordiis debilem B. P. Alberto indigere*, instabat apud familiam Obseruantiæ, vt F. *Antonius de Rusconibus* eligeretur. *Anno* igitur 1443. 8. *Maii* pluralitate suffragiorum electus est in Ministrum Generalem, F. *Antonius de Rusconibus*, Prouinciæ Mediolanensis, vir doctrinâ & sanguine illustris, quem & Pontifex, etsi ægrè, confirmauit, eique mandauit, vt duos Vicarios Generales pro vtraque respectiuè familia, Cismontana & Vltramontana, fratrum Obseruantiæ constitueret.

Huic Capitulo 2000. Fratres interfuit.

Discordant in electione.

Agit S. Bernardinus pro F. Antonio, qui eligitur.

Cùm igitur S. *Bernardinus*, qui superioribus annis vniuersæ Familiæ Obseruantiæ Vicarius Generalis fuerat, pertæsus laborum obtinuisset à Pontifice absolutionem à Vicariatu; Minister Generalis duos Vicarios Generales pro Obseruantia substituit; & quidem F. *Ioannem de Capistrano* præfecit Citra-

S. Bernardinus cedit Vicariatus Generali, cui duo alii substituuntur.

Citramontanæ Romanis Familiæ; *F.* autem *Ioannem de Mauberto* pro Vltramontana, communicatâ etiàm ipsis, de consilio, & judicio Cardinalium, & voluntate Pontificis, omni potestate, quâ Generalis in vniuersum Ordinem pollebat. Quas Commissiones suis Litteris Pontifex ad majorem stabilitatem confirmauit; sicque sacra Obseruantiæ Familia stabilita, mira augmenta accepit.

Porrò F. *Antonius de Rusconibus* sex annis dumtaxat Ordinem rexit, *anno* 1449. febre extinctus *Florentiæ* in festo S. Laurentii. Cujus morte Pontifici *Nicolao* V. significatâ, institutus est vsque ad proxima Comitia Generalia Ordinis Vicarius Generalis F. *Angelus Serpetrus* Perusinus, Ordinis Procurator Generalis.

TRIGESIMVS-QVINTVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANGELVS à Perusio.

ANno 1450. dum maxima multitudo Fratrum, ratione Iubilei, & Canonizationis *S. Bernardini*, quæ tunc celebrabatur, *Romæ* conueniisset, *Nicolaus* V. pro suo in Ordinem affectu Comitia Generalia ad 24. Maii ibidem celebrauit, & ipso Pontifice præside, in Ministrum Generalem, omnium votis, electus est, F. *Angelus de Perusio*, qui Procurator, & Vicarius Generalis erat, ac S. Theologiæ Magister.

Hic iterum F. *Ioannem Capistranum* in officio Vicariatus cum plenissima potestate confirmauit. Quem anno primo regiminis mortuum aliqui asserunt, alii, cum R^mo P. *Gonzaga*, illi triennium assignant.

TRIGESIMVS-SEXTVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM.

F. IACOBVS à Mozanica.

ANno 1454. in Capitulo Generali *Bononiæ* celebrato electus est in Ministrum Generalem, F. *Iacobus à Mozanica*, Prouinciæ Mediolanensis, à quo *Constitutiones Benedicti* XII. & *Guilhelmi Farignerii* iterum confirmatæ sunt, & ampliatæ,

tæ, & vt obseruarentur præceptum obedientiæ est adjunctum.

Hic mortuo *Nicolao* V. celebrauit Capitulum Generale *Mediolani*, tempore *Calixti* III. à quo cum aliqua immutata essent circa Familiam Obseruantiæ, illud quidem obseruatum fuit, vt Minister Generalis ex tribus sibi præsentatis vnum Vicarium Obseruantiæ nominaret, quod & fecit, constituens Vicarium Obseruantiæ *F. Theodoricum Aurigæ*. Multa in hoc Capitulo acta sunt ad vnionem totius Ordinis, Duce Mediolanensi *Francisco Sfortiâ* id vrgente, seb absque effectu, pacificè tamen res actæ sunt; & F. *Iacobus de Mozanica* eodem *anno* 1457. *Mediolani* 9. *Iulii* cessit è vita. Cujus morte auditâ Pontifex *Calixtus* III. Vicarium Generalem nominauit, F. *Iacobum de Saczuela*, Aragoniæ Ministrum, genere Catalanum.

TRIGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IACOBVS de Saczuela.

Obseruantes ad hanc electionem non conuenerunt.

ANno Domini 1458. de mandato *Calixti* III. indictum est Capitulum Generale Romæ in Conuentu de Ara Cœli; in quo, etsi juxta *Calixtinam* deberent ad suffragia concurrere Obseruantes, Pontifex tamen disposuit, vt illâ vice non conuenirent, sed vtraque Familia, tam Cismontana, quàm Vltramontana, suos eligerent, vt moris erat, Vicarios. Separatis itaque Obseruantibus, concordibus omnium suffragiis, electus est in Ministrum Generalem, qui priùs nominatus fuerat Vicarius, F. *Iacobus de Saczuela*, Aragoniæ Minister; quem, nescio quâ ratione, Firmamentum Ordinis, & alii Historiographi in ordine Ministrorum Generalium omiserunt, quem tamen ponit R^mus *Gonzaga*. Rexit Ordinem sex annis, assistente sibi tribus posterioribus, ob ejus nimiam senectutem, F. *Francisco de Sauona*, tanquam Ordinis Vicario.

Hunc ex errore aliqui omittunt.

TRIGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCICVS de Ruuere, siue, de Sauona.

Laus huius Generalis.

ANno 1464. indictis Comitiis in vrbe *Perusina*, Officio Generalis renuntiante, F. *Iacobo de Saczuela*, electus est, omnium suffragiis, F. *Franciscus de Sauona*, vir dignissimus, &

in

in omni virtutum genere exercitatus; qui tanquam Angelus Dei, tam à fratribus de Communitate, quàm à Familia Obseruantiæ, maximo honore & applausu, vt verè merebatur, est exceptus.

Hic se verè Patrem omnibus exhibuit, & ad concordiam totius Ordinis pro vtroque membro impensè laborauit; Qui & rebus ad Ordinis reformationem bene gestis, à *Paulo* II. ad *annum* 1468. *Cardinalis* tit. S. Petri ad vincula renuntiatus, ad *annum* 1471. 5. *Idus* Augusti, *Paulo* II. è viuis excedente, ad Summi Pontificatus apicem (vt prædixerat B. *Iacobus à Marchia*) eleuatus est, dictus *Sixtus* IV.

Primum Card. de- in Pontifex creatur.

TRIGESIMVS NONVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ZANETTVS, siue IOANNES de Vtino.

ANno 1469. F. *Francisco de Rouere*, siue *de Sauona* ad Cardinalatum promoto, dum sub titulo Vicarii Generalis Ordinem regit, *Venetiis* Comitia Generalia indicit ad 19. *diem* Maii, in quibus in Ministrum Generalem electus est, F. *Zanettus*, siue *Ioannes de Vtino*, Prouinciæ S. Antonii Minister, & S. Theologiæ Magister eruditissimus.

Hic à *Sixto* IV. multa pro Ordinibus tribus obtinuit, & fratribus de Familia Obseruantiæ ita fauit, vt decreto sanciuerit, quatenus Fratres de Familia Obseruantiæ, qui ad Conuentuales confugiebant, omnes ad obedientiam suorum Vicariorum remitterentur: & inter alias zeli sui virtutes plurimùm pro confirmanda Ordinis Altissima Paupertate desudauit. Qui & à *Sixto* IV. Archiepiscopus Thebanensis, & Episcopus Taruisinus nominatus est *anno* 1475.

Fauet Obseruantiæ Regulari.

QVADRAGESIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS Samson.

ASsumpto ad Archiepiscopatum F. *Zanetto*, seu *Ioanne de Vtino*, eodem *anno* 1475. celebratum est Capitulum Generale *Vrbini* in Festo Pentecostes 14. *Maii*, omniumque suffragiis electus est in totius Ordinis Generalem Ministrum

F. Franciſcus Nanis, aliàs *Samſon*, Prouinciæ Thuſciæ Miniſter, cujus doctrina, ſapientia, & virtus erat notiſsima *Sixto* IV. Summo Pontifici.

Hic antiqua iterum inſtaurauit Statuta, celebratis tempore ſui regiminis Generalibus Capitulis, ad annos 1484. 1485. 1488. 1492. 1495. 1498. Rexit autem Ordinem totis 24. annis puritatis Regulæ aſſertor. Vnde aliquando in Capitulo Generali ſuper relaxationibus Fratrum de Communitate ingemiſcens; *Olim* (inquiebat) *in noſtro Ordine ſolebat eſſe & dominari* Vera Conſcientia: *tandem intrante & regnante Scientia dimiſſa eſt prima ſyllaba* (Con.) *& ſolum remanſit Scientia: nunc verò fratrum malitiâ & negligentiâ deperit ſecunda ſyllaba* (Sci) *quia ſcientia & ſtudia depereunt, & ſolum remanet, quod ſequitur in dicto vocabulo, videlicet,* Entia; *quia Fratres moderni, tanquam lapides, beſtiales, & mali, ſine Conſcientia, & Scientia remanent, ſicut entia bruta, & juxta dictum Apoſtoli facti ſunt primùm* velut æs ſonans, *poſtea velut* terra & lapides *ſe invicem collidentes*. Interim dum Fratres de *Communitate* minùs ſe reformant, & *Obſeruantium Familia* ſemper numero & virtute creſcit, ipſe Generalis optimè meritus de omnibus, probitate vitæ, pietate, & doctrinâ conſpicuus moritur *Florentiæ* ad *annum* 1499. *die* 27. Octobris, ætatis *anno* 85.

Regit 24. annis.

Inſignis ejus ſententia.

QVADRAGESIMVS-PRIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM.

F. ÆGIDIVS Delphini.

ANno Iubilei 1500. Capitulum Generale celebratum eſt *Interamnæ*; in quo, qui tanquam Vicarius Generalis præſidebat P. *Ægidius Delphini*, Procurator Ordinis, & Miniſter Orientis, in Generalem Miniſtrum electus eſt.

Hic tam Relaxatis, quam Obſeruantibus ſuſpectus fuit.

De hoc varia referuntur; Et quidem *Fratres Conuentuales*, ſiue *de Communitate* pro hoſte, & inimico ſuo eum habuerunt, eò quod illos reformare voluerit, & Conuentui Pariſienſi ac Studio varias leges impoſuerit, quæ libertatis prioris videbantur deſtructiuæ. Nec *Obſeruantia Regularis* illum ſuſpiciebat, quia ſub titulo reformationis Conuentualium, & vnionis generalis vtriuſque membri, putabant ſuæ Obſeruantiæ non benè conſuli. Quicquid ſit de judiciis variis; Conſtat ex Memoriali Ordinis ipſum in multis conatum *Conuentuales*, ſiue *Fratres de Communitate*, reformare, vt probant *Statuta Alexandrina*, mandato *Alexandri* VI. ab eo compoſita, ad quam re-

Vbique tamen Obſeruantiam promouit.

for-

formationem inducendam visitauit Prouincias Lusitaniæ, Daciæ, & partem Galliarum; Constat etiam ex iis, quæ adhuc in Conuentu Parisiensi visuntur, plura optimè pro illius reformatione statuisse: Constat demum in ipsis Galliis plures Conuentus Obseruantiæ addixisse: Constat præterea illum *Trecis* in Gallia ad *annum* 1503. Capitulum Generale celebrasse, quod vocauit, primum *Capitulum Reformatorum*; in quo voluit primarios Officiales Capituli ex Obseruantia Regulari constitui. Constat tandem illum pro vnione totius Ordinis, tam in Hispania, quàm Romæ apud *Iulium* II. laborasse; à quo ad hunc finem impetrauerat, vt *Capitulum Generalissimum* celebràretur. Cujus verò fuerit intentionis; aut potius, An illa intentio fuerit debitis vestita circumstantiis, vt perfecta Obseruantia vbique posset introduci, prudentum judicio relinquo, nec desunt in vtramque partem argumenta.

1. Capitulum Reformatorum.

Laborat pro vnione.

Cæterum inualescentibus contra eum Conuentualibus reformari nolentibus ad *annum* 1505. Romæ ab officio absolutus est.

Absoluitur ab officio.

QVADRAGESIMVS SECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. REYNALDVS GRATIANVS de Catignola.

ANno 1506. *Romæ* in Capitulo Generalissimo, quod ex mandato *Iulii* II. in Conuentu de Ara Cæli celebratum est in Generalem Ministrum electus est, F. *Reynaldus Gratianus de Catignola*, Prouinciæ Bononiæ Minister, & in S. Theologia Magister.

In quo denuò Capitulo actum est de vnione & concordia inter Conuentuales, & Obseruantes; & vt diuersitas quarundam Congregationum singularium tolleretur, decretum est, vt *Congregationes Amadæorum*, *Clarenorum*, *Coletanorum*, *Fratrum de Caputio*, siue *de S. Euangelio*, infra annum simul cum suis Conuentibus vnirent se, aut Conuentualibus, aut Obseruantibus: Ordinatum etiam est, vt Officium Generalis Ministri deinceps esset sexennale, & alia, ad mutuam pacem & vnionem pertinentia, constituta sunt, & sub hoc Ministro Generali multi Conuentus Familiæ Obseruantiæ sunt adjuncti.

Agitur de vnione, & omnes Reformati vnire se jubentur vel Conuentualibus, vel Obseruantibus.

Officium Generalis fit sexennale.

QVADRAGESIMVS-TERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PHILIPPVS Bagna Cauallus.

Ob immaturam, hujus mortem vnio dilata.

ANno 1510 F. *Raynaldo de Cotignola* ad Archiepiscopatum Aragusinensem à *Iulio* II. promoto, Capitulum Generale *Romæ* in Conuentu duodecim Apostolorum celebratum est; in quo F. *Philippus à Bagna-Cauallo*, Prouinciæ Bononiæ Minister, in Generalem Ministrum cooptatus est. Quo anno sequenti 10. *Septembris* naturæ debitum exsoluente, pia ejus desideria, quibus tandem desiderabat Ordinem vniuersum in vnam Reformationem perfectam coadunare, dilata iterum fuerunt.

QVADRAGESIMVS-QVARTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. BERNADINVS de Prato.

ANno Domini 1512. in Capitulo Generali *Assisiensi* Minister Generalis nominatus est, F. *Bernardinus de Prato*, Prouinciæ Ianuæ Minister, qui vsque ad *annum* 1517. Ordinem rexit, & velut vltimas dispositiones ad vniuersalem Reformationem, aut conseruauit, aut promouit: semper enim singulis Capitulis Generalibus Statuta confirmabantur, & non nihil ad futuram vnionem, etiam Deo sic per contraria sæpè prouidente, disponebantur.

RE-

REFORMATIO GENERALIS ORDINIS sub REGULÆ pura & simplici *obseruantia*.

HIc monendi sunt rerum Ordinis Fratrum Minorum à principio sinceri Lectores.

Primò, Non obstante relaxatorum Fratrum multitudine copiosa, & relaxationibus inter eos vsurpatis, vel etiam sub nomine priuilegiorum introductis, *Ordinem* ipsum, siue *Corpus Ordinis*, prout à S. *Francisco* constitutum est, & cujus regimen *cap.* 8. *Regulæ*. constituitur per Congregationem Ministrorum & Custodum, quorum est cum Generali Ministro de Regulæ obseruantia, & de omni vtilitate hujus Fraternitatis prouidere; Ordinem, inquam, ipsum numquam in aliquas relaxationes condescendisse, aut relaxatorum vitam approbasse: ita vt puritas Regulæ semper affectata ab Ordine fuerit, nec vlla membra viua agnita fuerint, nisi spiritu Regulæ, & S. P. N. *Francisci*, animarentur: Quod si igitur aliquà membra à Regulæ spiritu deuiantia fuerint, vel vt morbida, & putrida vel vt mortua, habita sunt: sicut enim in initio hujus Chronologiæ præfati fuimus: *Non omnes, qui sunt ex Israël, ii sunt Israëlitæ, nec qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii promissionis* soli *æstimantur in semine*; & sicut olim in *Isaac*, sic in *Francisco* vocabitur nobis semen. Zizania vtique etsi in agro crescant, de agri semine non sunt, nec mali pisces intra eandem sagenam cum cæteris eliguntur, sed reiiciuntur. Hæc porrò ita se habuisse ab initio Ordinis vsque ad *annum* 1517. ad quem in Chronologia deuenimus;

Corpus Ordinis numquam in priuilegia Relaxantia Regulam consensit.

Relaxati pro membris putridis habiti.

Rom. 9. 6. 7. 8. Gen. 21. vers. 12. Matth. 13. ibid.

Constat 1. Ex Capitibus, siue Ministris Generalibus; qui omnes, juxta ea, quæ à nobis recensita sunt, semper super obseruantia Regulæ institerunt, præter duos, F. *Heliam de Cortona*, & F. *Antonium de Massa*: Quorum prior maledictione S. P. N. *Francisci* abscissus extra Ordinem, vt illi prædixerat, mortuus est; quippe qui quoties in administrationem Generalatus, siue assumptus siue intrusus fuit, semper confusibiliter depositus est, quia Fraternitati pernitiosus: Quo etiam judicio F. *Antonius de Massa*, vt suprà retulimus, ab officio Generalatus depositus fuit.

Omnes Ministri Generales (duobus exceptis) zelarunt Regulæ Obseruantiam.

2 Ex omnium Generalium Capitulorum Decretis, & constitutionibus, manifestum euadit, Regulæ puritatem semper asser-

Generalia Capitula eam asseruerunt.

assertam, & vt Ordini necessariam, agnitam; Cum omnia decreta & Statuta Capitulorum ad hoc ipsum huc vsque collimauerint, vt Regula juxta puritatem suam ab omnibus obseruaretur.

Ad hoc obtenta declarationes Pontificia.

3. Idipsum constat ex eo, quod, ne ratiocinationes humanæ Regulam inficerent, requisitæ sint declarationes Summorum Pontificum, vt de intentione S. Patris constaret: quas accuratissimas dederunt *Gregorius* IX. *Innocentius* IV. *Nicolaus* III. *Clemens* V. *Ioannes* XXII. quibus Ordo vniuersus adhæsit.

Multitudo Zelatorum obseruantiam probant & continuatam.

4. Multitudo Fratrum zelatorum, quibus Ordo in sua integritate conseruabatur, hanc continuatam Regulæ obseruantiam declamat: Nullo enim vnquam tempore defuerunt, qui non tantùm vitâ, exemplo, & doctrinâ Regulæ puritatem adstruerent, sed etiam externis actibus publicis illam defenderent: sic S. *Antonius Paduanus* & F. *Adamus de Marisco*, publicè se *Heliæ* opposuerunt; sic pusilli greges *Cæsarenorum* & *Clarenorum* pro protestantibus de Regulæ puritate contra relaxatos habiti sunt: sic amplissima illa Familia *Obseruantiæ Regularis* victoriam contra *Communitatem* relaxatorum obtinuit: Nec in

Etiam in Fratrum Communitate.

ipsa *Communitate* Fratrum deerant viri sancti, & magni puritatis Regulæ assertores, qui ad clauum Ordinis tenendum eluabantur, & nauiculam *Francisci* inter fluctus feri maris gubernabant, & conseruabant; quin & inter infirmam plebeculam non deerant permixti boni, præter eos, qui vel sub Ministris reformatè viuebant, vt *Coletani*; vel Societates sibi conciliauerant, vt *Amadæi*, *Caperolani*, *Fratres de Caputio*, siue *de S. Euangelio*, qui omnes pro Regulæ puritate decertabant.

Reformatio Obseruantiæ nunquam recessit à corpore Ordinis.

Secundo monendi sunt Lectores: Sacram illam & vniuersalem *Reformationem Obseruantiæ* nunquam ab vnitate Ordinis recessisse; ab eo enim tempore, quo ad *annum* 1368. F. *Paulutius*, siue *Paulus de Trincis*, prima jecit semina *Familiæ Obseruantiæ*, semper sub regimine & protectione Generalium Ministrorum *Obseruantia* remansit; & quamuis tam F. *Paulutio*, quàm ejus successori F. *Ioanni de Stronconio* potestas data sit super fratres qui eis adunabantur, nihilominùs illa potestas *Vicaria* tantùm erat, & à Ministro Generali dependebat, & dependenter administrabatur. Vndè nunquam *Obseruantiæ Familia* se ab Ordinis Corpore subtrahere voluit, cujus intentum erat; vt totus Ordo sub vno Capite, & legitimis Superioribus in Regulæ pura obseruantia adunaretur. Quod sequens Historia declarabit.

Potestas Obseruantiæ superioribus data, qualis?

Quid egerint Obseruantes pro Vnione Ordinis in pura Obseruantia.

Cùm igitur *Familia Obseruantiæ Regularis*, tam sub S. *Bernardino*, ab *anno* 1421. instituto Vicario per F. *Angelum Saluettum*, quàm

quam sub Fratre *Nicolao Vzzano*, ac F. *Angelo de Ciuitella* succes-
soribus ejus mirum in modum ampliata esset, ita vt Vicarii
plures multiplicandi forent, actum est apud *Martinum* V. Pon-
tificem, vt sublatis omnibus relaxationibus, Totus tandem
Ordo vniretur. Quod etiam Patres Obseruantiæ contende-
bant (inter quos primas partes agebat F. *Ioannes Capistranus*,
qui contra calumnias intollerabiles à Conuentualibus Ob-
seruantibus inflictas Obseruantiam coram Cardinalibus de-
fenderat) vt sic omnibus manifestum esset Fratres Familiæ Ob-
seruantiæ tantùm intendere puritatem Regulæ, sartam tectam
vniuersaliter, non autem diuisionem obedientiæ. Igitur ad
hunc effectum Summus Pontifex curauit primum Generalis-
simum Capitulum *Assisii* ad *annum* 1430. conuocari, in quo
omnes vtriusque partis, tam de Communitate, quam Ob-
seruantiæ, Patres conuenerunt, & consentientibus omnibus
Statuta (quæ *Martiniana* dicta sunt) explicatiua Regulæ in
sua puritate, condita sunt, in quorum obseruationem omnes
vtriusque partis, vt tolleretur omnis distinctio, juraverant,
specialiter, vt nuper diximus, Generalis Minister *Guilhelmus*
de Cassali. Iamque vnio, sub pura Regulæ Obseruantia, perfecta
stetisset, nisi ipse Generalis Minister ob difficultates, quas
patiebatur, & Conuentuales se à juramento absolui impe-
trassent, & vt iterum Statuta illa in multis relaxarentur, ob-
tinuissent. Per quæ omnia cùm à scopo intentæ vnionis per re-
stitutionem puritatis Regulæ omninò deuiaretur, & janua
relaxationibus iterum aperiretur, & sic Familia Obseruantiæ,
à suis jam fundamentis & incrementis puritatis Regulæ, tot
laboribus restitutæ, deturbaretur, Summus Pontifex *Euge-*
nius IV. *Martini* successor de omnibus informatus, Familiam
Obseruantiæ in suo instituto confirmauit, S. *Bernardinum* Vi-
carium Generalem Familiæ per Ministrum Generalem to-
tius Ordinis institui mandauit, & Vicarios Prouinciales su-
per Fratres Familiæ per Prouincias dispersos præfici voluit;
manente tamen semper dependentiâ à Capite Ordinis, tan-
tum proviso nè à Ministris Generalibus vel Prouincialibus
Obseruantes in suo instituto piissimo turbarentur. Vnde ex
tunc prodiit, quod *Fratres de Communitate*, deinceps *Conuentua-*
les singulari nomine vocarentur; *Fratres* autem *Obseruantiæ*,
Fratrum de Familia, vel *Obseruantiæ Regularis* nomen obtinerent.
Posteà Obseruantiâ semper accrescente, tam in Vltramonta-
na Familia, quam in Cismontana, duo tandem Vicarii Ge-
nerales instituti sunt; Et permissum est illis Capitula, tam
Generalia, quàm Prouincialia cogere, Vicarios Genera-

Nominum Conuentualis, *&* Fratrum de Familia, *seu* Obseruantiæ Regularis, *origo.*

les

les eligere, à Generali tamen Miniſtro confirmandos &c.

Diſpoſitiones circa Obſeruantes diuiſionem non inducebant.

Porrò hæc diuiſionem aut ſeparationem Obſeruantiæ ab Ordine non inducebant, cùm ſemper ſub eodem Capite, Generali Miniſtro remanerent, ſed tantùm per hæc Pontifices intendebant pretioſiorem partem Ordinis in puritate Regulæ conſeruare, & conſequenter ad ſimplicem conſeruationem Fratrum, Regulam purè obſeruantium, illos à communi mixtione cum relaxatis certis legibus ſeparare, vt aliquando totus Ordo reſtitueretur; quod aliquoties attentatum fuit per Capitula Generaliſsima, ſed nunquam perfectum vſque ad *annum* 1517. ſub *Leone* X. Quo Vniuerſalis Reformatio Ordinis per coadunationem omnium membrorum ſanorum ſapientiſsimè perfecta eſt modo ſequenti.

§. I.

Succeſsionem legitimam, & continuatam Ordinis in Fratribus Regulam obſeruantibus à tempore S. Franciſci remaniſſe vſque ad annum 1617. *declarat Pontifex.*

HIc eſt *Articulus* 1. quem, tamquam fundamentum totius vniuerſalis reſtitutionis Ordinis, Pontifex ponit in ſua Bulla, quæ incipit: *Ite & vos in vineam meam.* In qua Religionem Franciſcanam depingit ſub Emblemate *Vineæ*, quæ per viros Apoſtolicos *tanquam palmites extenſos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum aquâ ſapientiæ & ſcientiæ irrigauit montes, & impleuit terram.* Et vlterius ſucceſsionem veram in *Vineæ* cultu declarans vſque ad ſua tempora, juxta parabolam Patriſfamilias mittentis operarios in vineam ſuam:

Ordo S. Franc. Vineæ comparatur.

Noui ſemper operarii in vineam mittuntur minoriticam.

Ad hanc, inquit, *Vineam excolendam primo manè, oriente jam ſole, miſit ipſe Paterfamilias Angelum illum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, B. Franciſcum, qui comitantibus miræ ſanctitatis viris, prima vitis hujus jaceret fundamenta. His ſucceſſerunt viri Religioſi, qui, duce Bonauenturâ, muros hujus vineæ jam vtrimque ruinam minantes,* HORA TERTIA, *Trinitatis ſanctæ virtute & adjutorio reparauerunt. Poſt hos, veluti* HORA SEXTA, *prodierunt ſpiritu feruentes fratres nonnulli, qui à ſacro Viennenſi Concilio tamquam à Deo miſsi, & confortati, eneruatam penè diſciplinæ cenſuram, ad ſua principia reuocarunt.* HORA verò NONA, *moriente Domino ſuo, ingruentibus indies malis, & ſcandaloſis hujus vineæ agricolis, ſuſcitauit ſpiritum Adoleſcentis; paucorum videlicet Fratrum, qui Signifero* NOMINIS IESV, *Bernardino ductore, & præſide, ſacri Concilii Conſtantienſis freti præſidiis, languen-*

guentem, imò penè mortuum per orbem vniuersum Ordinem viuificârunt. Nouissimè verò diebus istis, quasi HORA VLTIMA, *apparuerunt viri alii, qui zelantes pro domo Israël, succiderunt lucos, & delubra demoliti sunt, ac vbi abundauit peccatum, adjuuante* Domino, *curauerunt per introductam Reformationis normam vt superabundaret gratia* &c. Ex quibus concludit Pontifex: (*Quia inter Euangelicos illos Viticolas*, inquit, *nouissimi æquabantur prioribus murmur surrexit non paruum*) se resoluisse Ordinem siue Corpus Ordinis, ex illis omnibus, qui *Puritatem Ordinis* zelabant, tanquam Puris & viuis membris per sanctam omnium *vnionem* ad inuicem restituere: Id postulantibus Imperatore, Regibus, & omnibus ferè Christiani orbis Dynastis. Ad quam totius Corporis Ordinis restitutionem, vt sequitur, processit.

Intentum Pontificis.

§. II.

Ordo seruatus à Summo Pontifice ad expurgandum & restituendum Corpus Ordinis in integritate sua.

SVmmus igitur Pontifex Leo X. ad expurgandum & restituendum Corpus totius Ordinis in integritate sua,

I. Ordinauit, & voluit (*Prout*, inquit, *in Regula S. Francisci continetur*) *vnum Ministrum Generalem totius Ordinis de cætero omnibus & singulis Fratribus ejusdem Ordinis cum plena potestate, quæ ex Regula sibi competit, præfici: Cui omnes & singuli prædicti Fratres in omnibus, quæ non sunt contra Deum, Animam suam, & Regulam, firmiter teneantur obedire*: Cui pro termino officii assignat sexennium.

Ordinat vnum Ministrum Generalem totius Ordinis eligendum.

II. Electionem Ministri Generalis mandat fieri, *à Ministris Prouincialibus, & Custodibus Reformatis, tam Cismontanis, quàm Vltramontanis, in Capitulo Generali in festo Pentecostes, in loco à Generali Ministro præscribendo, ad quod teneantur prædicti omnes conuenire.*

Hujus electio a quibus fieri debeat, & quando?

III. *Ne Caput à suis membris difforme appareat*, vult & ordinat; *Quod nullus Frater possit eligi in Ministrum Generalem, nisi vitam ducat Reformatam, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum habeatur: & quòd nullus penitùs vocem habeat, nisi sit Reformatus, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum habeatur*: Declarans irritum penitùs, & inane, quicquid in contrarium fuerit attentatum.

Quis eligi possit?

IV. Ne de Suffragiis, vel Reformatis in electione futurâ quæstio oriretur, statuit; *Omnes* primùm *Ministros & Custodes Reformatos, ac Vicarios & Discretos Fratrum de Obseruantia, seu Familia, dictam electionem celebrare debere.* Ad quod declarauit; *Omnes Prouinciales Vicarios Fratrum de Familia seu Obseruantia veros Ministros*

Vicarius de Familia Ministros instituit ad effectum electionis.

ſtros eſſe, & diſcretos ipſorum ſimiliter eſſe Cuſtodes. Demum, quia in multis Prouinciis Miniſtri non erant Reformati, nec pro Reformatis habiti, ſub quibus tamen erant aliqui Conuentus Reformatorum, qui vocabantur *Reformati ſub Miniſtris*, Ordinauit *vt duo Fratres electi à præfatis Conuentibus Reformatis, voces Miniſtrorum non Reformatorum, quantum ad præfatas Prouincias, pro hac vice dumtaxat, ſupplerent.* Similiter; *Fratribus de Congregatione F. Amadæi, De Clarenis, de S. Euangelio, ſeu Caputio, pro ſingulis Prouinciis, in quibus ſunt Conuentus, vltra ſuorum Vicariorum voces, duas pro hac vice conceſſit.*

V. *Electionem à præfatis Fratribus de Generali Miniſtro ſic faciendam, Canonicam ſecundum Minorum Fratrum Regulam, & formam à B. Franciſco in Regula traditam,* eſſe definiuit, & declarauit.

Qui cenſeantur nomine Reformatorum.

VI. Vt Corpus Ordinis ex ſanis membris conſtitutum eſſe debere demonſtraret, & qui ad illud pertinerent, decerneret. *Volumus,* inquit, *& declaramus, ſub nomine Reformatorum, ac purè & ſimpliciter Regulam B. Franciſci hujuſmodi Obſeruantium, comprehendi omnes & ſingulos infraſcriptos*: Videlicet: *Obſeruantes, tam de Familia, quàm Reformatos ſub Miniſtris, ac Fratres Amadæi, De Coletanis, Clarenis, De S. Euangelio, ſeu de Caputio, ac Diſcalceatos nuncupatos, aut alios ſimiles, quocumque alio nomine nuncupentur, & Regulam ipſam B. Franciſci purè & ſimpliciter obſeruant: Ex quibus omnibus ſupradictis* VNVM CORPVS *in ſimul facientes, eoſdem ad inuicem perpetuò vnimus. Itaque de cæterò, omiſsâ diuerſitate nominum prædictorum,* FRATRES MINORES S. FRANCISCI REGVLARIS OBSERVANTIÆ *vel ſimul, vel diſiunctiuè nuncupentur, & nuncupari poſsint & debeant.*

Quo deinceps nomine appellandi?

Quid de Commiſſario Generali Familiæ.

VII. Quia Ordo per vniuerſum orbem Chriſtianum diſperſus non poterat commodè ab vno ſolo regi; Conſtituit Pontifex, vt *Generali electo ex Ciſmontanis, eligeretur, ab Vltramontanis Commiſſarius Generalis, qui* eſſet triennalis tantùm, & qui *in abſentia Generalis illam Familiam gubernaret, ſed tamen ſubditus Miniſtro Generali.* Et aliæ leges variæ ſuper præfatis in iſta Bulla continentur.

Quo nomine appellandus Miniſter Eligendus.

VIII. Ne diſputationes de Nomine orirentur; Decreuit Pontifex, vt Generalis, ſic à Regulam purè & ſimpliciter Obſeruantibus electus, vocaretur abſolutè & ſine adjecto; MINISTER GENERALIS TOTVS ORDINIS FRATRVM MINORVM; Cui idcirco voluit *Antiquum Sigillum* iſtius Inſcriptionis tradi; & conſequenter voluit Prouinciales Reformatos, vocari *Miniſtros Prouinciales* cum Inſcriptionibus antiquorum Sigillorum.

§. III.

§. III.

Quid de Fratribus non Reformatis, seu Conuentualibus?

QVia autem sic Ordinis Corpore ex Reformatis, siue Regulam purè obseruare volentibus, constituto, Conuentuales Fratres, qui Reformari nolebant, sed juxta sua priuilegia Regulæ relaxatiua viuere, à Corpore vero Ordinis excluſi erant: Pontifex, vt Pater communis, illorum ſtatui & conſcientiæ conſulere coram Deo & Eccleſia volens: Illos quidem in vnam *Congregationem Regularem* ſub Regula *S. Franciſci* modificata adunatos fouere voluit; vt tamen diſtinctio à purè Regulam Obſeruantibus manifeſta omnibus eſſet, *Pontifex non Reformatos ſeparat in aliud corpus.*

I. Decreuit, vt ſibi Superiorem Generalem eligerent, ſub nomine MAGISTRI GENERALIS FRATRVM CONVENTVALIVM: quod nomen illi in perpetuum conſignauit in Bulla, quæ incipit; *Omnipotens Deus* &c. Et quod ad eandem Nominis appellationem *Sigilla Conuentualium* formarentur, ordinauit. *Qui vocandus Generalis Conuentualium.*

II. Decreuit Magiſtrum Generalem Conuentualium ita debere ſub hoc titulo *Magiſtri* eligi, vt etiam electionem, ſi ſub titulo *Miniſtri* fieret, hoc ipſo caſſauerit, & caſſam declarauerit: Quod proportionaliter decretum eſt de Prouincialibus Fratrum Conuentualium, vt nimirum MAGISTRI PROVINCIALES nuncuparentur, & electiones eorum ſub nomine MAGISTRORVM PROVINCIALIVM fierent. *Caſſat electionem ſub alio nomine factam.*

III. Voluit, vt *Magiſtri Generales* à *Miniſtro Generali* confirmationem ſuæ electionis peterent; & quamuis ipſe Pontifex electionem primam factam in Conuentu XII. Apoſtolorum in perſonam F. *Antonii Marcelli* confirmaſſet; illam tamen Confirmationem ſuam pro illa vice ita factam declarauit, vt omnes ſequentes per *Miniſtrum Generalem totius Ordinis* deinceps confirmarentur. *Confirmari debet à Miniſtro Generali totius Ordinis.*

IV. Etſi in hoc Capitulo à *Miniſtro Generali totius Ordinis* juriſdictionem in Fratres Conuentuales Pontifex abſtulerit; permiſit tamen illi Paternam Viſitationem, & mandauit vt in Conuentibus *Fratrum Conuentualium* ab illis reciperetur, vt *Miniſter Generalis totius Ordinis*, & vt in iſta qualitate ab omnibus ſuſpiceretur. *Huic ablatâ juriſdictione in Conuentuales, licita eſt Paterna viſitatio.*

V. Ordinauit: Quod ſi aliqui Conuentus Fratrum Conuentualium poſteà vellent ad obedientiam Miniſtrorum Ge-

Conuentuales possunt ad Obseruantes transire.

neralis & Prouincialium per puram Regulæ obseruantiam transire, modò ex numero à decem vsque ad viginti tres, vel à viginti vsque ad quemcumque numerum, duæ partes in dictum transitum consentirent, à Ministris Prouincialibus, suppositâ Regulæ in sua puritate obseruantiâ, liberè recipi possent &c.

QVADRAGESIMVS-QVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. CHRISTOPHORVS de Forliuio.

Linea successionis spectat ad Reformatos vnitos in vnum corpus.

REstituto igitur Corpore Ordinis ex purè & simpliciter, absque priuilegiis, Regulam Obseruantibus, tanquam veris Fratribus Minoribus, & filiis *S. Francisci*, ejusque legitimis heredibus; ac aliis nolentibus Regulam in sua puritate obseruare à Corpore separatis; declaratâque Lineâ veræ successionis à pura Regulæ obseruatione debere desumi, & ad Reformatos in vnum Corpus vnitos pertinere: *Anno* 1517. 1. *Iunii* Præsidentibus EE^mis Dominis Cardinalibus, D. *Grimanno* Episcopo Portuensi, Ordinis Protectore, & D. *Laurentio Paccio* tituli SS. Quatuor Coronatorum, in Conuentu *de Ara-Cœli* in Ministrum Generalem XLV. Totius Ordinis Fratrum Minorum F. *Christophorus de Forliuio*, Prouinciæ Bononiæ, ex Vicario Generali Cismontano Familiæ de Obseruantia, cum 73. suffragiis, electus est; & vt talis à Summo Pontifice confirmatus; & sic in hoc Capitulo pura Obseruantia Regulæ (quæ in sanis membris remanserat) in toto Ordine, rescisis omnibus priuilegiis relaxantibus, denuò ab omnibus jurata & stabilita est, ac varia, quæ ad mutuam pacem, & concordiam pertinebant, decreta fuerunt.

Vicarius Obseruantum fit Generalis totius Ordinis.

Fit Cardinalis.

Et hic Generalis fuit vir, in doctrina & pietate omni exceptione major, qui tantùm anno vno in Ministerio Generali præfuit, assumptus ad *Cardinalatum Tituli de Ara-Cœli*, relictâ tamen ei Ministri Generalis potestate vsque ad Capitulum Generale sequens.

QVA-

QVADRAGESIMVS-SEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS Lichetus.

ANno Domini 1518. *Iunii* 10. indicto Capitulo Generali *Lugduni* in Conuentu S. Bonauenturæ per F. *Christophorum de Forliuio S. R. E. de Ara-Cœli Cardinalem*, auctoritate Apostolicâ Præsidem, electus est in totius Ordinis Ministrum Generalem F. *Franciscus Lichetus* de Brixia, vir doctissimus, vt ejus in Scotum Commentaria ostendunt. Qui zelo ardens vt *Corpus* illud *Ordinis* nouissimè restitutum plenè stabiliretur, recolligi curauit Statuta omnia pro diuersis nationibus ad puritatem Regulæ facta, assignatis decem Patribus, qui ea recolligerent, & in vnum corpus redigerent, eaque per omnes Prouincias distribuerent, vt per praxim probarentur, & in sequenti Capitulo Generali acceptari possent. In hoc etiam Capitulo Prouinciæ secundùm Conuentus ad Reformatos pertinentes, distributæ sunt, & Prouincia Franciæ in duas distributa, quarum altera *Franciæ Parisiensis* nuncupata est, assignatis illi Conuentibus ab altera distinctis.

Recolliguntur Statuta.

Prouinciæ diuiduntur.

Hic Generalis aduertens ex dilatata jam Obseruantia, & Conuentibus multis Conuentualium occupatis, de rigore disciplinæ Regularis, & spiritualium exercitiorum feruore, nonnihil dimitti, & Fratres spirituales, desiderio solitudinis, & orationis, loca parua appetere: 1. veniens Aquilam ad Conuentum S. Bernardini *anno* 1518. *die* 26. *Decembris*, vt Capitulum celebraret, in eo Constitutiones quasdam particulares ad puritatem Regulæ conseruandam condidit; quæ cùm in illo Capitulo vt vnanimi consensu essent acceptatæ, illas per Ordinem discurrens in omnibus Capitulis, quæ tempore sui regiminis celebrauit, communicauit Patribus, & vt acceptarentur magno fructu procurauit.

Zelat Regulæ obseruantiam.

Nonnullis etiam Fratribus, solitudinem & frequentiora orationis & mortificationum exercitia desiderantibus, velut Academias & scholas pietatis, & spiritualium exercitiorum, loca & Conuentus paruulos *anno* 1520. indulsit: Inter desiderantes autem præcipui erant, F. *Stephanus Molina*, F. *Nicolaus Tomarellus*, & F. *Damianus de Campania*. Et hoc fuit principium *Fratrum*, qui ab ista solitudine *Recollecti* dicti sunt; quorum finis fuit à principio, non Congregationes separatas instituere,

Recollectorum institutio dat originem.

Horum quis finis.

pore Ordinis ex iis, qui intendebant Regulam purè obseruare; sicut (vt suprà monuimus) F. *Franciscus Lichetus* Minister Generalis disposuerat, vt in aliquibus domibus omnimodus rigor & austeritas Regulæ seruaretur, ad id multis anhelantibus: Ita sanctum illius propositum stabilire volens F. *Franciscus de Angelis*, tempore sui regiminis Recollectas illas domos, & *Recollectorum Institutum* stabiliuit, & per vniuersam Hispaniam primò propagauit, absque diuisione vlla à communi regimine Ordinis, remanentibus quidem Patribus *Discalceatis*, qui à B. F. *Ioanne de Guadalupe* originem ducebant, in vnione regiminis communis in Prouinciis S. Gabrielis, Arabidæ, Pietatis, S. Ioseph, S. Antonii, S. Ioannis Baptistæ; *Recollectis* autem domos designatas multâ vtilitate ad conseruationem Religionis occupantibus: Quorum studium erat, Ministris parere; Custodias separatas refugere; *orationi, spirituique* (vt ait P. Gonzaga) *ex professo vacare; sanctissimamque paupertatem, silentium, humilitatem, charitatem, præcipuè erga infirmos, atque cæteras virtutes diligentissimè colere, inutilesque discursus maximè fugere.* Et hoc Recollectorum institutum, à F. *Francisco de Angelis* in hac nostra Cismontana Familia circa *annum* 1525. stabilimentum habuit, & posteà uniuersas penè Prouincias istius Familiæ peruasit, & integras Prouincias redintegrauit.

Eorum stabilit institutum.

Absque vlla diuisione.

Recollectorum studia.

Sed si in hac Familia, nobis Cismontana, tantùm præstitit zelosissimus Generalis, non minùs, quamuis majori labore, pro Vltramontanis siue Italiæ Prouinciis præstare conatus est. Etsi enim (vt superiùs retulimus) sub F. *Francisco Licheto* jam domus istæ Reformatæ, ductore F. *Stephano Molina* radices fixissent, ventus tamen quidam siue timoris vani, siue inordinatæ æmulationis omne incrementum impediebat; Patres enim istius Familiæ ex domorum illarum multiplicatione & incremento diuisionem timentes, vlteriores progressus negabant, nec fratribus austeriorem illam vitam desiderantibus permittebatur liber ad illas domos transitus: quæ quidem tempestas eò diutius durabat, quo F. *Franciscus de Angelis* duobus integris annis in Hispaniis laborans, Familiæ Italiæ adesse, & piis Fratribus succurrere non poterat.

Absente Generali in Italia negatur liber accessus ad domos Recollectas.

Interim F. *Matthæus de Basso* ex Obseruantia Prouinciæ Marchiæ Religiosus zelosus, & Concionator insignis (qui *Congregationi Patrum Capuccinorum* initium dedit) fauoribus Illustrissimæ Ducissæ de Camerino, à Pontifice *Clemente* VII. oraculo viuæ vocis obtinuerat, vt sumpto *Acuminato Capucio* vitam eremiticam duceret; vnde Fratres ad Recollectam siue Reformatam vitam anhelantes, cùm ab ea à Superioribus

Ea fuit occasio originis Congregationis Patrum Capucinorum.

Ita-

Italiæ impedirentur, ad dictum Fratrem *Matthæum* cœperunt confluere; ex quo confluxu major diuisionis suspicio nascebatur. Veniens itaque Minister Generalis F. *Franciscus de Angelis* in Italiam, & aduertens nouam illam Congregationem cum acuminatis Caputiis ex sibi subditis Fratribus, annuente Pontifice, augeri, ob negatam sibi Recollectionem; Romam quidem ad trigesimam Iulii *anni* 1525. ingressus, istius Familiæ Commissarium Generalem F. *Hilarionem Sachettum* durè increpauit, quòd negato spiritualibus Fratribus ad domos Recollectionis accessu, in causa fuisset hujusmodi nouitatum, & diuisionum. Egit autem concordiæ & vnionis zelosus Pater apud Pontificem, vt quæ F. *Matthæo de Basso* concessérat, reuocaret, & omnes ad vnam formam habitus & caputii reducerentur, Prouisurum autem se, vt strictiori vitæ omnibus via aperiretur: Annuit Pontifex *Clemens* VII. & Bullam vnam expediri curauit, quæ incipit: *Cum sicut accepimus*, datam specialiter ad *Ludouicum* & *Raphaelem de Fossembruno*, nec non ad *Bernardinum*, *Vincentium*, *Antonium*, & *Sanctum* cum aliis qui F. *Matthæo de Basso* se conjunxerant, cum mandato, vt ad Ordinem, & ad obedientiam Ordinis redirent &c. sub pœnis, & censuris comminatis. Quo mandato audito acquiescens F. *Matthæus*, deposito acuminato Caputio, ad Ordinem rediit, sub obedientia Obseruantiæ Regularis, in qua & rigorem vitæ strictioris prosecutus, sanctè postea obiit. Redierant & Fratres *Ludouicus* & *Raphael*, sed postea licentiâ P. Prouincialis Marchiæ ad Patres Conuentuales transeuntes, Congregationem resumpserunt, quæ & Confirmata est per Bullam *Clementis* VII. quæ incipit, *Religionis zelus* &c. Ex qua sacra *Congregatio Patrum Capuccinorum* primò fundata, incrementa postea suscepit, & stabilita est.

Increpat propterea Commissarium istius Familiæ.

Reuocat Papa concessionem factam Matthæo de Basso.

Redit ille ad Ordinem, & in eo sanctè moritur.

Alii post transitum ad Conuentuales resumunt Congregationem cum effectu.

Porrò Minister Generalis F. *Franciscus de Angelis*, quod proposuerat, perficiebat, Fratribus spiritualibus strictiorem viuendi formam ambientibus Domos, & Conuentus concedebat, & vt omnis fauor eis ad hoc in omnibus Prouinciis exhiberetur, Ministris, & Superioribus demandabat. Quantùm verò præstiterit, vt obseruantia Regulæ vbique floreret, ostendunt, quæ tempore sui regiminis, tum in Capitulis Generalibus ordinata, tum in Prouinciis executioni mandata fuerunt.

Et quidem in Capitulo Generali *Burgensi anno* 1523. diuisis & constitutis diuersis Prouinciis in vtraque Familia (in quo & Custodia Flandriæ à Prouincia Franciæ Parisiensis diui-

Constitutiones variæ pro Obseruantia Regulæ.

les eligere, à Generali tamen Ministro confirmandos &c.

Dispositiones circa Obseruantes diuisionem non inducebant.

Porrò hæc diuisionem aut separationem Obseruantiæ ab Ordine non inducebant, cùm semper sub eodem Capite, Generali Ministro remanerent, sed tantùm per hæc Pontifices intendebant pretiosiorem partem Ordinis in puritate Regulæ conseruare, & consequenter ad simplicem conseruationem Fratrum, Regulam purè obseruantium, illos à communi mixtione cum relaxatis certis legibus separare, vt aliquando totus Ordo restitueretur; quod aliquoties attentatum fuit per Capitula Generalissima, sed nunquam perfectum vsque ad *annum* 1517. sub *Leone* X. Quo Vniuersalis Reformatio Ordinis per coadunationem omnium membrorum sanorum sapientissimè perfecta est modo sequenti.

§. I.

Successionem legitimam, & continuatam Ordinis in Fratribus Regulam obseruantibus à tempore S. Francisci remansisse vsque ad annum 1617. *declarat Pontifex.*

Ordo S. Franc. Vineæ comparatur.

Noui semper operarii in vineam mittuntur minoriticam.

HIc est *Articulus* 1. quem, tamquam fundamentum totius vniuersalis restitutionis Ordinis, Pontifex ponit in sua Bulla, quæ incipit: *Ite & vos in vineam meam.* In qua Religionem Franciscanam depingit sub Emblemate *Vineæ*, quæ per viros Apostolicos *tanquam palmites extensos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum aquâ sapientiæ & scientiæ irrigauit montes, & impleuit terram.* Et vlterius successionem veram in *Vineæ* cultu declarans vsque ad sua tempora, juxta parabolam Patrisfamilias mittentis operarios in vineam suam: *Ad hanc*, inquit, *Vineam excolendam primo manè, oriente jam sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, B. Franciscum, qui comitantibus miræ sanctitatis viris, prima vitis hujus jaceret fundamenta. His successerunt viri Religiosi, qui, duce Bonauenturâ, muros hujus Vineæ jam vtrimque ruinam minantes,* HORA TERTIA, *Trinitatis sanctæ virtute & adjutorio reparauerunt. Post hos, veluti* HORA SEXTA, *prodierunt spiritu feruentes fratres nonnulli, qui à sacro Viennensi Concilio tamquam à Deo missi, & confortati, eneruatam penè disciplinæ censuram, ad sua principia reuocarunt.* HORA verò NONA, *moriente Domino suo, ingruentibus indies malis, & scandalosis hujus Vineæ agricolis, suscitauit spiritum Adolescentis; paucorum videlicet Fratrum, qui Signifero* NOMINIS IESV, *Bernardino ductore, & præside, sacri Concilii Constantiensis freti præsidiis, languen-*

guentem, imò penè mortuum per orbem vniuersum Ordinem viuificârunt. Nouissimè verò diebus istis, quasi HORA VLTIMA, *apparuerunt viri alii, qui zelantes pro domo Israël, succiderunt lucos, & delubra demoliti sunt, ac vbi abundauit peccatum, adjuuante* Domino, *curauerunt per introductam Reformationis normam vt superabundaret gratia* &c. Ex quibus concludit Pontifex: (*Quia inter Euangelicos illos Viticolas*, inquit, *nouissimi æquabantur prioribus murmur surrexit non paruum*) se resoluisse Ordinem siue Corpus Ordinis, ex illis omnibus, qui *Puritatem Ordinis* zelabant, tanquam Puris & viuis membris per sanctam omnium *vnionem* ad inuicem restituere: Id postulantibus Imperatore, Regibus, & omnibus ferè Christiani orbis Dynastis. Ad quam totius Corporis Ordinis restitutionem, vt sequitur, processit.

Intentum Pontificis.

§. II.

Ordo seruatus à Summo Pontifice ad expurgandum & restituendum Corpus Ordinis in integritate sua.

SVmmus igitur Pontifex Leo X. ad expurgandum & restituendum Corpus totius Ordinis in integritate sua,

I. Ordinauit, & voluit (*Prout*, inquit, *in Regula S. Francisci continetur*) *vnum Ministrum Generalem totius Ordinis de cætero omnibus & singulis Fratribus ejusdem Ordinis cum plena potestate, quæ ex Regula sibi competit, præfici: Cui omnes & singuli prædicti Fratres in omnibus, quæ non sunt contra Deum, Animam suam, & Regulam, firmiter teneantur obedire*: Cui pro termino officii assignat sexennium.

Ordinat vnum Ministrum Generalem totius Ordinis eligendum.

II. Electionem Ministri Generalis mandat fieri, *à Ministris Prouincialibus, & Custodibus Reformatis, tam Cismontanis, quàm Vltramontanis, in Capitulo Generali in festo Pentecostes, in loco à Generali Ministro præscribendo, ad quod teneantur prædicti omnes conuenire.*

Hujus electio a quibus fieri debeat, & quando?

III. *Ne Caput à suis membris difforme appareat*, vult & ordinat; *Quod nullus Frater possit eligi in Ministrum Generalem, nisi vitam ducat Reformatam, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum habeatur: & quòd nullus penitùs vocem habeat, nisi sit Reformatus, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum habeatur*: Declarans irritum penitùs, & inane, quicquid in contrarium fuerit attentatum.

Quis eligi possit?

IV. Ne de Suffragiis, vel Reformatis in electione futurâ quæstio oriretur, statuit; *Omnes* primùm *Ministros & Custodes Reformatos, ac Vicarios & Discretos Fratrum de Obseruantia, seu Familia, dictam electionem celebrare debere.* Ad quod declarauit; *Omnes Prouinciales Vicarios Fratrum de Familia seu Obseruantia veros Ministros*

Vicarius de Familia Ministros instituit ad effectum electionis.

ſtros eſſe, & diſcretos ipſorum ſimiliter eſſe Cuſtodes. Demum, quia in multis Prouinciis Miniſtri non erant Reformati, nec pro Reformatis habiti, ſub quibus tamen erant aliqui Conuentus Reformatorum, qui vocabantur *Reformati ſub Miniſtris*, Ordinauit *vt duo Fratres electi à præfatis Conuentibus Reformatis, voces Miniſtrorum non Reformatorum, quantum ad præfatas Prouincias, pro hac vice dumtaxat, ſupplerent.* Similiter; *Fratribus de Congregatione* F. *Amadæi, De Clarenis, de S. Euangelio, ſeu Caputio, pro ſingulis Prouinciis, in quibus ſunt Conuentus, vltra ſuorum Vicariorum voces, duas pro hac vice conceſſit.*

V. *Electionem à præfatis Fratribus de Generali Miniſtro ſic faciendam, Canonicam ſecundum Minorum Fratrum Regulam, & formam à B. Franciſco in Regula traditam,* eſſe definiuit, & declarauit.

Qui cenſeantur nomine Reformatorum.

VI. Vt Corpus Ordinis ex ſanis membris conſtitutum eſſe debere demonſtraret, & qui ad illud pertinerent, decerneret. *Volumus*, inquit, *& declaramus, ſub nomine Reformatorum, ac purè & ſimpliciter Regulam B. Franciſci hujuſmodi Obſeruantium, comprehendi omnes & ſingulos infraſcriptos*: Videlicet: *Obſeruantes, tam de Familia, quàm Reformatos ſub Miniſtris, ac Fratres Amadæi, De Coletanis, Clarenis, De S. Euangelio, ſeu de Caputio, ac Diſcalceatos nuncupatos, aut alios ſimiles, quocumque alio nomine nuncupentur, & Regulam ipſam B. Franciſci purè & ſimpliciter obſeruant: Ex quibus omnibus ſupradictis* VNVM CORPVS *in ſimul facientes, eoſdem ad inuicem perpetuò vnimus. Itaque de cæterò, omiſsâ diuerſitate nominum prædictorum,* FRATRES MINORES S. FRANCISCI REGVLARIS OBSERVANTIÆ *vel ſimul, vel diſiunctiuè nuncupentur, & nuncupari poſsint & debeant.*

Quo deinceps nomine appellandi?

Quid de Commiſſario Generali Familiæ.

VII. Quia Ordo per vniuerſum orbem Chriſtianum diſperſus non poterat commodè ab vno ſolo regi; Conſtituit Pontifex, vt *Generali electo ex Ciſmontanis, eligeretur, ab Vltramontanis Commiſſarius Generalis, qui* eſſet triennalis tantùm, & qui *in abſentia Generalis illam Familiam gubernaret, ſed tamen ſubditus Miniſtro Generali.* Et aliæ leges variæ ſuper præfatis in iſta Bulla continentur.

Quo nomine appellandus Miniſter Eligendus.

VIII. Ne diſputationes de Nomine orirentur; Decreuit Pontifex, vt Generalis, ſic à Regulam purè & ſimpliciter Obſeruantibus electus, vocaretur abſolutè & ſine adjecto; MINISTER GENERALIS TOTVS ORDINIS FRATRVM MINORVM; Cui idcirco voluit *Antiquum Sigillum* iſtius Inſcriptionis tradi; & conſequenter voluit Prouinciales Reformatos, vocari *Miniſtros Prouinciales* cum Inſcriptionibus antiquorum Sigillorum.

§. III.

§. III.

Quid de Fratribus non Reformatis, seu Conuentualibus?

QVia autem sic Ordinis Corpore ex Reformatis, siue Regulam purè obseruare volentibus, constituto, Conuentuales Fratres, qui Reformari nolebant, sed juxta sua priuilegia Regulæ relaxatiua viuere, à Corpore vero Ordinis excluſi erant: Pontifex, vt Pater communis, illorum ſtatui & conſcientiæ conſulere coram Deo & Eccleſia volens: Illos quidem in vnam *Congregationem Regularem* ſub Regula *S. Franciſci* modificata adunatos fouere voluit; vt tamen diſtinctio à purè Regulam Obſeruantibus manifeſta omnibus eſſet, *Pontifex non Reformatos ſeparat in aliud corpus.*

I. Decreuit, vt ſibi Superiorem Generalem eligerent, ſub nomine MAGISTRI GENERALIS FRATRVM CONVENTVALIVM: quod nomen illi in perpetuum conſignauit in Bulla, quæ incipit; *Omnipotens Deus* &c. Et quod ad eandem Nominis appellationem *Sigilla Conuentualium* formarentur, ordinauit. *Qui vocandus Generalis Conuentualium.*

II. Decreuit Magiſtrum Generalem Conuentualium ita debere ſub hoc titulo *Magiſtri* eligi, vt etiam electionem, ſi ſub titulo *Miniſtri* fieret, hoc ipſo caſſauerit, & caſſam declarauerit: Quod proportionaliter decretum eſt de Prouincialibus Fratrum Conuentualium, vt nimirum MAGISTRI PROVINCIALES nuncuparentur, & electiones eorum ſub nomine MAGISTRORVM PROVINCIALIVM fierent. *Caſſat electionem ſub alio nomine factam.*

III. Voluit, vt *Magiſtri Generales* à *Miniſtro Generali* confirmationem ſuæ electionis peterent; & quamuis ipſe Pontifex electionem primam factam in Conuentu XII. Apoſtolorum in perſonam F. *Antonii Marcelli* confirmaſſet; illam tamen Confirmationem ſuam pro illa vice ita factam declarauit, vt omnes ſequentes per *Miniſtrum Generalem totius Ordinis* deinceps confirmarentur. *Confirmari debet à Miniſtro Generali totius Ordinis.*

IV. Etſi in hoc Capitulo à *Miniſtro Generali totius Ordinis* juriſdictionem in Fratres Conuentuales Pontifex abſtulerit; permiſit tamen illi Paternam Viſitationem, & mandauit vt in Conuentibus *Fratrum Conuentualium* ab illis reciperetur, vt *Miniſter Generalis totius Ordinis*, & vt in iſta qualitate ab omnibus ſuſpiceretur. *Huic ablatâ juriſdictione in Conuentuales, licita eſt Paterna viſitatio.*

V. Ordinauit: Quod ſi aliqui Conuentus Fratrum Conuentualium poſteà vellent ad obedientiam Miniſtrorum Ge-

Conuentuales possint ad Obseruantes transire.

neralis & Prouincialium per puram Regulæ obseruantiam transire, modò ex numero à decem vsque ad viginti tres, vel à viginti vsque ad quemcumque numerum, duæ partes in dictum transitum consentirent, à Ministris Prouincialibus, suppositâ Regulæ in sua puritate obseruantiâ, liberè recipi possent &c.

QVADRAGESIMVS-QVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. CHRISTOPHORVS de Forliuio.

Linea successionis spectat ad Reformatos vnitos in vnum corpus.

Vicarius Obseruantum fit Generalis totius Ordinis.

Fit Cardinalis.

REstituto igitur Corpore Ordinis ex purè & simpliciter, absque priuilegiis, Regulam Obseruantibus, tanquam veris Fratribus Minoribus, & filiis *S. Francisci*, ejusque legitimis heredibus; ac aliis nolentibus Regulam in sua puritate obseruare à Corpore separatis; declaratâque Lineâ veræ successionis à pura Regulæ obseruatione debere desumi, & ad Reformatos in vnum Corpus vnitos pertinere: *Anno* 1517. 1. *Iunii* Præsidentibus EEmis Dominis Cardinalibus, D. *Grimanno* Episcopo Portuensi, Ordinis Protectore, & D. *Laurentio Paccio* tituli SS. Quatuor Coronatorum, in Conuentu *de Ara-Cœli* in Ministrum Generalem XLV. Totius Ordinis Fratrum Minorum F. *Christophorus de Forliuio*, Prouinciæ Bononiæ, ex Vicario Generali Cismontano Familiæ de Obseruantia, cum 73. suffragiis, electus est; & vt talis à Summo Pontifice confirmatus; & sic in hoc Capitulo pura Obseruantia Regulæ (quæ in sanis membris remanserat) in toto Ordine, rescissis omnibus priuilegiis relaxantibus, denuò ab omnibus jurata & stabilita est, ac varia, quæ ad mutuam pacem, & concordiam pertinebant, decreta fuerunt.

Et hic Generalis fuit vir, in doctrina & pietate omni exceptione major, qui tantùm anno vno in Ministerio Generali præfuit, assumptus ad *Cardinalatum Tituli de Ara-Cœli*, relictâ tamen ei Ministri Generalis potestate vsque ad Capitulum Generale sequens.

QVA-

QVADRAGESIMVS-SEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS Lichetus.

ANno Domini 1518. Iunii 10. indicto Capitulo Generali Lugduni in Conuentu S. Bonauenturæ per F. *Christophorum de Forliuio S. R. E. de Ara-Cœli Cardinalem*, auctoritate Apostolicâ Præsidem, electus est in totius Ordinis Ministrum Generalem F. *Franciscus Lichetus* de Brixia, vir doctissimus, vt ejus in Scotum Commentaria ostendunt. Qui zelo ardens vt *Corpus* illud *Ordinis* nouissimè restitutum plenè stabiliretur, recolligi curauit Statuta omnia pro diuersis nationibus ad puritatem Regulæ facta, assignatis decem Patribus, qui ea recolligerent, & in vnum corpus redigerent, eaque per omnes Prouincias distribuerent, vt per praxim probarentur, & in sequenti Capitulo Generali acceptari possent. In hoc etiam Capitulo Prouinciæ secundùm Conuentus ad Reformatos pertinentes, distributæ sunt, & Prouincia Franciæ in duas distributa, quarum altera *Franciæ Parisiensis* nuncupata est, assignatis illi Conuentibus ab altera distinctis.

Recolliguntur Statuta.

Prouinciæ diuiduntur.

Hic Generalis aduertens ex dilatata jam Obseruantia, & Conuentibus multis Conuentualium occupatis, de rigore disciplinæ Regularis, & spiritualium exercitiorum feruore, nonnihil dimitti, & Fratres spirituales, desiderio solitudinis, & orationis, loca parua appetere: 1. veniens Aquilam ad Conuentum S. Bernardini *anno* 1518. *die* 26. *Decembris*, vt Capitulum celebraret, in eo Constitutiones quasdam particulares ad puritatem Regulæ conseruandam condidit; quæ cùm in illo Capitulo vt vnanimi consensu essent acceptatæ, illas per Ordinem discurrens in omnibus Capitulis, quæ tempore sui regiminis celebrauit, communicauit Patribus, & vt acceptarentur magno fructu procurauit.

Zelat Regulæ obseruantiam.

Nonnullis etiam Fratribus, solitudinem & frequentiora orationis & mortificationum exercitia desiderantibus, velut Academias & scholas pietatis, & spiritualium exercitiorum, loca & Conuentus paruulos *anno* 1520. indulsit: Inter desiderantes autem præcipui erant, F. *Stephanus Molina*, F. *Nicolaus Tomarellus*, & F. *Damianus de Campania*. Et hoc fuit principium *Fratrum*, qui ab ista solitudine *Recollecti* dicti sunt; quorum finis fuit à principio, non Congregationes separatas instituere,

Recollectorum instituto dat originem.

Horum quis finis.

re, sed intra Ordinem, cum rigorosa puritate Regulæ, exercitiorum sanctorum primorum Patrum disciplinam conseruare.

Cùm autem feruenti zelo totum Ordinem sic vtiliter visitaret, & Capitula celebraret, *anno* 1521. Budam Hungariæ veniens initio anni in morbum incidit, &, magno sui desiderio relicto, ad æternam quietem receptus est.

QVADRAGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PAVLVS de Soncinno.

ANno 1521. mortuo F. *Francisco Licheto*, & F. *Paulo de Soncinno*, Prouinciæ Mediolanensis Ministro, à sua Sanctitate Vicario Generali Ordinis nominato, celebratum est Capitulum Generale in loco S. Nicolai intra Carpum: In quo concorditer in primo scrutinio electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis, idem F. *Paulus de Soncinno.*

Et hic prosecutus est, quæ inchoauerat Prædecessor ejus in promotione veræ obseruantiæ Regularis, pro qua conseruanda & promouenda in hoc Capitulo varia constituta sunt. Inter quæ fuit, Vt *Nemo ad studium Philosophiæ promoueretur, nisi qui priori triennio efficaciter studio Regulæ & Declarationum cum fructu vacasset, & in omnibus, quæ ad suam Professionem spectant, plenè instructus esset.*

Notanda ordinatio pro studiosis.

Quia vero *Lutherana pestis* se diffundebat, ordinatum est, vt singulis diebus post *Salue Regina*, adderetur suffragium: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo*, cum versu *Aue Maria*, & orationibus, *Gratiam*, &, *Ecclesiæ*. Deinde concluſum est, vt Diuini verbi Concionatores, & Theologi dictæ hæresi vsque ad sanguinem gladio Scripturæ sanctæ vigilanter resisterent: in quem finem nonnulla in speciali demandata sunt.

Alia hæreses tangens.

QVA-

QVADRAGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS de Angelis.

ANno 1523. in festo Pentecostes celebratum est Capitulum Generale in ciuitate *Burgensi* in Hispania; cui non potuit interesse Minister Generalis F. *Paulus de Soncinno*, Auinione graui infirmitate detentus. In quo, electo primùm à Vocalibus Præside, demum primo scrutinio electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis, F. *Franciscus de Angelis*, aliàs, *Quignonius*, Prouinciæ Angelorum, qui prius Commissarii Generalis istius Familiæ officio dignissimè functus fuerat. Vir doctrinâ, morum integritate, & agendorum dexteritate, apud omnes conspicuus & illustris fuit; singulari zelo purissimam Regulæ obseruantiam, maximè in partibus, quæ Romanis Vltramontanæ dicuntur, Hispanis Cismontanæ, promouit; quippe qui Hispaniarum Prouincias, tum per seipsum, tum per suos Commissarios visitans, Reformationes fouit, & vt Recollectorum domus, pro Ordinis totius velut seminario, fouerentur, methodum pro *Strictiori Obseruantia* composuit, illamque volentibus se recolligere ad *annum* suæ electionis 1523. *die* 27. *Iulii* in Conventu Vallisolitano tradidit, (vt in Registro Officii continetur) *Vt Commissarii Visitatores in Prouinciis, in quibus non sunt Domus Recollectæ, solerter inquirant, & ponant in scriptis Fratres volentes domus Recollectas inhabitare, & Regulam strictius obseruare, vt eorum deuotioni in Capitulis Prouincialibus prouideatur.*

Quid fecerit in Familia nostra.

Pro domibus Recollectorum modum viuendi composuit.

Iubet scribi nomina eas inhabitare volentium.

Sciendum enim est, Patres Reformationis, siue Familiæ Obseruantiæ Regularis, etiam ante Capitulum Generalissimum *anno* 1517. semper ita restituendo Corpori Ordinis studuisse, vt diuisionem & separationem omnem auersarentur: vnde F. *Marcialis Boulier* Vigesimus primus Vicarius Generalis Obseruantiæ ad *annum* 1502 hujus Cisnontanæ nostræ Familiæ electus, cùm videret B. M. F. *Ioannem de Guadalupe*, Conuentus suæ Reformationis S. Euangelii in Custodias, auctoritate Apostolicâ, separare, timens ne indè diuisiones nouæ exsurgerent, ordinauerat ex consensu omnium Patrum: *Vt in vniuersis Hispaniæ Prouinciis aliquæ domus humiliores designarentur, in quibus Fratres, qui arctioris vitæ desiderio tenerentur, se recipere, & vitam austeriorem seruare possent.* Restituto igitur Cor-

Quâ occasione exorti sunt?

pore

pore Ordinis ex iis, qui intendebant Regulam purè obseruare; sicut (vt suprà monuimus) F. *Franciscus Lichetus* Minister Generalis dispoſuerat, vt in aliquibus domibus omnimodus rigor & austeritas Regulæ seruaretur, ad id multis anhelantibus: Ita sanctum illius propoſitum stabilire volens F. *Franciſcus de Angelis*, tempore sui regiminis Recollectas illas domos, & *Recollectorum Inſtitutum* stabiliuit, & per vniuersam Hispaniam primò propagauit, absque diuisione vlla à communi regimine Ordinis, remanentibus quidem Patribus *Discalceatis*, qui à B. F. *Ioanne de Guadalupe* originem ducebant, in vnione regiminis communis in Prouinciis S. Gabrielis, Arabidæ, Pietatis, S. Ioseph, S. Antonii, S. Ioannis Baptistæ; *Recollectis* autem domos designatas multâ vtilitate ad conseruationem Religionis occupantibus: Quorum studium erat, Ministris parere; Custodias separatas refugere; *orationi, spirituique* (vt ait P. Gonzaga) *ex professo vacare; sanctiſsimamque paupertatem, silentium, humilitatem, charitatem, præcipuè erga infirmos, atque cæteras virtutes diligentiſsimè colere, inutileſque diſcurſus maximè fugere.* Et hoc Recollectorum institutum, à F. *Franciſco de Angelis* in hac nostra Cismontana Familia circa *annum* 1525. stabilimentum habuit, & posteà vniuersas penè Prouincias istius Familiæ peruasit, & integras Prouincias redintegrauit.

Eorum stabilit institutum.

Absque vlla diuisione.

Recollectorum studia.

Sed si in hac Familia, nobis Cismontana, tantùm præstitit zelosissimus Generalis, non minùs, quamuis majori labore, pro Vltramontanis siue Italiæ Prouinciis præstare conatus est. Etsi enim (vt superiùs retulimus) sub F. *Franciſco Licheto* jam domus istæ Reformatæ, ductore F. *Stephano Molina* radices fixissent, ventus tamen quidam siue timoris vani, siue inordinatæ æmulationis omne incrementum impediebat; Patres enim istius Familiæ ex domorum illarum multiplicatione & incremento diuisionem timentes, vlteriores progressus negabant, nec fratribus austeriorem illam vitam desiderantibus permittebatur liber ad illas domos transitus: quæ quidem tempestas eò diutius durabat, quo F. *Franciſcus de Angelis* duobus integris annis in Hispaniis laborans, Familiæ Italiæ adesse, & piis Fratribus succurrere non poterat.

Absente Generali in Italia negatur liber accessus ad domos Recollectas.

Interim F. *Matthæus de Baſſo* ex Obseruantia Prouinciæ Marchiæ Religiosus zelosus, & Concionator insignis (qui *Congregationi Patrum Capuccinorum* initium dedit) fauoribus Illustrissimæ Ducissæ de Camerino, à Pontifice *Clemente* VII. oraculo viuæ vocis obtinuerat, vt sumpto *Acuminato Capucio* vitam eremiticam duceret; vnde Fratres ad Recollectam siue Reformatam vitam anhelantes, cùm ab ea à Superioribus

Ea fuit occasio originis Congregationis Patrum Capucinorum.

Ita-

Italiæ impedirentur, ad dictum Fratrem *Matthæum* cœperunt confluere; ex quo confluxu major diuisionis suspicio nascebatur. Veniens itaque Minister Generalis F. *Franciscus de Angelis* in Italiam, & aduertens nouam illam Congregationem cum acuminatis Caputiis ex sibi subditis Fratribus, annuente Pontifice, augeri, ob negatam sibi Recollectionem; Romam quidem ad trigesimam Iulii *anni* 1525. ingressus, istius Familiæ Commissarium Generalem F. *Hilarionem Sachettum* durè increpauit, quòd negato spiritualibus Fratribus ad domos Recollectionis accessu, in causa fuisset hujusmodi nouitatum, & diuisionum. Egit autem concordiæ & vnionis zelosus Pater apud Pontificem, vt quæ F. *Matthæo de Basso* concessérat, reuocaret, & omnes ad vnam formam habitus & caputii reducerentur, Prouisurum autem se, vt strictiori vitæ omnibus via aperiretur: Annuit Pontifex *Clemens* VII. & Bullam vnam expediri curauit, quæ incipit: *Cum sicut accepimus*, datam specialiter ad *Ludouicum* & *Raphaelem de Fossembruno*, nec non ad *Bernardinum*, *Vincentium*, *Antonium*, & *Sanctum* cum aliis qui F. *Matthæo de Basso* se conjunxerant, cum mandato, vt ad Ordinem, & ad obedientiam Ordinis redirent &c. sub pœnis, & censuris comminatis. Quo mandato audito acquiescens F. *Matthæus*, depositò acuminato Caputio, ad Ordinem rediit, sub obedientia Obseruantiæ Regularis, in qua & rigorem vitæ strictioris prosecutus, sanctè postea obiit. Redierant & Fratres *Ludouicus* & *Raphael*, sed postea licentiâ P. Prouincialis Marchiæ ad Patres Conuentuales transeuntes, Congregationem resumpserunt, quæ & Confirmata est per Bullam *Clementis* VII. quæ incipit, *Religionis zelus* &c. Ex qua sacra *Congregatio Patrum Capuccinorum* primò fundata, incrementa postea suscepit, & stabilita est.

Increpat propterea Commissarium istius Familiæ.

Reuocat Papa concessionem factam Matthæo de Basso.

Redit ille ad Ordinem, & in eo sanctè moritur.

Alii post transitum ad Conuentuales resumunt Congregationem cum effectu.

Porrò Minister Generalis F. *Franciscus de Angelis*, quod proposuerat, perficiebat, Fratribus spiritualibus strictiorem viuendi formam ambientibus Domos, & Conuentus concedebat, & vt omnis fauor eis ad hoc in omnibus Prouinciis exhiberetur, Ministris, & Superioribus demandabat. Quantùm verò præstiterit, vt obseruantia Regulæ vbique floreret, ostendunt, quæ tempore sui regiminis, tum in Capitulis Generalibus ordinata, tum in Prouinciis executioni mandata fuerunt.

Et quidem in Capitulo Generali *Burgensi anno* 1523. diuisis & constitutis diuersis Prouinciis in vtraque Familia (in quo & Custodia Flandriæ à Prouincia Franciæ Parisiensis diui-

Constitutiones variæ pro Obseruantia Regulæ.

diuisa, in Prouinciam Flandriæ erecta est, & ex Prouincia Saxoniæ, Prouincia Thuringiæ est egressa, in isto, inquam, Capitulo vineæ ex quibus Fratres vinum colligebant pro sua prouisione à Conuentibus ablegatæ sunt; legata perpetua cassata, leges strictæ positæ pro studiosis Collegii Parisiensis: & alia reformata, quæ videbantur puritatem Regulæ inficere.

In Capitulo etiam *Assisiensi* sub eodem Generali ad *annum* 1526. animaduersum est in *Anniuersaria*, & *Missas perpetuas*, similesque fundationes, ac secundùm puritatem nostræ Religionis regulatæ sunt; *Trunci* omnes etiam prætextu Confraternitatum ab Ecclesiis, & locis nostris eliminati, de *Nuditate* pedum, & calceamentis dispositum, & omnia impura excussa.

Instituuntur Commissarii Nationales.

Et quia Nationes nostræ, Italis, Vltramontanæ, præsentiam Prælatorum Generalium magis continuam pro feliciori gubernio requirebant; ordinatum est, vt Nationes *Gallica*, *Hispanica*, & *Germanico-belgica*, quælibet Nationalem Commissarium ex propria Natione sibi deligerent: In quo Capitulo *Natio Gallica* elegit sibi in Commissarium suum Generalem F. *Arnaldum de S. Felice*, Prouinciæ Aquitaniæ Ministrum: *Natio Hispana* F. *Dimam Terræ*, Custodem Prouinciæ Aragoniæ; *Natio Germanico-Belgica* F. *Matthiam VVeinsen* Antuerpiensem, Prouinciæ Coloniæ Ministrum: Et hi omnes à Generali confirmati sunt, & Commissariis quidem Generalibus Nationum *Gallicæ*, & *Germanico-Belgicæ*, de consensu omnium Vocalium, *Plenitudo Potestatis* absolutè communicata est, *Natio* autem *Hispanica* aliquas suo Commissario restrictiones adhiberi popposcit.

In sola natione Germanico-belgica illi permanserunt.

Porrò in Natione *Hispanica* & *Gallica* hujusmodi Commissiones successu temporis abrogatæ fuerunt; sed in *Germanico-Belgica* vsque in hanc horam permanserunt, ablatâ tamen à Vocalibus electione, ita vt Commissariorum institutio modò à Generalibus Prælatis dependeat.

Cedit Generalis officio.

Anno porrò 1525. cùm Minister Generalis F. *Franciscus de Angelis* multis implicaretur negotiis publicis à *Clemente* VII. maximè componendæ paci & concordiæ inter Pontificem, & Imperatorem *Carolum* V. dictus Minister cùm non posset solitâ vigilantiâ Ordini inuigilare, officio Generalatus cessit, eodem anno assumptus ad Cardinalatum tituli *S. Crucis in Ierusalem*: Cui substitutus est Vicarius Generalis, F. *Antonius de Caluo*, Prouinciæ Aragoniæ. qui eodem zelo puritatem Regulæ prosecutus est vsque ad Capitulum Generale sequens.

Fit Cardinalis.

QVA-

QVADRAGESIMVS-NONVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PAVLVS de Parma.

ANno 1529. Comitia Generalia indicta & celebrata sunt in festo Pentecostes in ciuitate *Parmensi*, in Conuentu de Annuntiatione, in quibus electus est in Generalem Ministrum, F. *Paulus de Parma*, Prouinciæ Bononiæ. Sub quo etiam Ordo in obseruantia Regulæ singulari vigilantiâ conseruatus est. In hoc etiam Capitulo Statuta pro vtraque Familia stabiliter determinata sunt; *Barchinonensia* quidem pro hac Vltramontana; *Martini* autem V. ad compendium reducta pro Familia Italis Cismontana. Plurima etiam pro Conuentu & studio Parisiensi benè regulando ordinata sunt. *Ordinationes.*

Celebrauit autem & hic Generalis Capitulum Generale in Ciuitate *Messana*, Prouinciæ Siciliæ, in Conuentu S. Mariæ de Iesu; in quo omnium votis confirmatus est; & multa circa Regulæ prælectionem & explicationem; circa orationis mentalis frequentationem, circa articulos nostræ paupertatis &c. piè concluſa sunt.

Hîc aduertendum est, in Catalogo Generalium apud *Gonzagam* positum *Ioannem Pisottum Parmensem*, Prouinciæ Bononiæ, qui etiam electus dicitur in Capitulo Generali *Parmensi anno* 1528. Sed cùm in Tabulis Generalibus relatis in Historia Chronologica, Capitulum illud Parmense dicatur celebratum *anno* 1529. & in eodem electus *Paulus Parmensis*, & vterque dicatur Ordinem rexisse quatuor annis; puto eundem esse *Ioannem Pisottum Parmensem*, & *Paulum Parmensem*, fuisseque binomium; Nisi quòd in circumstantiis numerorum, aliquid desit: nam *Paulus de Parma* describitur rexisse Ordinem ab *anno* 1529. in festo Pentecostes, in quo est electus, vsque ad festum Pentecostes anni 1535. in quo *Vincentius Lunellus* ei succesit, qui numerus sexennium integrum complet; *Ioannes* autem *Pisottus* dicitur electus *anno* 1528. Parmæ, & rexisse tantùm quatuor annis, nihilominus ponitur electio *Vincentii Lunelli* ad annum 1534. quo anno celebratum dicit *Gonzaga* Capitulum *Niceæ*. In hac differentia puto magis standum Tabulis Generalibus, & erratum esse in numeris annorum, Generalem autem *Parmensem* fuisse binomium. *An hic idem cum* Joanne Pisotto, *quem habet* Gonzaga, *examinatur.*

QVINQVAGESIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. VINCENTIVS Lunellus.

ANno Domini 1535. *Niceæ* siue *Nizzæ* in Conuentu S. Crucis Prouinciæ S. Ludouici, in festo Pentecostes celebratum est Capitulum Generale; in quo absoluto sexennio F. *Pauli de Parma*, in Ministrum Generalem totius Ordinis electus est legitimè & canonicè, F. *Vincentius Lunellus*, Prouinciæ Carthaginensis, Curiæ Romanæ Commissarius.

Statutum Capituli Generalis pro Fratribus strictius viuere volentibus.

Et in hoc quidem Capitulo in conseruationem puritatis Regulæ decretum est, vt Fratribus strictiori modo viuere volentibus, opportunum præstetur auxilium, & Capitulum Generale sanxit; *Vt vnaquæque Prouincia, quæ pro hujusmodi loca jam habet deputata, ea conseruet & interteneat, Fratresque qui in talibus locis jam sunt instituti, per aliquem impediri non possint, qui tamen illic modo & formâ habitus à cæteris non discrepent; & quicunque ad vitam illam contendit arctiorem, cum benedictione Dei valeat exercere: Quin potiùs accrescente per gratiam Dei talium Fratrum multitudine, teneantur Ministri in suis Capitulis Prouincialibus, loca plura ad hoc ipsum, si opus est, assignare, super quo ipsi Ministri sollicitam curam gerant. Insuper si in Prouincia aliqua, quæ talia loca non habet, boni aliqui Fratres huic arctiori vitæ se committere velint, teneantur eorum Ministri, in suis Prouincialibus Capitulis, loca tali instituto accommoda deputare; nec ipsi interim omnes mittant, sed eos duntaxat, quos examinatione præuiâ aptos compererint & idoneos.*

Conuentus Paris. subjicitur Generali.

Eodem Capitulo Conuentus Parisiensis totus quoad Statuta & modos regiminis subjectus declaratur Ministro Generali.

QVINQVAGESIMVS-PRIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES Caluus.

ANno 1541. peracto sexennio F. *Vincentii Lunelli* Comitia Generalia indicta sunt *Mantuæ* in Conuentu S. Francisci; in quibus canonicè & legitimè in Ministrum Generalem totius Ordinis electus est, F. *Ioannes Caluus*, Prouinciæ Corsicæ, Romanæ Curiæ Commissarius. Et

Et in hoc Capitulo multa ordinata sunt ad conseruationem disciplinæ Regularis.

QNINQVAGESIMVS-SECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ANDREAS Insulanus.

ANno 1547. completo sexennio, partim sub Ministro Generali F. *Ioanne Caluo* (qui tempore sui regiminis è viuis excesit) partim sub F. *Clemente à Monelia* Vicario Generali, celebratum est Capitulum Generale *Assisii* in Conuentu S. Mariæ de Angelis : in quo canonice & legitimè in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum electus est F. *Andreas Insulanus*, Prouinciæ Algarbiorum Custos.

Et in hoc etiam Capitulo denuò multa pro augmento Regularis Obseruantiæ sancita sunt, & pro Diuinorum Officiorum sacris ritibus plurima religiosissimè ordinata. Consulatur Chronologia Historico-legalis ad 55. Capitulum Generale.

QVINQVAGESIMVS-TERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. CLEMENS à Monelia.

ANno 1553. peracto sexennio F. *Andreæ Insulani* Capitulum Generale in festo Pentecostes *Salmanticæ* celebratum est ; in quo omnium suffragiis in Generalem Ministrum totius Ordinis electus est F. *Clemens à Monelia*, qui aliquando fuerat Vicarius Generalis.

Hujus viri zelum in abusibus resecandis, & restituenda disciplina Regulari, vbi collabi videbatur, probant ; tum Epistola ad vniuersum Ordinem scripta, iisdem ferè verbis, quibus Epistola *S. Bonauenturæ* (de qua suprà in ipsius Generalatu) tum egregia Statuta, quæ puritatis Regulæ per singula duodecim capita sunt explicatiua, per Summum Pontificem *Iulium* III. approbata, & obseruari demandata, & per Cardinalem de *Carpo Rodolphum Pium*, Episcopum Tusculanum, Ordinis Protectorem, Familiæ, Italis, Cismontanæ, *Egregia condit Statuta.*

singulariter communicata, & commendata; in quibus tota Status Ordinis & Regulæ medulla continetur.

Porrò vt zelo hujus Ministri Generalis Summus Pontifex *Iulius* III. manum dexteram præberet, per Bullam, quæ incipit; *Cùm sicut accepimus*, Datam Romæ apud S. Petrum *die* 11. *Octobris* 1553. *Pontif. anno* 4. concessit dicto P. Generali omnem auctoritatem Apostolicam necessariam ad regimen Ordinis sibi commissi &c. Et singulariter viuæ vocis Oraculo facto Cardinali Protectori *de Carpo*; vt cùm Generalis ad partes Vltramontanas præsens adesse non valeret, instituere posset Commissarios, seu Vicarios, eosque in *Hispaniam*, *Galliam*, *Flandriam* mittere; qui non modo *ordinaria* dicti Ministri Generalis, sed ejusdem *SSmi auctoritate*, partes illas visitare, Capitulis præsidere, ac omnia alia agere posset, quæ ipse Generalis, si esset præsens, agere valeret. Mandatque Patribus illarum partium per obedientiam, vt hujusmodi Vicarios, siue Commissarios, suscipiant. Datum est *Oraculum anno* 1555. 1. *Ianuarii*, cui subscripsit R. Cardinalis *de Carpo* Protector, *Sigismundus Botius* Secretarius.

Amplam dat et Pontifex auctoritatem.

Potestas Commissariorum ab ipso institutorũ.

Simile priuilegium.

Aliud etiam viuæ vocis *Oraculum* eidem Protectori factum est; per quod, casu quo ob bella, aut alia legitima impedimenta Capitulum intermedium, in quo eligendus esset Commissarius Generalis secundùm Bullam Vnionis, celebrari non valeret; Generalis posset præficere in singulis Nationibus Vltramontanis, in Hispaniâ, videlicet, in Gallia, & Flandria Commissarios vnum vel plures, prout eidem Generali Ministro pro spirituali profectu illarum partium melius videbitur expedire; qui quidem Commissarii, non modò auctoritate dicti Generalis *ordinariâ*, verum etiam *auctoritate suæ Sanctitatis* habeant regere, & gubernare, ac moderari dictas partes, vsque ad nouam prouisionem per eundem Ministrum Generalem faciendam. Datum est *Oraculum*, *die*, *mense & anno*, quibus alterum superius, iisdem subsignantibus.

His igitur armis munitus Generalis Minister *de Monelia*, in vtilitatem totius Ordinis omnem suam curam & laborem impendit, ad *Cardinalatum Tit. de Ara-Cæli* posteà eleuatus; vnde & celebratâ Congregatione Generali *Romæ* in Conuentu de Ara-Cœli *anno* 1557. 22. *Iunii* in Vicarium Generalem electus est F. *Angelus Auersanus*, Prouinciæ Terræ Laboris, Ordinis Procurator; qui ob rebelliones excitatas in Galliis contra Commissarios Nationales, statim ad partes Gallicanas se transtulit, vt malis mederetur.

Fit Cardinalis.

QVIN-

QVINQVAGESIMVS QVARTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS Zamora.

ANno 1559. post sexennium *Clementis de Monelia* Cardinalis suppletum per F. *Angelum Aversanum* Vicarium Generalem, celebratum est Capitulum Generale *Aquilæ*; in quo omnium penè votis in Ministrum Generalem totius Ordinis cooptatus est, F. *Franciscus Zamora*, Curiæ Romanæ Commissarius.

In hoc etiam Capitulo multa benè & prouidè ordinata sunt, maximè ad tollendas continuationes Officiorum, & quasdam perpetuationes. Subortis etiam quæstionibus de Commissariis, quos Generales ad Prouincias visitandas mittebant; & maximè de Nationalibus Commissariis Generalibus ad regendas Nationes, quasi hujusmodi officia essent contra Regulam; sic vt sequitur responsum est: *Generalem Ministrum, legitimâ vrgente necessitate, posse mittere Commissarios ad Prouincias; nec illos instituere esse contra Regulam, aut ejus Pontificias declarationes, imò naturali, Diuino atque humano Iuri, & nostro potissimum consentaneum.* Et de Commissario Generali Nationali; *Generalem grauissimâ vrgente necessitate, de Summi Pontificis auctoritate, sine Regulæ aut alicujus declarationis vllo detrimento, ad regendas Nationes mittere posse. Et si quis contrarium asseruerit, ipso facto excommunicationem incurrat, & omnibus priuetur actibus legitimis.*

Commissariorum Nationalium officium non est contra Regulam.

QVINQVAGESIMVS QVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ALOYSIVS de Puteo.

ANno Domini 1565. completo sexennio F. *Francisci Zamora* celebratum est Capitulum Generale *Vallisoleti*; in quo, Præsidente Cardinale *Cribello* Nuntio Apostolico, omnium votis electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis, F. *Aloysius de Puteo*, qui fuerat Familiæ hujus Commissarius.

Ad hoc Capitulum missa sunt Statuta nonnulla à Protectore Ordinis de ordine & mandato SS^mi D. N. *Pii* IV. obseruanda: *De modo receptionis nouitiorum, & eorum educatione; de studiis, de prædicationibus & doctrinis, de Monialium clausura*; quæ omnia

Multa in hoc Capitulo statuta sunt.

nia non nisi integritatem Regulæ & pietatem spirant. Et ipsum Capitulum Generale cum proponerentur ab Emo Cardinali *Cribello* Capituli Præside Statuta F. *Clementis à Monvlia*, à *Iulio* III. approbata, de quibus suprà, toti Ordini obseruanda: Familia quidem Italica sẽ, vt priùs, illis adstrinxit; Familia autem Cismontana nostra, illa in reuerentia se habiturum promisit, modò tamen Cardinalis obtineret à sanctissimo Domino, nè hæc Familia ad alia, quàm ad antiqua Barchinonensia obligaretur. Alia in hoc Capitulo ordinata sunt circa veram vilitatem vestimentorum, & vniformitatem, exclusâ solum saccorum monstruosæ repetiationis deformitate. Excluſi etiam sunt Visitatores Monialium particulares, & visitatio commissa Ministris Prouincialibus, sub pœna ejectionis à cura Ordinis, casu quo Ministros Prouinciales nollent recipere.

QVINQVAGESIMVS-SEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. CHRISTOPHORVS à capite fontium.

ANno 1571. sexennio F. *Aloysii de Puteo* expleto omnium ferè suffragiis in Capitulo Generali *Romæ* celebrato electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis, F. *Christophorus à Capite Fontium*, Prouinciæ Britanniæ primus Minister.

Statuta Capituli. In quo Capitulo breuia & vtilissima statuta condita sunt, à *Pio* V. Summo Pontifice approbata; & Officium secundùm Breuiarium nouum Romanum demandatum est; Et constitutum ac acceptatum decretum, vt Sacerdotes possint & debeant ab Episcopis examinari de scientia & habilitate. Quod statutum jam in toto Ordine inualuit juxta Bullam *Pii* V. quæ incipit: *Romani Pontificis &c.* Et in Belgio in praxi est absque vlla difficultate.

Zelus hujus Generalis. Nec hic Generalis defuit conseruationi Ordinis, & disciplinæ Regularis; vt constat ex Ocularibus, siue, Manipulo Fratrum Minorum, qui ejus mandato prodiit, in quo tota medulla eorum, quæ ad Ordinis disciplinam, & Regulæ obseruantiam, ac pietatem pertinent, continetur. Diligentissimus etiam fuit *Bullarum Apostolicarum* ad Ordinem pertinentium requisitor. Cùm autem doctissimus esset, multa ab æmulis in sua doctrina passus est: Tandem ad Archiepiscopatum Cæsarienſem nominatus *Romæ* in Conuentu S. Petri

Contradicitur ejus doctrinæ.

in

in monte aureo diem clausit extremum : de cujus vita & probitate B. *Angelus de Paz* ibidem viuens sanctum testimonium dedit.

QVINQVAGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. FRANCISCVS Gonzaga.

ANno 1579. octennio F. *Christophori à Capite Fontium* completo, in Capitulo Generali *Parisiis* celebrato, magnâ exultatione omnium Patrum F. *Franciscus Gonzaga* in Generalem Ministrum totius Ordinis omnium votis nominatus est. Et in hoc Capitulo multa sanctè pro *Familia Vltramontana* constituta sunt; pro *Familia* autem nobis *Cismontana* decretum est, vt Prouinciæ istius Familiæ secundùm Statuta Barchinonensia, & earum Statuta Prouincialia vsitata, regerentur, nec grauarentur deinceps multitudine Statutorum.

Quantùm verò hic sanctus Generalis in suo regimine studuerit Religionis conseruationi & profectui, constat ex Statutis pro Fratribus Recollectis ab ipso conditis, & ejus studio hoc Institutum in bonum & vtilitatem totius Ordinis stabiliendi & promouendi. Cujus vita & mors, cum actis in Curia Romana pro ejus Beatificatione, regimen ipsius sanctissimum commendant.

Condit Statuta Recollectorum.

Actum de ejus beatificatione.

QVINQVAGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. FRANCISCVS à Tholosa.

ANno 1587. *Romæ* octennio F. *Francisci Gonzagæ* absoluto, ad Ministeriatum Generalem totius Ordinis communibus votis assumptus est F. *Franciscus à Tholosa*, Prouinciæ Cantabriæ, in Curia Romana Commissarius. Et in hoc quidem Capitulo singularis cura habita est, vt vita immaculata secundùm Regulam in omnibus Fratribus conseruaretur, vt ex primo Statuto illius Capituli constat, in quo & cætera confirmantur.

QVINQVAGESIMVS-NONVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. BONAVENTVRA à Calatagirona.

ANno 1593. in Conuentu *Valiſſoletano* Celebrata ſunt Comitia Generalia; in quibus Præſide Illmo ac R^mo D. *Camillo Cætano*, Patriarcha Alexandrino apud Regem Catholicum Nuntio Apoſtolico, ſexennio F. *Franciſci à Tholoſa* abſoluto, omnium ferè ſuffragiis electus eſt in Miniſtrum Generalem totius Ordinis F. *Bouauentura à Calatagirona*, Prouinciæ Siciliæ Cuſtos. In quo Capitulo ordinatum eſt, vt ex omnibus Statutis ab *anno* 1553. vſque ad *annum* 1593. editis, reformatis reformandis, & amotis amouendis, certâ & facili methodo vnum compendium componeretur, quod cum Statutis in hoc Capitulo condendis oportuno tempore typis daretur. Et ipſe quidem Miniſter Generalis pro *Familia* Italica, ſiue, Italis, *Ciſmontana*, præclaras edidit ſuper omnes textus Regulæ Conſtitutiones, ſimul & textum explanans, & modum obſeruationis aperiens, & ritus ac ceremonias, in Ordine circa illos textus vſurpatas, declarans. Illæ reperiuntur in Chronologia Hiſtorico-legali ad Capitulum Generale 62.

Ordinationes Capituli.

Quanto autem zelo hic Generalis Obſeruantiam Regulæ proſecutus ſit experti ſunt Belgæ; cùm enim ad plagas iſtas pro inſigni illa pace & concordia, quam inter Potentiſsimos Monarchas Hiſpaniæ & Galliæ Reges tam feliciter compoſuit, veniſſet, *Recollectionem*, quæ nondum introducta erat, potiſsimùm in Prouincias Flandriæ, & S. Andreæ in aſſignatis Conuentibus introduxit: ex quibus ſacra Recollectio tres integras Prouincias multo fructu jam conſtituit. Talia autem fuerunt viri merita, vt ad *Patriarchatum Conſtantinopolitanum* à *Clemente* VIII. ſit aſſumptus.

Pacem componit inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ.

Recollectionem in Belgium introducit.

SEXAGESIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM.

F. FRANCISCVS à Soſa.

ANno Domini 1600. in Capitulo Generali *Romano* completo ſeptennio F. *Bonauenturæ à Calatagirona*, & ipſo ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum euecto, 20. *Maii* Præſide

ſide Emmo S. R. E. Cardinale *Camillo Burgheſio*, omnium ferè ſuffragiis in Miniſtrum Generalem totius Ordinis electus eſt, F. *Franciſcus à Soſa*, Prouinciæ S. Iacobi Pater.

Quantùm autem ipſe zelauerit Ordinis diſciplinam oſtendunt Statuta & Epiſtolæ, quas ad Prouincias Italiæ dedit. Qui & multo labore in Belgium ad *annum* 1603. in Nouembri venit, & per totam hiemem ſequentem Prouincialia omnia Capitula perſonaliter tenuit, non ſine fructu, & Ordinis decore. *Venit in Belgium.*

SEXAGESIMVS-PRIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. ARCHANGELVS de Meſſana.

ANno 1606. ſexennio F. *Franciſci à Soſa* feliciter abſoluto, indictis Comitiis Generalibus in Conuentu S. Ioannis Regum, *Ciuitatis Imperialis Toletanæ* 13. *Maii* omnium ſuffragiis in Generalem Miniſtrum totius Ordinis electus eſt, F. *Archangelus de Meſſana*, Prouinciæ Siciliæ Pater.

Qui zelum ſuorum Prædeceſſorum ſecutus Ordinem viſitauit, & reuerſus in Italiam primùm multùm Reformationi promouendæ ſtuduit, cumque ad partes Vltramontanas progrediens Italiam deſerere cogeretur, inſignem Epiſtolam ad Patres Italiæ reliquit, datam *Genuæ* 11. *Septembris* 1608. In qua omnia, quæ ad reſtituendum Ordinis decorem pertinebant, reſecatis abuſibus, religioſiſſimè ordinauit. *Viſitat Ordinem.*

SEXAGESIMVS-SECVNDVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. IOANNES ab Hierro.

ANno 1612. *Iunii* 9. Capitulum Generale *Romæ* celebratum eſt; in quo expleto ſexennio F. *Archangeli de Meſſana*, Præſide Emmo Cardinale S. R. E. *Pompeio Aragonio*, *Ordinis Protectore*, canonice electus eſt in Miniſtrum Generalem totius Ordinis, F. *Ioannes ab Hierro*, ſiue *Ferro*, Prouinciæ Angelorum Miniſter.

Quantam verò curam habuerit hic Generalis de conſeruatione puritatis Regulæ, manifeſtè oſtendunt, quæ ab eo ſuper *Zelat Regulæ puritatem.*

obseruatione illius secundùm Declarationes *Nicolai* III. & *Clementis* V. stabilita sunt, abrogatis etiam minimis abusibus, qui irrepebant. Verùm dùm suo regimini strenuissimè vacat, post annum cum dimidio ad Superos euocatur. Post cujus mortem statim in Vicarium Generalem suffectus est F. *Ioannes à Treio*, qui & præsedit Congregationi intermediæ *Romæ* habitæ *anno* 1615. & reliquo tempore vsque ad *annum* 1618. quo explebatur sexennium F. *Ioannis ab Hierro*, sedulò & feliciter Ordinem gubernauit, ad *Ecclesiam Carthaginensem* in fine sui regiminis Episcopus assumptus.

Moritur eique subrogatur Ioannes de Treio.

SEXAGESIMVS-TERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. BENIGNVS à Genua.

ANno 1618. in Conuentu Salmanticensi, Prouinciæ S. Iacobi celebratis Comitiis Generalibus *die* 20. *Iunii* in Ministrum Generalem totius Ordinis electus est F. *Benignus à Genua*, Prouinciæ Siciliæ Pater, Ordinisque Secretarius, & Generalis diffinitor.

Quid egerit pro puta Obseruantia Regula in Italia.

In hoc viro vita Religiosa, pietas, Regulæ zelus, & in regimine vigilantia ac sollicitudo excelluerunt: Nihil enim prætermisit ex omnibus, quæ ad Religionis profectum promouendum desiderari possunt. Prouinciis Italiæ in Regulari vita promouendis totus insudauit. Studia pro iuuentute reformata Religiosâ methodo in Conuentu de S. Petro Montorio, doctissimis pariter & piissimis ac Religiosissimis Lectoribus adscitis, futura semina doctrinæ ac pietatis, instituit: De Nouitiatibus Reformatis prouidit: Omnes illius Familiæ Fratres ad Regulæ puritatem toto ferè primo triennio animare conatus est. Altero autem triennio ad Familiam hanc nostram perexit: *Segouiæ* conuocatâ Congregatione intermediâ, *Barchinonensia Statuta* reuideri, & continuâ consultatione in publico Discretorio examinari, & limari, ac suppletis supplendis nitori suo restitui, omnium consensu & calculo interueniente, procurauit: Constitutiones similiter à F. *Francisco Gonzaga* pro Recollectis Domibus confectas, & publicatas, denuò magis absolutas, & ampliatas ibidem splendori suo restitui fecit: Et *Recollectionem*, vbi vigeret, ampliari voluit, vbi autem necdum introducta esset, pro vniuersali

Quid in Familia nostra.

Promouet institutum Recollectorum.

Ordi-

Ordinis bono in tribus Conuentibus introduci prouidit: In Gallias veniens Capitula nonnulla celebrauit: Suauibus mediis abusibus finem imponere tentauit, & multo labore Conuentum Parisiensem, tanquam totius Franciæ seminarium, ad terminos Regularis Obseruantiæ reducere, etiam cum vitæ periculo, conatus est: In *Prouincia Britanniæ*, introductis tribus Domibus Recollectorum, ejus tempore disciplina restituta est: Recollectis *Prouinciæ Flandriæ*, auctoritatem sibi Statuta condendi plenariam fecit, & illa in Conuentu Iprensi facta posteà confirmauit. *Vltimo* etiam sui regiminis *anno* à Summo Pontifice *Gregorio* XV. obtinuit, vt Visitatores Apostolici per omnes Ordinis Prouincias mitterentur, qui juxta Instructiones Apostolicas disciplinam Regularem, & vitam communem vbique restituerent, & ad sanctæ paupertatis, quam in Regula promisimus, terminos omnia reducerent, quod in plurimis Prouinciis feliciter successit. In hoc autem mirabiliter eluxit, quòd nunquàm vllo humano, etiam Regum ac Monarcharum, respectu à verò tramite Obseruantiæ vel modicum declinare, aut in aliquo dissimulare, toto suo regimine voluerit. Romam ab *Vrbano* VIII. reuocatus, vt ei in rebus, maximè ad Ordinem pertinentibus, præsto esset, plenus dierum & bonorum operum cum opinione magna sanctitatis obiit in Conuentu *S. Isidori*, *anno* 1651. mensis *Aprilis die* 15.

Confirmat eorum statuta.

Mittit visitatores Apostolicos.

Nullo humano respectu à vero declinat.

Moritur cum opinione sanctitatis.

SEXAGESIMVS-QVARTVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. BERNARDINVS de Senis.

ANno 1625. septennio Ministri Generalis F. *Benigni à Genua* expleto, F. *Bernardinus de Senis*, Prouinciæ Portugalliæ, per dispensationem Summi Pontificis *Vrbani* VIII. (cùm jam quadriennio Commissarius Generalis Familiam Italis Vltramontanam magna cum laude rexisset) *Romæ* in Capitulo Generali communibus suffragiis omnium in Generalem Ministrum totius Ordinis est cooptatus.

Quâ animi constantiâ Regulæ obseruantiam zelauerit, testantur illius Capituli acta, ab *Vrbano* VIII. amplissimè confirmata; nec non & *Bulla* singularis Pontificis ab eo impetrata, quæ incipit: *Sacrosanctum Apostolatus ministerium* &c. *Data Romæ die* 1. *Octobris anni* 1625. In qua Pontifex declarat: Obligatio-

Zelus hujus Generalis.

nem totius Ordinis ad obseruandam purissimè Regulam, juxta Declarationes *Nicolai* III. & *Clementis* V. abrogando omnia priuilegia, dispensationes, interpretationes illis quouis modo contrarias &c. Impetrauit & *Bullam* confirmatoriam Statutorum Barchinonensium Segouiæ recognitorum, quæ incipit: *Injuncti nobis* &c. *Datam Romæ* 18. *Decembris* 1625.

Fit Episcopus. Electus ad Episcopatum de Viseo terminum suum non perfecit: Cui in Vicarium Generalem suffectus est F. *Petrus Houer*, sed paulo post mortuus est: Cujus demum locum (renuntiato Episcopatu Zamorensi à Rege Catholico sibi collato, vt ad instantiam Patrum Ordini seruiret) accepit F. *Antonius Henriquez*, & vsque ad completum octennium à Romano Capitulo Ordinem rexit.

SEXAGESIMVS-QVINTVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES BAPTISTA à Campanea.

ANno 1633. *die* 14. *Maii* in festo Pentecostes celebratum est Capitulum Generale *Toleti*, in Conuentu S. Ioannis Regum; in quo Præsidente Illmo ac R^mo Domino *Cæsare Montio*, Patriarcha Antiocheno, & Archiepiscopo Mediolanensi, apud Regem Catholicum Nuntio Apostolico, canonicè electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis F *Ioannes Baptista à Campanea*, Lector Iubilatus, ac Prouinciæ Principatus Pater, & Diffinitor Generalis; cuius electionem, singulari Bullâ confirmauit *Vrbanus* VIII.

Externum & internum profectum promouere studet. Nec hic Generalis zelo promouendæ obseruationis Regulæ suis Prædecessoribus cessit; quippe qui verbo, vitâ, & exemplo totus erat, vt non tantum externam obseruantiam nitori suo restitueret, sed & hominem interiorem studio orationis, ac mysticæ Theologiæ exercitiis reformaret: Quod probant acta Capituli illius Toletani, & Statuta à SS^mo D. N. *Vrbano* VIII. confirmata. In quo Capitulo etiam Statuta Barchinonensia Segouiæ recognita, & Belgicis ac Germanicis Prouinciis accommodata, sunt reuisa, & ab eodem Pontifice approbata. Multa in bonum Ordinis vniuersi conceperat, quæ, *Nota.* euocatis Diffinitoribus Generalibus *Romam* (cum quibus interfui) sperabat ad effectum deducere, sed hoste humani generis contranitente, ad intentum non peruenit. Habeo ad-

huc

huc Manuſcriptam Methodum, quâ rigorem Regulæ in omnibus Prouinciis, inſtitutis exercitiorum ſpiritualium ſingularium ſtudiis, ad prima principia reducere deſiderabat. Scripſit etiam more Majorum Epiſtolam ad Ordinem vniuerſum, pietate ac doctrinâ vberem.

SEXAGESIMVS-SEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES Merinero.

ANno 1639. expleto feliciter ſexennio F. *Ioannis à Campanea*, celebratum eſt Capitulum Generale *Romæ* in Conuentu de *Ara-Cœli* in feſto Pentecoſtes *die* 11. *Iunii*; in quo, Præſide Em^mo S. R. E. Cardinale *Franciſco Barberino*, Ordinis Protectore, canonicè electus eſt in Miniſtrum Generalem totius Ordinis F. *Ioannes Merinero*, Prouinciæ Caſtellæ Miniſter, & Lector Iubilatus.

Qui & prudentiſsimè, & prouidè Ordinem ſuo ſexennio magna cum pace rexit, Regularis diſciplinæ promotor ſingularis, & omnium bonorum fautor, & verus pater.

SEXAGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. JOANNES à Neapoli.

ANno 1645 abſoluto feliciſsimè ſexennio F. *Ioannis à Merinero*, indictis Comitiis in Conuentu *S.* Ioannis Regum ciuitatis *Toletanæ die* 13. *Iunii* ad feſtum Pentecoſtes, præſide Illmo ac R^mo D. *Iulio Roſpigliоſo* Archiepiſcopo Tarſenſi, canonicè in Generalem Miniſtrum totius Ordinis cooptatus eſt F. *Ioannes à Neapoli*, Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & Exdiffinitor Generalis.

Et hic dum zelosè laborat pro decore Religionis, poſt Congregationem intermediam *Victoriæ* celebratam, graui infirmitate correptus, in mediis laboribus obiit. Cui ſuffectus eſt Vicarius Generalis F. *Daniel à Dongo*, qui Prouinciæ Mediolanenſis Patrum Reformatorum Vicarius Generalis fuerat;

Moritur, eique Vicarius ſubrogatur. Daniel à Dongo.

rat ; quique F. *Ioannis à Neapoli* labores feruidè est prosecutus vsque ad sexennium absolutum.

SEXAGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PETRVS Manero.

ANno 1651. *die* 27. *Maii* Comitia Generalia *Romæ* in Conuentu de Ara-cœli celebrata sunt; in quibus post sexennium F. *Ioannis à Neapoli* per F. *Danielem à Dongo* Vicarium Generalem adimpletum, Præside Em^mo ac R^mo D. *Francisco Barberino* S. R. E. Vice-Cancellario, Ordinis Protectore, præmissâ dispensatione SS^mi D. N. *Innocentii* X. motu proprio factâ (ob Vice-Commissarii Vltramontanæ Familiæ officium, quod gerebat) votis & suffragiis omnium (quæ numero 260. erant) electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis F. *Petrus Manero*, Prouinciæ Aragoniæ Pater, Lector Iubilatus, Qualificator Supremæ Inquisitionis, & Diffinitor Generalis.

Omnium suffragiis eligitur.

Hoc opus ejus mandato prodit.

Qui & zelum suum in Religionis decore fulciendo hactenus, non sine fructu monstrauit. Cujus mandato hoc Opus à me compositum prodit; qui & pro honore Ecclesiæ & Ordinis Historiam Seraphicam 10. Tomis distributam Scriptoribus indixit, vt sit memoria illius in benedictione. Quem jam ad Episcopatum Taraconensem assumptum seruet, suisque donis præueniat Deus in totius Ecclesiæ decorem, & vtilitatem.

Fit Episcopus.

EPILO-

EPILOGVS VNIVERSALIS
AVCTORIS
AD OMNES FRATRES MINORES.

DEo & Obedientiâ duce (Optimi Patres & Fratres) *fundamenta duodecim Seraphicæ Religionis* noſtræ inueſtigare conatus ſum. Vnicum rogo: vt omnes qui Nomine *Fratris Minoris* gaudent, & in fundamentis illis participant, ac qui ſe *ſequi quod juſtum eſt, & quærere Dominum* gloriantur, audiant monentem Prophetam, cujus labia ſeraphim purgauit. *Attendite* (ajebat) *ad petram vndè excisi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis*: Ad Franciſcum vtique velut *Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram* Religionem Matrem *quæ peperit vos.* Quia nempe, *Vnum vocauit eum, & benedixit ei; & multiplicauit eum*: Et vt infert per eum & propter eum: *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus*; vt *gaudium & lætitia inueniatur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Huc enim ſpectat omnis illa fundamentorum Ordinis Seraphici doctrina, vt nôrit Tribus illa Franciſcana; *quia Lex* & Regula illa *exiuit à Deo, & Iudicium illius in lucem populorum requieſcit.* Ipſe enim eſt Dominus Deus noſter, qui *Franciſco* & filiis ejus dixit. *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, populus meus es tu.* In hac enim Religione plantati ſunt cœli, dum tot Viri ſancti *plantati in Domo Domini in atriis* cœleſtibus *Dei noſtri floruerunt. Altitudinis* enim *firmamentum pulchritudo ejus eſt, ſpecies cœli in viſione gloriæ.* Structuræ fundamentorum, *Teſtamentum SSmi Patris* pro Coronide appoſui: Quia verè *ſtatuit illi Dominus Teſtamentum pacis, & Principem ſanctorum & gentis ſuæ*, vt in *Teſtamento illius ſtaret ſemen ejus, & filii ejus propter illum manerent*: Vt appareat juſtitia ejus in filiis filiorum *his qui ſeruant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum illius ad faciendum ea.*

Viſum eſt & mihi breuem *Chronologiam Genealogiæ Franciſcanæ* à Stipite per Lineam rectam & continuatam pro Concluſione Operis (vt mihi demandatum erat) attexere: Vt: *Laudemus Viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione quibus multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ ſuâ à ſæculo*: Vt appareant qui fuerunt illi, *Homines diuites virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis*: Qui *in generationibus gentis ſuæ adepti ſunt gloriam.* Vt etiam diſcernantur: *Qui de illis nati ſunt, & reliquerunt*

Iſaiæ 51. verſ. 1. Verſ. 2. Verſ. 3. Verſ. 4. Verſ. 16. Pſal. 91. verſ. 14. Eccli. 43. verſ. 1. Eccli. 45. verſ. 3. Eccli. 44. verſ. 12. Pſal. 102. verſ. 18. Eccli. 44. verſ. 1. Verſ. 6. Verſ. 7. Verſ. 8.

Vers. 9. *nomen narrandi laudes eorum*, ab iis, *quorum non est memoria, qui perierunt quasi non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filii eorum cum ipsis*: Vt agnoscantur *Viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt,* Vers. 10. *cum semine permanent bona, & Hereditas sancta nepotes eorum.*

Verum quia & in veris filiis Seraphici Patris non rarò ingerit se illa Quæstio, quæ & Apostolos inuasit, vt quærant inter se: *Quis eorum videatur major?* Nec desit inter eos Schismatica illa altercatio, quâ vnus dicit: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ,* Luc. 22. vers. 24. 1. Cor. 1. vers. 2. *ego Apollo.* Ad concordiam vniuersam in Genealogiæ Franciscanæ vnica linea, duplicem notârunt Summi Pontifices respectum, vt inter vnius Parentis filios ac fratres jurgium omne tolleretur, & vnus aduersus alterum non inflaretur.

Duplex respectus in Genealogiæ linea recta.

Prior lineæ & Genealogiæ respectus est *Generationis Naturalis* quasi à vero, genuino & legitimo semine computatus: Ita vt quicumque ex vera Regulæ Obseruantia secundum puritatem ejus in vtero Religionis Minorum per legitimam professionem nati sunt, ex quacumque tandem Congregatione à Sede Apostolica approbata nati sint: *Veri Fratres Minores, Veri filii S. Francisci* ejusdem spiritus coheredes, sub eadem fraternitate habendi & numerandi sint, quia ex eodem semine Apostolicæ & Euangelicæ Regulæ adnati sunt. Et hunc respectum velut Generationis & Fraternitatis legitimæ symbolum manifestè declarauit *Leo* 10. in Bulla: *Ite & vos in Vineam meam*: dum separans veros filios *S. Francisci* ab aliis degenerantibus: Illos omnes & solos veros filios *S. Francisci* agnouit, & ad Corpus Ordinis pertinere declarauit, Qui *purè & simpliciter Regulam B. Francisci obseruabant*, siue essent de *familia Obseruantium*, siue *Reformati sub Ministris*, siue *Fratres Amadæi, Coletani, Clareni, De S. Euangelio* vel *de Caputio* &c. Hi enim omnes, cùm ex vero semine Regulæ Apostolicæ & Euangelicæ nati supponerentur, eidem Generationis lineæ legitimæ judicialiter adnumerati fuerunt.

1. est Generationis Naturalis.

Quinam veri FF. Minores & veri filii S. Francisci.

Posterior Lineæ Genealogiæ Franciscanæ respectus fuit *Successionis Legalis*: Quemadmodum enim in Genealogiis Humanis non attenditur sola Naturalis Generatio, sed Gradus & Successiones Legibus constitutæ spectandæ sunt ad familiarum Legalem deductionem: Ita & in Genealogia Franciscana Leges à principio tum per Regulam, tum per Ecclesiam indictæ, vt sub vno Monarchico Capite Vniuersa fraternitas Minorum contineretur, & *Vni Ministro Generali* pro tempore existenti obediret, & ab eo regeretur, aut saltem aliquam ad illum dependentiam haberet, renouatæ sunt, man-

2. Respectus est successionis legalis.

Ministri Generalis vnitas in toto Ordine S. Francisci.

mandante cùm Cardinalium Apostolico Collegio *Leone* X. Cùm ordinauit: Vt Regulam purè obseruantes aut obseruare desiderantes, cujusuis Nominis vel Congregationis essent, sibi *Caput vnum* deligerent. Quinimò etiamsi in Regulæ rigore dispensatis *Magistrum Generalem* præfecisset, & ex eis Congregationem sub *Fratrum Conuentualium* Nomine erexisset, voluit ad Lineam Generationis Franciscanæ conseruandam, vt & *Magister Generalis à Ministro Generali* Totius Ordinis purè Regulam profitentium, confirmationem reciperet, & vt Tota Congregatio *Fratrum Conuentualium* vni *Ministro Generali* honorem & reuerentiam tamquam supremo Capiti Ordinis totius exhiberet: *Et ne* (vt inquit ibidem Pontifex) *ex Nouarum sectarum in dicto Ordine forsan introductione fienda, Ordinem iterum in rixas deuenire oporteret*; Mandauit in virtute S. Obedientiæ: *Quod de cætero nullæ nouæ Reformationes in dicto Ordine introducerentur, aut fierent, absque Ministri Generalis &c. expresso assensu*; *Et sub conditione: quòd hujusmodi Reformationes Ministro Generali & Prouincialibus Reformatis per omnia juxta Regulam subjicerentur &c.* Hi sunt Respectus Legales per quos Linea recta Genealogiæ Franciscanæ in ratione successionis vel processus à stipite dignoscitur; Quos veri filii *S. Francisci* ex pura Regulæ obseruantia velut ex semine nati considerare tenentur, vt Gradus & successiones Originis illorum ab inuicem per Primogenituras & Propinquitates à stipite congruè distinguantur. Nec ab istis Legalibus Lineæ legitimæ circumstantiis se subtrahere possunt, nisi à *Supremo Principe* à quo omnes hujusmodi Leges pendent, aliud sit ordinatum per *Priuilegium* siue priuatam Legem & fauoré.

Generalii Conuentualium dependentia à Ministro Generali totius Ordinis.

In Bulla; Ite & vos.

Vnde dignoscatur linea recta Genealogia Franciscana.

Non sit igitur jurgium inter vos (Patres optimi) si veri Fratres Minores omnes esse cupitis. Cesset Quæstio illa: *Quis videatur inter vos major?* Qui enim Regulam & vitam Fratrum Minorum in sua puritate vouent & seruant, omnes veri *Fratres Minores* & filii *S. Francisci* sunt. Si de Prioritate agatur, Linea per Gradus & successiones Legales in ordine ad stipitem secundùm tempora attendenda est: Si post vniuersalem Ordinis vnionem sub vno *Capite* aliquæ Congregationes Independentiam à Capite Vniuersali Totius Ordinis per *Priuilegium* Supremi Principis Ecclesiæ speciali fauore obtinuerint: *Priuilegium* cum reuerentia tamquam dispensationem in Lege vniuersali suscipiant, & cum gratiarum actione vtantur; Saluâ semper Lineæ Vniuersalis continuatâ in sanis membris à B^mo Patre vsque ad hæc tempora, & Ecclesiæ judicio declaratâ successione.

obseruatione illius secundùm Declarationes *Nicolai* III. & *Clementis* V. stabilita sunt, abrogatis etiam minimis abusibus, qui irrepebant. Verùm dùm suo regimini strenuissimè vacat, post annum cum dimidio ad Superos euocatur. Post cujus mortem statim in Vicarium Generalem suffectus est F. *Ioannes à Treio*, qui & præsedit Congregationi intermediæ *Romæ* habitæ *anno* 1615. & reliquo tempore vsque ad *annum* 1618. quo explebatur sexennium F. *Ioannis ab Hierro*, sedulò & feliciter Ordinem gubernauit, ad *Ecclesiam Carthaginensem* in fine sui regiminis Episcopus assumptus.

Moritur eique subrogatur Ioannes de Treio.

SEXAGESIMVS-TERTIVS GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM,

F. BENIGNVS à Genua.

ANno 1618. in Conuentu Salmanticensi, Prouinciæ S. Iacobi celebratis Comitiis Generalibus *die* 20. *Iunii* in Ministrum Generalem totius Ordinis electus est F. *Benignus à Genua*, Prouinciæ Siciliæ Pater, Ordinisque Secretarius, & Generalis diffinitor.

Quid egerit pro puræ Obseruantiæ Regulæ in Italia.

In hoc viro vita Religiosa, pietas, Regulæ zelus, & in regimine vigilantia ac sollicitudo excelluerunt: Nihil enim prætermisit ex omnibus, quæ ad Religionis profectum promouendum desiderari possunt. Prouinciis Italiæ in Regulari vita promouendis totus insudauit. Studia pro juuentute reformata Religiosâ methodo in Conuentu de S. Petro Montorio, doctissimis pariter & piissimis ac Religiosissimis Lectoribus adscitis, futura semina doctrinæ ac pietatis, instituit: De Nouitiatibus Reformatis prouidit: Omnes illius Familiæ Fratres ad Regulæ puritatem toto ferè primo triennio animare conatus est. Altero autem triennio ad Familiam hanc nostram perexit: *Segouiæ* conuocatâ Congregatione intermediâ, *Barchinonensia Statuta* reuideri, & continuâ consultatione in publico Discretorio examinari, & limari, ac suppletis supplendis nitori suo restitui, omnium consensu & calculo interueniente, procurauit: Constitutiones similiter à F. *Francisco Gonzaga* pro Recollectis Domibus confectas, & publicatas, denuò magis absolutas, & ampliatas ibidem splendori suo restitui fecit: Et *Recollectionem*, vbi vigeret, ampliari voluit, vbi autem necdum introducta esset, pro vniuersali

Quid in Familia nostra.

Promouet institutum Recollectorum.

Ordi-

Ordinis bono in tribus Conuentibus introduci prouidit: In Gallias veniens Capitula nonnulla celebrauit: Suauibus mediis abusibus finem imponere tentauit, & multo labore Conuentum Parisiensem, tanquam totius Franciæ seminarium, ad terminos Regularis Obseruantiæ reducere, etiam cum vitæ periculo, conatus est: In *Prouincia Britanniæ*, introductis tribus Domibus Recollectorum, ejus tempore disciplina restituta est: Recollectis *Prouinciæ Flandriæ*, auctoritatem sibi Statuta condendi plenariam fecit, & illa in Conuentu Iprensi facta posteà confirmauit. *Vltimo* etiam sui regiminis *anno* à Summo Pontifice *Gregorio* XV. obtinuit, vt Visitatores Apostolici per omnes Ordinis Prouincias mitterentur, qui juxta Instructiones Apostolicas disciplinam Regularem, & vitam communem vbique restituerent, & ad sanctæ paupertatis, quam in Regula promisimus, terminos omnia reducerent, quod in plurimis Prouinciis feliciter successit. In hoc autem mirabiliter eluxit, quòd nunquàm vllo humano, etiam Regum ac Monarcharum, respectu à verò tramite Obseruantiæ vel modicum declinare, aut in aliquo dissimulare, toto suo regimine voluerit. Romam ab *Vrbano* VIII. reuocatus, vt ei in rebus, maximè ad Ordinem pertinentibus, præsto esset, plenus dierum & bonorum operum cum opinione magna sanctitatis obiit in Conuentu *S. Isidori*, *anno* 1651. mensis *Aprilis die* 15.

Confirmat eorum statuta.

Mittit visitatores Apostolicos.

Nullo humano respectu à vero declinat.

Moritur cum opinione sanctitatis.

SEXAGESIMVS-QVARTVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. BERNARDINVS de Senis.

ANno 1625. septennio Ministri Generalis F. *Benigni à Genua* expleto, F. *Bernardinus de Senis*, Prouinciæ Portugalliæ, per dispensationem Summi Pontificis *Vrbani* VIII. (cùm jam quadriennio Commissarius Generalis Familiam Italis Vltramontanam magna cum laude rexisset) *Romæ* in Capitulo Generali communibus suffragiis omnium in Generalem Ministrum totius Ordinis est cooptatus.

Quâ animi constantiâ Regulæ obseruantiam zelauerit, testantur illius Capituli acta, ab *Vrbano* VIII. amplissimè confirmata; nec non & *Bulla* singularis Pontificis ab eo impetrata, quæ incipit: *Sacrosanctum Apostolatus ministerium* &c. *Data Romæ die* 1. *Octobris anni* 1625. In qua Pontifex declarat: Obligatio-

Zelus hujus Generalis.

nem totius Ordinis ad obseruandam purissimè Regulam, juxta Declarationes *Nicolai* III. & *Clementis* V. abrogando omnia priuilegia, dispensationes, interpretationes illis quouis modo contrarias &c. Impetrauit & *Bullam* confirmatoriam Statutorum Barchinonensium Segouiæ recognitorum, quæ incipit: *Injuncti nobis* &c. *Datam Romæ* 18. *Decembris* 1625.

Fit Episcopus. Electus ad Episcopatum de Viseo terminum suum non perfecit: Cui in Vicarium Generalem suffectus est F. *Petrus Houer*, sed paulo post mortuus est: Cujus demum locum (renuntiato Episcopatu Zamorensi à Rege Catholico sibi collato, vt ad instantiam Patrum Ordini seruiret) accepit F. *Antonius Henriquez*, & vsque ad completum octennium à Romano Capitulo Ordinem rexit.

SEXAGESIMVS-QVINTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES BAPTISTA à Campanea.

ANno 1633. *die* 14. *Maii* in festo Pentecostes celebratum est Capitulum Generale *Toleti*, in Conuentu S. Ioannis Regum; in quo Præsidente Illmo ac R^mo Domino *Cæsare Montio*, Patriarcha Antiocheno, & Archiepiscopo Mediolanensi, apud Regem Catholicum Nuntio Apostolico, canonicè electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis F *Ioannes Baptista à Campanea*, Lector Iubilatus, ac Prouinciæ Principatus Pater, & Diffinitor Generalis; cuius electionem, singulari Bullâ confirmauit *Vrbanus* VIII.

Externum & internum profectum promouere studet. Nec hic Generalis zelo promouendæ obseruationis Regulæ suis Prædecessoribus cessit; quippe qui verbo, vitâ, & exemplo totus erat, vt non tantum externam obseruantiam nitori suo restitueret, sed & hominem interiorem studio orationis, ac mysticæ Theologiæ exercitiis reformaret: Quod probant acta Capituli illius Toletani, & Statuta à SS^mo D. N. *Vrbano* VIII. confirmata. In quo Capitulo etiam Statuta Barchinonensia Segouiæ recognita, & Belgicis ac Germanicis Prouinciis accommodata, sunt reuisa, & ab eodem Pontifice approbata. Multa in bonum Ordinis vniuersi conceperat, quæ, *Nota.* euocatis Diffinitoribus Generalibus *Romam* (cum quibus interfui) sperabat ad effectum deducere, sed hoste humani generis contranitente, ad intentum non peruenit. Habeo ad-

huc

huc Manuſcriptam Methodum, quâ rigorem Regulæ in omnibus Prouinciis, inſtitutis exercitiorum ſpiritualium ſingularium ſtudiis, ad prima principia reducere deſiderabat. Scripſit etiam more Majorum Epiſtolam ad Ordinem vniuerſum, pietate ac doctrinâ vberem.

SEXAGESIMVS-SEXTVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES Merinero.

ANno 1639. expleto feliciter ſexennio F. *Ioannis à Campanea*, celebratum eſt Capitulum Generale *Romæ* in Conuentu de *Ara-Cœli* in feſto Pentecoſtes *die* 11. *Iunii*; in quo, Præſide Em^mo S. R. E. Cardinale *Franciſco Barberino*, Ordinis Protectore, canonicè electus eſt in Miniſtrum Generalem totius Ordinis F. *Ioannes Merinero*, Prouinciæ Caſtellæ Miniſter, & Lector Iubilatus.

Qui & prudentiſsimè, & prouidè Ordinem ſuo ſexennio magna cum pace rexit, Regularis diſciplinæ promotor ſingularis, & omnium bonorum fautor, & verus pater.

SEXAGESIMVS-SEPTIMVS GENERALIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. IOANNES à Neapoli.

ANno 1645 abſoluto feliciſsimè ſexennio F. *Ioannis à Merinero*, indictis Comitiis in Conuentu S. Ioannis Regum ciuitatis *Toletanæ die* 13. *Iunii* ad feſtum Pentecoſtes, præſide Illmo ac R^mo D. *Iulio Roſpiglioſo* Archiepiſcopo Tarſenſi, canonicè in Generalem Miniſtrum totius Ordinis cooptatus eſt F. *Ioannes à Neapoli*, Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & Exdiffinitor Generalis.

Et hic dum zelosè laborat pro decore Religionis, poſt Congregationem intermediam *Victoriæ* celebratam, graui infirmitate correptus, in mediis laboribus obiit. Cui ſuffectus eſt Vicarius Generalis F. *Daniel à Dongo*, qui Prouinciæ Mediolanenſis Patrum Reformatorum Vicarius Generalis fuerat;

Moritur, eique Vicarius ſubrogatur. Daniel à Dongo.

rat ; quique F. *Ioannis à Neapoli* labores feruidè est prosecutus vsque ad sexennium absolutum.

SEXAGESIMVS-OCTAVVS GENERALIS

ORDINIS FRATRVM MINORVM,

F. PETRVS Manero.

ANno 1651. *die* 27. *Maii* Comitia Generalia *Romæ* in Conuentu de Ara-cœli celebrata sunt ; in quibus post sexennium F. *Ioannis à Neapoli* per F. *Danielem à Dongo* Vicarium Generalem adimpletum, Præside Em^mo ac R^mo D. *Francisco Barberino* S. R. E. Vice-Cancellario, Ordinis Protectore, præmissâ dispensatione SS^mi D. N. *Innocentii* X. motu proprio factâ (ob Vice-Commissarii Vltramontanæ Familiæ officium, quod gerebat) votis & suffragiis omnium (quæ numero 260. erant) electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis F. *Petrus Manero*, Prouinciæ Aragoniæ Pater, Lector Iubilatus, Qualificator Supremæ Inquisitionis, & Diffinitor Generalis.

Omnium suffragiis eligitur.

Hoc opus ejus mandato prodit.

Qui & zelum suum in Religionis decore fulciendo hactenus, non sine fructu monstrauit. Cujus mandato hoc Opus à me compositum prodit ; qui & pro honore Ecclesiæ & Ordinis Historiam Seraphicam 10. Tomis distributam Scriptoribus indixit, vt sit memoria illius in benedictione. Quem jam ad Episcopatum Taraconensem assumptum seruet, suisque donis præueniat Deus in totius Ecclesiæ decorem, & vtilitatem.

Fit Episcopus.

EPILO-

EPILOGVS VNIVERSALIS

AVCTORIS

AD OMNES FRATRES MINORES.

DEo & Obedientiâ duce (Optimi Patres & Fratres) *fundamenta duodecim Seraphicæ Religionis* noſtræ inueſtigare conatus ſum. Vnicum rogo: vt omnes qui Nomine *Fratris Minoris* gaudent, & in fundamentis illis participant, ac qui ſe *ſequi quod juſtum eſt*, & *quærere* Dominum gloriantur, audiant monentem Prophetam, cujus labia ſeraphim purgauit. *Attendite* (ajebat) *ad petram vndè excisi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis*: Ad Franciſcum vtique velut *Abraham Patrem veſtrum*, & *ad Saram* Religionem Matrem *quæ peperit vos*. Quia nempe, *Vnum vocauit eum, & benedixit ei; & multiplicauit eum*: Et vt infert pet eum & propter eum: *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus*; vt *gaudium & lætitia inueniatur in ea, gratiarum actio & vox laudis*. Huc enim ſpectat omnis illa fundamentorum Ordinis Seraphici doctrina, vt nôrit Tribus illa Franciſcana; *quia Lex* & Regula illa *exiuit à Deo, & Iudicium illius in lucem populorum requieſcit*. Ipſe enim eſt Dominus Deus noſter, qui *Franciſco* & filiis ejus dixit. *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, populus meus es tu*. In hac enim Religione plantati ſunt cœli, dum tot Viri ſancti *plantati in Domo Domini in atriis* cœleſtibus *Dei noſtri floruerunt*. *Altitudinis* enim *firmamentum pulchritudo ejus eſt, ſpecies cœli in viſione gloriæ*. Structuræ fundamentorum, *Teſtamentum SSmi Patris* pro Coronide appoſui: Quia verè *ſtatuit illi Dominus Teſtamentum pacis, & Principem ſanctorum & gentis ſuæ*, vt in *Teſtamento illius ſtaret ſemen ejus, & filii ejus propter illum manerent*: Vt appareat juſtitia ejus in filiis filiorum *his qui ſeruant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum illius ad faciendum ea*.

Iſaiæ 51. verſ. 1. Verſ. 2. Verſ. 3. Verſ. 4. Verſ. 16. Pſal. 91. verſ. 14. Eccli. 43. verſ. 1. Eccli. 45. verſ. 3. Eccli. 44. verſ. 12. Pſal. 102. verſ. 18.

Viſum eſt & mihi breuem *Chronologiam Genealogiæ Franciſcanæ* à Stipite per Lineam rectam & continuatam pro Concluſione Operis (vt mihi demandatum erat) attexere: Vt: *Laudemus Viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſua; quibus multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ ſuâ à ſæculo*: Vt appareant qui fuerunt illi, *Homines diuites virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis*: Qui *in generationibus gentis ſuæ adepti ſunt gloriam*. Vt etiam diſcernantur: *Qui de illis nati ſunt, & reliquerunt*

Eccli. 44. verſ. 1. Verſ. 6. Verſ. 7. Verſ. 8.

mandante cùm Cardinalium Apostolico Collegio *Leone* X. Cùm ordinauit: *Vt* Regulam purè obseruantes aut obseruare desiderantes, cujusuis Nominis vel Congregationis essent, sibi *Caput vnum* deligerent. Quinimò etiamsi in Regulæ rigore dispensatis *Magistrum Generalem* præfecisset, & ex eis Congregationem sub *Fratrum Conuentualium* Nomine erexisset, voluit ad Lineam Generationis Franciscanæ conseruandam, vt & *Magister Generalis à Ministro Generali* Totius Ordinis purè Regulam profitentium, confirmationem reciperet, & vt Tota Congregatio *Fratrum Conuentualium* vni *Ministro Generali* honorem & reuerentiam tamquam supremo Capiti Ordinis totius exhiberet: *Et ne* (vt inquit ibidem Pontifex) *ex Notarum sectarum in dicto Ordine forsan introductione fienda, Ordinem iterum in rixas deuenire oporteret*; Mandauit in virtute S. Obedientiæ: *Quod de cætero nullæ nouæ Reformationes in dicto Ordine introducerentur, aut fierent, absque Ministri Generalis &c. expresso assensu*; *Et sub conditione: quòd hujusmodi Reformationes Ministro Generali & Prouincialibus Reformatis per omnia juxta Regulam subjicerentur &c.* Hi sunt Respectus Legales per quos Linea recta Genealogiæ Franciscanæ in ratione successionis vel processus à stipite dignoscitur; Quos veri filii *S. Francisci* ex pura Regulæ obseruantia velut ex semine nati considerare tenentur, vt Gradus & successiones Originis illorum ab inuicem per Primogenituras & Propinquitates à stipite congruè distinguantur. Nec ab istis Legalibus Lineæ legitimæ circumstantiis se subtrahere possunt, nisi à *Supremo Principe* à quo omnes hujusmodi Leges pendent, aliud sit ordinatum per *Priuilegium* siue priuatam Legem & fauoré.

Generalii Conuentualium dependentia à Ministro Generali totius Ordinis.

In Bulla; Ite & vos.

Vnde dignoscatur linea recta Genealogia Franciscana.

Non sit igitur jurgium inter vos (Patres optimi) si veri Fratres Minores omnes esse cupitis. Cesset Quæstio illa: *Quis videatur inter vos major?* Qui enim Regulam & vitam Fratrum Minorum in sua puritate vouent & seruant, omnes veri *Fratres Minores* & filii *S. Francisci* sunt. Si de Prioritate agatur, Linea per Gradus & successiones Legales in ordine ad stipitem secundùm tempora attendenda est: Si post vniuersalem Ordinis vnionem sub vno *Capite* aliquæ Congregationes Independentiam à Capite Vniuersali Totius Ordinis per *Priuilegium* Supremi Principis Ecclesiæ speciali fauore obtinuerint: *Priuilegium* cum reuerentia tamquam dispensationem in Lege vniuersali suscipiant, & cum gratiarum actione vtantur; Saluâ semper Lineæ Vniuersalis continuatâ in sanis membris à B^mo^ Patre vsque ad hæc tempora, & Ecclesiæ judicio declaratâ successione.

An FF. Minores Regularis & Strictioris Obseruantiæ sint primogeniti S. Franc.

Igitur *Fratres Minores S. Francisci Regularis & Strictioris siue Recollectorum, siue Discalceatorum, Obseruantiæ*, qui in Corpore Vniuersali Ordinis juxta Regulam sub vno Capite *Ministro Generali Totius Fraternitatis* Auctoritate Apostolicâ declarato, militant, & successionem continuatam nec interruptam Iure publico conseruant, *Primogenituram* obtinent, & vt *Primogeniti*, declarante Pontifice, suspiciendi sunt: Ipsisque incumbit *Iura Primogenituræ* per Regulæ in sua puritate sanctam Obseruantiam conseruare, & defendere, Lineæ etiam Legalis successionem à Primo Capite Seraphico Patre in eos deuolutam, velut sacrum Depositum, illibatam per legitimas Ministrorum Generalium successiones tueri.

An FF. Conuentuales.

Fratres autem *Conuentuales* recordari debent, sibi indulgentiâ Supremi Ecclesiæ Principis, dispensatam Regulam ita permissam, vt tamen *Ministro Generali* tamquam *Totius Ordinis Vnico Capiti* primas cum suo *Magistro Generali* deferre teneantur.

An FF. Capucini.

Nec *Fratribus Minoribus Capucinis* posteriùs natis Regulam cum *Primogenitis* secundùm suam primæuam puritatem seruare contendentibus aliquid demitur de suo decore, & legitimâ *Generatione Seraphici Patris*, cujus sunt filii: si tamen agnoscant Auctoritate Apostolicâ ex *Priuilegio Dispensatiuo* in Communi Lege Regulari successionis Vniuersalis *in Cap.* 8. Regulæ expressæ, dispensatum esse, per *Vicariorum* siue *Superiorum Generalium* supplementum, vt per hoc Lineæ Primæuæ Legales Ministri in illis supplerentur: Nisi fortè ad Primogenitorum Lineam aliquali relatione respicere velint, eo quòd primi illorum Duces in Corpore Ordinis à *Leone* X. restituto professi fuerint, & Lineæ Primæuæ à principio inscripti, ita vt de Cedro Primæua portionem medullæ acceperint, & ex ea replantata creuerint, absque tamen *Cedri Primogeniæ* præjudicio & læsione.

Rom. 12. vers. 6. Vers. 3. Vers. 10. Vers. 12. Vers. 16. Regul. c. 12.

Habentes igitur (Patres Fratresque optimi) juxta Apostolum, *Donationes secundum gratiam quæ data est nobis* in nonnullis *differentes*: *Non* debemus *sapere plusquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit* gratiam *fidei* & vocationis: *Charitate* ergò *fraternitatis inuicem diligentes*: *Honore inuicem prænenientes*: *spiritu feruentes*: *Domino seruientes*: *spe gaudentes*: *Orationi instantes*: *Idipsum inuicem sentientes*: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*: *subditi & subjecti* (juxta Regulæ conclusionem) *pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, Paupertatem, Humilitatem, & sanctum Euangelium D. N. Iesu Christi, quod firmiter pro-*

promiſimus, obſeruantes : Veritatem facientes in Charitate ſub uno Patre Seraphico, ſub vna Regula, *creſcamus in illo per omnia, qui eſt* Caput *Chriſtus, ex quo totum Corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vnius cujuſque membri, augmentum Corporis facit, in ædificationem in Charitate* : Contineantque nos in timore & tremore vox communis & Monita efficacia Paſtoris ad vniuerſum gregem ſuum : Ephes. 4. verſ. 15. Verſ. 16.

O dilectiſsimi (inquit) *fratres & in æternum benedicti filii.*
Audite me, audite vocem Patris veſtri :
Magna promiſimus : Majora promiſſa ſunt nobis :
Seruemus hæc : Suſpiremus ad illa :
Voluptas breuis : Pœna perpetua :
Modica Paſsio : Gloria infinita :
Multorum Vocatio : Paucorum Electio : Omnium Retributio.
Amen.

Et hæc quidem omnia in Fundamentis duodecim, Coronide, & Chronologia ac Epilogo quouis modo relatá & ſcripta Romanæ Eccleſiæ, Sanctæ, Catholicæ, & Orthodoxæ judicio in omnibus ſubjecta ſunto : Cui ſicut Obedientiam & Reuerentiam Auctor deuouit, ſic vitam ſuam deuouet, vt filius Matri.



INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ IN HOC OPERE ALLEGANTVR ET EXPLICANTVR.

Primus numerus, Partem; *secundus*, Paginam; *tertius*, Columnam *designat.*

Genesis.

Cap. 1. Vers. 28. *Replete terram, & subjicite eam, & dominamini, &c.* 1. 127. 1.
V. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam &c. ut sint vobis in escam &c.* Ibidem.
Cap. 4. V. 26. *Iste cœpit invocare nomen Domini.* 1. 1.
Cap. 9. V. 26. *Benedictus Dominus Deus Sem &c.* 2. 175. 1.
Cap. 13. V. 17. *Surge, & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* 2. 133. 1.
Cap. 15. V. 17. *Lampas ignis transiens inter divisiones.* 1. 43.
Cap. 21. V. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen.* 2. 233.
Cap. 27. V. 27. *Benedicens illi, ait: Ecce odor &c.* 2. 173. 2.
Cap. 28. V. 12. *Vidit in somnis scalam stantem super terram.* 1. 146. 1. 2.
Cap. 32. V. 2. *Castra Dei sunt hæc.* 1. 41. 1. 2. 7. 1. 2. 194.
Cap. 48. V. 14. *Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim.* 2. 175. 2.
Cap. 49. V. 1. Et sequentibus. *Vocavit Iacob filios suos &c.* Ibid.

Exodus.

Cap. 3. V. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi.* 2. 14. 1.
V. 5. *Solve calceamentum &c.* Ibid. 2.
Cap. 20. V. 21. *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* 2. 13. 2.

Numeri.

Cap. 11. V. 29. *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus &c.* 2. 51. 1.
Cap. 12. V. 1. *Locutaque est Maria, & Aaron contra Moysen &c.* 2. 17. 2.

Deuteronomium.

Cap. 1. V. 30. *Ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram, quam calcavit, & filys eius.* 2. 133. 1.
Cap. 10. V. 18. *Facit judicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.* 2. 46. 1. 2.
Cap. 32. V. 9. *Iacob funiculus hereditatis eius.* 2. 160. 2.
Cap. 33. V. 2. *In dextera eius ignea lex.* 1. 42.

Iosue.

Cap. 2. V. 21. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* 2. 160. 2.
Cap. 10. V. 14. *Obediente Domino voci hominis.* 2. 175. 2.

Liber Iudicum.

Cap. 6. V. 21. *Extendit Angelus Domini summitatem virgæ &c. & carnes azymos, & panes consumpsit.* 2. 13. 2.

III. Regum.

Cap. 8. V. 11. *Non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam.* 2. 13. 2.
Cap. 12. V. 28. *Excogitato consilio fecit duos vitulos &c. nolite ultra ascendere in Ierusalem.* 2. 164. 2.

Tobias.

Cap. 12. V. 7. *Sacramentum regis abscondere bonum est.* 2. 11. 2.

Iob.

Cap. 12. V. 18. *Balteum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.* 2. 159. 2.
Cap. 36. V. 8. *Si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.* 1. 127.

Liber Psalmorum.

Psalm. 4. V. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* 2. 172. 1.
Psal. 5. V. 5. *Manè astabo tibi, & videbo &c.* 2. 12. 1.
Psal. 9. V. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano &c.* 2. 46. 1.

Psalm.18. V. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum,&c.* 2.109.1.

Psal. 21. V. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo &c.* 1.95.1.
V. 19. *Diuiserunt sibi vestimenta mea,&c.* 1.83.1.

Psal. 23. V. 1. *Domini est terra, &c.* 1.135.2.

Psal. 30. V. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum.* 2.199.
V. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* 2.12.2.

Psal. 35. V. 7. *Iudicia tua abyssus multa.* 1.53.1.
V. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine &c.* 2.7.2.

Psal. 38. V. 13. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus.* 1.95.1.

Psal. 39. V. 18. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Ibid.

Psal. 44. V. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes &c.* 2.40.1.

Psal. 48. V. 13. *Comparatus est iumentis insipientibus,&c.* 2.35.2.

Psal. 53. V. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.*1.145.1.

Psal. 54. V. 23. *Iacta super Dominum curam tuam &c.* 1.16.2. 1.142.1.2. 46.2.

Psal. 59. V. 4. *Commouisti terram,& conturbasti eam,sana contritiones eius &c.* 2.157.2.

Psal. 62. V. 9. *Adhæsit anima mea post te,me suscepit dextera tua.* 1.146.2.

Psal. 67. V. 12. *Dominus dabit verbum euangelizantibus &c.* 1.14.2. 2.65.1.

Psal. 71. V. 17. *Sit nomẽ eius benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen eius.* 2.143.1.

Psal. 72. V. 24. 25. 26. *Tenuisti manum dexteram meam, &c. Quid mihi est in cælo, &c. Deus cordis mei &c.* 1.145.2.

Psal. 74. V. 4. *Ego confirmaui columnas eius.* 2. 128. 1.
V. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* 1.121.1.

Psal. 75. V. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* 2.7.2.

Psal. 79. V. 2. *Posuerunt morticina seruorum tuorum,escas &c.* 19.1.

Psal. 78. V. 12. *Extendit palmites suos vsque ad mare; & vsque ad flumen &c.* 2.17.1.
V. 14. *Exterminauit eam aper de silua. &c.* Ibid.

Psal. 82. V. 3. *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te,extulerunt caput.* 2.19.1.

Psal. 83. V. 3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 2.172.1.

Psal. 85. V. 9. *Omnes gentes &c. & glorificabunt nomen tuum.* 2.143.1.

Psal. 86. V. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* 2.151.2.

Psal. 91. V. 14. *Plantati in domo Domini, in atrijs domus &c.* 2.261.

Psal. 93. V. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ &c.* 1.151.2.

Psal. 102. V. 18. *Iustitia eius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius.* 2.261.
V. 20. *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius &c.* 1.146.1. 2.12.1.

Psal. 103. V. 4. *Qui facis Angelos tuos, spiritus,& ministros tuos,ignem vrentem.* 2.13.2.

Psal. 104. V. 11. *Funiculũ hereditatis vestræ.*2.160.2.

Psal. 105. V. 4.5. *Visita nos in salutari tuo: Ad videndum &c.* 2.13.1.

Psal. 111. V. 7. *In memoria æterna erit iustus.* 2. 116. 1.

Psal. 112. V. 3. *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.* 2.143.1.

Psal. 118. V. 21. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* 1.12.
V. 127. *Idèo dilexi mandata tua super aurum,& topazion.* 2.1.

Psal. 121. V. 2. *Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis &c.* 2.12.1.

Psal. 125. V. 6. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua &c.* 2.111.1.

Psal. 127. V. 2. *Labores manuũ tuarum,quia manducabis &c.* 1.23. 1.92.1.
Amici spirituales FF. Minorum in eorum Regulæ qui. 1.90.1. b. *Eorum conformitas ad S. Script.* 2. c. 91. 1. a. *Mediantibus pecuniis qualiter, & quibus necessitatibus FF. Minorum occurrere possint.* 1.109. 1. b. 110. 1. a. *Ad eos quando, & quî recurrere possint FF. Minores.* 1.115.2. c. 130.1. b.

Amor.

Amor Dei significatur per calculum sublatum ex altari Isa. 6. 2. 13.2. b. *Eum in se conservandum, & aliis communicandum accepit Ordo Min.* 2. b. & seqq. *Ab eo qualiter dicatur Seraphicus.* 2.14. 1.a. *Amo-*

Index Rerum Præcipuarum.

1. a. *Amoris Diuini ardor in* S. Franc. 2.11.2. a.
Amor Christi quibus probetur. 2.8.2. a.b.
Vide V. Charitas.

Anabaptistæ.

Anabaptistarum præmissarij Germaniam inficiebant, dum nascerentur S. Franc. 1.4.1. b. *Anabaptista vnde orti.* 2.126.1. c.

S. Andreas.

In S. Andrea Prouinciam qui introducta Recollectio. 2.254.1. c.

F. Andreas Insulanus.

Quando electus in Ministrum Gener. & sub eo qua ordinata pro augmento obseruantiæ Reg. 2. 249. 1. a.

Angelus.

Angeli ad quem ordinem & gradum cælestis hierarchiæ pertineant. 2.1.1. c. 2. a. *His qualiter se cõmunicet Deus, & vndè sic dicti.* 2.3.1. c. *Eorum promptitudo ad obediendum Deo.* 1.146.1. c. *Qualiter dicantur* Virtutes, & Ministri Dei. 2. a. *Qualiter dicantur* facere Verbum Dei. 2.12.1. a. *Vnde dicantur* filij Dei. 2.39.1. c.
Angeli sæpè prænuntiant natiuitatem Sanctorum. 1. 10.1. b.
Angelus ante Franc. *ortum prænuntiat sæpè* Pacem, & Bonum. 1.11.1. a. *Angelus in forma peregrini iubet* Franc. *matrem parturientem deferri ad stabulum.* 1.10.1. c. *In baptismo fit* Franc. *patrinus.* 2. b. *In forma peregrini amplexatur eumdem, & imprimit eius humero dextero crucis signum.* 2. c. *Angelus, & totus Angelicus* S. Franc. 2.3.2. b.c. *Eorum gaudium dum mitteretur in mũdum.* 2.4.1.2. *Qualiter laudent Deum ob* S. Franc. *eiusq; Ordinem.* 2. 168.2.c. *Eorum operationes hierarchicas participat Ordo Min.* 2.9.2.c. 10.2. b. & seqq. 13.2. c.
Angelus ingreditur refectorium FF. Minorum, & singulorum cordi quid inscripserit. 2.7.1. b.c.
Angeli comitantur animam F. Cæsarij Spirensis. 2.199. 1. c. *Quid vnus illorum tunc responderit Greg. IX.* 2.200.1. a.
Vide V. S. Franciscus.

F. Angelus.

F. Angelus anonymus eligitur in Ministrum Gener. & an pro tali habendus. 2.222.1. b.
F. Angelus Auersanus eligitur in Vicarium Generalem Ordinis. 2.250.1.c. *Celebrat Capitulum Gener. Aquilæ.* 2.251.1. a.
F. Angelus Clarenus fuit dux Congregationis Clarenorum. 2.210.1. b.
F. Angelus de Cinitella sub eo qualiter creuerit familia Obseru. 2.235.1. a.
F. Angelus de Monte Leonis primus socius F. Paulutij de Trincis. 2.219.1. b.
F. Angelus de Perusio instituitur à Nicolao V. Vicarius Gener. Ordinis. 2. 227.1. a. *Eligitur in Ministrum Gener.* 1. b. *Confirmat B. Ioannem Capistr. in officio Vicariatus, & quando mortuus.* 1. c.
F. Angelus Saluettus eligitur in Gener. Ministrum, & qui fauerit Obseruantiæ Regulari. 2.224.1. b. *Institutus Vicarium Gener. S. Bernardinum.* 2. 234. 1. c.

Anima.

Anima quibus modis eruditatur à Deo ad vitam æternam. 1.25.1. c. 26.1. a.
Anima portio triplex. 2.3.2.c. *Eam qualiter purgandam præscribat* S. Franc. *suis filijs.* 2.6.1. a. & seqq.
Anima distinctio à spiritu. 2. b.
Anima necessitatibus FF. Minorum qui prouideas eorum Regula. 1.109.1. c.

Animal.

Animalibus qualiter competat ius escarum. 1.128.1. a. 129.1. a. 2. c.
Animalium à se captorum an F. Minor dominus, & an vendere possit. 1. a.

S. Anna.

S. Anna festum in Ordine Minorũ primò celebratum, & quo ritu. 2.155.2. c.

Anniuersarium.

Anniuersaria perpetua qualiter regulata sub F. Franc. *de Angelis.* 2.246.1. a.

Annuntiatio.

Annuntiationis B. Mariæ Ordo qualiter inceptus, & Ordini Min. adscriptus. 2.156.2. b.

Antiochenus Patriarcha.

Obstat vnioni Ecclesiæ Græcæ cum Latina. 2. 118. 2. c.

S. Antonius Paduanus.

Qualiter se opposuerit hæreticis. 2.124.1. b. *Conuertit Hæresiarcham miraculo muli adorantis Eucharistiam.* 1. c. *Conuertit alium Hæresiarcham.* 2.a. *Prædicat piscibus, & hinc conuersi hæretici.* Ibid. *Vndè vocatus,* Indefessus hæreticorum malleus. 2.b. *Qualiter conuerterit tyrannum Ecelinum.* Ibid.
Eum S. Theologiæ lectorem instituens S. Franc. *quas regulas eidem præscripserit.* 2.161.1. c. *Cur vocatus à Greg. IX.* Arca Testamenti, & SS. Scripturarum armarium. 2.a. *Cur eum* S. Franc. *vocauerit* suum Episcopum, & *quid contulerit elucidationi S. Scripturæ.* Ibid.
Qualiter extirpârit vitia Catholicorum. 2.167.2. a.
Qualiter se opposuerit relaxationibus F. Eliæ. 2.197. 1. b. 234.1. b.

F. Antonius.

F. Antonius Athenienſis interpres Ioannis Paleologi Romæ publicè abiurantis schismæ. 2.120.2. b.
F. Antonius de Caluo instituitur Vicarius Gener. Ordinis. 2.246.1. c.
F. Antonius de Massa institutus Vicarius Gener. Ordinis à Martino V. 2. 224. 1. c. *Eligitur in Ministrum Gener. & contrariatur Familiæ Obseru.* Ibid. *Deponitur à Generalatu, & fit Episcopus.* 2. 225.1. a. 233.1. c.
F. Antonius de Pireto eligitur in Ministrum Gener. 2. 223. 1. c. *Fauet Obseruantiæ Reg.* 1. c. 224.1. a. *Ob schismæ secedit ad Apontios.* 2.222.1. c.
F. Antonius de Rusconibus eligitur in Ministrum Gener. operâ S. Bernardini. 2.226.1. c. *Quamdiu rexerit, & quando mortuus.* 2.227.1. a.
F. Antonius Henriquez renuntiato Episcopatu Zamorensi fit Vicarius Gener. Ordinis. 2.258.1. a.
F. Antonius Marcellus qualiter confirmatus à Leone X. in Generalem Connentualium. 2.239.1. c.

Antuer-

Antuerpia.

In Capitulo Gener. Antuerpiensi qualiter gauisus F. Gabriel Maria de institutione Confraternitatis Immac. Conceptionis, & quos fauores eidem fuerit impertitus. 2.156.2. a. b.

In Conuentu Antuerpiensi FF. Minorum quàm solemnis confraternitas Virginis dolorosæ. Ibid.

Apocalypsis.

Apocalypsis S. Ioannis qui à Christo approbata. 1.69. 1. c. 2. c.

Apocrisarij.

Apocrisarij ex Ordine Min. & Pradic. missi à Greg. IX. ad Græcos pro eorum visione cum Latinis. 2.118. 2. a. *Qualiter ibidem excepti, & quid effecerint.* 2. b. c.

Apostata.

Apostatæ qui censendi FF. Minores transeuntes ad aliam Religionem. 1.81. 2. c. *Qualiter pergentes sine licentia Prouincialis ad conuertendos hæreticos vel infideles.* 1.106.2. c.

Apostolus.

Apostolica vita quasi extincta, dum nasceretur Franc. 1.4.1. c.

Apostoli sub Christo omnis perfectionis prima fundamenta, & mensura. 1.59.2. a. *Eorum status 3. proprietatibus constat.* 2. b. *Qua Euangelica consilia venerint.* 2.c. *Qualiter perfectionis apicem.* 2.c. 60. 1. 2. b. 73. 2. c. & seqq. *Inter discipulos Christi quo loco computandi.* 1.60.2. c. *Inter eos nulla præferentia prælatura viuente Christo.* 1.76. 1. a. 77.1. a. *Apostoli & Discipuli vocati & admissi à solo Christo.* Ibid. *Fuerunt probati ante suam vocationem & electionem.* 1.81. 1. b. *Ab initio vocationis vestes mutarunt.* 1.80.2. c. *Et quas habuerint.* 1. 83.1. c. & seqq. *quando inceperint seminare.* 1.87. 1. b.

Obedientiam qualiter venerint Apostoli. 1.58. 2. c. & seqq.

Paupertas Apostolorum qua. 1.24.1. c. *Perfectissimè omnia sua reliquerũt.* 1.60.1. c. *Dupliciter vitæ necessaria sibi comparârunt.* 1. 92. 2. b. & seqq. *An aliquid in communi vel speciali habuerint, qui quãdoque disputatum inter Minores & Prædicatores.* 2. 21.1. c. & seqq.

Apostoli pedestres semper incesserunt. 1.87.2. b.

Apostolus prædicationis officium qualiter Christus commiserit. 2.72.1. b. c.

Apostoli qualiter principes & duces Hierarchiæ Ecclesiasticæ. 1.64.2. c. *Ijs an FF. Minores in Eccl. Hierarchia annumerandi.* 1.67.2. c.

Promissiones variæ à Christo Apostolis factæ. 1.61.2. a. & seqq.

Apostolicæ vitæ quis finis. 1.60.2. c. *Eorum vita differentia à vita primorum Christianorum.* 1.131.1. c. 2. a.

Apostoli dupliciter considerari possunt. 1.134.2. b.

Apostoli qualiter erant quotidie pro conseruatione Ordinis Minorum, quidq; eis Christus respondeat. 2. 168.2. c.

Vide V. Fundamentum.

Apostolici Fratres.

Eorum mores & errores. 2. 26. 2. c. *Non fuerunt de Ordine* S. Franc. 2.27.1. a. & seqq.

Approbatio.

Approbatione Episcopi an indigeant Regulares ad prædicandum in suis Ecclesijs. 2. 69.1. a. *Approbationem suorum Superiorum ad prædicandum tenentur FF. Minores exhibere exigente Episcopo.* 1. c. 2. a. 91.2. c. *Eos approbare ad prædicandum ad quos pertineat.* 2.65.1. b. c. 71.1. c.

Approbatio FF. Minorum ad audiendas secularium cõfessiones quibus & qualiter commissa ab initio Ordinis. 2.72.2. c. *Approbati in vna Diœcesi possunt audire confessiones eorum qui sunt de alia diœcesi ad venientium.* 2. 74. 1. c. *De approbatione confessariorum quid decreuerit Trid.* 2.96.1. b. *Approbatum à Prædecessore an Successor Episcopus possit reexaminare.* 2 97.1. b.

Appropriare.

Appropriare sibi aliquid qualiter prohibitum FF. *Minoribus.* 1.23.1. b. 94.1. c. & seqq. 2.51.2. c. 52.1. a. 2. b. c.

Arbor.

Arbor procerissima S. Franc. *in visione demõstrata quid significarit.* 1.37.1. b.

Archangelus.

Archangeli ad quem ordinem & gradum cælestis Hierarchiæ pertineant. 2.2.1. c. 2. a. *Ijs qualiter se cõmunicet Deus, & unde sic dicti.* 2. 3.1. b. *Eorum operationes Hierarchicæ qualiter communicatæ* FF. *Minoribus.* 2.9.2. c. 10.2. b. c. 11.1. b c. *Eorum gaudium dum* Franc. *mitteretur in mundum.* 2. 4. 1. a.

F. Archangelus de Messana.

Eligitur in Ministrum Generalem. 2.255.1. b. *Qualiter secutus zelum suorum prædecessorum.* Ibid.

F. Arlottus de Prato.

Quas fecerit concordantias Bibliorum. 3.162.1.2. *Eligitur in Generalem Ministrum.* 2.208.1. a. *Zelans Regulæ Obseruantiam scribit ad vniuersum Ordinem & præmaturè moritur.* Ibid.

Arma.

Arma oblata an FF. *Minores recipere possint.* 2. 52. 2. c.

Armeni, Armenia.

Armenorum schisma quod. 2.117.2. c. 118.1. a. *Ecclesia Rom. per* FF. *Minores qui uniti.* 2.121.1. b. & seqq. *Armenia per* FF. *Minores ad fidem Catholicam sæpè reducta.* 2.121.1. c. *Armeniæ Rex Ioannes fit* F. *Minor.* 2. a.

Articulus.

Articuli contenti contra statum FF. *Minorum in libello infami;* Eece videntes. 2. 18. 1. b. *Qualiter condemnati ab Alex. IV.* 2.20.1. b. c.

Articuli difficultatum inter Græcos & Latinos. 2.118. 2. b.

Asellus.

Asello cur Christus quandoque vectus. 1.87.2. b. *Eum quâ auctoritate sibi fecerit ad se adduci.* 1.137.1. a. *Asello vehi an prohibitum* FF. *Minoribus.* 1.87.2. c.

Asia.

Asia qui se manifestârit Franc. *& quos fructus ipse eiusq; filij ex ea reportârint.* 2.109 1. a. & seqq. *Quos missiones in ea habeant.* 2.113.1. a.

Index Rerum Præcipuarum.

Asia ab Apostolis qui susceperit semen Euangelij, & qui postea infecta infidelitate, schismatibus &c. 2.117. 2. b.

Auaritia.

Auaritia qualiter regnârit, dum nasceretur S. Franc. 1.4.1. c. *Qualiter prohibeatur FF. Minoribus in 1. & 2. Regula.* 1.23.1. c. 104.1. c.

S. Augustinus. Augustiniani.

S. Augustini opera qualiter elucidata per FF. Minores. 2.162.2. a. *S. Aug. Regulam profitentur sorores D. Constantini heredis regni Insanapatensis, conuersa per FF. Minores.* 2.116.2. b.

Augustiniani comprehenduntur sub Canonicis regulariter viuentibus. 1.53.2. b. *Quando peruenerint in Indias Orientales.* 2.116.1. c.

Austeritas.

De austeritatibus suis laudem hominum quærere quàm indignum F. Minori. 1.85.2. b.

Austeritates FF. Minorum ad quid ordinatæ. 1.105. 2. a. 2.6. 1. a.

B.

Baptismus.

Baptismus Christi in quem diem inciderit. 1.86. 2. c.

Baptismum recipiens quo iure teneatur ad leges baptizatorum. 1.56.2. b.

Eius administratio an prohibita FF. Minoribus ex Regula. 1.157.1. c. 2.57.2. b. *Quî & cur pluribus simul Lithuanis à FF. Minoribus collatus.* 2.114.2.a.b.

Barba.

De barba nutritione à quibus, & qualiter primò disputatum. 1.119. 1. b. *Illa quo motiuo PP. Capucinis permissa.* 1.120.2. c.

F. Bartholomæus de Tao.

Cum Græcorum Imperatore in Italiam redit ad eum missus ab Eugenio IV. 2.121.1. a.

F. Bartholomæus Pisanus.

Qualis fuerit, & ex eius libro Conformitatum qualiter accepta ansa scribendi Alcoranum Franciscanum. 2. 34.2. b. & seqq. 36. 1. c. 2. a. *Pro labore recepit habitum* S. Franc. *à Ministro Generali.* 2.37.1. a.

Vide V. Conformitas.

Basiliani.

Comprehenduntur sub eremitis regulariter viuentibus. 1.53.2. a.

Basilica.

Basilica Lateranensis ruina proxima demonstrata Summo Pontifici quid significârit. 1.37.1. c. 2. a.

Beatitudo.

Beatitudine qualiter potiantur mundi corde. 2.6.2. a. *Beatitudo octaua in apice perfectionis à Christo constituitur.* 2.9.1. a. 15.1. b.

Begardi, Beguini.

Beguinum quidam qualiter fuerit occasio persecutionis Ordinis Minorum sub Ioanne XXII. 2.21.1.c. 2. a. *Iji qualiter se opposuerint FF. Minores.* 2.125.1. b.

Benedicere, Benedictio.

Benedicere Deum quid sit. 2.172.2. b. *Benedictio Ordinis Minorum à Christo.* 2.4.2. c. 5.1. a. *Benedictiones cum sacris monitis quî Patriarcha in veteri testamento dederint filijs.* 2.169.1. b. *Illa cur dicta ipsorum testamentum.* Ibid.

Benedicendi potestas qualiter à Deo data Patriarchis, & familiarum capitibus. 2.175.1. c. *Item Sacerdotibus, & Ecclesiarum capitibus.* 2. a.

Benedictionem quam impertiatur S. Franc. *suis filijs.* 2. 170.2.c. 177.1. b. & seqq. *Hæc potestas qualiter ei à Deo data.* 2.175.2. b. *Illa quàm efficax.* 2.c.176. 1. c. & seqq. 177.1. a. *Cancellatis manibus qualiter benedixerit* F. *Eliam. & F. Bernardum de Quinta Valle.* 2. 176.1. c. *Benedictionis* S. Franc. *super* F. *Eliam forma & series* 2. a. & seqq. *Potestatẽ suam benedicendi quî induxerit* S. Franc. 2.177.2. c. 178.1. a. *Quam benedictionem dederit Fratribus per mundum fructificantibus.* 2.177.2. a. b. *Quî voluerit scribi vltimam suam benedictionem.* 2.180.1. c.

Cum benedictione Dei qualiter permittatur FF. Minoribus habitus repetiare. 1.85.1. a.

Benedictionis ieiuniuum FF. Minorum quod. 1.86.2. c.

Benedicere pertinentia ad Diuinum cultum quando, & quibus FF. Minoribus concessum. 2.61.2. c. & seqq. *An possint benedicere corporalia.* 2.62.1.c. *An etiã possint benedicere ad vsum extra Ordinem.* 2. a. b. *Campanarũ benedictio an concessa Superioribus Ordinis Minorum.* 2. c. *Benedictio altarium, calicum &c. concessa Fratribus inter infideles degentibus.* 2. 63.1. a. *An benedictiones ad Ordinem Episcopalem spectantes sint FF. Minoribus concessæ.* 1. b. *Qualiter concessa in alleuiationem oneris Episcopalis.* Ibid. *Si solis Episcopis essent reseruatæ, quæ incommoditas proueniret, specialiter Ordini Minorum.* 1. c.

Benedictini.

Comprehenduntur sub Monachis regulariter viuentibus. 1.53.2. b.

Benedictus XI.

Quæ ordinârit circa predicationes, confessiones, & sepulturas fiendas à Minoribus. 2.68.1. a. 74.1. b.

Benedictus XII.

Eius constitutiones promulgat F. *Gerardus Odonis.* 2. 215.1. b.

F. Benedictus ab Ottetio.

Mittitur à S. Franc. *in Graciam.* 1.41.1. b.

F. Benignus à Genua.

Qualiter electus in Ministrum Generalẽ. 2.256.1.b. *Eius zelus in vtraque familia.* 1. b. c. *Qualiter curârit reuideri statuta Barchinonensia.* 1. c. *Qualiter zelatus pro Recollectis.* 1. c. 257. 1. a. b. *De licentia Greg. XV. ad quid miserit Visitatores Apostolicos per vniuersum Ordinem.* 1. b. *A vero tramite nullius respectu vel modicum declinauit.* Ibid. *Obijt cum magna opinione Sanctitatis.* Ibid.

Benignitas.

Benignitas erga quoscumque mandatur FF. à S. Franc. *in 1. Regula.* 1.23.1. c.

B. Berardus.

B. Berardus cum Socijs mittitur Marochium à S. Franc. 1.41.1. b. *Fuêre primitiæ Martyrum Ordinis Minorum.* Ibid.

F. Beringarius Taloni de Perpiniano.

Quî se opposuerit F. Ioanni de Belna Dominicano Inquisitori; & indè qualiter orta persecutio Ord. Minorum sub Ioanne XXII. 2.21.2. a. *Appellat ad Pontificem.*

tificem. 2. b. *Præcenitur ab Inquisitore, & arrestatur in curia.* 2. b. c. *Eius partes sequuntur FF. Minores.* 2.22.1. a.

S. Bernardinus Senensis.

Qualiter laborârit in Concilio Flor. pro vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. 2. 121.1.a. *Latinè prædicans à Græcis intelligitur.* 1. b.

Quo fructu obierit Italiam. 2.140. 2. b. *Qualiter commiserit Gaufredum Vercellensem.* 2. c. *Qualiter insudarit vitijs extirpandis.* 2.166.2. c. & seqq.

Ei, vt singularis prærogatiua, reservata exaltatio nominis Iesu. 2.140.2.b. 143.1.b.c. *Cur illud in tantum exaltare conatus.* 2.140.2.c. *Hinc causa odij in ipsum.* 2.141.1. a *Accusatur vt hæreticus.* Ibid. *Citatur Romam, & malè excipitur.* 1.b. *Eius doctrina & sermones examinãtur.* 1. c. *Præsente B. Capistrano qualiter ad sibi obiecta respõderit.* 2. a. *Eius triũphus & victoria aduersus aduersarios.* 2. b. *Prædicat iussu Pontificis in basilica Vaticana 80. continuis diebus.* 2. c. *Aduersarij demùm conantur eum impetere. sed frustrà.* 2.142. 1. a. *Intitulatur signifer nominis Iesu à Leone X.* 2.236.1. c.

Quid resoluerit de pretiositate paramentorum &c. Ecclesiarum FF. Minorum. 2. 138.1. b.

Qualiter institutus Vicarius Generalis Familiæ Observantiæ. 2.234.1.c. 235.1. c. *Qualiter impetrârit absolutionem ab officio.* 2.226. 1. c *Cur impedierit ne F. Albertus de Sartiano eligeretur in Ministrum Generalem.* 1. c. *Eius rythmus de* S. Franc. 2.109.1. b. *Eius canonizatio quando facta.* 2.227. 1. b.

F. Bernardinus de Feltris.

Montium pietatis author. 2.167.2. a.

F. Bernardinus de Prato.

Eligitur in Ministrum Generalem, & promouet reformationem vniuersalem Ordinis. 2.232.1. c.

F. Bernardinus de Senis.

Cum dispensatione Pontificis eligitur in Ministrum Generalem. 2.257.1. c. *Quâ constantiâ zelârit obseruantiam Regulæ.* Ibid. *Qua ad hoc impetrârit ab Vrbano VIII.* 2.258.1. a. *Fit Episcopus.* Ibid.

S. Bernardus.

Qualiter quandoque luxerit Ecclesiam. 1.3.1. a.

F. Bernardus de Quinta-Valle.

Aperit coram eo S. Franc. ter Euangeliorum librum, & cur. 1.18.2. b. *Eius perfectio & sanctitas.* 2.193.1. c. *Eius fides laudata à S. Franc.* 2.194.1. a.

F. Bertrandus de Turre Card.

Admonet F. Michaëlem Cesenatem, vt cum suis deliberet super quæstionibus Ioannis XXII. 2.23.1. c. *Sufficitur in locum eiusdem Michaëlis.* 2. 25.2. c.

Beryllus.

Beryllj natura, & qualitates. 1.153.1. b. *Qualiter cõparetur 8. Fundamento Apostolorum, & Ordinis Minorum.* 1. b. c.

Bigare.

Bigare FF. Minoribus an prohibitum. 1.87.2. b.c.

Bini.

Bini per mundum FF. Minores cur ire debeant. 1.87. 1. c. *Hoc qualiter significatum in secunda proprietate Seraphinorum Isa. 6.* 2.12.1. c. 2. a.

Blasphemia.

Blasphemiæ dum audiuntur, quid agendum. 1.30.1. a.

Bohemia.

In Bohemia quos fructus fecerit B. Ioannes Capistranus. 2.125.2. b.

Bona.

Bona omnia in Deum qualiter referenda. 1. 29. 1. b. 30.1. a. *Boni omnis promotiua qualiter sit obedientia F. Minoris.* 1.145.2. c.

Bona communia qualiter habuerint Christus & Apostoli. 2.21.1. b. & seqq.

Bonorum abdicatio qualiter debeat fieri ab intrantibus Ordinem Minorum. 1. 78. 1. c. 2. a. *An de ijs nil sibi pro necessitatibus futuris possint retinere.* 2.b.c. 128.1. c. *De ijs qualiter disponere debeant.* 1. 79. 1. a. & seqq. *An de ijs FF Minores aliquid recipere possint.* 1.117.1. b. 128.1. c.

Bonorum possessio an quandoque totis Ordini Minorum per dispensationem pontificiã concessa. 1.110.1. a. b.

Bona in communi qualiter alia Religiones habeant, & quo fundamento. 1.130.2. c. & seqq.

Vide V. Abdicatio. *V.* Possessio.

F. Bonagratia à S. Ioanne.

Qualiter electus in Generalem Ministrum. 2.207.1. a. *Accedit Nicolaum III. cum præcipuis Patribus.* Ibid. *Eiusdem Declarationem mittit ad omnes Prouincias cum feruentissimis litteris.* 1. c. *Eius zelus, & obitus cum opinione sanctitatis.* Ibid.

F. Bonagratia Bergomas.

Destinatur à Capitulo Gener. ad Curiam Rom. 2.24. 2. a. *Appellat contra Constitutionem Ioan. XXII.* 2. c. 25.1. a. *Incarceratur.* Ibid. *Fugit ad partes Ludouici Bauari.* 2. b.

F. Bonagratia Dalmata.

Eius labores pro vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. 2.119. 2. b.

S. Bonauentura.

S. Bonauentura à Deo qualiter præseruatus Ordini Min. 2. 205.1. c. *Fuit speculum veri F. Minoris.* Ibid. *Communicauit de manu Angeli.* 2.138.2. c. 139. 1. a. *Eius Diuina reuelatio de missione S. Franc.* 1. 5. 1. a. & seqq. *Floret in Academia Paris. & inde persecutio contra Ordinem Min.* 2.17. 2. a. *Eum conantur quidam à cathedra excludere.* 2. c. *Vincit aduersarios.* 2.19.1. a. & seqq.

Vnde dictus Doctor Seraphicus, Deuotus &c. 2.163. 1.b. *Quid de eo senserint Gerson, & Trithemius.* 1.b. & seqq. *Qualiter dederit initium Theologiæ actiuæ & mysticæ.* Ibid. *Eius doctrina qualis fuerit.* 2.205.1. a. *Ea qualiter ducatur F. Minor ad perfectionem.* 1.b. *Quid senserit de Immac. Concept. Virginis.* 2. 152. 2. b. c. *Eius flosculi in honorem Virginis.* 2.155.1.c.2. a.

Eligitur in Ministrum Gener. 2.204.1. a. *Promouet Regulæ Obseruantiam.* 1.b. 236.1. c. *Condit statuta cæterorum omnium fundamenta.* 2.204.1. b. *Ordinat formam habitus.* 1. c. *Quâ conatus Ordinem liberare à regimine Monialium.* 2. 59. 2. a. *Quamdiu Ordinem rexerit.* 2.205.1. c.

Qui laborarit pro vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. 2.119. 2. b. *In Cent. Lugd. habet primam concionem.* 2.120.1. a.

Quòd

Quàm mirabiliter acceperit viaticum. 2.139.1. b.

F. Bonauentura à Calatagirona.

Quî electus in Ministrum Gener. 2.254.1.a. *Sub eo qua ordinata pro vtraque familia.* 1. b. *Eius zelus pro Obseruantia Reg.* Ibid. *Composuit pacem inter Hispaniarum & Galliarum Reges.* Ibid. *Pro Recollectione quid statuerit in Belgio.* 1. c. *Fit Patriarcha Constantinopolitanus.* Ibid.

Bonifacius VIII.

Quid sanciuerit circa prædicationes FF. Min. & Predic. 2.67.1. c. & seqq. *Causa huius Decreti.* 2.71. 1. a. b.

Quid circa confessiones secularium excipiendas ab ijsdem. 2.73.1. c. & seqq.

Absoluit à Generalatu F. Raymundum Gaufredi ob recusatum Episcopatum. 2.210.1. b. *Conuocat Capitulum Gener. Anagniam, eiq; præsidet.* 2.211.1. a.

Bosnia.

In Bosnia quos fructus fecerint FF. Minores in conuersione hæreticorum. 2.126.1. a. b.

Bracchæ.

Braccharum FF. Minorum materia vel forma non exprimitur in Regula. 1. 82. 2. c. *De bracchis à quibus disputatio ceperit inter FF. Minores.* 1.119. 1. b. *Ad quid concesserit eas S. Franc. suis FF. in Regula.* 1.121.1. b. *Earum materia, & qualitas.* 1.122.1. c.

Breuiarium.

Breuiariorum vsus conceditur ex Regula FF. Minoribus. 1.86.1. b. 123.1. a.

Breuiarij correctio quî pronenerit ab Ordine Minorum. 2.60.2. b. 136.1. b.

Breuiariorum FF. Minorum vsus quando in Ecclesiam Rom. introductus. 2.60.2. c.

Breuiarium Rom. Pij V. in ordine Min. quî demandatum. 2.252.1. c.

Breuitas.

Breuitatem sermonis cur S. Franc. requirat in prædicationibus FF. Minorum. 2.13.2. c.

S. Brigitta.

S. Brigitta reuelatio de Regula FF. Min. 1.57.1. b. *Illa reuelatio confirmata per verba S. Franc. ad Henricum III.* 1. c. *Eiusdem reuelatio de S. Franc. igneo amore.* 2.11.2. a.

Britannia.

Britanniæ Prouinciam quî reformârit F. Benignus à Genua. 2.257.1. a.

Brugæ Flandrorum.

Quam rabiem Genisij Brugis exercuerint, & quî diruerint Conuentum FF. Min. 2.165.1. a.b.

Bruxellæ.

Bruxellas quî quandoque pestis innaserit, & peste infectis assiterit F. Theodoricus à Monasterio. 2.168. 1. b. *Iisdem ibi semper adfuerunt FF. Minores.* 1. c.

Bugia.

Ad Bugiæ Regem qualiter miserit Pontifex FF. Minores. 2.113.2. c.

Bulgaria.

In Bulgaria quos fructus fecerint FF. Minores. 2.114. 1. c. *Bulgari sæpè à schismate per eos reducti.* 1. 122.1 c.

Bulla.

Per bullam cur petierit S. Franc. approbationem suæ Regulæ. 1.42.2. a. *Bulla approbationis 2. Regulæ vbi asseruetur.* 1.46.2.a. *Bullas generaliter dispensantes in præcepto Regulæ semper reiecit Ordo Min* 1.110.1. c.

Bulla originalis eximens FF. Minores à præstanda obedientia manuali Episcopis vbi seruetur. 1.66.2. a. *Bulla Alexandri IV.* Nimis iniquâ vicissitudine. 2.16.1. a. & seqq.

A bulla cœnæ casibus an possint absoluere Confessarij Mendicantium. 2.76.1. a. 99.1.c. 2. a. *Inter quos casus reseruatos debeant illi referri.* 2.101.1. a.

Vide V. Reseruatio, Reseruatus.

C.

Cæcus.

Cæcus sequens canieulam exemplar veri obedientiæ à S. Franc. propositum. 1.147.1. c. 2. a.

S. Cælestinus.

Cælestinus an dederit Fratricellis &c. priuilegium viuendi, prout viuebant. 2.27.1. b. *Qualiter approbârit Congregationem Clarenorum.* 2.210.1. b.

F. Cæsarius Spirensis.

Persecutionem patitur à F. Elia, & alijs relaxatis. 2. 199.1. a. *Qualiter obtinuerit licentiam à S. Franc. recedendi ab Ordine tempore relaxationis.* 1.b. *Deditinitium Congregationi Cæsarenorum.* 1. c.

Animam eius qualiter viderit Greg. IX. in cælum deferri. 2.199.1. c. 200.1. a.

Calceamentum.

Calceamentum quid. 1.84. 1. a. *Inter ea an censenda caligæ truncatæ.* 1.122.2. a.

Calceamentis vti quando possint FF. Minores. 1.84.1. b. c. 121. 2. b. *In necessitate ea portantes an utantur dispensatione.* 1.108.1. b. *Necessitas à quo iudicanda.* 1.117. 1. c. *In ijs an aliquando vniuersaliter cum toto Ordine dispensarum.* 1.110. 1. 2. & seqq. *Ad hoc qui recurrerint ad S. Sedem.* 1.119.1. b.

Calcedonius.

Calcedonij natura & qualitates, & cur ponatur pro 3. Fundamento Apostolorum & Ordinis Minorum. 1. 42.1. b. & seqq.

Calculus.

Calculus forcipe de altari à Seraphino sublatus quid significet, eiusq; mysterium qualiter congruat Ordini Minorum. 2.13.2. b. & seqq.

Calepodia.

De Calepodijs à quibus inter FF. Minores disputatio ceperit. 1.119.1. b.

Caligæ.

Caligis truncatis cur liceat FF. Minoribus vti, & an sine dispensatione. 1.108.2. b. 122.2. a.

Caluinus.

Caluinus qualiter mundum infecerit suâ hæresi, & contra eum eiusq; assecias qualiter dimicârint FF. Minores. 2.126.1. c. & seqq.

Calyphas de Balduc.

Quis fuerit, & ad eum quo instinctu miserit Greg. IX. FF. Minores. 2.111.1. c.

Camisia.

Camisiarum vsus an quandoque toti Ordini Minorum permissus. 1.110.1. a. *Ad hoc qui recurrerint ad S.Sedem.* 1.119.1. b.

Campana.

Campanæ pulsus ad elevationem corporis Christi in missa solemni ad quid & à quo institutus. 2.138.1. c.

Campana maior Conventus in obitu F. Bonagratiæ Ministri Gener. nemine trahente sonat. 2. 207. 1. c.

Vide V. Benedictio.

Canariæ Insulæ.

Vnde sic dictæ; & eas qui primi ingressi ad evangelizandum. 2.115.1. a.

Canonicus.

Sub Canonicis regulariter viventibus qui comprehendantur. 1.53.2. b.

Cantus.

Cantus Ecclesiastici commendatio. 1.123.2.b. *Quis cantus in Ecclesia prohibitus.* 2. c.

Cantui Ecclesiastico qualis FF.Minores contrarij. 1. 123. 1. c. *Ab eo abstinere Reformatis & Capucinis cur & qui permissum.* 2. c.

Caparo.

Caparonis novitiorum formis disputatio à quibus inter FF.Minores orta. 1.119.1. b. *Eius forma undè desumenda.* 2. a. b.

Capillatura.

De ea disputatio, & excessus quando inter FF. Minores. 1.119.1. b. 120.1. a.

Capitulum.

Capitulum Generale quando & ubi celebrandum ex 1. *Regula.* 1.30.1. b. *Quando ex* 2. *Regula, & ad illud qui teneantur convenire.* 1.99. 2. a. b. *In eo quæ tractanda.* 1.100. 1. 4. 2. a. *Quî Capitula semper reiecerint generales dispensationes in præceptis Regulæ.* 1.110. 1. c. *Eorum definitionibus qualiter standum.* 1.118.2. c. 119. 1. a. *Qualiter semper Zelârint Reg.Observ.* 2.233.1. c. 234.1. a.

Capitula Generalia quatuor celebrata vivente S.Franc. *& quæ in eis ordinata.* 1.40.1. b. & seqq. 41.1. a. b. 2.194.1. b. & seqq.

Capitulum Gener. Perusinum qualiter iudicio Ecclesiæ suam responsionem ad quæstiones Ioannis XXII. submiserit. 2.22.1. b. 23. 1. b. & seqq. *Illa responsio qualiter Ioannem XXII.turbârit.* 2.24.1.c.& seqq. 25.1. c. 2. a.

Capitula Generalia à morte S Franc.2.196.1.c.& seqq.

Generalissimum 1. *Capitulum quando celebratum.* 2. 225.1. a. *Secundum quando, & quot Fratres ad illud convenerint.* 2.226.1. b. *Quæ in eo acta* Ibid.

Capitulum 1. *Generale reformatorum ubi & quando celebratum.* 2.231.1. a.

De Capitulis Provincialibus cur in Regula non provisum. 1.100.2. a.

FF. Capucini.

FF.Capucinorum origo. 1.120.2. c. *Sub quibus crevrit eorum Congregatio.* 1.99.1.a. *Eiusdem motivum & finis.* 1.120.2.c. *Qualiter resciſa à Clemente VII. & qualiter resumpta, & confirmata ab eodem.* 2.245. 1. a. b.

Eorum habitus, & caputium an S.Franc. 1.121.1.a.& seqq. *Eorum Generalis qualiter quandoque dependerit à Generali totius Ordinis Min.* 1.99.1.b. *Illa dependentia qualiter modo abrogata.* Ibid. *Generalis totius Ord.qualiter debeant deferre.* 2.264.1. b.

An possint recipere ad 3.*Ordinem* S.Franc. 2.159.1. a. *Vide* F. Matthæus de Basso.

Caputium.

Caputij à Caparone distinctio. 1.80.2. a.

Caputij FF. Minorum figura non exprimitur in Regula. 1.82.1. b. c. 119.1. c. *Inutiles disputationes de ea.* 1.83.2. c. *Illa à quibus orta.* 1.119.1.b. *Item de duplicibus caputijs.* Ibid.

Caputium quale S.Franc. *portaverit.* 1.120.1. a. *Illud quî voluerit ampliare F. Elias.* Ibid. *Illius varietas à morte* S.Franc. 1. b.

Caputij forma tempore S.Bonav. qua, & cur sic generaliter decreta. 1.120.1. b. *Qualiter confirmata.* 1. c. *Ei cur additum Collare seu Moseta.* 1. c. 122. 1.c. *Caputij ad tunicam assutura qua, & ad quid.* 1. 122. 1. c.

Caputium quadratum Capucinis quo motivo permissum à Pontifice. 1.120.1. c. *Caputium pyramidale pro quadrato ad quid assumptum.* 1.121.1.a. *Illud unde originem sumpserit.* 1.41.2. b. *Illud quî prohibitum portari ab alijs, quàm Capucinis.* 1.121.1. b.

FF.Minores de Caputio quî, & cur sic dicti. 1.120.2.b. *Quando hoc nomen, & acuminatum caputium reliquerint.* Ibid. *Quando ipsi se reunire Conventualibus vel Observantibus.* 2.231.1. c. *Quî zelarint puritatem Regulæ.* 2.234. 1. b. *Quid de ijs ordinârit Leo X.* 2.238.1. a. b.

Cardinalis.

Cardinales cur obstiterint approbationi 1.*Regulæ.* 1.37. 2. b.

Eorum Zelus contra Relaxatos tempore Ioan.XXII. 1. 111.2. c. 112.1. a. *Unus ex eis quid tunc dixerit.* Ibid. *Cardinales aliqui frustrà conâtur sedare iram eiusdem contra Ordinem Min.* 2.25.1. a.

Cardinales 4.*examinant, & condemnant libellum Guil. à S. Amore.* 2.19. 2. b. *Coram Cardinalibus revocant suos errores Christianus Belluacensis, eiusq; assecla.* 2.20. 1. b. *Alij* 4. *constituti auditores causæ Rich. Archiep. Armac.* 2.30.1. c.

Caro.

Carnis & spiritus diversa studia. 1.29.1. c. *Caro vincitur paupertate.* 1.140.2.b. 141.2. a. *Per obedientiam quî macletur.* 1.144.2. b. 152.2. a. *Eam fovere delicijs quam periculosum.* 1.156.1. b. c. *Eius tentationes qualiter vincantur.* 1. c.

Caro S.Franc. *subiecta eius spiritui.* 2.6. 2.c. *Eam quî devicerit horâ sui transitus.* 1.142.1. a. *Carnis eius pulchritudo & mollities post mortem unde.* 1.154.1.b.

Carnem qui subjugarint primi FF.Minores. 2.7.1. a.

Carolus Rex Siciliæ.

Cum Regina à Nicolao IV. quâdo coronatus. 2.209.1.c.

Carthusianus.

Ad Carthusianos an liceat FF.Minoribus transire. 1. 82. 1. a. b.

Castitas.

Castitatem quî voverint Apostoli. 1.59.2. c. & seqq. *Castitatis Religiosa votum qui exprimatur in Evangelio.* 1.74.1. a. b. *Qui annexum discipulatui Christi.*

Christi. 1.78.1.2. *Eius professori quæ pericula immineant sub pretextu boni.* 1.105.2.b. & seqq. *Ei quæ contraria.* 1.104.1.c. *Eius symbolum Beryllus.* 1. 153.1. b. *Eius professorem quàm dedeceant solitaria colloquia cum mulieribus.* 1.154.2. b. *Castitas pro sanctitate in S. Scriptura ponitur.* 2. c. 155.1.2. *Eius prælia duriora inter certamina Christianorum.* 2. 2. *Comparatur ebori antiquo.* 2. 2. b.

Castitatis votum quî obliget Religiosos, specialiter FF. Minores. 1.154.1. b. *Ei qualiter se suosq;* S. Franc. *dedicârit.* 1.157.1.2. S. Franc. *Castitas qualiter demonstrata F. Leoni.* 1.153.1. c. 2. c. 154.1.2. *Eius effectus in corpore* Franc. 1. 2. b. *Quæ præcepta ei addiderit.* 1. c. 2. 2. *Pro ea militant omnia posita in Regula FF. Min.* 1.155.2. c. & seqq. *Ea cur sic ijs præscripta.* 2.6.1.2. *Ob eam qualiter comparentur FF. Minores Nazaræi.* 1.154.2. c. *castitatis eorum.* 4. *encomia.* 1.155.1. 2. & seqq. *Expurgatio quarundam palearum contra puritatem castitatis eorum.* 1.157.1.b. & seqq.

Castitatis purissimæ Ordinis Min. Triumphus, & descriptio. 1.159.1. b. & seqq.

Cathari.

Cathari infestant Galliam & Italiam, dum nascitur S. Franc. 1.4.1. 2. *Ab eis deducit D. Thomas hæresim Desiderij Longobardi.* 2.18.2. b.

Catholicus.

Catholici quî debeant esse FF. Minores. 1. 30. 1. c. 77.2. c. *Ly* Catholicus *quid significet, & qualiter voluerit* S. Franc. *Reg. suam* catholicè obseruari. 2.174.2. b.

Catholicos tempore hæreticorum qualiter fouerint FF. Minores. 2.164.2. b. & seqq. *In eorum vitijs extirpandis qualiter laborârint, & laborent.* 2.166.2. b. & seqq.

Ceila Insula.

In ea quos fructus fecerint FF. Minores, 2.116.2.2.

Cellarium.

Cellaria habere qualiter prohibitum FF. Minoribus. 1. 117.2.b. *De ijs quid Ioan. XXII.* 2.114.1. c.

Cepta.

Ad Ceptæ Regem qualiter miserit Greg. IX. FF. Minores. 2.113.2. c.

Ceremonia.

In ceremonijs Diuini officij semper excelluit ordo Min. & in earum ordinatione iunxit Ecclesiam. 2.13.1.c.

Vide V. Officium Diuinum. *V.* Ritus.

Charitas.

Charitas significata per laspidem. 1.2.1. b. *Confundit diabolj tentationes.* 1.104.1. c.152.1. c. 2. 2. *Charitatis opera significata per alas Seraphinorum.* 2. 12. 2. 2. b. *Charitatis victoria significata per Chrisoprasum.* 2.14.1. b. & seqq.

Charitatem mutuam inter FF. Minores quam præscribat S. Franc. *in 1. Regula.* 1.25.1. b. 26.1. b. *Quam in 2. Regula.* 1.96.1. c. 2, 2. *In ea consistit decor Ordinis Min.* 1.104.1. c. *Charitatis heroica opera in Regula Min.* 1.149.1. 2.

Vide V. Infirmus.

Ad charitatem Dei exhortatio S. Franc. 1. 35. 1. c. & seqq.

Vide V. Amor.

Cherubim.

Cherubim ad quem ordinem & gradum cælestis hierarchia pertineant. 2. 2. 1. c. 2. 2. *Iis qualiter se communicet Deus, & cur sic dicti.* 2. b. c. *Eorum hierarchica operationes qualiter communicatæ Ordini Min.* 2.10.1. b. & seqq.

Eorum gaudium dum Franc. *mitteretur in mundum.* 2.3.2. c.

Chinæ.

In Chinas quando pervenerint FF. Minores. 2. 116.2. c.

Chorda S. Franc.

Illâ qualiter Christus suos trahat. 2.159.1. b. *Origo devotionis ad illam.* 1. c. 160.1. c. *Illius mira virtus.* 2.159.2. 2. *Illam postulat, & portat S. Dominicus.* 2. b. *Reges &c. eam gestarunt ante institutam Archiconfraternitatem, & eam tunc gestantibus quæ indulgentia concessa.* 2. b.160.1. c. *Continet viam & semitam misericordiæ Dei.* 1. b. *Comparatur funiculis* Rahab *& Iacob.* 2. 2.

Chorda Archiconfraternitas quando, & vbi instituta. 2.159.2. b. *Illius diuulgatio quibus primò commissa, & post communicata.* 2. c. *Quàm solemnes indulgentiæ eidem concessæ, & cur.* 2.160.1. 2. b. *An possint applicari defunctis.* 1. b.

Chorda à quo debeat dari, & benedici. 2. 160. 1. c. 2. 2.

Chorus.

Chorus in Ordine Minorum ab eius initio qualiter seruatus. 1.123.2. b.

Chrisma.

Chrismatis vnctio alia Episcopalis, alia Presbyteralis. 2.62.2. c. *Eo an possint vti FF. Minores in benedictione campanarum.* Ibid.

Chrisoprasus.

Eius natura, & qualitates. 2. 14. 1. b. *Quî comparetur 10. Fundamento Apostolorum, & ordini Min.* 1. c. 15.1. 2.

Christianus.

Christiani quô migrârint captâ Ierosolymâ per Turcam. 1.3.2. c.

Christiani omnes ad quid Euangelij, & qualiter obligentur. 1.59.1.2. 73.1. c. & seqq. *Primorum Christianorum vita communis, qua.* 1.131.1. 2. *Quî discrepârit à vita Apostolorum.* 1. c. 2. 2. *Christiani omnes qualiter filij Ecclesiæ Rom.* 2.40.1. 2. b.

Per malos Christianos concutitur Ecclesia, & pro eorum emendatione quid egerit Ordo Min. 2.109.1. c. & seqq.

In Æthiopia Christiani vocantur Cophti, *& cur.* 2. 121.2. c.

Christianus Canonicus Bellnac.

Quî & cur conspirârit contra Ordinem Min. & Prædic. 2.17.1. c. & seqq. 20.1. c. *Admonitus sæpè ab Alex. IV. ad resipiscentiam.* 2.19. 1. b. *Ab eodem & Ludouico Gallia Rege quî condemnatus.* 2. c. *Resipuit, & in pristinum gradum est restitutus.* 2.20. 1. b. *In vltima infirmitate qualiter pœnituerit.* 1. c.

F. Christophorus à Capite Fontium.

Quô electus in Ministrum Generalem. 2.252.1.b. *Sub eo qua ordinata.* Ibid. *Eius Zelus, doctrina &c.* 1. c. *Obijt nominatus Archiep. Cæsarien sis.* Ibid. *De eius*

eius vita quod testimonium dederit B. Angelus de Paz.2.253.1. a.

F. Christophorus à Forliuio.

Qui electus in Ministrum Gener. 2.240.1. b. Zelat observantiam Reg.1. c. Fit Cardinalis,& continuat in regimine Ordinis. Ibid. *Præsidet Capitulo Gener.2.241.1. a.*

Christophorus Columbus.

Ei occiduas Indias meditanti qualiter adfuerint FF. *Minores.2.115.1. a.*

Christus.

Christus hierarchiarum author,& perfectio.1.64.2. b. 2.4.1. b. 5.1. a. b. Ab eo qualiter communicetur omnis potestas,& superioritas hominibus.1.136.2. c. 2.4.1. b.

Christus qua vestimenta portârit.1.83.1.a.& seqq. Pedester semper incessit.1.87.2. b.

Christus dupliciter considerari potest, vt persona particularis, & vt caput Ecclesiæ.1.134.2.b.2.22.1. b. Qui fuerit Rex in hoc mundo.1.136.1. c. & seqq. Eius comitiua quibus personis constiterit.1.137.2.b.

Christi obedientia qua. 1.146. 2. b. 149. 1. a. 151. 1. b. c.

*Christi paupertas.1.24.1. c. Vixit de eleëmosynis.*Ibid. *95.1. b. Christus & Apostoli an aliquid habuerint in communi, vel speciali: Quanta difficultates ex hac quæstione orta contra Ordinem Min,2.21.1. c. & seqq. Sopitur per responsionem F. Vbertini de Casali. 2.22.1. a. & seqq. Acerbiùs qualiter resuscitata.2. c. & seqq.Circa eam quid determinârit Ioannes XXII. & inde qua secuta.2.25.1. a. & seqq. Qui tandem inita concordia inter ipsum & Ordinem Min. 2.27. 2. c. & seqq. Dominio temporali an Christus vsus dum asinam & pullum mandauit sibi adduci.1. 137.1. a.*

Vide, V. Loculus.

Christus quibus modis suam dilectionem probauerit.2. 8.2. a. & seqq.Eius benignitas in dimittendis peccatis.2.78.2. a.

Christi sequela in quo consistat. 1.60.2. a. 134.2. b. 143 2. c. Assimilatio ad Christum est vtilitas & suauitas obedientiæ. 1. 151. 1. b. Conformitas cum Christo quanta perfectio.2 9.1. a.

Vide V. Conformitas.

Christus sub specie leprosi apparuit Franc. *1.12. 1. a. Fuit Regulæ eius immediatus author & dictator. 1. 45.1. b. 55. 1. c. & seqq. 2. 168. 2. c. Vult eam seruari ad litteram. 1.70. 1. a. Cur tertiò dixerit,* Ad litteram, & Sine glossa. *1. a. & seqq. 71.1. a. Qui præuenerit eius approbationem per concessionem indulg. Portiunculæ.1.45.2. b. c. Reprehendit* Franc. *ab conspirationem F. Eliæ &c. contra 2. Regulam, turbatum. 1.55. 2. b. Item turbatum ob prauisa mala exempla suorum* FF. *2. 5.1. a. 191. 1. b. A Christi vestigijs grauis* S.Franc. *vel minimum decedere. 1.86.2. b.*

Christus vnicum & firmum fund. vitæ FF. *Min.1.58. 2. a. b. 2. 4. 1. b. & seqq. Qui communicauerit* Franc. *eiusq; Ordini operationes cælestes hierarchicas.2. b. Et ab eius influxu qualiter dependeat Ordo Min.2. c. 5.1. a.*

Christus quas promissiones fecerit Apostolis; 1.61.2. a. & seqq. Quas S. Franc. *eiusq; filijs. 1. 62.1. c. & seqq. 2. 4.2. c. 5.1. a. Promisit* Franc. *pascere filios eius.2.46.2. b. Quid respondeat Apostolis orantibus pro conseruatione Ordinis Min.2.168.2. c.*

Christus qualiter lapis angularis & quis quadrangularis super eum Ordini Min.assignatus. 2.38.1.2.2.2.

Vide V. Crux, Crucifixus. *V.* Passio. *V.* Sanguis. *V.* Stigmata.

Chrysolithus.

Chrysolithi natura, & qualitates. 1.143.1. a. Cur comparetur 7. Fundamento Apostolorum, & Ordinis Min. 1. b.

Cibus.

Cibum qualiter dicantur Discipuli Christi emisse. 1. 138.1. a.

De cibis appositis qualiter liceat FF. Minoribus per mundum euntibus vesci.1.21.1.2. 88.2. a. b. Quibus liceat eisdem in Conuentu. 2. b. Tempore necessitatis, quibus.1.25.1. b. 108.2. c. 109.1. a. An ex fera volatili &c. possint sibi FF. *Minores cibum parare. 1.129.1. b. Cibus F. Mineris qualiter cibus Dei.2. c. Ciborum delitiæ cur ipsis prohibitæ. 1.156.1. a.2. 6. 1. a.*

Cibis qualiter homines in statu innocentiæ vsi fuissent 1.129.2. c.

Cingulum.

Cinguli FF. *Minorum conformitas ad S. Scripturam. 1.80.2. b. Quali debeant cingi, & cur. 1.82.2. a. 121.2. a. 156. 1. b.*

Cippus.

Cippos in Ecclesijs suis habere prohibitum FF. *Minoribus.1.117.1. c. 2. a. Eorum abusus sub F. Matthæo Aquasp.2.209.1. a. Eliminati ex locis Min. sub F. Franc. de Angelis.2.246.1. a.*

Cistercienſis

Cistercienses Monachos ad Ordinem Min. recipere quando prohibitum.2.201.1. b.

S. Clara, Clarissæ.

S. Clara instat orationi ad explorandam Dei voluntatem circa S.Franc.*2.39.2. c. Ipsius solius,& primarum sociarum curam assumpsit* Franc. *2. 58.2. a. Eius deuotio & reuerentia erga SS. Eucharistiam. 2. 136.2. b. Eius solicitudo pro munditia corporalium &c.* Ibid. *Virtute SS. Sacramenti exturbat Saracenes ex suo monasterio.*Ibid.

A Clarissarum curâ FF. *Minores quando liberati.2. 57.2. c. 58.1. a 2. b. Ad earum monasteria visitanda vel confessiones audiendas an ab Episcopis vel Legatis Apostolicis cogi possint.2. c. Ordini Minorum qualiter subijciantur & an ab initio eidem subiectæ. 2.58.1. a. & seqq. Vocata in initio Minoritissæ, & hoc qualiter displicuerit* S. Franc. *2. b. Ab earum regimine qui abhorruerit* S.Franc.*2.59. 1. c. Ex eo quæ incommoda Ordo incurrerit, & illud qualiter sapiùs conatus deserere.1. c. 2. a.*

Clarissæ in initio cur vixerint sub Regula & constitutionibus S. Benedicti.2.58.2. c.

Clarissarum Pauperum Regula quando & quomodo scripta.2.59.1. a.

Earum confusio quoad nomen & Regulam,& qualiter sopita per Vrbanum IV. Ibid.

Vide V. Moniales.

Index Rerum Præcipuarum.

Clareni.

Clareni vnde dicti, & qualiter impetrârint separationem ab Ordine. 2. 210. 1. b. *Vnde dicti* Eremitæ D. Cælestini. Ibid. *Qui dispersi sub Bonifacio VIII. & quando reuniti corpori Ordinis.* 1. c. 231. 1. c. *Zelarunt puritatem Regulæ.* 2. 234. 1. b. *Quid de ijs ordinârit Leo X.* 2. 238. 1. a. b.

Clausula.

Clausula derogatoria priuilegijs mendicantium quî accipienda. 2. 102. 1. b.

Vide V. Priuilegia.

Clemens IV.

Quæ sanciuerit circa prædicationes, & confessiones audiendas à FF. Minoribus. 2. 67. 1. a. 73. 1. b. c.

Clemens V.

Conuocat Capitulum Gener. Viennam. 2. 213. 1. a. *Ipso mortuo quamdiu vacârit Sedes.* 1. b.

Vide V. Declaratio.

Clemens VI.

An aliquid sanciuerit in controuersia de sanguine Christi. 2. 145. 2. b. c. 146. 1. b. 148. 2. a.

Constituit Vicarium Gener. Ordinis F. Fortanerium Vasalli, qui eius commendatione fit Minister Gener. 2. 215. 1. c. 216. 1. a. *Quam auctoritatem ei dederit ad regendum Ordinem.* Ibid.

Clemens VII.

Confirmat Congregationem PP. Capucinorum. 2. 244. 1. c.

Vide F. Matthæus bassius.

Pro componenda pace inter ipsum, & Carolum V. laborat F. Franc. de Angelis. 2. 246. 1. c.

Clementis VII. Nomen assumit Antipapa Cardinalis Genennensis. 2. 221. 1. c. *Eligit locum Auinione, eique qui adhæserint.* 2. 222. 1. a.

F. Clemens à Monelia.

Vicarius Gener. Ordinis mortuo F. Ioanne Calue regit Ordinem. 2. 249. 1. a. *Fit Minister Gener.* 1. c. *Eius zelus pro obseruantia Reg.* Ibid. *Ei quam dederit potestatem Iulius III. pro regimine Ordinis.* 2. 230. 1. a. b. *Fit Cardinalis.* 1. c. *De eius statutis quæ altercationes in capitulo Vallisolitano.* 2. 252. 1. a.

Clerus, Clericus.

Clerus qualiter pertineat ad hierarchiam Ecclesiasticam. 1. 63. 2. a.

Clerici quas difficultates mouerint FF. Minoribus ante approbationem Regulæ. 1. 39. 1. a. *Quas post eius approbationem.* 1. 40. 2. a. *Quas statim à morte* S. Franc. 2. 15. 2. a. & seqq.

Clerici R. Ecclesiæ quibus titulis obligentur ad recitationem Diuini Officij. 1. 86. 1. c. *His quam reuerentiam à suis deferri voluerit* S. Franc. 2. 179. 2. c. 180. 1. a. *Qualiter & cur hortetur suos ad concordiam cum eis.* 1. a. b. *Quî voluerit tegi eorum defectus.* 1. b. *Monet eos ad emendationem vitæ.* 2. 135. 1. a. *Clericos sui Ordinis de tribus monet* S. Franc. *circa SS. Eucharistiam.* 2. 134. 2. b.

Coletani.

Coletani qui, & quando iussi se vnire Conuentualibus, vel Obseruantibus. 2. 231. 1. c. *Zelarunt puritatem Regulæ.* 2. 234. 1. b. *Quid de ijs ordinarit Leo X.* 2. 238. 1. a. b.

Colonia.

Colonia Prouincia quantum laborarit in conuersione hæreticorum. 2. 127. 1. b. *Quo fructu assiterit, & assistat Catholicis in partibus Gentiorum fugatis Pastoribus.* 2. 166. 2. b. *Quo fructu in pluribus municipijs multiplicarit habitacula.* 2. 167. 2. b.

Color.

Color vestium FF. Min. qualis esse debeat. 1. 121. 2. c. *Color iuxta æstimationem hominum in quo.* 1. 122. 1. a.

Columba.

Columbis qualiter comparati FF. Minores. 2. 13. 1. b.

Commissarius.

Commissarij Generales Nationales quando, & pro quibus Nationibus primo instituti. 2. 246. 1. b. *Quæ potestas eis attributa.* Ibid. *In Natione Germanico-Belgica modò perseuerant, & eorum electio ad quem pertineat.* 1. c. *De ijs difficultas mota sub F. Franc. Zamora qualiter sopita.* 2. 251. 1. b.

De Commissarijs mittendis in Hispaniam, Galliam & Flandriam quid concesserit Iulius III. F. Clem. de Monelia. 2. 250. 1. a. b.

Communicatio.

Communicationibus Diuinis exercentur operationes hierarchica in cælestibus spiritibus. 2. 2. a. b. 5. 1. b. *Quî facta à Christo* S. Franc. 2. 4. 2. b. *Et Ordini Min.* 2. 5. 1. b. & seqq.

Communio.

Communionis sacra frequentatio introducta per FF. Minores. 2. 166. 2. c. 167. 2. b. *Eam promouit S. Bernardinus.* 2. 167. 1. a.

Vide V. Eucharistia.

Communitas Ordinis.

Accusatur de transgressione Regulæ coram Clem. V. & defenditur. 1. 114. 2. b. 2. 212. 1. c. 213. 1. a. *An potuerit iustè sic accusari.* Ibid.

Communitatis Patres de mandato Martini V. veniunt ad Capit Generalissimum. 2. 225. 1. a. b. *Obligant se ad statuta Martiniana, & mox resiliunt.* 1. c. 226. 1. a. 235. 1. b. *In 2. Capit. Generalissimo agunt, vt vnus è suis eligatur in Ministrum Gener.* 2. 226. 1. b. *De eorum relaxationibus quid quandoque dixerit F. Franc. Samson.* 2. 230. 1. a. *Cur suspectum habuerint F. Ægidium Delphini.* 1. c. *Quî eos alle conatus reformare.* 1. c. 231. 1. a. *Quî inualuerint aduersus eumdem.* 1. b. *Inter eos semper aliqui zelarunt puritatem Regulæ.* 2. 234. 1. b. *Quando dicti* Conuentuales. 2. 235. 1. c.

Vide V. Conuentualis.

Commutatio.

Commutatio rerum non necessariarum FF. Minoribus qualiter, & per quos fieri debeat. 1. 95. 1. c. 2. a. 116. 1. b. 2. 53. 1. c.

Compaternitas.

Compaternitas FF. Minoribus cur prohibita. 1. 106. 1. b. 125. 2. b. 154. 2. a. 157. 1. a. 158. 2. b. *Quæ contrahitur ex ministratione Baptismi an prohibita.* 1. 157. 2. b.

Conceptio.

Conceptio Immaculata B. Mariæ asserta ab Ordine Min. 2. 151. 1. b. *Eius defensio reseruata eidem.* 1. c. *Illius defensionis fundamenta ex SS. Patribus.* 2. a.

& ſeqq. *Quid pro ea decreuerit academia Pariſ.* 2. 153. 2. b. *Qualiter perſeuerarit Ordo Min. in defenſione eiuſdem.* 2. c. *Iuramentum eiuſdem de eadem defendenda.* 2. 154. 1. a. b. *Ob eiuſdem exaltationem quantùm Eccleſia detulerit Ordini Min.* 2. c. *Ly* Immaculata *an reſpiciat Conceptionem, an ipſam Virginem.* 2. 155. 1. a. b. *Quid circa hoc Sixtus V.* Ibid.

Conceptionis feſtum à pluribus celebratum, & promulgatum poſt diſputationem Scoti. 2. 154. 1. b. c. *Quàm celebre illud voluerit Sixtus IV.* 2. a. *In Cap. Gener.* ad Storeas *in eius honorem quid ordinatum.* 2. 152. 1. b. 194. 1. c. *Miſſa & officium proprium de eadem inſtitutum cum indulgentijs.* 2. 154. 1. c. *Illud qualiter & quando mutatum.* 1. c. 2. a. *Quas indulgentias conceſſerit Leo X.* 2. b.

Conceptionis Confraternitates quibus gratijs à Pontificibus dotatæ. 2. 154. 2. b. *De Confraternitate eiuſdem quæ Antuerpiæ gauiſa F. Gabriel Maria.* 2. 156. 2. a.

Conceptionis Ordo qualiter inſtitutus, eiuſque regimen cur Ordini Min. commiſſum. 2. 154. 2. b. *Eiuſdem imaginem geſtantibus quæ indulgentia conceſſa, & quæ viſitantibus Eccleſias in eiuſdem feſto.* 2. c.

Concilium.

Conciliorum ſacrorum definitionibus exutiuntur palæ hæreticorum in S. Script. 1. 118. 2. c. *Eorum elucidationi quid contulerit Ordo Min.* 2. 162. 1. c. 2. a.

Concilium Later. ſub Innoc. III. quàm celebre. 1. 39. 1. b. *Approbauit* 1. *Regulam* FF. *Min.* Ibid. 40. 1. b. *Eam approbatam declarat Concilium later. ſub Greg. X.* 1. 39. 1. c.

In Conc. Viennenſi qui publicata declaratio Clem. V. in Regulam FF. *Min.* 1. 114. 2. a. & ſeqq.

Concordantiæ Bibliorum.

Qui eas ex Ordine Min. compoſuerint. 2. 162. 1. a. b.

Confeſſarius.

Confeſſarij ſæcularium in Ordine Min. qualiter, & à quibus initio Ordinis potuerint inſtitui. 2. 72. 2. c. 73. 1. a. *Antiqua forma inſtitutionis eorum.* 2. a. & ſeqq. *Pro iis & Confeſſarijs Ordinis Prædic. an ſufficiat examen, electio, & approbatio Superiorum, etiam ad rigorem Conc. Trid.* 2. 75. 1. b. *A Superioribus idonei iudicati, & reiecti in examine Epiſcoporum cenſentur approbati à Papa.* 2. 73. 2. c. 96. 2. c. 97. 1. a.

